Digitized by Google

SIMONIS VAN LEEUWEN. JC.

Olim Supremæ Curiæ Hollandiæ, Zelandiæ,
Weſt-Friſiæque Graphiarii

CENSURA
FORENSIS
THEORETICO-PRACTICA,

ID EST,

TOTIUS JURIS CIVILIS

Romani, Uſuque Recepti, & Practici

METHODICA COLLATIO.

Qua non tantum ipſa JURIS ROMANI fundamenta, ad rationis, & veritatis cenſuram, methodice reducuntur; ſed & ad uſum practicum transferuntur.

Interjectis Conſtitutionibus, Deciſionibus, Moribus, & Statutis, non tantum generalioribus, verum etiam particularibus cujusque fere Chriſtianorum gentis, Regionis, & Provinciæ.

Editio tertia Altera parte auctior.

PARS PRIMA.



AMSTELODAMI,
Apud HENRICUM & Viduam THEODORI BOOM.

cIↄ Iↄ c lxxxv.

8

Digitized by Google

GUILHELMO III.

DEI GRATIA

ARAUSIONENSIUM, NASSOVIORUMQUE

PRINCIPI CELSISSIMO,

AUGUSTISSIMORUM GERMANIÆ

CÆSARUM,

POTENTISSIMORUM GALLIÆ FRANCIÆQUE

MONARCHARUM,

INVICTISSIMORUM MAGNÆ BRITANNIÆ

REGUM,

DIVINO SANGUINE PROGNATO.

KATSENELLEBOGÆ, VIANÆ, DIETSTÆ,

LINGÆ, BURÆ, LEERDAMI, &c.

COMITI,

VERÆ AC FLISSINGÆ

MARCHIONI,

CIVITATIS AC DIOECESIS BREDANÆ,

GRAVIÆQUE,

BARONI AC *TOPARCHÆ,*

ANTVERPIÆ ET VESONTIONIS,

ARCIUM COMITI,

FOEDERATÆ BELGICÆ, TERRA MARIQUE

IMPERATORI,

PATRIÆ LIBERTATIS VINDICI ACERRIMO,

HOLLANDIÆ ZELANDIÆQUE

MARESCHALLO,

EARUNDEMQUE PROVINCIARUM, UT ET DUCATUS GELRIÆ, COMITATUS ZUTPHANIÆ, TRANSISALANIÆ, ET ULTRAJECTINÆ PROVINCIARUM

PRÆFECTO-HEREDITARIO,

PRÆSIDIALIS HOLLANDIÆ CURIÆ

ANTISTITI SUMMO,

HOC DEBITI OFFICII SUI
REDHOSTIMENTUM
QUAM HUMILITER
OFFERT, CONSECRATQUE,
CELSISSIMI EJUS NOMINIS
PERPETUUS CULTOR,

SIMON LEWIUS. JC.

Celſiſſime Princeps,

T*Endunt ad* Celſitudinem veſtram *hæc qualia-cunque noſtra, nulla ambitione accedente, quaſi vobis digna: ſed, quamvis majora aut meliora veſtræ magnitudini ars aut officium meum offerre non potuerit, ejus tamen argumenti, ut ea aliis inſcribere non licuerit. Prodiit ante annos aliquot* Cenſura Forenſis

noſtra

Nobiliſsimis & Ampliſsimis

V I R I S,

D. AMELIO DE BOUCHORST,

Domino in Wimmenum, &c. Ordinis Equeſtris Aſſeſſori, Rhenolandiæ aggerum Præfecto, quondam ad Comitia Potentiſſimorum Ordinum Generalium delegato, nunc ad conſeſſum Conſiliariorum Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Ordd. Delegatorum Præſidi.

D. GERHARDO SCHAEP, J.U.D.

Equiti, Cortenhoeviæ Domino &c. quondam ad Comitia Potentiſſimorum Ordd. Generalium Delegato, nuperrime Senatus Conſiliariorum Hollandiæ Ordinum Aſſeſſori, ad Sereniſs. Daniæ & Sueciæ Reges Exlegato, & nunc Reipublicæ Amſtelodamenſis Conſuli.

D. CORNELIO DE BEVEREN,

Equiti, Stevelſhouckii, Weſt-Iſſelmondæ, Develſteinii, Lindæ, &c. Domino, Reipublicæ Dordracenæ Exconſuli, in Procerum Hollandiæ, & Weſt-Friſiæ Conſeſſu perpetuo, quondam etiam in Comitia Potentiſſimorum Ordinum Generalium, nuper Senatus Conſiliariorum Hollandiæ Ordinum Aſſeſſori, Legationibus ad Magnæ Britanniæ & Daniæ Reges, alioſque Principes, & Reſpublicas perilluſtri.

UT ET

Ampliſſimis, Spectatiſſimiſque Viris,

Reipub. Lugduno-Batavæ

CONSULIBUS.

D. WILHELMO PAEDTS, JC.
Quondam ad Comitia Potentiſſimorum Ordinum Generalium, & ad Senatus Conſiliariorum Hollandiæ Ordinum, eorundemque deputatorum Conſeſſum Delegato, nec non rationum, fœderatarum Provinciarum Curiæ pro tempore, nunc etiam Supremi Senatus Præfecturæ Rhenolandicæ Aſſeſſori.

D. JOANNI MEERMAN, JC.
Senatus Deputatorum Hollandiæ Ordinum Aſſeſſori.

D. ARNOLDO WITTENS, JC.
ad Comitia Præfecturæ maritimæ, apud Amſtelodamenſes, Deputato.

D. JOANNI VAN LEEUWEN,
nuper ad Comitia Societatis Indiæ Orientalis, quæ apud Amſtelodamenſes, Delegato, Parenti meo.

INCLYTÆ ACADEMIÆ

Lugduno-Batavæ

CURATORIBUS,

Viris Magnificis,

Hanc Cenſuram Forenſem

D. D.

SIMON van LEEUWEN, JC.

Perilluſtres, Nobiliſſimi,

Conſultiſſimique

VIRI.

OMnes homines, qui in aliqua ſcientiarum contemplatione ſingulare quicquam ſectantur, ſumma ope niti decet, uti ipſarum rerum fontes, & veritatis, quam profitentur, principia diligenter explorent, eamque exploratam tradant; & ab oppugnatoribus probe tueantur. Quod nemo non, qui (ut ne quid de cæteris ſcientiis) circa Iuriſprudentiam verſatur, ſatis pro comperto habebit; depravatum, atque corruptum Iuris Civilis ſtudium ſibi negocium faceſſere; neque auxiliis veris (quæ in ipſius poteſtate ſunt) à quoquam adjuvari. Ex quo fonte multifaria divinarum, humanarumque rerum, ejus quod juſtum, ignoratio, ex ignoratione detrimenta haud exigua dimanarunt. Quis enim omnem librorum, qui de Iure conſcripti ſunt, accumulatam varietatem diligentius inſpiciet, qui non ubique inveniat repetitiones infinitas, tractandi modo duntaxat renovatas, inventione vero antiquas. Quæ omnia primo intuitu quidem numeroſa, facto examine pauca deprehenduntur. Ipſa ſcientia, quam ex ipſiſſimo Iuris Romani fonte, ejuſdemque recta interpretatione hauriendam ſemper exiſtimavi, ſi ad præſentia referatur, pueritiam quandam ſcientiæ reperies, idque ſolum continere, quod proprium eſt puerorum, qui ad garriendum prompti, ad judicandum invalidi, atque immaturi ſunt. Controverſiarum ſatis feraces operarum fetus ſunt, certi Iuris judicii fere nulli, aut certe perexigui, ejuſque, ut ſæpenumero, quod temere, & ſine juſta cauſa aſſeritur, pro nuda dicentium, & ſequacium auctoritate ſit, & maneat nuda aſſertio, quæ nec

ad fontem unquam reducitur, ſed & quæ olim fuit, maneat quæſtio; nec diſputando tollatur, verum alatur, & diſcentium animis altiſſime infigatur. Unde omnis fere traditio ſuæ ſectæ Doctorum ſucceſſionem produxit, qui ſemper diſcipuli, nunquam plus præceptoribus ſuis ſapiunt, aut ſapere poſſunt unquam. Hinc univerſa Iuris ſcientia qua utimur, in nullo fere bene congeſta aut ſecundum vera ejus principia exſtructa exiſtit, ſed tanquam moles quædam magnifica, quæ fragili infirmoque ſubnixa eſt fundamento. Quare quum ab eo tempore, ex quo ſuo merito exiſtimare Iuriſprudentiam cœpi, aliquid ſupra, & præter quam alii fecerunt, præclare cogitaverim, omni ſemper ope connitendum duxi, ſi quo modo in integrum id ipſum reſtitui, aut in meliorem ſtatum reduci poſſit. Quæ me ratio impulit; ut & animo meo morem gererem, & aliis qui id poterant, & debebant exemplo eſſem, quo ad illud ſcribendi genus animum adjiciant, quod ad veræ Iuriſprudentiæ Theoretico-practicæ affectat viam. Quod licet arduum, & ſupra vires noſtras videri poſſet, attamen idem tractatu magis neceſſarium; magiſque utile, magis quoque ut ſpero, atque opinor profuturum erit, quam in hiſce regionibus alius quiſquam (ni fallor) præſtitit. Neque me fugit, quanto in periculo famæ atque exiſtimationis hoc experimentum verſetur; ſupra vulgus ſapere velle, quo facillime, quum eorum ſtudiis minime obſequaris, non nemini adverſus, cum invidia calumnias, & amicos nullos, quæ odium pariat, veritas inventura ſit. Nihilominus neque de re, neque de memetipſo deſperandum putavi, quin viam, quæ veræ Iuris ſcientiæ pervia eſt, tentarem, atque inirem. Præſtat enim tyrocinium præſtare ejus rei; cujus aliquando exitum ſperamus; quam in iis, quæ neque finem, neque exitum habent ullum, perpetuo incertitudinis conflictu laborare. Qui unius tantum anni & ſucciſivi temporis fœtus; ſi tractandi modum ſpectetis, fateor, intra privatos parietes delituiſſe præſtitiſſet, uſque dum meliora uſu edocto, majori mihi cura eum perpolire liceret: ſed cum alterius; tum hujus argumenti, in publicum hæc mea me

editu-

noſtra Theoretico - Practica , *qua Iuris ſcientiæ tirones , ad Iuriſprudentiam poſitivam , & cujuſque regionis Iura noviſſima ; conſtitutiones , ſtatuta , mores , atque conſuetudines quaſi manu deduximus , & quatenus ipſum jus Romanum cum communi omnium obſervatione conveniat aut diſcrepet commonſtravimus. Sequitur altera Iuriſprudentiæ pars hactenus promiſſa , & ſecundis curis reſervata , quæ de actionibus , id eſt , de modo proſequendi quod ſibi Iure debetur , agit , communem procedendi modum tam in criminalibus quam civilibus cauſis complectens.*

Quæ quantulacunque hæc mea , quum adverſus refractarios , atque invidos eos , qui quum ipſi nihil præſtent , vel in optime meritos invehi non erubeſcant , juſtum atque æquum Mæcenatem & defenſorem exigant ; veſtræ Celſitudini *quenquam anteponere non debui. Patiatur* Clementia veſtra , *me hac in parte te Mæcenatem , & ſtudiorum meorum fautorem requirere. Vt qui juſtitiæ* Antiſtes *ſupremus , quid hac in parte præſtiterim , æquus adſis cenſor , ex cujus nutu & bene placito hæc mea aut ſtabunt aut cadent. Neque hic exſpectet* Celſitudo veſtra *meritorum veſtrorum debita encomia , in quo Vnico vacillantis hujus Reipublicæ Statore , Auguſtam Imaginem intuemur : ut quæ neque huic ſubjecto conveniant , neque ego me hoc honore digner , ut eam ſpartam debite exornare poſſim. Quare ea ſilentio præterire , quam infra merita , quæ dictis adæquari non poſſunt , quicquam proferre ſatius duxi.*

Cæterum quid hac in re præſtiti , examini eorum ſubjicio lubens , quorum tu Celſiſſime Princeps , *te Antiſtitem ſiſtis , quos , quum quotidie in eo pertractandi genere verſentur , æquos Iudices ac vindices veſtro nomine appello , ut , ſi quid præter mentem meam ſequius quam debeat per imprudentiam exciderit , æqui bonique conſulatur ; Quod* omnium habere memoriam , & penitus in nullo errare , divinitatis magis quam mortalitatis ſit. *De me ipſo hoc unum dicam , neminem me hiſce meis , vel per umbram , læſiſſe , qui in*

 omni-

omnibus ab odii, iræque, nedum invidiæ, aut ſimultatum cauſis, me prorſus alienum præſtare volui.

Ad extremum, quum longiores ſermones facere Celſitudinis veſtræ *veneratio haud permittat, reſtat mihi, ut veniam expoſcam, qua hoc qualecunque venerationis veſtræ, & obſequii mei præſens teſtimonium tibi Iure meritoque debitum, cum debita ſubmiſſi animi reverentia oblatum benigno vultu intueri digneris. Deus Optimus maximus, veſtram Celſitudinem, totamque feliciſſimam domum Naſſovicam omnibus felicitatis humanæ partibus beet, perpetuo florentem exornet; & te ad publicos, & ſalutares Patriæ noſtræ, togæ militiæque uſus, ad ſeculi, & illuſtris familiæ veſtræ ornamentum, & ſalutem, copioſiſſima fruge & avita prole ſeneſcentem, conſervet. Vale* Celſiſſime Princeps, *ac Bataviæ invictam libertatem veſtro unius nomine reſtitutam vivus prudenter ſerves, & moriens* UT ACCEPERIS, ITA RELINQUAS, *& poſteris illibatam tradas: ut veſtram Prudentiam, & judicium ſupra ætatem, ingenuumque libertatis ſtudium, quæ Batavum decent, famæ, & æternitati tradas, ut ſumma invidorum Regum, Principumque poteſtas miretur, Batavos, qui ſervitutem ferre nunquam potuere; in hiſce ſummis rerum anguſtiis, veſtro nomine libertatem reſervare potuiſſe.*

Quod vovet & auguratur

V. Celſitud. Add.

Cultor

S. L.

Dabam Lugduni Batavorum menſe Decemb. M D C LXXVII.

Nobi-

editurum decrevi, quod neminem hactenus inveniſſem, qui ad ſimiles cogitationes animum applicuiſſet, & incertus eſſem an aliquando hæc, aut ſimilia alicui in mentem ventura forent: vel ex eo ipſo fore ſperans, ut qui Iuris docendi, diſcendique modus hactenus in avia, & præcipitia quoſque deduxerit, exemplo noſtro, ab initio quamvis incerti, atque periculoſi eventus, in apertum & facilem pergat, & deſinat. Neque in hoc feſtinato opere ambitioſa noſtra vota ſunt, ſed ſollicita, ut ſi quid in eo, quod hominis eſt, erroris remanſerit, ab aliis docear: in cæteris deſignatio rei, quam animo concepi meo, ſimulque ſignum exſtaret, in id quod profitemur, benevolentiæ noſtræ. Hæc, cum alter a docendi, diſcendique præliminari ratione, veſtris, Nobiliſſimi, Ampliſſimique Viri, *nominibus, jure meritoque inſcribo, ut qui inter cætera, de docendi diſcendique Iuris arte, & ſcientia, ſummam curam ſuſceperitis. Cujus cauſa vos libenter appello, ut quæ publicæ rei maxime conducat: cujus vos viri Principes eſtis, ego me civem profiteor, qui nihil in oculis habeo, niſi publicum bonum, cui ornando, promovendoque totus incumbo. Vos ego judices atque arbitros hujus litis, quid maxime è re publica ſit, facio, atque éligo, quo me ut veræ Iuriſprudentiæ Mæcenates, me inquam uberibus veſtris lactatum alumnum, adverſus invidos, nec tamen ultra merita, tueri non dedignemini. Totum quicquid eſt, veſtrum eſt, in civitate, & in Academia veſtra natum. Hanc litem æqui judices, uti ſevere, atque religioſe judicare velitis, etiam atque etiam non ego, ſed res ipſa rogat, atque poſtulat, quæ veſtro judicio ſtabit, aut cadet. Varias fateor Iuriſconſultorum familias, & genera diverſiſſima attigi, ac de ipſis quoque jus docentibus, pro docendi arte, ac ſcientia non pauca dixi, ſed ea lenitate ac modeſtia, quam ſi conſilium intellexerint meum, à me quiſquam exigere poſſet. Et alios à me notatos, ſed degeneres & pravos, ſcio, nec muto factum, neque veniam peto, aut calumniam deprecor: ut quæ res à me tractari aliter non potuit, nec debuit. Neque hæc ſine petitione eſt oblatio: ſed ea, neque alia,*

quam

quam res ipſa efflagitat: videlicet ut corrupta hactenus Iuriſprudentia civilis, in veſtro præ omnibus celeberrimo Athenæo, de integro doceatur, hiſce, quæ intendimus, præſidiis, utque fiat ſcientiæ, atque artis ejus in univerſum reſtauratio, à debitis excitata fundamentis: nec ibi ſubſiſtat, ſed & ut ad veram, ejus quod Iuris, praxin, quæ ab aliis maximo ſtudiorum & rerum diſpendio neglecta, transferatur, noſtroque exemplo, (ſi modo placuerit) hic, ubi maxime debet, ſi non tyronibus, provectioribus ſaltem, qui in vita ſua eam, neque vident, neque audiunt unquam, tanquam anima corpori ſuo addatur, VELITIS, *atque* JUBEATIS; *Ut ſic Iuris ſcientia non ſit amplius vaga, & incerta, ſed ſolidis Iuris Civilis Romani, uſque recepti, & practici nitatur fundamentis, nec quæ omnium ſcientiarum prima, atque princeps eſt, cæteris hac in parte minor ſit, aut infelicior. Quo omnis noſter ſpectat labor, ſpectabitque inpoſterum, quo in voto, ut ita fiat, deſino. Quod reſtat, accipiatis* Nobiliſſimi, Ampliſſimique Viri, *hoc benevolentiæ, ac reverentiæ monumentum, eo quo offertur animo, æquo, ac benigno, ab eo, qui, ut diu incolumes, ſalvos & ſoſpites Reipublicæ, Academiæque bono vos præeſſe ſinat, Deum Optimum Maximum ex animo precatur. Valete. Lugduni Batavorum ex Muſeo noſtro ipſis Kalend. Ianuar.* CIↃ IↃ C LXII.

Digitized by Google

Ad veros

JURISPRUDENTIÆ THEORETICO-PRACTICÆ

Studioſos, *Cultores*, ac *Fautores* pro inſtituti ratione

PROLEGOMENA.

IUtiſprudentię ſtudium propter interptetum copiam, & libtorum multitudinem fere in immenſum excreviſſe, conqueruntur multi: quaſi nihil dici poſſit, quod non ſit dictum prius. Verum enimvero, num ſatis juſtæ audiantur illorum voces? ſubſiſto: quo eos, qui quotidie in acie & palæſtra diſceptationum civilium cauſarum ſtant, & circa deciſiones illaium ſunt occupati, conteſtor: ſæpene illis occurrant viſionum hydræ. & machæræ inexplicabiles, quæ iſtis immenſis interpretum voluminibus, & quæſtionum Mæandris, alias refertis, ne quidem ab ullo tactæ reperiuntur? Proinde, caſuum, quæſtionumve indies otientium varietatem qui intuetur, nullus inficias ibit, plures potius à nobis expeti libros, quam ut illorum multitudine onerati ſtomachus moveatur. Neq; enim certis generum & quæſtionum cancellis concluſum eſt id, in quo verſamur: Sed ſæpiſſime accidit, ut omnibus illis, quæ in ipſa arte hactenus explicata, perpenſis, ſpecies alia exiſtat, quę ad antiquorum ſcripta aut minime pertineat, aut hactenus enodata non ſit. Eo quod majus quoddam ſit quod profitemur, quam homines opinentur, & ex omni ſcientia diſciplinaque collectum. Quum enim *Juriſprudentia, juſti atque injuſti ſcientiam, divinarum, humanarumque rerum notitiam* profiteatur. *l.* 10. §. 2. *ff. de Juſtit. & Jure.* Nihil eſt rerum in toto hoc univerſo, de quo Juriſconſultus, prout de eo, quid juſtum ſive injuſtum ſit, agitur, aut agi debet, reſponſum neget. Et quemadmodum juſtitiæ virtus, ut juſti ab injuſto, æqui ab iniquo, æqua vindicatio, ad omnes vitæ humanæ partes ſe quam late porrigit, ita etiam ipſa Juriſprudentia, ut ſibi conſtet tota hæc univerſitas, ſervatis legibus efficit, ut reſpublica conſervetur, privatorum ſit hominum tranquilla vita, æqualitas defendatur, juſtitia ſarta tecta maneat, dum, ut honeſte vivamus præcipiendo, animo conſulit, ut nemo lædatur, corpori proſpicit, & ſuum cuique tribuendo, facultates, ac fortunas ſingulorum defendit, cuſtodit, atque tuetur. Hoc totidem verbis prædicat Imperatot Juſtinianus in *Novella* LXIX. Ubi inquit, *Una omnium perfectiſſima inter homines virtus cenſenda eſt, quæ jus ſuum cuique tribuit. Niſi enim cæteras omnes virtutes hujus bona comitentur: fieri non poteſt, ut recte aliquid geratur, & ex officio. Inde adeo, neque fortitudinem juſtitiæ non conjunctam laudabimus, quamvis patria lingua robur, & virilitatem ſolummodo quæ in armis conſiſtit, virtutem nominet; cui ſi quis juſtitiam detrahat, improbitatis duntaxat, non etiam boni alicujus cauſam præbiturus ſit.* Idem Chryſippus, idem Demoſthenes, alter Stoicæ ſapientiæ ſummus Philoſophus, alter Oratorum Princeps; uterque in legis deſcriptione, manifeſte teſtantur: ὁ νόμος, inquit Chryſippus in libro quem περὶ νόμων de legibus inſcripſit, πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, id eſt, *lex eſt tam divinarum, quam humanarum rerum omnium regina.* Ἅπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος, inquit Demoſthenes in Oratione de legibus, κἂν μεγάλην πόλιν οἰκῶσι κἂν μικράν, φύσει καὶ νόμοις διοικεῖται. τούτων δ' ἡ μὲν φύσις ἐστὶν ἄτακτον καὶ ἀνώμαλον, καὶ κατ' ἄνδρα ἕκαστον ἴδιον τοῦ ἔχοντος. οἱ δὲ νόμοι, κοινοὶ καὶ τεταγμένοι ταὐτὰ πᾶσιν. Id eſt, *Univerſa hominum vita, ſive magnam urbem incolant, ſive parvam, naturâ & legibus gubernatur. Horum porro natura*

**

quidem

quidem incerta & verſatilis, & ſua cujuſque hominis, leges autem communes & ordinatæ ſunt, idemque præſcribunt omnibus. Quod ſi ad ſpecies deducamus, ſicut juſtitia omnium virtutum prima, atque unica eſt, eaque ſublata, omnes alias corruere neceſſe eſt, ipſa ita Juriſprudentia, quæ in ejus arte conſiſtit, omnium aliarum artium, ſcientiarum diſciplinarumque prima atque princeps eſt, cui, ut ſibi conſtent, quotquot ſunt, aliæ debent omnes. In artibus quidem, ut ne quid de illiberalibus, & Mechanicis, de liberalibus etiam ſatis ſuperque conſtat, *Grammaticam*, *Dialecticam*, *Rhetoricam*, *Muſicam*, *Arithmeticam*, *Geometriam*, *Aſtronomiam*; & ſi quæ ejus generis plures, omnes propter depravatos hominum mores, & irrationalem ſibi, etiam cum detrimento alterius, favendi cupiditatem incommodo magis, quam commodo humani generis inventas: (nimirum quod omnes è cœlo datæ ſint humano generi, ut earum proſit uſus, non vero ut earundem obſit abuſus) neque ulterius in republica utiles animadvertuntur, quam ut ſocietatis, familiaritatiſque civium inter ſe conſervatrices, mediatriceſque: pernicioſiſſimæ, ſi & quatenus eam deſtruerent, aut turbarent. Quem abuſum, nec alio quam juris remedio, juſtitiaque adminiſtratrice præveniri conſtat, cui omnis earum utilitas accepta ferenda: quod fines earum regat, eaſque moderetur, ac temperet. Neque aliter in omnibus omnium rerum ſcientiis ſeſe res habet, quin iiſdem de cauſis plus obſint humano generi, & in republica civium ſocietati, quam proſint, niſi & illæ juris remedio juventur. Harum quædam, ut plane inutiles fere propter incertitudinem (ut, ne quid de *Medicis*, pleraque ſunt in *Phyſicis*, & *Metaphyſicis*) ita, quæ quid utilitatis adferunt hominibus, eo utiliores, & meliores ſunt, quo magis juris, & juſtitiæ præſcripto nituntur, quo depravatam hominum vitam emendent, moreſque eorum reforment, homineſque civili & humanæ ſocietati magis idoneos efficiant. Tantaque hujus artis & ſcientiæ præſtantia in omnibus elucet rebus & neceſſitas, ut nec ipſa *Theologia*, penes quam eſſe regnum & ſumma ſcientiarum creditur, hac potior ſit in iis, quæ de fidei actionibus tractat: Illa namque quæ de Deo & fidei dogmatibus agit, non jubetur, ſed creditur, magiſque perſuaſionem, quam ſcientiam ſpectat. Quid, quod extra fidei dogmata, Theologicæ ſcientiæ Juriſprudentiam eſſe gubernatricem, vel eo patet, quod hæc in cæteris nulla fere præter generalia quædam vivendi monita præſcribat, & quidem naturalia, ac proinde ipſi juri conſentanea: ſed quæ propter caſuum, negotiorum, & ingeniorum varietatem non multum conducunt, magiſque incertos reddunt quid agendum, quam certos, & ſibi conſtantes homines, hos præſertim, qui minus ſubacti, exercitatique ſunt judicii. Quorum in multis per ſe conſideratis, tanta imperfectio apparet, ut de rebus quam plurimis nequidem præcepta inveniantur, vide Cujac. *in præfat. ad Africanum.* Cui defectui atque inopiæ ſola atque unica Juriſprudentia medetur, jubendo ubi nihil conſtitutum, & ſupplendo ea quæ jam conſtitutis deeſſe reperiuntur. Et quæ conſtitutæ ſunt leges Moſaicæ, unica Juriſprudentia dependent, quæ divinarum atque humanarum rerum eſt notitia, juſti atque injuſti ſcientia, indeque veram recipit interpretationem, Theologis, quatenus Theologi, incognitam. Illud namque jus divinum ſi generaliter hoc ita vocare velimus, ex civili, & uſitato in republica jure omnino ſupplendum, atque interpretandum, nullatenus ex ingenio miniſtrorum, qui ſubſunt, nec præſunt Magiſtratui. Quod ſi detur, ut Juri Civili diſſentaneum illud fingatur: eveniet, ut ſocietati civili obſit, & adverſarios ſibi & ſe ipſa ſuperiores cives, miniſtros Magiſtratus conſtituat, aut in reipublica ferat. Quod boni Magiſtratus non eſt, ſed mali, & inepti, arcanum hoc republicæ vel utiliſſimum, vel pernicioſiſſimum ignorantis. Et vel in eo omnium in omnibus Juriſprudentiæ elucet potentia, quod omnia hominū & civium ſtudia, artes,

&

& ſcientiæ huic uni ſerviant, eamque juvare, ſi proderint, debeant: veraque hæc ſit Philoſophia, cujus à doctrina, diverſa non eſt vitæ ratio, quæ, quod in ipſa actione (quam vulgus praxin vocat) conſiſtat, tam facilè à profitentium vita non diſſentit, quam cæteræ artes & ſcientiæ, quæ plerumque ad oſtentationem, & lucri faciendi gratia docentur, nec, ut illa propter uſum, & ut fiat id quod docetur, inventæ, datæ, aut traditæ ſunt. Neque hæc, ut cæteræ, monendo & docendo tantum, ſed pœnarum metu, & honorum dignitatumque præmio bonos facit. *Jus enim à juſtitia appellatur. eſtque ars boni & æqui: cujus merito nos quis Sacerdotes appellet, juſtitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes; bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram Philoſophiam, non ſimulatam affectantes.* Ut diſerte Ulpianus in *l. 1. ff. de Juſtit. & Jure.* Hæc, quum aliarum quidem artium tam liberalium, quam Mechanicarum inventio humanæ ſagacitati poſſit adſcribi, hæc ſola inquam, ſi ulla, originem ſuam non hominibus, ſed Deo Optimo Maximo acceptam ferre debet. Νόμος (inquit Demoſthenes in Oratione de legibus) ἐστὶν ᾧ πάντας προσήκει πείθεσθαι διὰ πολλά, καὶ μάλιστα ὅτι πᾶς ἐστὶ νόμος, εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων. Id eſt, *Lex eſt, cui omnes decet obedire, cum ob alia multa, tum vero maxime eo, quod omnis lex eſt inventum & donum Deorum, dogma vero hominum prudentum.* Quaſi dicat homines prudentes quidem docere leges: non tamen ab hominibus, ſed à ſuperis inventas, & cœlitus datas. *Cui ſuffragatur Cicero de legibus, ubi. lex eſt*, inquit, *neque hominum ingeniis excogitata, neque ſcitum aliquod populorum: ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret, imperandi, prohibendique ſcientia.* Quod & Imperator Juſtinianus cum paſſim, tum in librorum Juris Civilis præfationibus, aperte confitetur. ſe divino adjutum auxilio, conſilioque, & bella gerere, & leges condere, non fidere ſuæ induſtriæ, nihil propriis attribuere viribus: ſed omnes victorias aut in fundendis Imperii hoſtibus, aut in reducendis ſub jugum rebellibus, partas, & in emendandis Romanis legibus proſperos ſucceſſus, acceptos ferre ſoli Deo Omnipotenti: ut cujus ſolius hoc ſit opus, non alicujus hominis. Quippe quod Deus pro ſingulari ſua providentia in genus humanum erexerit, & excitaverit gentem Romanam in Imperii faſtigium, ut per eam leges orbi terrarum præſcriberet tam pias, tam juſtas, & ſalutares, quales nec ab ullo Rege, populove datæ unquam fuerunt, nec in poſterum dari poterunt: propterea, quod ſecundum communem Chronologorum ſententiam, Monarchia Romana fuerit ultima, neque alia futura ſit Monarchia uſque ad ſecundum Domini noſtri adventum, ut ex Sleidano, Carione, & Caſtaldo recte notat Arthurus Duck, in eleganti ſuo tractatu, *De uſu & auctoritate Juris Civilis Romanorum, lib. 1. cap. 2.*

Pro cujus Juris uſu auctoritateque Chriſtianarum gentium moribus recepta, qua generalem qua particularem pro tenuitate mea cenſuram profitens, de inſtituti noſtri ratione, deque vero Juris tractandi modo paucula præfari, è re noſtra fore judicavi. Qui ut conſtet, ante omnia quidem in veteres Juris Civilis auctores, eorumque ſcripta, ex quibus ipſæ leges compilatæ ſunt inquirendum eſt, ut quę ipſi interpretationi ex eorundem fragmentis quę ſuperſunt, non exiguam lucem adferant, adeoque ut vel ex ipſis ſolummodo legum inſcriptionibus, de occulta alias earundem ſententia judicari probabiliter poſſit.

Qui Juris Civilis ſcientiam profeſſi ſunt uſque ad Hadriani tempora præcipui recenſentur in *l. 2. §. 18. de Origin. Juris.* Sed ex quorum ſcriptis Digeſtorum libri compoſiti atque concinnati ſunt, ut paſſim ex inſcriptionibus legum ſingularum, ordine enumerantur hi: Vetuſtiſſimus omnium Q. MUTIUS SCÆ-

VOLA eſt P.F. Conſul & Pontifex Maximus: hujus huc acceſſitur unus libet *definitionum*.

GALLUS deinde AQUILIUS, qui Ciceronem orantem Judex audivit; hujus tantum reſponſis irrigantur Digeſta.

ANTISTII LABEONIS aſciſcuntur libri octo *Pithanon*, id eſt credibilium, ſeu veriſimilium, & item *poſteriorum* decem. Huic ſucceſſit

SALVIUS JULIANUS, qui floruit Hadriani temporibus, Anno poſt Chriſtum 134. Qui Prætorum omnia edicta vage diſperſa collegit, & in ordinem, certoſque titulos digeſſit, edicti perpetui nomine, quod centum & nonaginta libris interpretatus eſt, quos *Digeſtorum* appellavit: ſcripſit præterea libros, *de antiquitatibus* unum, *ad Minutium* ſex, *ad Urſejum* quatuor.

Advocantur & NERATII PRISCI Trajani Imp. familiaris, *regularum* quindecim, *membranarum* ſeptem, *reſponſionum* tres. Eodem quoque tempore

VOLUSIUS MÆCIANUS Juriſconſultus eſt habitus celeber: veniunt huc illius libri *fideicommiſſorum* ſedecim, *publicorum* quatuordecim & ex *lege Rhodia* ſingularia quædam.

Fuit MARCIANUS, qui libros contulit *inſtitutorum* ſedecim, *regularum* quinque, *de appellationibus* duos, *publicorum* duos; item *ſingulares*, quos Græci, *monobiblos*, his titulis de *Delatoribus*, *Hypothecariæ*, ad *ſenatuſconſult. Turpillianum*.

JULIUS quoque CELSUS *Digeſtorum libros* undequadraginta compoſuit, *Inſtitutionum* viginti, *Epiſtolarum* tredecim Sed & ALBURNIUS VALENS *Fideicommiſſorum* ſeptem.

MARCELLUS ſub Severo *fideicommiſſorum* ſcripſit unum, ſex *ad leges*, *Digeſtorum* libros XXXIX. *Reſponſorum lib. ſingularem. Publicorum* libros, *De officio Præſidis*, *ad libros Digeſtorum Iuliani*, *ad Pomponii* librum ſingularem.

Item JAVOLENUS, cujus acciti huc libri ſunt: ex *Caſſio* quindecim, *Epiſtolarum* quatuordecim, *ad Plautium* quinque. Ex poſterioribus Labeonis libri decem. Claruit his temporibus etiam

SERBIDIUS SCÆVOLA, Antonini Pii Conſiliarius, Severi Imperatoris Præceptor. Hujus libri deducuntur in Juſtiniani Pandectas *Digeſtorum* quadraginta, *quæſtionum* viginti, *reſponſorum* ſex, *regularum* quatuor, de quæſtione *familiæ* unus, *quæſtionum* publice tractatarum unus, & ad libros *Digeſtorum Iuliani*. Hujus auditor.

PAPINIANUS ſub Severo Imperatore, Hoſtilio Papiniano & Eugenia Gracili natus, libros ad Pandectas offert *quæſtionum* triginta ſeptem, *reſponſionum* unde viginti, *definitionum* duos, librum ſingularem, & alios duos *de adulteriis*, *ædilitium* unum.

Hujus acceſſores ſunt DOMITIUS ULPIANUS, & JULIUS PAULUS. Feruntur ULPIANI libri *ad edictum* tres & octoginta, *ad Sabinum* unus & quinquaginta, *ad leges* viginti, *pro tribunali* decem, *de officio Proconſulis* decem, *regularum* ſeptem, *fideicommiſſorum* ſex, *Opinionum* ſex. *de adulteriis* quinque, *de appellationibus* quatuor, *de officio* Conſulis tres, *inſtitutorum* duo, *de cenſibus* ſex, *reſponſorum* duo, *diſputationum* libri decem, *ad Edictum ædilium curulium* libri duo, *ad l. Æliam Sentiam* libri quatuor. Singulares hi: *Regularum*, *de Sponſalibus*, *de officio Præfecti Urbi*, *de officio Præfecti Vigilum*, *de officio Curatoris reipublicæ*, *de officio Prætoris tutelaris*, *de officio Queſtoris*, *de officio Conſularium*, *& excuſationibus tutorum*.

PAULI enumerantur hi: *ad edicta* octoginta tres, *Queſtionum* viginti ſex, *reſponſorum* viginti tres, *brevium* viginti tres, *ad Plautum* duodeviginti, *ad Sabinum* ſedecim, *ad leges* decem, *regularum* ſeptem, *ſententiarum*, vel *factorum* ſex, *ſententiarum* iterum quinque, *ad Vitellium* quatuor, *ad Neratium* iterum quatuor, *fideicommiſſorum* tres, *decretorum* tres, *de adulteriis* tres, *manualium* tres, *inſtitu-*

torum

torum duo, *de officio Proconſulis* duo, *ad legem Juliam*, vel ut alii legunt, *ad legem Æliam* duo, *ad legem Æliam Sentiam* tres, *de Jure fiſci* duo. Singulares, *de officio Conſulis* tres, & quædam *de Cenſibus*. *Regularum rurſus*, *Regularum tertio*, *de pœnis Paganorum*, *de pœnis militum*, *de pœnis omnium legum*, *de Uſuris*, *de gradibus*, *& affinibus*, *de Jure Codicillorum*, *de Excuſationibus tutelarum*, *ad regulam Catonianam*, *ad SC. Orficianum*, *ad SC. Tertullianum*, *ad SC. Syllanianum*, *ad SC. Vellejanum*, *ad SC. Libonianum ſeu Claudianum*, *de officio Præfecti Vigilum*, *de officio Præfecti Urbi*, *de officio Prætoris Tutelaris*, *de Extraordinariis criminibus*, *Hypothecariis*, *ad Municipalem*, *de publicis Judiciis*, *de inofficioſo teſtamento*, *de ſeptemviralibus judiciis*, *de Jure ſingulari*, *de Secundis tabulis*, *ad Orationem Divi Severi*, *ad Orationem Divi Marci*, *ad legem Vellejam*, *ad legem Cinciam*, *ad legem Falcidiam*, *de tacito fideicommiſſo*, *de portionibus quæ libris damnatorum conceduntur*, *de Juris & facti ignorantia*, *de adulteriis*, *de inſtructo & inſtrumento*, *de appellationibus*, *de Iure libellorum*, *de teſtamentis*, *de iure patronatus*, *de Iure patronatus quod ex lege Iulia & Papia*, *de actionibus*, *de concurrentibus actionibus*, *de interceſſionibus fœminarum*, *de donationibus inter virum & uxorem*, *de legibus*, *de legitimis hereditatibus*, *de libertatibus dandis*, *de Senatuſconſultis*, *ad legem Fuſiam Caniniam*, *ad Papinianum*, *ad Alfenum*, *de formulis*, *de dotis repetitione*, *& de aſſignatione libertorum*.

Eodem tempore vixit POMPONIUS, Alexandri Imperatoris Conſiliarius, qui varios etiam in Jure ſcripſit libros; veluti ad *Quintum Mutium*, *lectionum* undequadraginta; *ad Sabinum* quinque & triginta, *epiſtolarum* viginti, *variarum lectionum* quindecim, *ad Plautium* ſeptem, *fideicommiſſorum* quinque, *Senatuſcultorum* quinque, *regularum* unum & *Enchiridii librum ſingularem*.

ET SABINUS Capitonis ſucceſſor, ad quem, Ulpianum, Paulum & Pomponium ſcripſiſſe, diximus, *Iuris Civilis* ſcripſit libros tres, *ex Proculo* ſingularem & *epiſtolarum* libros octo.

CAII deinde, cujus præter nomen nihil de ejus vita & nomine conſtat, adhibiti ſunt *ad edictum provinciale* libri duo & triginta, *ad leges* quindecim, *ad edictum publicum* quindecim, *aureorum*, ſeu rerum quotidianarum ſeptem, *duodecim tabularum* ſex, *Inſtitutionum* libri quatuor, *de manumiſſionibus* tres, *fideicommiſſorum* duo, *de Caſibus* unus, *regularum* unus, *dotaliciorum* unus, *hypothecariæ* unus.

Adhæc VENULEI *ſtipulationum* libri undeviginti, *actionum* decem, *de officio Proconſulis* quatuor, *de pœnis Paganorum* unus, *publicorum* tres, *de Interdictis* ſex & *diſputationum* libri ſeptem. MAURICIANI *ad leges* ſex, *de pœnis* libri duo. TERENTII CLEMENTIS *ad leges* viginti. AFRICANI, qui & SEXT. CÆCILIUS dicitur, *quæſtionum* novem. FLORENTINI *Inſtitutorum* duodecim. TERTULLIANI *de Caſtrenſi peculio* unus, *quæſtionum* alter. JUSTI *Conſtitutionum* viginti. TRIPHONINI *Diſputationum* libri unus & viginti. CALLISTRATI *de Cognitionibus* ſex, *edictorum monitorum* ſex, *de Iure fiſci* quatuor, *Inſtitutorum* tres & *quæſtionum* plures. MENANDRI *militarium* quatuor.

MODESTINI exſtant *reſponſorum* libri undeviginti, *Pandectæ* duodecim, *regularum* decem, *differentiarum* novem, *excuſationum* ſex, *de pœnis* quatuor, ſingulares, *de præſcriptionibus*, *de Inofficioſo teſtamento*, *de manumiſſionibus*, *de legatis & fideicommiſſis*, *de teſtamentis*, *de eurematicis*, *de Enucleatis caſibus*, *de differentia dotis*, *de ritu nuptiarum*, & de *præſcriptionibus* liber ſingularis.

TARRUNTII PATERNI *militarium* quatuor. MACRI *militarium* duo, *publicorum* duo, *de officio Præſidis* duo, *Icoſton* duo, *de appellationibus* duo. ARCADII *de teſtibus* ſingularis, *de muneribus civilibus* unus, & alter *de officio Præfecti Prætorio*. RUFINI *regularum* tredecem. ANTHII, ſive PUBLII FURII ANTHIANI *partis edicti* libri quinque. MAXIMI *ad legem Falcidiam*.

Et Hermogeniani *epitomarum* libri ſex. Alfeni Vari *Epitome & Digeſtorum* libri plurimi. Claudii Saturnini liber ſingularis *de Pœnis Paganorum*. Et Ælii Gallii *de verborum quæ ad jus pertinent ſignificatione* libri.

Quæ juris conditorum, eorundemque librorum & titulorum quibus Pandectæ ſe debent, non eo, qui eſt in illo Pandectarum præliminari indice, dignitatis aut præcellentiæ, ſed quo ſucceſſerunt ordine, ſeries eſt. Eorum ſcilicet, quorum à Cæſaribus, publice de jure reſpondendi data erat poteſtas: Præter eos enim & alii fuerunt, qui libros ad jus pertinentes ſcripſerunt, ſed quorum ſcripturas nullis auctoritatibus receptas, aut uſitatas refert Juſtin. *l. 1. § 4. Cod. de Jure enucleando*. Horum omnium fragmenta tantum quædam ſuperſunt pauca, quæ ſi integra ſupereſſent, Juriſprudentia nobis longe purior ex ipſis fontibus proflueret, faciliorque in multis eſſet reſponſio, ſi ad ipſa principia ſua eſſet regreſſus. Unde tamen omnis Juris & legum interpretatio petenda, ut quod multum juvet legum titulos inſcriptioneſque inſpicere, earumque alias aliis hinc inde diſperſas conjungere. Neque enim prolixioribus iſtis Juris Civilis Commentariis, temporis ſucceſſu aliis ex aliis ſupra numerum adauctis, tantum debetur, ut exinde purus ex ſuo fonte prodeat intellectus, in quorum ingentes, immanes, & inſanos Juris Scholaſtici Commentarios, juxta alios, jure meritoque invehimur, deque accumulata ſupra modum librorum & ſcribentium multitudine, quorum longiores commentariorum diſputationes ipſi juri denſiſſimas induxere tenebras, & à veris juris principiis deflectunt, conquerimur ipſi. Sic ut iis prorſus neglectis, ad ipſum textum, ejuſque fontem cui manifeſtam vim inferunt illi, provocari ſit neceſſe, neque de Jure, niſi penitius, quam eorum aliquis inſpiciendo, verè judicari poſſit: interque eos magni etiam nominis Juriſconſultos, uno *Cujacio* excepto, vix aliquem reperias, unde recta juris legumque interpretatio peti poſſit. Ecquis, quæſo, qui eo intendit (in quo certe ſola atque unica Theoretica Juris conſiſtit ars & ſcientia) negabit, ejus generis intelligentiores uſque in hunc diem magis magiſq; deſiderari interpretes? Non dico commentatores; quod omnem Juris Civilis periphraſin, commentariumque ſtrictè vetuerit *Juſtinianus Imperator §. 21. de Confirm. Digeſt. ad Senat. & Populos*. Sed monita tantùm quædam brevia, quæ *Paratitla* vocat, & *κατὰ πόδα* interpretationes, aptas, nec pluribus multò quàm leges ipſæ, conſcriptas verbis, edi permiſerit, ne verboſitas eorum aliquid legibus adferat ex confuſione dedecus: certò hujus ingruentis mali proſpiciens eventum, quò jam rem deveniſſe peſſimo Juriſprudentiæ ſtudioſorum malo, conquerimur omnes. Innumeri exſtant, qui in id ſolum incubuere, quod is vetuit, permiſſa, qui præſtiterunt nulli, aut certè perpauci. *Angelus* quidem *Politianus*, antiqui & in occulto poſiti Juris *Enucleator* egregius, multa ejus generis compilaverat, ſed quæ hactenus deſiderata fatalis nobis invidit ſeries; inter aliorum ſpinas redolentia. Qui, ut ne fraus eorum fiat aperta, ſua addendo delendoque intermiſcere: verum adeo infeliciter, ut, quam docti etiam habere velint, peſſima elegiſſe, optima reliquiſſe reperiantur. Quod idem de *Accurſio* veteri Gloſſatore *Antonii Contii* teſtimonium eſt, eum ſcilicet ex *Azonis* præceptoris ſui ad ſingulas leges commentariis manuſcriptis, ſuppreſſis, & nunquam typis expreſſis, majorem Gloſſatorum partem decerpſiſſe, eâ interdum inſcitiâ, ut peſſima quæque elegerit, optima reliquerit, verba *Azonis* magiſtri non ſatis intellexerit. Plurimum etiam in iis præſtitit, *Antonius Auguſtinus* Juriſconſultus, in ſuo emendationum tractatu, & ad *Modeſtinum* libro ſingulari. Quædam etiam habent *Vaconius à Vacunâ*, *Antonius Goveanus*, *Antonius Contius*, *Renaldus Corſius*, *Nicolaus Bellonius*, *Jacobus Rævardus*, *Ludovicus Charundas*, *Johannes Roberti*, *Franciſcus Hottomannus*, *Guilhelmus Budæus*, & noviſſime quædam quæ ad verum Iuris intellectum, atque

legum

legum interptetationem pertinent excerpſit *Elbertus Leoninus Geldriæ Cauellarius* in ſuis emendationum libris. Solus vero atque unicus, ſi non in omnibus, in plurimis ſaltem, pauciſque exceptis, quæ ad emendationem declarationemve deſiderantur nobis præſtat, verus ille juris anteceſſot, & juſtitiæ Sacetdos *Jacobus Cujacius*, qui omnium legum κατὰ πόδα interpretationem profitetut. Quem juſtiſſimo dolore commotum adverſus magnos illos commentatores ſtomachantem audiamus, in Epiſtola, quam patatitlis ſuis Digeſtotum ptæfigens, conſcripſit ad *Georgium Lomelium* Patricium Genuenſem. *Hæc quum uon explereut*, inquit, *obtuſiora iugeuia, uec ſatis jus illuſtrare videreutur, ſupervenere alii, qui uon mutato uomiue Gloſſas auctiores reddereut, quam pateretur ipſum Gloſſarum nomeu, atque ita paulatim Gloſſæ gravidæ factæ, quæſiveruut ſibi libros, ingeutes, immanes, inſauos commeutarios.* Quod & paulo poſt adverſus viva voce legum Interpretes, Profeſſotes, & Juriſconſultos Italos ſui temporis, ira adurget: *Ex bis*, inquit, *quos offeudi, ne quid diſſimulem, alius docendo & diſputaudo mibi viſus eſt planè delirare, majore licet faſtu, couveutu, atque mercede, alius ſermonem, juſque louge alienum ab eo, iu quo verſari ſe profitebatur, in medium producere, alius ue iutelligere quidem, quid ageret, quidve loqueretur miſer, alius è ſolio oculis uunquam è ſcripto ſuo dimotis, deblaterare couſilia multa iu re, quæ uno verbo explicari potuiſſet, quæ explicatioue vel comprobatione indiget ullâ, & nibil aliud tamen per boram agere, alius juris uua parte ſapere, quam ex veris Juriſcouſultis corraſerat vel corrogaverat, iu cæteris plauè deſipere, & iu nullo probitatem Juriſconſulto diguam, quæ tameu eſt omuis ſapientiæ caput, oſtendere, iu omuibus quæſtus cupiditatem, ambitionem ſummam, ſive bonoris, ſive iueſcaudorum auditorum, non ſolum ut frequeutibus decanteut, quibus neque doctiores neque meliores eos reddunt, ſed verò etiam, ut beue comitati per plateas & vicos ducantur & reducantur.* Hactenus ille. Quæ utinam non ita benè quadrarent in noſtros jam nunc Juriſconſulros, quibus idem, nec in Theoreticâ modo docendi ſctibendique arte id uſu venire magis magiſque eſt compertum: ſed & ad praxin, id eſt, veram juris ad ſua quæque ſubjecta applicationem, idem ſacer morbus ſerpſit. Nec mirum, quum ex ſpretis, neglectiſque eum in modum juris principiis, haud aliter res ſuccedere potuerit, quam ut illi, qui ejus, quod è confuſo commentariorum cumulo perperam didicerant ſpecimen daturi, in idem vitium inciderint. Et hinc conſiliorum, concluſionum, reſolutionum, opinionumque variarum ingentia volumina, in maximam excrevere molem. Quæ ſi ad fontes reducas, neutrum eorum, nec ipſius juris principium, nec veram, ejus quod juris ad ſubjectum ſuum, applicationem reperies. In quo tum certe elucet, quam neceſſaria ſit theoriæ cum ipſa ptaxi conjunctio, quarum una ſine alterâ nequaquam ſubſiſtit. Quod enim de virtutibus verè proditum eſt; præcipuam earum laudem in actione, non in contemplatione conſiſtere, illud, ſi de aliis omnibus, quæ actionis penitus expertes non ſunr, certè de Juriſprudentiæ ſcientia verè prædicari debet. Namque illud explorati eventus eſt, etiam præſtantiſſimos Juriſconſultos, qui in tradenda diſciplina, ne *Papiniauo*, ut videbantur, inferiores, ipſos etiam, quod pace eorum dixerim *Duarenos*, & *Donellos*, & ipſum quandoque *Cujacium* hâc in parte quam plurimum defuiſſe ſibi, nec ullibi erraſſe; quam ubi has juris ſcienriæ qualitates aut ſejunxerinr, aut non bene conjunxerint. Et hodiernos advocaros in judicium voco, nunquid inter ipſos exiſtant, qui, quum nihil, quam in procedendi modo & actionum formulis, quam illi etiam praxin vocant, quid profecerunt, tum quum ad veram praxin deveniendum ſit, vel de minima re interrogati, aut obtumeſcunt, aut inepte reſpondere deprehenduntur, aut rudioribus ſe ridendos præbent. Deridendi ſane, deteſtandique, quod tem tam facilem, tam utilem, tam neceſſatiam diſcere neglexetint, quod eam nullo labore, vel ab imperito

quo-

quolibet addiſci facile putent. Quod eo devenit, cum maximo Juriſprudentiæ,
& totius etiam Reipublicæ detrimento, ut inde facti audaciores, & jam alioqui
per imperitiam procliviores, quam par eſſet, ad negligenda ea, quæ ad veram
juris ſcientiam pertinent, adeo ſibi placeant miſeri & blandiantur ut quaſi con-
ſerat, illam omnino negligant, hanc unam ſectentur, totumque illud quod in
Scholis addidicerant, dediſcere ſe debere, & potius ad imaginariam, & cuique
ſibi fictam, quaſi naturalem rationem & æquitatem, ex quibus omnia ſatis facile
judicari poſſe putant, confugiendum ſtatuant. Quo quid injuſtius, aut ine-
ptius, aut ad procreandos errores magis idoneum excogitari poſſit? quam ſi in
tradendo jure, cuique animi ſui propriam ſententiam pro ratione ſequi, & ima-
ginariæ æquitatis commento, veris legibus illudere concedatur? Solent enim,
ſive delirent, ſive recta ſentiant, quod caſu quandoque contingit, omnia ad
æquitatem referre, quam ipſi ſibi fingunt, ut magni juris & æquitatis arbitri ha-
beantur. Qui, ſi ad profligendas eorum ineptias, legis auctoritas, & vera juris
ratio objiciatur, quum nihil habeant, quod commode reſpondere poſſunt, ut
inſcitiam ſuam honeſte reticeſcant, aut quod longe pejus eſt, opinionis ſuæ
velamento tegant, hæc tanquam nudas ſubtilitates, & juris apices traducunt.
Ut ergo, nec ſola Theoria ſine praxi, ita nec praxis ſine Theoria alicujus uſus
eſſe poteſt, ideoque ſe invicem comitari ſemper & ubique eſt neceſſe, quod
commentando ſervaverunt, *Johannes del Caſtillo Sotomajor* in Hiſpaniæ patri-
monii Regii Senatu Conſiliarius, in ſuis quotidianarum controverſiarum Juris
voluminibus, & *Antonius Faber* in Senatu Sabaudiæ Præſes primarius, eum-
que ſecuti, *Paulus Chriſtinæus* in ſuprema Brabantiæ Curia Advocatus, &
Benedictus Carpzovius Saxono-Germaniæ Anteceſſor. In Gallia idem præ-
ſtitere, *Eguinarius Baro*, *Johannes Fonſeca*, *Autumnus*, *Mornacius*, & alii.
Cui tum poſtea accedit, Juris noviſſimi, mutati, abrogati, aut ex parte de-
rogati cognitio, junctâ patrii cujuſque ſui, juris enodatione. Multi enim quod
addiſcere neglexerint, nec in viridi obſervantia quotidie obſervari noverint,
abrogatum ſtatim, mutatumve ſibi perſuadent: quum tamen quicquid nova lege
non ſpecialiter fuerit expreſſum, veterum legum conſtitutionumque regulis re-
lictum intelligatur. *l. 32. in fine Cod. de appellatione*. adeoque quod non ratione
introductum, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtentum eſt, in aliis
ſimilibus non obtinet, neque vim juris habere poteſt, *l. 39. ff. de legibus*. Et male
adinventa, malæque conſuetudines neque ex longo tempore, neque ex longa
conſuetudine confirmantur. *Novell. 134. cap. 1.* Ex diverſo, multi fruſtra deci-
ſionem ex Romano Jure his in cauſis quærunt, in quibus propriæ leges, aut cer-
tæ conſtitutiones haud deficiunt, in quas primum inquirendum: ut quibus
demum deficientibus, Jus Romanum ſuccedere, quæque Gentes ſinant. Nam-
que paſſim cernimus rerum humanarum pro varietate gentium mutabilita-
tem, atque inconſtantiam eſſe tantam, ut quod uno tempore juſtum ſit, alio
injuſtum videatur, & quod uni populo bonum & æquum, alteri pro morum
varietate iniquum eodem modo cenſeatur. Tempus enim omnia mutat, ac in
rebus permutandis perſonæ vicem gerit, & cuncta ſuâ periodo determinat.
Quo refer Ovidii locum 5. *Metamorphoſ.*

> *Nec ſpecies ſua cuique manet, rerumque novatrix,*
> *Atque aliis alias reparat natura figuras.*

Hinc morum, regionumque diverſitas, caſuumque ſupervenientium diſſimi-
litudo, antiquarum legum abrogationes, interpretationes, & mutationes, quas
non leviter intueri modo, ſed diligenter conferre neceſſe eſt: ut quod nihil
prius, nihil antiquius in omni re ſit, quam quod quiſque ſibi propriũ jus con-
ſtituit. Quod tamen cum ipſo Jure Civili ita conferendum, ut in nullo extra

ex-

expreſſam cauſam, abrogatum, mutatumve ſtatuere fas ſit; eaque ejus interpretatio ſumenda, quod id quam minime lædatur, ut quod propter ſummam æquitatem & præſtantiam communi quaſi conſenſu, apud omnes pro communi jure ſit receptum.

Hæc qui methodicè ſimul congeſſit, hactenus exiſtit nemo: Introductionem quidem ejus quoad *Batavos* reliquit nobis Vir Incomparabilis *Hugo Grotius*: quod utinam ad ulteriora perduxiſſet, Habemus & *Gudelinum*. *Chriſtineum*, *Dambouderum*, *Merulam*, alioſque Juriſprudentiæ Belgicæ Commentatores, quos admixtis plerumque *Galliæ* moribus, ut ſuas quaſque Leges quaſi per indicem. ſatis feliciter collegit, ſuique commenti amplâ dote adauxit *Simon à Groenewegen*, tractatu ſuo *De Legibus abrogatis*, *& inſinuatis in Hollandia*, *viciniſque regionibus*: de *Galliæ* moribus atque Conſtitutionibus ſcripſere *Eguinarius Baro*, *Antonius Mornacius*, *Carolus Molinæus*, *Ludovicus Charundas*. *Bernardus Autumnus*, & totius Franciæ ſive Galliæ Statutorum ſive Conſuetudinum Generalium, & particularium omnium duo edidit volumina *Gabriel Michaëlis*. De patrio Germaniæ jure multa ſcripſere *Matheus Colerus*, *Georgius Schultz*, *Matthias Berlichius*, & noviſſime *Benedictus Carpzovius*, qui potiſſimum de Jure Saxonico commentati ſunt, *Johannes Franciſcus Balthazar*, qui de Jure Bavarico, & *Thomas Dreſuerus Leopolitanus*, qui Jus Polonicum ex Statutis & Conſtitutionibus *Regni Poloniæ* collectum edidit. Extant etiam typis excuſæ, Conſtitutiones *Regni Hungariæ*, *Jus Culmenſe*, ſive Jus Provinciale Ducatus Pruſſiæ, *Joachimi Scheplitz* Conſuetudines Brandenburgenſes, & alia diverſarum Gentium Statuta atque Conſtitutiones. Juris Anglicani Methodum & ſeriem conſcripſit *Johannes Cowel Cantabrigienſis Profeſſor Regius*, deque *Italiæ*, *Hiſpaniæque* Regnorum Ducatuumque Jure, & Conſtitutionibus multa apud *Julium Clarum*, *Gomezium*, *Gutierez*, *Alphonſum de Azevedo*, & alios DD. & poſt omnes apud *Proſperum Farinacium*, invenimus. E quibus de *Saxoniæ Germaniæque* moribus *Carpzovii* ſcriptis, plurimum præ cæteris auctoritatis datur, quæ ex judicialibus Archivis totius Germaniæ Celebriorum Juriſconſultorum in ſingulis cauſis, reſponſis, & reſcriptis, quibus ibidem in judicando uti ſolent, collecta & tranſcripta noverim. Sed quęcunque ejus generis exſtant, aliis permixta, planeque confuſa, nulloq; ſcribendi ordine, nec methodo ſervatis, ſunt conſcripta, neq; rectam docendi, diſcendique formam habent ullam. Quę me res impulit, ex quo ſuo merito æſtimare Juriſprudentiā cœpi, aliquid ſupra, & præter quam alii feciſſent, præclare cogitare, quamvis ingeniū, judiciū, ſcientia, uſus, atque experientia in multis, aut deeſſent, aut deficerent: idque quod antea de jure patrio, vernaculè in quodam ſpecimine conatus fui, nunc etiam aggredi audeo, alia quodammodo ratione, Latia & communi quaſi omnium gentium lingua ipſum Jus certum, cum uſu practico, & moribus atque Conſtitutionibus uniuſcujuſq; Chriſtianorum gentis & regionis methodicè conferre. Quo non tantū Juris Romani fundamenta, ad rationis & veritatis juſtam cenſuram, ſingulari methodo referuntur, ſed ad uſum practicum, ad quodq; ſubjectum ſuum, & Gentium mores ita transferuntur, ut & deciſiones per caſus, mores, Conſtitutiones & Statuta non tantum generaliora, verùm etiam particularia, cujuſque fere regionis & Provinciæ comprehendat. Neq; absterruit; quod aptiores proculdubio, & peritiores multi ſint alii, magiſque aſſueti huic Latine ſcribendi generi: quod illi id non facerent; & hoc opus quanquā omne veræ Juriſprudentiæ ſtudium reſtituere in integrum non poſſit, (quod quoad Theoriam ipſam, aliis ulterius ſuo modo tractandum relinquo) juvare ſaltem, alioſq; magis idoneos ad id genus ſtudii excitare poſſit, eaque præterea fretus fiducia, bonos non ęgre benefaciendi propoſitum laturos, maloſque indignos eſſe quibus etiam hoc opus qualecunque demum ſit, ſcribatur. Eam in his ſcriben-

bendis adhibui artem & methodem, ut in unoquoque Juris prudentiæ tractando argumento, poſt juſtam rationis & veritatis cenſuram, ipſum Jus Romanum, ut certum, pro fundamento poſuerim, Scholaſticis altercationibus illis, quæ ad rem ipſam uſumque practicum, parum, aut nihil conferunt ſicco pede tranſgreſſis: quod eorum tractatio apud alios ſatis ſit frequens, è quibus ſupervacua ſuppreſſi, ne deſiderarentur neceſſaria, magnopere cavi Non quod diſceptationes illas Scholaſticas, minus neceſſarias exiſtimem, ut quidam diſcipulis ſuis, magno etiam ſtudiorum ſuorum diſpendio, perſuaſum habent: quas ego vel maxime neceſſarias ſtatuo, non ſolum ad ingenii culturam, & judicii ſui exercitationem, quo promptiores in exprimendis animi ſui ſenſibus evadant, ſed ut ad ipſius rationis certitudinem perveniant. Quomodo enim quis ſe, vel in ipſa certitudine, & jure indubitato adverſariorum technis extricabit, ſi nulla ratiocinatione legitima utatur; Ecquis certus eſſe poſſet, qui non perpenſis iis, quæ dubitationem adferre poſſunt, de rei certitudine ratiocinando concludit. Nulla èſt ſcientia certa, ejus, de quo nunquam fuit dubitatum. Sane qui ejus arrogantiæ atque ambitionis ſunt, ut diſcipulis ſuis, vel ipſum Jus certum eſſe, nullo alio argumento perſuadent, quam quod dicant certum eſſe, neque ulla habita diſcuſſione ejus, quod pro captu diſcipulorum ad inculcandam illam certitudinem, requiritur, affirment: non docent, ſed diſcipulos faciunt qui neque doctiores, neque meliores evadere poſſunt unquam, illudque agunt unice, ut ipſimet delirantes, & illos ad deliramenta verius, quam ad certam doctrinam tandem perducant Verum non in antiquis fabulis conſeneſcendum: ſed ea quæ docendi cauſa, ad lineamenta magis ſuper iis, quæ uſui aliquando futura ſunt, quam ſuper plane obſoletis inſtituenda diſceptatio. Quo pertinet præſcriptum Imperatoris, in procemio *Inſtitut.* §.3. Ubi ſedulo monet, *ne ob antiquis fabulis Legum Inſtitutiones ediſcantur: ſed tam aures, quam animi ſtudioſorum, nihil inutile, nihilque perperam poſitum, ſed quod in ipſis rerum obtinet argumentis, accipiant.* Quod etiam in tractatione noſtra, licet non Scholaſticorum more prolixe conſcripta, præcipuum invenitur: ut nihil omnino pro certo ſit poſitum, quod non ratione aut lege probetur. Erubeſcimus ſine lege loqui, *Novell.* 18. *cap* 1. *junct. l.* 19. *Cod. de Novationib.* & nihil eſt, ne conſuetudo quidem, quod vincat rationem, aut legem *l.* 2. *Cod quæ ſit longa Conſuetudo.* extra quam conſuetudo non eſt, ſed corruptela, & quod non ratione introductum, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtentum eſt, in ſimilibus non obtinet. *l.* 39. *ff. de legibus.* Quæ non ideo à vobis pro certo jure accipi volo, quod ab eo, qui ſecundum fidem, & veritatis conſcientiam ſe eat tractaſſe promittit, poſita ſint, ſed ab eo, qui ipſam certitudinem, & quatenus eam, ratione aut lege probet. Eſt enim Juriſprudentia ars & ſcientia, quæ non ex auctoritate profitentis, ſed ex cognitione certa dignoſcitur. *Scire* enim, inquit Ariſtoteles alibi, *eſt per cauſas cognoſcere, & ſcimus, quum cauſam eſt cauſam res eſt & eam cauſam eſſe, & fieri non poſſe, ut res alio modo ſeſe habeat, cognoſcimus.* Aliter, quam plerique pragmatici noſtri, quibus nihil familiarius, nihil antiquius, quam ut inveteratos pragmaticorum errores, pro certo jure nobis obtrudant, à quibus in judicando, aut conſulendo, aut conſulendo recedi non oportere perhibent. Quorum tamen opinio, licet communis & recepta, ut vulgò dici ſolet, & per aliquot ſecula ſteterit, in multis, aperte falſa quotidie apparet, in quibus non ſtetiſſet, niſi ex auctoritate primi ſcribentis, poſteriores ſe invicem, ut grus gruem ſuiſſent ſecuti, de inquirenda rei veritate, deque inveſtigandis ipſis juris principiis, minime ſolliciti. Auctoritas DD. quam ita vocant, quæ non niſi opinio eſt, neceſſaria non eſt, ſed probabilis tantum. Imo *obeſt plerumque,* inquit Cicero 1. de natura Deorum, *iis qui diſcere volunt, auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur: deſinunt enim ſuum judi-*

judicium adhibere. id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Quippe quod re ipſâ conſtet, communem opinionem progreſſu temporis mutari, ut quæ opinio ante aliquot annos communis fuit, hodie deſinat eſſe communis, & contraria fiat communior, & omnium, ea quæ particularis fuerat ante. Omnis enim opinio rejicitur, eo quod contraria opinio probabilior ſit, vel verior. Quod ut in aliis, tum maxime in Juris prudentiæ ſcientia & ſtudio uſu venit. Quo pertinet Imperatoris noſtri inſtitutum in *l. 1. §. Sed neque. Cod. De Veteri Jure enucleando.* Ubi ille disertis verbis Digeſtorum Compoſitores in hunc modum monet. *Sed neque ex multitudine Auctorum,* inquit, *ſed quod melius eſt judicate, quum poſſit unius forſitan, & deterioris ſententia, & multos, & majores in aliqua parte ſuperare.* Sed & nobis objiciet aliquis; crebra doctorum allegatio eſt: quam non eo à nobis adductam ſciat, ut eorum auctoritati quicquam deferamus, ſed tanquam remiſſiores eorum, qui (quum brevis eſſe voluerim) idem mecum ſentientes, eadem latius tractitarunt, quorum opiniones ut veras, & probatas ſimul defendere ſuſcipimus: tum, ut ne quid ex aliquo eorum obſervaverim, quod non ei ſimul deferatur, inque eo unicuique ſuus detur honos. Ne, ceu humano capiti cervicem equinam jungens, abſurda quadam furtivaque novitate variis avem conveſtiens plumis, hujus à Venuſino Vate monſtri inſimuler

Horat. de Arte poet.

> *Humano capiti cervicem pictor equinam*
> *Jungere ſi velit, & varias inducere plumas:*
> *Undique collatis membris, ut turpiter atrum*
> *Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne:*
> *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?*

Quo, ut

Horat. 1. Epiſt. 3.

> *---- Si forte ſuas repetitum venerit olim*
> *Grex avium plumas, moveat cornicula riſum*
> *Furtivis nudata coloribus.*

Aut hoc Bibilenſis aculei ſcommate excipiar:

Martial. 1. Epigram. 39

> *Quem recitas meus eſt ô* Fidentine *libellus;*
> *Sed male dum recitas, incipit eſſe tuus.*

Quod & commune multorum vitium eſt, ut quoties hic aut ille quid invenerint velnti proprium inventum pro ſuo venditent. Ex quibus inter cæteros hujus peccati redargui ſolet *Chaſſanæus* in commentariis ſuis ad *Conſuetudines Burgundiæ:* quod multa ex *Matthiæ de Affict.* commentariis *ad Conſtitutiones Neapolitanas* deſcripſerit, nec Auctorem nominaverit. Quo pertinet *arg. ex l. heredit. 68 §. fin ff. ad legem Falcid.* quæ probat, occultatorem alienæ laudis furi ſimilem: nihil enim intereſt, utrum ſubtraxerit, an occultando quis alterius eſſe negaverit: Quam turpiter aliàs veræ Juriſprudentiæ, & juris noſtri, arti, ſcientiæque impoſuerit inveterata illa Doctorum communis, per aliquot ſecula, opinio, nunquam ſatis laudato laudandoque propoſito in plurimis re ipſa oſtendit doctiſſimus Juriſconſultus, veræque praxeos cultor primus atque unicus *Antonius Faber*, in ſuis *de Erroribus Pragmaticorum* Libris. Sed nec veterum, modo is error fuit, quo alter alterius opinioni ita ſervirent, ut eam inquirere, aut de ea dubitare propter ſcripturæ auctoritatem vix aliquis auſus fuerit, multò minus, ne eam quiſquam improbaverit. Verum & jam creſcente magis magiſque Pragmaticorum quorundam noſtrorum imperitiâ, ſimul ac impudentiâ, non per cuniculos ut antè; ſed apertâ fere vi irrumpit quotidie, quâ Conſultationes ſuas nullius legis aut rationis legitimæ argumento fuffultas, ex ſolâ ſcribentis auctoritate, quod ipſis ita juſtum videtur (ſi ita diis placet) confirmantes, indies magis magiſque tribunalium ſubſelliis pro jure obtrudunt, quaſi eorundē nudis aſſertionibus tuto fides habeatur, nec de iis dubitari poſſit aut debeat. Quo quid ineptius, aut ipſi veritati,

 eique

eiſque quod juſtum eſt, magis adverſum excogitari poteſt:iis fidem adhibere, qui ſibi ipſis haud fidunt? ut qui, quoties perperam & contra ipſum jus,quod profitentur ipſi,reſpondiſſe convincuntur) facillima enim eorundem inſcitiæ eſt detectio) propriam turpitudinem jam tum ſtatim agnoſcunt: ſeque ex tempore aliis fortè intentos negotiis incogitanter ita reſpondiſſe confitentur: qui tum etiam ſolenni clauſula quam apponere ſolent (*ſalva ſaniori ſententia judicia aut conſilio*) honeſtius ſeſe excuſant. Quæ quidem ſicut laudabilis eſt in iis, qui cum omnibus & ſingulis ponderatis,ſecundum legum argumenta reſponderunt,conſilii poſteà reſponſive, diligentiori examine inſtituto, ſententiam corrigere & mutare non erubeſcunt: quod magis laudabile ſit conſilium. erroneam mutantis ſententiam, quam ignorantis;aut defendentis.poſtquam convictus eſt. Nec enim diffitendum, ea quæ ſcimus,magnam eſſe partem eorum quæ neſcimus,laudaturque ob id ſententia *Pomponii* Juriſconſulti dicentis:*etſi alterum pedem in tumulo haberet,non pigeret aliquid addiſcere, l. 20. ff. de Fideicomm. libert.* Et *Q. Mucius, Servio Sulpicio* reſpondebat. *Turpe eſſe cauſas oranti,jus,in quo verſatur ignorare.l 2 § 43.ff.de Orig.Jur.* ergò,multo magis,contrarium ſuggerere:neque in iis,per talem clauſulam excuſari quis poteſt, quam præſtitiſſet non addidiſſe, & conſulto reſpondiſſe, quā eo velamento certum reſponſi fundamentum, unde ejus veritas aut certitudo conſtare poſſit,omittendo, propriam turpitudinem & ſupinam ignorantiam agnoſcere. Nos ut certi ſimus,de omnibus prius dubitare magno ſtudiorum compendio dicimus,quo nihil prius,nihil antiquius, habendū re ipſa comperimus:quę,nobis ſi naturam intueamus humanam,quâ ratione prediti ſumus,*non ſcripta ſed nata lex* eſſe videtur,*quam*(utCiceronis verbis utar) *non didicimus,accepimus,legimus;verum ex ipſa natura arripuimus,hauſimus,expreſſimus: ad quam non docti,ſed facti, non inſtituti,ſed imbuti ſumus*: Quid enim eſt,quod nos à brutis animantibus diſcernat, quam quod ratione utamur. Et hinc,quum jus ſemper æſtimandum ſit ex ratione,& ubi ratio non eſt (ſive ea tum publicam, ſive privatam reſpiciat utilitatem) ibi nec jus eſſe poſſit: quum Juſtitia ſit animi noſtri voluntas,quæ cum ratione ſit, & ſine eâ eſſe non poſſit,nec in brûta jus cadere neceſſe eſt: Inter cætera quoque (ut & primam ejus ex noſtis, ſpeciem proferamus) erroris redargui eos, qui brutis animantibus præter cæcos naturæ inſtinctus, aliquod jus attribuunt cum hominibus quaſi commune. Quod & ex ipſis Juris noſtri principiis facile diſtinguendum & cognoſcendum eſſet. Hæc ut inventu faciliora, certioraque quam olim, Magno debemus *Carteſio*, *Philoſophorum* omnium, facile *Principi*, qui quæ occulta, & denſa caligine ſepulta hactenus, & plane incognita, admirabili ſua inventionis methodo, in quavis arte, & diſciplina (forte etiam præter intentionem & propoſitum ſuum,qui *Philoſophus* tantum eſſe voluit, nec immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti)per dubitationis,& rectę rationis viam ad certum cujuſque fontem reducere nos docuit, ipſamque ejus veritatem tanquam ex naturæ antro protrahere. Cujus fateor, & quidem lubens, doctrinæ in iis ſum addictus: atque eo magis, poſtquam magno ſtudiorum meorum compendio, in ea inventionis arte & methodo, veram cujuſque rei (ut ne quid de cæteris dicam) etiam Juris ſcientiam conſiſtere, pro certo affirmandum eſſe, mihi fuerit exploratum. Neque movet me Theologorum quorundam prædicantium, (ut vocant) aliorumque illata injuria, qui antiquam conſuetamque tyrannidem, pro ſua docendi auctoritate exercentes, hanc docendi diſcendique rectam rationem, incertæ dubitationis commento, non modo ab ipſis Theologiæ Chriſtianæ inſtitutis diverſam, ſed & contrariam clamantes,& eidem vel modiçè addictos heterodoxiæ inſimulant: verum etiam ex aliis liberalium artium diſciplinis, ſi modo Deo ita viſum fuiſſet, pro virili, maximo

juven-

juventutis malo exſtirpare palàm conati & occultè machinati ſunt: & in hunc uſque diem, hoc Siſyphi ſaxum volvunt, ac revolvunt. At hæc ſors illorum, qui radiis ſolis excæcati lucem non ferunt, eorumve, qui quum in præceptorum ſuorum falſis veſtigiis, atque inveteratis Philoſophorum terminis inſenuerint, aut pro ignavia meditandi, libereque philoſophandi, laborem protenus abjiciunt, aut quod tanto conamine in juventute perperam didicerunt, vel convicti, in ſenectute dediſcere non ſolum, ſed ne confiteri quidem volunt. Verum hoſce ad Anticyras helleboro curandos mittamus; nos ut ad veritatis cardinem & cujuſque rei certitudinem perveniamus; dubitando eam nos poſſe nanciſci, neque alio modo, poſt longam dubitationem tandem certi, jam nunc ſine ulla dubitatione credimus. Si enim ex auctoritate docentis ſcientiarũ principia addiſci debeant, quomodo quæſo diſcipuli ille ſeſe Sophiſtarum technis. & machinationibus extricabunt, in re de qua nec dubitare, nec judicare, quod idem eſt, nunquam didicerint. Verùm ſi in hâc re non oculis omnium, ſed mentibus conſpicua, errorem confiteri, aut, quod pejus eſt, ne emendare quidem velint, demus illis, diſcipulos facere, ſuo quo diximus modo, nobis in noſtrâ, quam profitemur, arte, eo, nec alio, quo diximus modo, ad perfectam certamque ſcientiam perveniri poſſe, demonſtraſſe ſufficit. Poſito ex Juris fundamento, cum vera, quam diximus, praxi conjuncto, uſum & quæſtiones practicas, iis ita adjunximus, ut, quid eorum cum eo conveniat, aut diſcrepet, in ſingulis appareat: ſubjectis Conſtitutionibus, Deciſionibus, Moribus, & Statutis, qua generalibus, qua particularibus, cujuſq; ferè Chriſtianorum gentis, regionibus, atque Provinciæ. Cujus tractationis neceſſitas per ſe innoteſcit. Parum enim eſt jus noſſe, ſi non ad uſum applicetur. Quid? quod vel ex ipſo uſu jus naſcatur *l.32. ff. de Legibus*. Et optima interpres legum ſit conſuetudo. *l.37. ff. eod. Stultiſſimos fieri* exiſtimat *Petronius, qui nihil ex iis, quæ in uſu habebunt, vident aut audiunt, & hoc tantum proficere, ut quum in forum venerint, putent ſe in alium terrarum orbem dilatos, nec magis ſapere, qui inter illa nutriuntur, quam benè olere, qui in culina habitant.* Quem inſtituendi modum, quo vel ipſum *Jus Romanum* cum moribus, uſuque practico ſuo modo confertur, nemo ſani judicii, niſi ipſi rationi, & conſcientiæ vim inferat, neceſſarium negare unquam poterit. Reclament licet illi, pro lubitu, qui ne proprium Juriſprudentiæ inſcitiam confiteantur, magno ſupercilio antiquarios agere, quicquid antiquum expiſcari & eruere conantur, & tum demum ſe Juriſconſultos, munereque ſuo probe defunctos putant, eorum præ cæteris gnari ſint; deque eo, quod noſtro tempore frequentiori uſu ſervatur adeo parum ſolliciti, ut ſufficere contendant, nudam ſe Juriſprudentiam Romanam profiteri, cætera in foro addiſci. Quos antiquitatis & Hiſtoriæ Romanæ amatores, & enucleatores nudos, ut ut ſuo modo doctos, & eruditos, *videri ſimiles habentibus marſupium plenum recte ſignatâ pecuniâ, ſed in ejuſmodi regione, ubi contrahendum, aut coëmendum aliquid, non currente, & expendibili.* Rectè alibi *Bartholomæus Reuſnerus*, JC. Germanus. Ad forum enim quum ventum eſt, ibi, ex adverſo Juriſprudentiam ſolam in actione potius & praxi, quam in theoria, & ſcientia conſiſtere ſibi perſuadent, & conſultius foro judicant, ſi ſubtilioribus legum intellectibus neglectis, animum realibus, ut vocant, (ut quæ magis de pane lucrando) adjiciant; licet interim legum & rationum monumenta vera non attingant, multo minus penetrent; ſic quum ad rem ventum eſt ſerio, ut mus in pice herent, & graviſſime impingunt. Utrique neceſſaria ignorant, qui in hunc modum cruda ſua ſtudia in forum propellunt. Quo tamen nihil frequentius accidere, & jam pro inveterato more poſitum, maximo Juriſprudentiæ ſtudii detrimento videmus. Ecquis hodie debitum ſtudii ſui curſum abſolvit, aut gradûs ſui merita attingit? ut ſi alter *Diogenes Cynicus* prodeat, media luce, faceque accenſa, neque verum juris ſtudioſum, nedum peritum ullum inter eos inveniret. Unum habui mihi familiarem, eumque unicum, ejus,

 quod

quod laudavimus generis, veræ Juriſprudentiæ cultorem, quem pari laude afficere poſſum, juvenem nobilem, *Janum Uytenbage à Myſt*, ex antiquiſſima *Uytenbagiorum* apud Batavos familia oriundum; in quo tanta ejus, inter cæteras meliorum literarum dotes, elucet ſcientia, ut vel maximos noſtri temporis facile ſuperet Juriſconſultos, eoque colloquente mecum (frequenter enim ſtudiorum cauſa convenimus) non tantopere in jure, veraque ejus praxi me profeciſſe lubens agnoſco, quin omnia à fonte & vero principio ſuo deducendo, cum pudore ſæpe me traxerit in ſententiam ſuam, quod aliter ſentirem, quam ipſe jure vellet: unde rectam ſemper & genuinam juris ſcientiam ſumendam re ipſa comperimus. Longè aliter, quam his noſtris uſu venire ſolet, qui quum vix primoribus labris Juriſprudentiam deguſtarunt, & extremis digitis eruditionis fores attigerunt, à ſuis hinc præceptoribus & Profeſſoribus, amplo etiam ſatis ſtudiorum teſtimonio, favore, & quandoque auctoritate amicorum, aut parentum, præter merita extorta, ad forum protruduntur quotidie: à quo potiſſimum fonte, ſemper ego in animum induxi meum, ingruentis barbariei, veteriſque ignorantiæ malum profecturam. *Nulla major nata eſt peſtis* (ut rectè noſtri temporis *Philoſophus* ſummus, in Præfat. Logicæ Erotematicæ in gratiam *Juriſprudentiæ* ac *Medicinæ* Studioſorum conſcriptæ) *neque magis nunc obtinet, atque efficit, quam præcipitantia, qua cruda ſtudia ad forum protrudunt præcoces Juriſconſulti, atque internecioni tradunt.* Quibuſcunque certè res ita ſe habet; neque ibi ſubſiſtit mali contagies, ſed eo quum perventum eſt, inani ſtatim & falſa ſcientiæ perſuaſione turgidi, Olympum viciſſe ſe ſomniant, cum vacuis ſpicis caput attollentes, & cereis ingenii alis ad ſublimiores Juriſprudentiæ facultates, & Reipublicæ gubernacula ambiguo, & titubante greſſu procedentes, cruda illa & immatura ſtudia ad graviora etiam protrudunt, ſed faſtus & arrogantiæ ſpectaculum, riſumque omnibus daturi (quod utinam in publici modo Juris & Politicæ gubernationis orcheſtra verè objici poſſet) quibus excultæ eruditionis tantū haud requiri, quin & proprii ingenii, aut naturæ dotibus ſatis ſe ſuffultos putant. *Quod* (ut cum *Cicerone* pro *Archia* Poëta) *multi homines excellenti animo ac virtute ſint, & ſine doctrina, naturæ habitu prope divino, per ſe ipſos & moderati, & graves exiſtant: adeoque ſæpius ad laudem atque virtutem natura, quam ſine eâ doctrina valeat:* Quibus & hoc ejuſdem *Ciceronis* reſponſum ſit: *Difficile hoc de multis, nedum de omnibus affirmari: magiſque excellere, ſi ad naturam eximiam, atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam confirmatioque doctrinæ*. Sed & ipſius Juſtitiæ ſubſellia, & cujuſq; fori tribunalia Themidiſque Sacroſanctæ Sacerdotes, Judices, & jus dicentes fœda hæc contages invaſit: ut etiam in majoribus ubi hæc ſacra aliter non conſtant; in nullo magis deficiat, quā in eo, quo maxime opus eſt; inter eos, quos aut familiæ poteſtas, aut cæcus amicorum favor, præter doctrinę merita eo evexit. Quibuſcū certę melius ſeſe res haberet, ſi, ut à majoribus ſolebat, nullus qui ambiret, aut ſe ipſum offerret ad munus illud admitteretur, ſed ex libera electione optima cujuſque merita, immediatè illum occuparet locum Quod quam turpe, deteſtandumque! ut jus cuiq; ſuum tribuere ſe poſſe prædicent, qui Juris artem, nunquam, aut non bene didicerūt. Quod in inferioribus, quos ſubalternos vocāt, judicibus, bene ſe habet, quouſque juramento ſteterint ſuo, quo eorundem electores, ſe ad hoc munus neminem niſi probiorem, peritiorem, ipſique juſtitiæ gubernandæ aptiorem, electuros ſe invicem ſolenni juramento obſtringunt. Proh Deûm atq; hominum fidem! quæ eſt, ſi etiam in his deficere, ſcenęq; ſervire, non ſit injuria ſumma. Tanta certe hujus artis in diſtribuendo civibus, quod cuiq; debetur, eſt neceſſitas, ut eadem pœnè, quæ animæ & vitæ, bonorum, quibus honeſte ſe exhibere quis poſſit, per hanc injuriam jactura fiat. Tantum mehercule eſt inter partes jus dicere, & cōtroverſias legitimè dijudicare. Ad cęteros juſtitię miniſtros,

ſtros,

ſtros, & cauſarum patronos, ſi oculos convertamus : ſatis magnos progreſſus in Jure civili feciſſe ſe arbitrantur, ſi quæſtionibus aliquot *Bartholi*, alteriuſve veteris *Gloſſatoris* colorari, & tractatuum cognitione imbuti, pro praxi, nudam tantum forenſium formularum circa procedendi modum, quam illi *praxin* vocant, copiam proſtituant. E quorum numero pleroſque novi, qui cum omni copia forenſium formularum, commentariorum, ſingularium, deciſionum, & conſiliorum abundarent, & ſub hoc inutili onere, tanquam aſelli ſupra modum onerati, ſuſpirarent, *Corpus Juris Civilis* penes ſe non haberent, aut eo nunquam, aut quam *raro* uterentur, imo quum vel eo utendum eſſet, neſcio quibus non excuſationibus, ſe tuerentur ne exhiberent: Turpe, credo, putantes, eos producere libros, ex quibus, quod eos non intelligerent, aliis forte quippiam interrogantibus reſpondere non auderent. Neque certe, etiamnunc inter probe verſatos coram judice, de recta Juris, aut legum interpretatione diſceptatur, ſed omnis fere ex nuda Doctorum auctoritate, ejus quod Juris probatio deſumitur, quos qui majori numero recitando cumulaverint, bene cauſam peroraſſe ſibi perſuadent. Hos *Ammianus Marcellinus Rer. Geſt. lib* 30. *cap*. 5. ſub ejuſdem generis quarto ordine vocat, *genus impudens, pervicax, & indoctum, eorum, qui quum immaturè à literariis eripuerint ludis per angulos civitatum diſcurrunt, mimojambos, non cauſarum remediis congrua commentantes, fores divitum deterendum, cœnarum, ciborumque aucupantes delicias exquiſitas. Qui quum ſemel umbraticis lucris, & inhiandæ undique pecuniæ ſeſe dediderint, litigare fruſtra quoſlibet innocentes hortantur: & ad defendendam cauſam admiſſi, quod raro contingit, ſuſcepti nomen & vim negotii, ſub ore diſceptatoris inter ipſos conflictus articulos inſtruuntur, circumlocutionibus indigeſtis ita ſcatentes, ut colluvionis teterrimæ audire exiſtimes ululabili clamore* Therſiten. *Cum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrenatam deflectunt conviciandi licentiam, quo nomine ob aſſidua in perſonas honorabiles probra, diebus dictis aliquoties ſunt damnati: è quibus ita ſunt rudes nonnulli, ut nunquam ſe codices habuiſſe meminerint. Et ſi in circulo Doctorum, authoris veteris inciderit nomen, piſcis, aut edulii peregrinum eſſe vocabulum arbitrantur: ſi verò advena quiſquam, inuſitatum ſibi antea* Marcianum *verbotenus quæſierit Oratorem, omnes confeſtim* Marcianos *appellari ſe inſinuant. Nec fas jam ullum præ oculis habent, ſed tanquam avaritiæ venundati, & uſu capti, nihil præter inſeminatam petendi licentiam norunt. Et ſi quem ſemel intra retia cœperint, caſſibus mille impedicant, per morborum ſimulationem, viciſſim conſulto ceſſantes. Utque pervulgati Juris proferatur lectio una, ſeptem vendibiles introitus præparant, dilationum examina longiſſima contexentes. Et cum nudatis litigatoribus, dies ceſſerint, & menſes & anni, tandem obtrita vetuſtate controverſiâ, intromiſſa ipſa capita ſplendoris ingreſſa, alia ſecum Advocatorum ſimulchra inducunt. Cumque intra cancellorum venerint ſepta, & agi cœperint alicujus fortunæ, vel ſalus, atque laborari debeat, ut ab inſonte gladius, vel calamitoſo detrimenta pellantur, corrugatis hinc inde frontibus, brachiiſque hiſtrionico geſtu formatis, ut concionaria* Gracchi *fiſtula poſt occipitium deſit, conſiſtitur altrinſecus diu, tandemque ex præmeditato colludio, per eum qui eſt in verba fidentior, ſuave quoddam dicendi principium exſeritur*: *pro* Cluentio *vel pro* Cteſiphonte *orationum æmula ornamenta promittens, & in eam concluſionem, cunctis finem cupientibus, deſinit, ut nondum ſe patroni poſt ſpeciem litis trienuium editam, cauſentur inſtructos: ſpatioque prorogati temporis impetrato, quaſi cum* Antæo *veteri colluctati, perſeveranter flagitant pulveris periculoſi mercedes.* Hactenus ille: Quod utrum præceptorum incuriæ, (ut ne quid adverſus illos) an ipſi potius (ut videtur) genuinæ & inveteratæ ſtudioſorum negligentiæ, culpæ magis dandum eſſe dicemus? Maximo enim ſtudiorum diſpendio, in inferioribus etiam diſciplinarum palæſtris, præceptoribus ab ipſis ſuis diſcipulis docendi, diſcendique modos & leges præſcribi videmus. Neque in his tantum, ſed ubi ſchola-

ſtici

ſtici pulveris pertæſi, cruda, & immatura ſtudia ad Academias protruſerunt: ibi primum ociari & *Murciæ* litare diſcunt: exinde voluptatibus, deliciis, & amicorum ſodalitatibus indulgent. Ad liberales artes quum ventum eſt: Græca ſunt, quæ legi non poſſunt, aut non expediunt *Juriſprudentiæ* Studioſis; Logicæ adminiculo nullo egunt, ſatis hæc reperiri in ipſis inſtitutionibus, quantum requiritur, ſibi habent perſuaſum; Quorſum (ajunt) anceps quæſtionum cavillatio? Oportet jus certum ſcire. Interim, ad ſtylum quod attinet: eum aut furtivis pennis ornant, aut proprio Marte ita turpiter exercent, ut mille vulneribus concidat *Priſcianus*, & plus quam quingentis colaphis *Vallæ* caput tuber ſit. Tandem poſt maximum temporis diſpendium, cum ſtudiorum promovendorum ergo ſe ablegatos ſerio intelligunt, aut nummus, aut amicorum favor, eruditionis gradum, & titulum ſubinde efflagitant; qui etiam privatim, & ſub camino, ut vocant, nullo actu externo interveniente, concedi conſuevit. Alii, blæſum quid tinnientis, ſemihiulco labio barbaris verborum globulis tanquam cum *Evandri* matre quæſtiones aliquas, ex ſexaginta, aut ut plurimum ſeptuaginta conſuetis illis, quarum vix quatuor aut ſeptem ad uſum, aut veram praxin pertinent, præſcriptis hinc inde à præceptoribus ſuis opponendi, ut loquuntur, reſpondendique formalibus argumentis, ad nauſeam, nemine niſi fautore ad hoc ſpecialiter rogato, contradicente, verbotenus balbutiendo diſceptant. Poſtridie oratoriæ artis ſpecimen daturi, aliorum ſcite inventa, ornateque poſita, ex ſchedulâ oculis, ſemper in eam intentis, de ſuggeſtu pro ſuis, publice recitantes, maximâ pompâ, & ſolennitate, togâ, pileo & annulo donati, velut re probè geſtâ, benè comitati, per plateas, & vicos circumducuntur. Rurſus alii, ut majorem quaſi eruditionis ſpeciem oſtentent, peregrinantur: ſed fruſtra alibi quæſituri, quod hic turpiter neglexerunt. Verum,

Cœlum, non animos mutant, qui trans mare currunt.

Idem iis uſu venit, quod Studioſis Athenienſibus, quorum plurimos *Menedemus* ſapientes Athenas navigare dicebat, exinde fieri Philoſophos, id eſt, ſapientiæ Studioſos, tandem meros ac veros idiotas. Sed ne ulterius quam res quidem noſtra primo intuitu poſtulare videbatur, in aliorum depravatos mores invehamur, hic ſubſiſtemus. Qua in re quod liberius egerim, condonabitur mihi facilius ab illis, qui me hâc conſuetudine ac moribus norunt, ut qui cum blandiri naturâ cuiquam non poſſim; ita nec extra ipſius rei argumentum in alicujus perſonæ contumeliam facile quid dixerim, aut ſenſerim: Inſtituti noſtri ratio eò potiſſimum intendit, ut evidenter oſtendatur, veram *Juriſprudentiam*, abſque legum, ſcientiarumque eo pertinentium ſolidâ doctrinâ, factâque inſuper uſus, praxeoſque pro diverſis Gentium moribus, atque conſtitutionibus juſta applicatione minime conſiſtere, aut perfectam eſſe. Quam multa enim in jure ſunt, quæ uſum non habent? quam multa implicata, & variantibus ſententiis incerta, imò corrupta & perverſa? quam multa iterum verè pugnantia quotidie occurrunt? Undè occaſionem ſibi datam putant, aut arripiunt malevoli, periti & imperiti homines, utrumque defendendi, id tantùm jus atque æquum pro tempore appellantes, quod ſibi & clientibus ſuis expedire animadvertant, non verò, quod jus certum & immutabile ipſis præſcripſerit: de quorum technis & fraudibus inſtrui nos artificioſe oportet, ne decipiamur. Quod licet arduum atque difficile, ſuccedet tamen, ſi Conſuetudinum, & deciſionum varietatem, ad ipſa juris fundamenta retulerimus, cumque iis contulerimus, caſuumque quotidie provenientum exempla, manibus omnium terantur, ſcriptoque elucidentur, in quo potiſſima praxeos pars conſiſtit. Quæ quidem res, quum infiniti ſit laboris, ingenii, lectionis, & hominis magna eruditione præditi, multæque experientiæ: ne quid ingenium jactem, aut eruditionem, quicquid eorum eſt, infinitæ lectionis, & laboris pro-

profitemur. Aſſiduâ enim uſus praxeoſque obſervatione, & perpetuâ, quantum per alia negotia licuit, lectione in tantum profecimus. ut non ſolum *Belgicæ*, ſed & totius ferè *Germaniæ*, *Hungariæ*, *Poloniæ*, *Galliæ*, *Angliæ*, *Hiſpaniæ*, *Italiæ* & plerarumque aliarum *Chriſtianarum Gentium*, *Regionum*, *Ducatuumque* & *Provinciarum mores* & *Conſtitutiones*, cum *Jure Romano* contulerimus, & an aut quatenus cum eo conveniant, aut diſcrepent, juxta earundem probationes ſufficientes demonſtraverimus. Quod ad ſtylum & methodum attinet, mellitis verborum globulis grandis, aut papavere, ſeſamove ſparſo turgida oratio non eſt, ſed naturalis, & ingenua, quæ nullum ſequitur orationis florem aut ornatum: ne quorum ſtudia novâ aliquâ docendi ratione adjuvare nitamur, his operis magnitudo ſi non deſperationem, certe faſtidium in legendo adferat Non, quod eloquentiam, varietatem, & copiam, quæ hujus ſcientiæ quaſi propriæ perhibentur, ad eam plurimum ornatus allaturas negem: ſed quod ad id, quo noſtra nos voluntas, ratioque impellit, ſatisfactum eſſe putem, ſi in rerum ſupellectili, & neceſſitudinis ſylva omnis noſter ſubſiſtat labor. Argumenti enim magis quam verborum curam geſſimus: haud ignari argumento & rebus verba potius, (quod hæc duntaxat rerum notæ ſint) quam res verbis ſervire debere. Quo in opere illud à nobis ſuſceptum profitemur, ut omnia ea quæ ex jure, & legibus uſui Forenſi, & his viciſſim accommodare potuerimus, remota difficultate & minus neceſſario verborum cultu, omnium oculis clara, & dilucida proponamus, ſervato eo ordine, quem tantæ rei magis idoneum magiſque accommodatum fore arbitrabamur, ut plurimum ipſarum Inſtitutionum methodo innixi. Totum opus quinque omnino libris, & hos ſuis capitibus diſtinximus.

I. enim continet De Justitia et Jure et de Personis tractatum: Ubi de differentiis, Jure & ſtatu perſonarum: De Patria poteſtate, & Jure inter liberos & parentes: De Sponſalibus, Nuptiis, & Cauſis matrimonialibus. Itemque de Jure tutelæ & curæ.

II. De Rebus. Ubi de Diviſione rerum, & acquirendo earum dominio tam ex Jure Gentium quam Civili. Deinde, de differentiis dominiorum. Ubi de Servitutibus Prædiorum & Perſonarum. Item, de Emphyteuſi: Reditu Cenſuali; & hâc occaſione oblatâ: De Veterum Numiſmatum in Hollandiâ poteſtate: De Feudis: Decimis & Novalibus: De Jure Patronatus, &c.

III. De Successionibus, & primò quidem de acquirendo rerum univerſarum & ſingularium dominio ex Teſtamento, & ultima voluntate defuncti. Ubi, de Teſtamentis: Heredum Inſtitutionibus: & Subſtitutionibus tam directis, quam precariis. Deinde, de Succeſſionibus ab inteſtato, tam ſecundum Jus Civile & Pop. Rom. quam aliarum ferè omnium Gentium & populorum in orbe Chriſtiano.

IV. De Contractibus et Obligationibus. Ubi de Contractibus tam nominatis, quam innominatis: & quomodo Obligationes contrahantur & diſſolvantur.

V. De Publicis Judiciis et Privatis delictis: Ubi de omni genere Criminum: Delictis & quaſi delictis: & denique quibus modis Obligationes ex Criminibus & delictis ſolvantur.

Quibus *quinque libris* etiam ſextum adjungere Operis Inſtituti ordo poſtulabat: de Actionibus nimirum & Accuſationibus inſtituendis & excipiendis, id eſt de proceſſu, ſive ordine judiciario tam in Civilibus quam Criminalibus cauſis: ubi etiam de Sententiis, Appellationibus, Executionibus, aliiſque rebus eo pertinentibus. Sed quum hæc in debitum voluminis ſui modum excreverint, ut evenire ſolet, queis *urceus inſtitutus*, *currente rotâ*, *fit amphora*: cum, quod materia illa, ut à nemine eo, quo propoſui, modo ac ordine, quod ſciam tractata, tum

per ſe ab aliis Juriſprudentiæ materiis & partibus ſatis ſeparata, ſeparatum etiam tractatum requirat, in ſecundum eum noſtri operis volumen, quo de modo procedendi tam in civili quam ctiminali cauſa adjunctis omnibus actionum inſtituendarum materiis ex profeſſo agetur, rejecimus: quod propediem, ſi hæc placuerint, non fruſtra expectabitur. Quod quidem opus noſtrum, quamvis ſummi fuerit laboris, nec non ſummam in conſcribendo diligentiam adhibuerim; in varias tamen reprehenſiones incurſurum non dubito, eorum præcipue, qui quamquam, alia quædam mea, de quibus ne judicare quidem valeant, nec coram quidem audeant miſelli, contemnere tamen, & nulla reddita ratione ſupra modum imprudenter & impudenter condemnaverunt, & condemnanda aliis perſuaſerunt; ut ſcilicet

Deferar in vicum vendentem thus & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Equidem fateor non admodum difficile fore peritioribus & doctis viris, hominem occupatiſſimum, aliiſque diſtrictum negotiis, addo etiam rudem, & inſuetum ei, & omni prorſus ſcriptionis generi, in multis ſuperare, cui, cum aliis per ocium, iterum atque iterum eruminare, limare & perficere ſua ſcripta liceat, ne quidem relegere ea quæ ſcripſit, permittatur. Hæc quum ſæpius mecum, parum abfuit, quin opus hoc imperfectum è manibus abjicerem, & denuo abſolutum mihi tantum ſoli profuturum aſſervarem, & ſic ſitu randem ſqualloreque obſidendum æternis tenebris damnarem. In quo propoſito facilius perſtitiſſem, niſi, quod in hanc arenam illos non deſcendiſſe, qui hoc poterant, & debebant, perſpectum habuiſſem, & me, ſi non in omnibus in quibuſdam ramen aut multis optima & ſcitu neceſſaria utiliaque ſcripſiſſe: & ſi etiam hæc opinio me falleret, mihi viam ſaltem aliis ad majora, & meliora ſcribenda monſtraſſe, ut nullam nominis gloriam, aut modice & niſi me dignam affectanti, facile ſufficiebat. Deinde quod etiam hujus ipſius operis præliminaria inculta quædam capita, abſque recuperandi ſpe, aut poteſtate, infortunio meo in aliorum manibus (utinam adhuc intra privatos parietes) verſarentur: quorum indignatio me ab occulrandi propoſito, neſcio, quo fato retraxit. Sed & illud mutandæ voluntatis cauſam præbuit, quod hoc ipſo, memetipſum corrigendi, emendandique certior obventura ſit occaſio, pluresque monitores me habiturum, ſi à multis legeretur, quorum conſilio, quæ deſunt ſupplere, quæque minus, quam res ipſa poſtulat, cogitanti exciderint, emendare poſſim: Cujus ratione lectores benevolos obteſtor, ut qui, quod ipſi facere aut non poſſint, aut nolint, aliis, ſi id fecerint, non invideant, ſed patiantur, & mihi benevolenti faveant, in eo potiſſimum, ut ſi in hiſce, aut aliis quibuſdam meis, quæ cujuſque examini, ac cenſuræ lubens ſubjicio, contra veritatis fidem fuerit peccatum, id aut boni conſulant, aut humaniter monere dignentur eum, qui juſtæ defenſioni ejus nunquam deero, uſque dum ab alio rectius fuero edoctus, quo interim ex aliorum de meo judicio edocear, quid aut perperam à me fuerit poſitum, aut ex iis quæ hactenus ab aliis errata, emendanda reſtant. Quod ſupremum mihi ſemper in votis fuit, eritque

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Valete, faveteque: ex Muſeo noſtro Lugduni Batavorum ipſis Kalend. Januarii CIↃ IↃ C LXII.

by Google

ECHO ONOMANTIFERA

Per Europam, Orbemque

RESONANS

Labores & Honores

D. SIMONIS VAN LEEUWEN, JC.

inhærentes in ipſius concinnè ac politè digeſtâ

Cenſurâ Forenſi Theoretico-Practica.

S *pes Batavûm* Cenſura *venit re divite*; vitæ
I *ura; forimos, fas Gentium*; *æqui libera* libra:
M *ulcta malis, vis, pœna, minæ; legum advena* vena
O *rbis Romani: Europæ pragma effodit*, odit,
N *et quæ jura: forum; Curiæ quæ reddere* de re
V *nâquâque ſolent*; *quæ* Hollandia *roborat*; orat
A nglia *quos ritus; quæ dicta* Sabaudia δῖα;
N *utrit jus totum quod* Belgium; *in limite* mitè
L *eges vaſta ſuo* Germania *quas dedit*; edit
E *t quas* Pruſſia, *quæque jacent ſub frigoris* oris;
E *ducat & jura* Hiſpania; Italia *& regit*; egit
U *ndique quæ omnis* Gallia, *quæ accola conficit*; icit
W eſtphalia. *Hoc opus, hic labor, eſt laus; cos ſacra*: ſacrâ
E *uropæa* Themis lauro *hæc* Tibi *ſolvere* verè
N *avat*; *dat* Pallas famam; *indelebile* bile
J uſtitia *alma* decus; Clio melos; ἀείφιλα filà
C lotho: *Sic* Tibi vita & honos, *aliàs brevis*; ævis.

Concivi ſuo *hæc novat*, ovat

HENR. VERDUYN. Q. F. *Lugd. Batav.*

Advoc^s. & Med. Doctor.

IN HONOREM

Clariſſimi, ac Conſultiſſimi Viri,

D. SIMONIS van LEEUWEN,

CUM

Cenſuram Forenſem Theoretico-Practicam

ederet.

Exagitata Themis, *variis diſtortaque Muſis;*
Dum quaſi non notis itque reditque viis;
Errorum trahitur nexu ſurſumque deorſum,
Iure vel in medio quæritur ipſa Themis:
Magne Solon *tua dicta trahit, tua verba* Lycurge
Diſſona vox; perimit veraque Iura forum:
Tum graditur LEEUWEN *ſtudium, quicquidque tenebris*
Detentum fuerat diſcutiendo docet.
Quid documenta tenent rerum, cum jure Latino
Collatum ex uſu, cum ratione probat;
Regnorumque ſtatus quos gens non Barbara morem
Servat, uti clarum pacis & artis opus.
Cur Latii *quamvis collectio Iuris in unum*
Corpus debetur Juſtiniane *tibi:*
Aſt quod Chriſtiadum hoc dederit primordia legi,
Id demonſtratum LEEUWIUS *unus habet.*
Cedant Alciati, *Gallorum cedite* Fabri,
Non Gaji, *aut* Pauli *nomine Roma tume.*
Qui ſignat mores, qui Deæ penetralia pandit,
Huic ſedes inter debuit eſſe Deos.

L. M. Q.
Fundebat
JOHANNES NADANYI.

IN

I N

CENSURAM FORENSEM

SIMONIS LEEUWII, JC.

B A T A V I.

FErt uterum *Themis*, & proſtans multa inter *Amantum*
Millia, neſcio quo vix bene caſta modo eſt.
Fallimur: intactum, nunquam exorata, pudorem
Servat, & inviſos temperat æqua procos.
Iuſtinianeis oneramus Numina chartis,
Juraque ſunt Myſtis crux inimica ſuis.
Tempora LEEUWIADES melius dignoſcit, & Orbi
Reſtituit calamo ſimpliciore *Themin.*
Jura foro, & *Baldi* noſtros formatur ad annos
Pagina, Cæſareus contrahiturque labor.
Roma, reformatas, poſt *Papæ* incommoda, leges
Aſpicis hic: *Batavis* non niſi ſana places.

Condiſcipulo quondam ſuo ſcribebat

J. VAN AELHUYSEN,
Gymnaſii Tyelan. Rector.

LEGUM NOVITER EMENDATARUM ELENCHUS.

Pr. & § 1. *Inſt. de Jure Natural. gent. & civil. nova Interpretat.* pag. 3. num. 6.

Conciliatio l. 10. & l. 4. §. 5. ff. de gradib. & affinib. pag. 23.

Interpretatio l. 3. Cod. qui ætate vel profeſſione ſe excuſant. pag 25.

Conciliatio l. 3. Cod. qui ætate vel profeſſione. cum l. unic. Cod. qui ætate ſe excuſant. ibid.

Interpretatio l. 1. ff. de Sponſalibus. pag. 35.

Varia lectio l. 1. ff. de Sponſalibus. ibid.

Interpretatio l. pen. ff. de Sponſalibus. pag. 42.

Interpretatio l. hac edictali 6. Cod. de Secund. nupt. pag. 59.

Collatio §. 23. Inſtit. de rer. diviſ. cum l. 7. §. 5. in fin. ff. de acq. rer. dom. pag. 94. num. 10.

Conciliatio §. 2. 3. Inſt. de Succeſſ. libert. & l. 4. §. 11. Cod. de bon. libert. cum l. 1. §. 12. in fin. ff. de extr. cognit. pag. 104. num. 12.

Conciliatio l. 17. & l. 37. ff. de donat. ibid.

Interpretatio l. 2. Cod. de Veter. num. poteſtat pag. 104. num. 13.

Expoſitio novell. 113. & novell. 131. cap. 6. pag. 110. num. 16.

Interpretatio §. 2. Inſtit. de Uſufructu. pag. 126. num. 7.

Interpretatio l. 19. ff. de Uſufructu. pag. 128. num. 17.

Interpretatio l. 34. ff. de Uſur. pag. 129. num. 20.

Interpretatio l. 21. ff. de Teſtam. pag. 132. num. 8.

Interpretatio l. 6. & l. 36. junct. auth. noviſſim. Cod. de inoffic. teſtam. pag. 183. num. 16. 17.

Interpretatio l. 220. ff. de Verb. Signific. ejuſque conciliatio cum l. 84. ff. eod. pag. 194. num. 10.

Novell. 22. & auth. cui relictum Cod. de indict. vid. toll. pag. 198. num. 29.

Interpretatio l. 2. Cod. commun. de legat. pag 210. num. 1.

Interpretatio l. 19. ff. de Uſufruct. legat pag. 212. num. 9.

Interpretatio l. 37. ff. de leg. 1. pag. 213. num. 12.

Interpretatio l. 26. §. 1. ff. quando dies legatorum. pag 217. num. 35.

Intellectus l. 1. l 2. l. 4. Cod. de Uſur. & fruct. legator. pag. 218. num. 39.

Interpretatio § ult. inſt. de ſucceſſ. cognator. pag. 252. num. 20. in fin.

Interpretatio l 8 §. 7. ff. de fidejuſſ. ejuſdemque cum §. 5. Inſtit. de inutilib. ſtipulat. & l. 1. §. 4. de verb. oblig. conciliatio. pag. 368. num. 8.

Intellectus l. 36 ff. de fidejuſſ. & l. 76. ff. de ſolut. pag. 374.

Interpretatio l. ultim. Cod. de Novat. pag 376.

Novus intellectus §. 41. inſt. de rer. diviſ. ejuſque cum l. 19. ff. de contr. empt. collatio. pag. 385. num. 20.

Vera interpretatio l. 2. ff. ad leg. Rhod. de jact. pag. 428. num. 7. & 450. num. 7.

Interpretatio l. antepen. Cod. locati pag. 431. num. 17. in fin.

Intellectus l. 35. ff. de Reg. Jur. pag. 452. num. 2.

Interpretatio l. 2. Cod. de Reſcind. vend. pag 475. num. 2.

Interpretatio & conciliatio l. 1. ff. Naut. Caupon. Stab. cum. l. unic. §. fin. ff. furti adverſ. naut. pag. 550. num. 6.

INDEX

INDEX CAPITUM.

LIB. I.

Cap. 1. DE juſtitia & jure. 1
Cap. 2. De jure & differentiis perſonarum. 11
Cap. 3. De Conſanguinitate. 15
Cap. 4. De adoptionibus. 18
Cap. 5. De agnat. & cognat. & graduum different. 19
Cap. 6. De jure & differ: Secul. Eccleſiaſt. mun. & forenſ. 23
Cap. 7. De maribus & feminis. 26
Cap. 8. De Majoribus & Minoribus. 27
Cap. 9. De patria poteſtate. 29
Cap. 10. De agneſcend. & alend. liber. & parent. 33
Cap. 11. De Sponſalibus. 35
Cap. 12. De jure dotium, donat. & pact. nupt. 42
Cap. 13. De Nuptiis & Matrimonio. 51
Cap. 14. De ritu Nuptiarum. 59
Cap. 15. De Soluto matrimonio, Divort. 62
Cap. 16. De tutelis & curis. 68
Cap. 17. De officio & adminiſtrat. tutorum. 74
Cap. 18. Quibus modis tutela finitur, de rationib. reddendis, & tutelæ actione directa & contraria. 78

LIB. II.

Cap. 1. DE diviſione & qualitate rerum. 83
Cap. 2. De acquirendo rerum dominio. 88
Cap. 3. De rerum occupatione ejuſque ſpecieb. 89
Cap. 4. De acceßione naturali, fœtu, alluvione, inſula & alveo. 93
Cap. 5. De acceßione artificiali, ſpecificatione, confuſione & commixtione. 97
Cap. 6. De fructuum perceptione. 99
Cap. 7. De acquirend. modo per traditionem. 100
Cap. 8. De acquirendi modo per donationem ejuſque inſinuatione. 101
Cap. 9. De bonorum poſſeßionibus. 106
Cap. 10. De acquirend. vel amittenda poſſeßione, uſucapione & præſcriptionibus. 107
Cap. 11. De rei vindicatione. 112
Cap. 12. Per quas perſonas cuique acquiritur & quibus alien. 114
Cap. 13. De dominio & in quibus conſiſtat. 116
Cap. 14. De Servitutib. prædior. tam Ruſticor. quam Urbanorum. 117
Cap. 15. De uſufruct. uſu & habitat. 124
Cap. 16. De Emphyteuſi. 131
Cap. 17. De reditu cenſuali. 136
Cap. 18. De redituum luitione & veterum numiſmatum poteſtate. 137
Cap. 19. De feudis. 140
Cap. 20. De feudi proprietatibus & requiſitis. 143
Cap. 21. De Inveſtitura & Laudemiis. 147
Cap. 22. De ſucceßione feudali. 152
Cap. 23. De feudi amißione & judiciis feudalib. 152
Cap. 24. De decimis & novalibus. 162
Cap. 25. De jure patronatus. 166

LIB. III.

Cap. 1. DE hereditate ejuſque jure & actionibus. 169
Cap. 2. De teſtamentis & quomodo ordinentur. 170
Cap. 3. Qui Teſtamenta facere poßint. 176
Cap. 4. De heredibus inſtituendis aut exheredand. 179
Cap. 5. De Inſtitutionibus & quibus mod. fiant. 191
Cap. 6. De Subſtitutionibus. 200
Cap. 7. De fideicommiſſariis hereditatibus. 203
Cap. 8. De legatis, & ſingulis rebus per fideicommiſſum relictis. 209
Cap. 9. De trebellianica & falcidia portione. 219
Cap. 10. De acquirenda vel amittenda hereditate, de jure deliberandi & inventarii conficiendi beneficio. 223
Cap. 11. Quibus modis teſtamenta infirmentur, & de ultimarum voluntatum mutatione. 227
Cap. 12. De ſucceßionibus & hereditatibus quæ ab inteſtato deferuntur. 231
Cap. 13. De deſcendentium ſucceßione, ordine ac gradu. 233
Cap. 14. De ſucceßione adſcendentium. 238
Cap. 15. De collateralium, & reliquo ſucceßionis ordine & gradu. 240
Cap. 16. De ſtatutaria Hollandiæ Zelandiæque ſucceßione. 252
Cap. 17. De ſtatutaria Diœceſis Ultrajectinæ, & Ducatus Gelriæ, Zutphaniæ, Tranſyſulaniæque ſucceßione. 262
Cap. 18. De Brabantiæ, Leodienſis, & Flandriæ Statutaria ſucceßione. 271
Cap. 19. De Galliæ, ſive Franciæ, ſucceßione legitima. 282
Cap. 20. De Angliæ, Scotiæque Regnorum inteſtato ſucceßione. 293
Cap. 21. De legitima Hiſpaniæ, Italiæque adjacentiumque regionum, inteſtatorum ſucceßione. 296
Cap. 22. De Germaniæ, Prußiæ, Poloniæ, Hungariæque inteſtatorum ſucceßione. 301

LIB. IV.

Cap. 1. DE obligationibus. 311
Cap. 2. De pactis & conventionibus. 312
Cap. 3. De perſonis contrahentium, & per quas perſonas cuique obligatio & actio naſcatur & de quibus rebus. 313
Cap. 4. De mutuo & uſuris. 319
Cap. 5. De commodato. 326
Cap. 6. De depoſito. 327
Cap. 7. De Pignoribus & Hypothecis. 329
Cap. 8. De pactis pignorum. 333
Cap. 9. De tacito ſive legali pignore. 335
Cap. 10. De diſſolutione pignorum. 338
Cap. 11. De pignorum prælatione & concurſu creditorum. 342

Cap.

Cap. 12. De donationibus. 348
Cap. 13. De contractibus innominatis. 354
Cap. 14. De condictionibus. 357
Cap. 15. De actione arbitraria, ſive æſtimatione facti, & eo quod intereſt. 361
Cap. 16. De verborum obligationibus & ſtipulationibus. 363
Cap. 17. De duobus vel pluribus reis & de fidejuſſoribus. 366
Cap. 18. De litterarum obligationibus & Chirographi agnitione. 377
Cap. 19. De emptione & venditione. 379
Cap. 20. De pactis inter emptorem & venditorem compoſitis & de retractu conventionali & gentilitio. 389
Cap. 21. De Statutario cujuſque regionis retractu, ejuſque ritu, & ſolemnitate. 395
Cap. 22. De locatione & conductione. 427
Cap. 23. De Societate & bonorum communione. 432
Cap. 24. De mandato. 439
Cap. 25. De obligationibus ex quaſi contractu. 443
Cap. 26. De rerum alienarum adminiſtratione ſive negotiis geſtis. 443
Cap. 27. De familia erciſcunda & communi dividundo judicio. 445
Cap. 28. De finibus conterminis diſtinguendis. 447
Cap. 29. De jactus contributione. 448
Cap. 30. De hereditatis aditione & quomodo quem ex quaſi contractu obliget, & de indebiti condictione. 451
Cap. 31. Quibus modis tollatur obligatio ex contractu vel quaſi. 452
Cap. 32. De Solutionibus. 452
Cap. 33. De acceptilationib. & non petendi pacto. 456
Cap. 34. De novationib. & delegationibus. 457
Cap. 35. De oblationib. & conſignationibus. 458
Cap. 36. De compenſationibus. 459
Cap. 37. De retentione. 464
Cap. 38. De Confuſione. 466
Cap. 39. De rei debitæ interitu & periculo. 467
Cap. 40. De in integrum reſtitutione. 467
Cap. 41. De metu, & eo quod metus cauſa geſtum. 469.
Cap. 42. De dolo malo. 470
Cap. 43. De reſtitutione minorum. 471
Cap. 44. De reſtitutione ex cauſa læſionis ultra dimidium. 474
Cap. 45. De ſolutionum induciis. 476
Cap. 46. De ceſſionis bonorum beneficio. 478

LIB. V.

Cap. 1. De criminibus ſive delictis quomodo & à quibus committantur. 481
Cap. 2. De delictis circa majeſtatem & rempubl. & de perduellione. 487
Cap. 3. De moneta adulteratorib. & falſariis. 488
Cap. 4. De eo qui Principi maledixerit, ſtatuas fregerit, & de blaſphemis. 489
Cap. 5. De Sacrilegis. 491
Cap. 6. De crimine falſi. 493
Cap. 7. De crimine repetundarum. 494
Cap. 8. De ambitu & concuſſione. 496
Cap. 9. De monopolis. 497
Cap. 10. De crimine ſtellionatus. 498
Cap. 11. De homicidio. 498
Cap. 12. De delictis ordinariam capitis pœnam aggravantibus & de latrocinio. 506
Cap. 13. De aſſaſſinio. 507
Cap. 14. De parricidio. 508
Cap. 15. De veneficio & ſortilegio. 509
Cap. 16. De incendiariis & aggerum ruptoribus. 512
Cap. 17. De delictis ordinariam capitis pœnam mitigantibus, & de vulneratione non lethali. 513
Cap. 18. De expoſitione infantium & abortu. 514
Cap. 19. De incantatoribus, hereticis, & Apoſtatis. 515
Cap. 20. De extraordinariis criminibus, & de medicorum erroribus. 515
Cap. 21. De vulneratione & quolibet damno per læſionem dato. 517
Cap. 22. De delictis adverſus naturalem libertatem, ubi de vi publica & privata. 527
Cap. 23. De Stupro. 528
Cap. 24. De Raptu. 531
Cap. 25. De injuriis & famoſis libellis. 533
Cap. 26. De adulteriis. 535
Cap. 27. De lenocinio. 539
Cap. 28. De inceſtu, Sodomia, aliaque prodigioſa commixtione. 541
Cap. 29. De furtis, eorumque pœnis. 544
Cap. 30. De obligationibus, quæ ex quaſi delicto naſcuntur ex perſona aliena. 548
Cap. 31. De obligationibus, quæ ex quaſi delicto proveniunt, ex rebus noſtris. 551
Cap. 32. Quibus modis ſolvitur obligatio ex crimine & delicto, & de pœnis, & bonorum confiſcatione. 553
Cap. 33. De remiſſionibus & abolitionibus. 555

CEN-

CENSURA FORENSIS THEORETICO-PRACTICA, &c.

LIBER PRIMUS.

Cap. I.
De Juſtitia, & Jure.

Summaria.

1. *Juris, Juſtitiæ & Jurisprudentiæ definitio, & Juſtitiæ diſtributio in generalem & particularem.*
2. *An rectè dicatur alia diſtributiva, alia commutativa?* Neg. *Nec ad uſum pertinet.*
3. *An jus aliquod homini cum brutis ſit commune?* Neg.
4. *Jus variis modis ſumitur.*
5. *Aliud Naturale, Gent. & Civile.*
6. *An jus gentium rectè dicatur aliud primævum, aliud ſecundarium?* Neg.
7. *Defenſio ſui ad jus gent. refertur.*
8. *An furem nocturnum impune occidere liceat? & quid moribus.*
9. *An patri & marito adulteram in adulterio deprehenſam cum adultero impune occidere liceat? & quid moribus.*
10. *Juſta defenſio quomodo probetur? & an confeſſio qualificata poſſit dividi pro parte.*
11. *Ius civile quid, & quis legis condendæ poteſtatem habeat? & quid moribus.*
12. *Iuris civilis Romani uſus & auctoritas.*
13. *An jus rectè dicatur aliud ſcriptum, aliud non ſcriptum?* Neg.
14. *Conſuetudo quid? & quanto tempore introducatur.*
15. *An ad conſuetudinem introducendam auctoritas Principis aut contradictorium judicium requiratur?* Neg.
16. *Scripti juris varia ſpecies.*
17. *Quando, & à quo tempore conſtitutiones vim legum obtineant?*
18. *Edicta Prætorum an, & quatenus apud nos obtineant?*
19. *Senatusconſulta, nec reſponſa prudentum nobis pro legibus ſunt.*
20. *Ius aliud Civile, aliud Canonicum, quatenus receptum.*
21. *Aliud publicum, aliud privatum, an uſui conveniat, & quid moribus?*
22. *Origo & progreſſus Iuris Civilis Romani.*
23. *Leges Regiæ.*
24. *Conſules, & XII. Tabular. leg.*
25. *Ius Civile Romanum.*
26. *Iuris actiones & formulæ ſolennes.*
27. *Leges Civiles, Plebiſcita, Prætorum edicta, Senatusconſulta, & Principum conſtitutiones.*
28. *Codex Gregorianus, Hermogenianus & Theodoſianus quando compoſitus.*
29. *Codex Iuſtinianeus prior.*
30. *Pandectæ, ſive Digeſta.*
31. *Inſtitutiones Iuris.*
32. *Codex poſterior repetitæ prælectionis.*
33. *Novellæ conſtitutiones.*
34. *Poſteriorum Principum conſtitutiones.*

Quod apud *Areopagitas* antiquitus lege cautum fuiſſe traditum eſt, ut qui cauſam diceret, nec prooemio uteretur, nec ad miſerationem aut invidiam judices adduceret, ne cui plus in miſericordia, quàm in cauſa ſpei eſſet, ut ex Luciani *Hermotimo* & *Anacharſide* refert Alexander ab Alexandro *Genial. Dier. Lib. 3. cap. 5.* Idem moribus fere obtinet, quibus in foro cauſas dicturi, nulla præfatione facta, judici rem exponere ſolent, ne omiſſis rationum ponderibus, verbis tempus teratur. Quo ipſo præſcriptum *leg. 1. ff. De Origine Juris*, Gallorum moribus haud convenire refert Autumnus, eò quòd nullâ, niſi in gravioribus cauſis, præfatione utantur. Ita etiam Juris Romano-recepti, Uſuſque Practici tractationem inchoaturus, ab ipſa Juſtitiæ & Juris explicatione initium facio, levi ac ſimplici viâ, rejecto verborum condimento, vanoque ſententiarum ſtrepitu, rem ipſam acturus.

Omnium quidem virtutum illam præcipuam eſſe, haud immeritò Philoſophi ſtatuunt, quæ ad

 per-

perpetuam univerſi ſuſtentationem quam maxime conducit. Hanc Iuſtitiam vocant, quaſi Juris, id eſt, boni & æqui perpetuum ac conſtantem ſtatorem. Quo pertinet Iuris, Iuſtitiæ & Iuriſprudentiæ definitio.

Ius eſt ars boni & æqui. *l. 1. in pr. ff. de Iuſtit. & Iur. l. 90. ff. de R. I.* æquum ab iniquo ſeparans, licitum ab illicito diſcernens, *d. l. 1. §. 1. ff. eod.*

Iuſtitia eſt conſtans ac perpetua voluntas unicuique jus ſuum tribuendi. *pr. Inſtit. & l. 10. in pr. ff. de Iuſtit. & Iure.*

Juris & Juſtitiæ praxis *Iuriſprudentia* eſt, quæ eſt divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia. *§. 1. Inſtit. & l. 10. §. 2. ff. eod.*

Iuris præcepta ſunt honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere. *§. 3. & l. 10. §. 1. ff. eod.*

D. & Inſt. 1. 1. *De Juſtitia & Jure.*

1 Iuſtitia ab Interpretibus communiter diſtinguitur in univerſalem, ſive generalem, & particularem. Quarum illa omnes alias ſub ſe complectitur virtutes, omnes leges tam divinas, quàm humanas, eſtque omnibus modis perfecta, prout in ſe conſideratur: Hæc verò tantùm in regulis boni & æqui conſiſtit, prout eam Magiſtratus à cive exigit: quæ eſt *conſtans & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuendi*, *l. 10. ff. de Inſtitia & Iure.* Quo ſenſu illa Iuſtitiæ definitio recte defenditur; quum alias proximum Juſtitiæ genus non ſit conſtans & perpetua voluntas, ſed ipſa Iuſtitiæ virtus. Quamvis alioqui pleræque Iuriſconſultorum definitiones, non uſque adeo exactæ, aut ad Dialecticam ſubtilitatem accommodatæ ſint, ſed ut plurimum non nominato genere poximo, rem exprimant, quas *definitiones tranſilientes* vocat Ariſtoteles *Topic.* VI. III.

2 Hæc iterum alia eſt diſtributiva, qua ſervatur æqualitas in diſtribuendis per cives rebus communibus, juxtà proportionem Geometricam, quomodo præmia & honores diſtribui, & pœnas irrogari volunt. Alia commutativa, quâ ſervatur æqualitas in omnibus illis actionibus, quibus homines inter ſe communicant, ut ſunt emptio venditio, locatum conductum. Quæ diſtributio colligitur ex *l. 1. §. 1. verſ. bonos. ff. de Iuſtit. & Iure.* Quæ ſubdiviſio tamen eſſentialis non eſt; quippe quod non perpetuum ſit, commutativam Iuſtitiam circa res communes, diſtributivam circa res ſingulorum verſari: Quemadmodum & hoc, quod diſtributiva in proportione Geometrica, commutativa in Arithmetica conſiſtat: Quæ ex eorum genere ſunt, quæ ſæpe quidem locum habent, non ſemper; tali enim proportionum uſu Iuſtitia non ſemper diſtinguitur, ut recte notat, & infallibili exemplo commonſtrat Grot. *de Iure Belli ac Pacis lib. 1. cap. 1. §. 8.* & noviſſime ex uſu diſtinguit Theod. Graſwinckel *in Diſſertat. de pralud. Iuſtit. & Iur.* adverſus Franciſc. Rebellum, Luſitanum, *pag. mihi* 192. *& ſeq.* Quare & hæc uſu obtinere, nemo dixerit.

3 Sic nec illud ad jus aut uſum pertinet, quod ex *princ. Inſtitut. de Iure Naturali, Gentium, & Civili* volunt, aliud eſſe jus, quod homini cum brutis animantibus ſit commune, aliud homini velut proptium competere. Quod diſcrimen propriè nec Iuris nec Iuſtitiæ definitioni convenit, adeoque vix ullum habet uſum. Quod enim natura cordibus omnium animalium certas quaſdam inſculpſerit notitias quas obſervant, non ideo magis juris capax eſt brutum animal, quod non niſi ſolo naturæ inſtinctu præceptis utitur generalibus: Ut ſunt, maris atque fœminæ conjunctio, liberorum educatio, &c. qui actus, de quo jus naturæ conſtituitur, licèt nobis cum brutis animantibus ſit communis, non ideo magis ipſa juris natura cum brutis animantibus communicatur, cujus præcipuus effectus in ipſius arte & ratione conſiſtit (eſt enim ars boni & æqui, *l. 1. in pr. ff. h. t.*) quibus bruta deſtituuntur, quôque ſolo à brutis animantibus diſtinguimur; quod mente ac ratione utamur, etiam in iis, quibus bruta ex cæco naturæ inſtinctu & innata ſolum inclinatione utuntur. Ut ex Polybio, Lactantio, & Cicerone quoque animadvertit Hugo Grot. *d. tract. de Iure Belli, lib. 1. cap. 1. num.* 11. Quem vide contra Iacob. Mæſtert. *De Iuſtitia Romanarum leg. lib. 1. dubit. 7.* Quippe quod nullum ſit jus naturale proprie dictum, ſed quicquid juris ſit, præter communem naturæ inſtinctum, hominum, paciſque humanæ ſocietati tribuendum ſit, ut recte diſtinguit Philoſophorum peritiſſimus Thomas Hobbes, *tractat. de Cive, cap. 1. & ſeqq.* facit *l. 31. ff. depoſiti:* Vid. Anton. Fabr. *Iuriſprud. Papinian.*

4 Juris vocabulum πολύνυμον & multi nominis eſt. Primo enim ſumitur pro eo quod in jure conſiſtit, ſecundo pro loco in quo jus redditur, tertio pro neceſſitudine cognationis & affinitatis, *l. penult. & ult. ff. h. t.* Poſtremo pro arte juris, quæ & *Iuriſprudentia* dicitur, definiturque, *divinarum humanarumque rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia*, *l. 10. §. 1. ff. eod.* Quod & moribus convenit, quibus juris & juſtitiæ appellatio, nunc pro ipſo juris officio, actione, aut executione ſumitur, quomodo juſtitiam adminiſtrari dicimus, nunc pro juriſdictione, interdum pro ipſis jus dicentibus: ita Belgæ vocant **voor t'Gerecht komen** / id eſt in judicium venire;

nire; nonnunquam pro ipſo tribunali, **gemandt in recht treckẽn** / id eſt in jus vocare: Item pro rebus ad juſtitiam pertinentibus; ita honeſtiori vocabulo crucem, ſeu patibulum vocamus **'t Gerecht**. Denique pro actione, ut jus ſuum alicui cedere, id eſt actionem, & rem incorporalem, quæ in jure conſiſtit. Quod & in lingua Gallica uſu venire teſtatur Eguinarius Baro, *ad tit. Inſtit. De Iuſtit. & Iure, part. poſter.* Proprie ſumitur pro eo quod juſtum & æquum eſt, *arg. l. 2. in pr. de juſtit. & jure.*

5 Hoc jus aliud eſt naturale, aliud gentium, aliud civile, *l. 1. l. 2. l. 3. ff. de Iuſt. & Iure, & tot. tit, Inſt. de jure naturali, gent. & civili.*

Inſtit. I. II. De Jure Naturali, Gentium, & Civili.

De Jure Naturali, an, & quatenus animalibus competat, diximus.

Jus Gentium, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, *l. 9. ff. h. t. §. 1. Inſtit. de*
6 *Iure Nat. Gent. & Civil.* à communi ſchola dividitur in jus gentium *primævum* & *ſecundarium*, *arg. §. 2. Inſtit. eod. verſ. Nam uſu.* Ubi quidem re bene perpensâ, nova quidem aut diſtincta juris gentium definitio non eſt, ſed definitionis in *§. 1.* propoſitæ ulterior tantum explicatio, quâ juris gentium origo proponitur. Quippe quod diſtinctio illa inter jus ſimplex, quod à ſimplici & innata, & jus comparatum, quod à compoſita ratione quaſi profluit, quorum illud cum genere humano, hoc uſu exigente & humanis neceſſitatibus introductum volunt, proprie in jure gentium non veniat, quod tali rationum uſu non diſtinguitur. Nam eadem ratio quæ jus gentium conſtituit, ſive ſimplex ſit, ſive compoſita, ab initio cordibus omnium hominum inſculpta fuit, & præterea uſus & neceſſitas humana, ſtatim & cum ipſo genere humano concipitur; ſic ut eadem ratio, quæ Deum colendum, parentibus & patriæ obediendum, & fidem ſervandam eſſe dictat, *l. 2. ff. de Juſtit. & Jure, l. 1. in princ. ff. de pact.* eadem quoque præcipiat vim atque injuriam propulſandam, *l. 3. ff. h. t.* hoſtes jure belli interfici, in poteſtatem redactos ſervari, *§. 2. Inſtit. de Jure Nat. Gent. & Civil. §. 3. Inſt. de jure perſon.* Nec minus religio erga Deum, obedientia parentibus, patriæ, &c. debita, uſu exigente, & humanis neceſſitatibus introducta dici poteſt, quum ſine ea genus humanum conſiſtere nequeat. Quapropter hanc diſtinctionem, ſicuti nullo textu, nulla ratione defendi poſſit, ita quoque nullum in jure noſtro uſum habere concludimus.

7 Ad jus gentium refertur inter cætera defenſio ſui, ut, quod quiſque ad tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur, *l. 3. ff. h. tit. & tot. tit. Cod. Quando liceat unicuique ſine judice.* Nullius enim rei ſtudium à natura omnibus animalibus altius inſitum eſt, quàm tuendi ſui adverſus vim illatam. Sic omni generi animantium à natura ante omnia tributum eſſe, ſcribit Cicero *1. de offic.* ut ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videntur: Si modo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, *l. 4. l. 45. §. 4. ff. ad legem Aquil. l. 1. Cod. Unde vi.* Quo
8 jure utimur, ut furem nocturnum & quemcunque alium aggreſſorem, periculum vitæ minitantem, quod niſi occidendo evadere non poſſes, impune occidere liceat. *l. 4. Cod. ad leg. Corn. de Sicariis. Ordinat. Ordin. Holland. 16. Decembr. 1595. & 19. Martii 1614. art. 7.* De aliorum moribus teſtantur Iulius Clarus *§. homicidium, num. 47.* Chriſtinæus *vol. 2.* deciſ. *168.* Perezius *ad d. tit. Quando liceat, & ad tit. Cod. ad leg. Cornel. de Sicariis.*

Cod. III. XXVII. Quando liceat unicuique ſine judice ſe vindicare.

9 Quo interpretes quoque referunt, quod ex hoc juris fundamento patri & marito in adulterio deprehenſam conjugem cum adultero impune occidere liceat. *l. 4. Cod ad leg. Jul. de Adulter. l. 20. & ſeq. ff. ad leg. Jul. de adulter.* Quod an uſu obtineat, vide latius ſuo loco.

10 His coincidit alia quæſtio, quam aliquando dubiam fuiſſe memini, ſcilicet, is qui alium ad defenſionem ſui corporis occiderit, ſi confiteatur ſe occidiſſe, ſed ad tutelam & defenſionem ſui corporis, aut ad juſtam & ſibi permiſſam vindictam feciſſe alleget, quomodo probet? & an judex confeſſionem ejus dividere, & pro parte accipere, pro parte vero reſpuere poſſit? Cui cum diſtinctione reſponderi ſolet, Ut in civilibus quidem confeſſionis diviſio admitti non poſſit, in criminalibus vero non niſi qualificata adverſus confitentem readſumi poſſit per DD. *ad l. 28. §. 12. ff. de liber. legat.* Farinac. *Prax. Crimin. tit. de Reo Confeſſo quaſt. 81. cap. 4. num. 110.* Maſcard. *de probation. concluſ. 867.* Quod quomodo accipiendum, etiam ſuo loco videbitur.

11 Ius civile eſt, quod quiſque populus ipſe ſibi conſtituit, *l. 9. ff. de Juſtit. & Jure. l. 6. in pr. ff. Quod cujuſque univerſitatis nomine. l. 3. Cod. de ædificiis privat. l. 3. Cod. de offic. præfect. prætor. Orient. l. 37. ff. 3. de reb. auth. jud. poſſid.* per eum, aut eos, cui omne imperium, & poteſtatem conceſſit, quæ *Conſtitutiones* ſeu potius Statuta appellantur, *§. 6. Inſtit. de jure Nat. Gent. & Civ.* noſtrat. **Placcaten ende Ordonnantien.** Quod ab unaquaque civitate nomen habet, *§. 2. Inſtit. eod.* Quomodo & moribus noſtris, non tantum ab eo qui ſummam in republica habet poteſtatem, ſed ab unaquaque fere civitate jus conditur. Quibus ut plurimum in his, quæ ad ſta-

D. I. III. & Cod. I. XIV. De legibus, Senatuſconſultis, &c.

tum

tum politicum pertinent, juris condendi poteſtas à Principe eſt conceſſa, quæ *Statuta muni-*
cipalia vocantur, nobis **Keuren** / quaſi ab eligendo, ſic ut Cicero vult legem dici à legendo, id
eſt eligendo, quod bonum & æquum eſt. Hinc diſtributio juris in jus commune quod ad omnes,
& ſingulare, quod ad ſingulos pertinet. Quoties vero non additur nomen, jus civile Romanum 12
intelligitur, *d. §. 2. Inſt. de Jure Nat. Gent. & Civ.* quod etiam apud omnes pæne gentes obtinet,
in quibus propriæ leges aut conſtitutiones deficiunt, contra Groeneweg. *tract. de legib. abrogat.*
ad l. 32. ff. de legib. & ad proœm. Inſtit. qui deficiente Iure ſcripto, ad vicinas conſuetudines re-
currendum eſſe voluit. Quod quidem in decimis, feudis, retractu, & ſimilibus à conſuetu-
dine vicinarum regionum ſpeciali quadam lege & ratione dependentibus, locum habet, & in his
quibus vicini mores pro ſuis conſuetudine ſunt recepti; ſic ut nobis, in his quæ procedendi ſty-
lum & modum ſpectant, pleruinque Galliæ mores ſunt recepti, & Saxonum Iure *Polonos, Sue-*
cos, Lituanos, Luſatos, Sileſios, aliaſque vicinas regiones, uti teſtatur Petrus Rois, *in præfat. deciſ.*
Lituan. Cæterum ad generalem omnium conſequentiam trahi minime poteſt. Quippe quod
moribus noſtris, ut & quibuſdam aliis, expreſſa ſanctione introductum ſit; ut ubicunque propriæ
leges aut conſuetudines ſilent, ad jus Romanum ſtatim ſit recurrendum, ſic ut à legibus munici-
palibus & conſtitutionibus cujuſque propriis, in judicando quidem inchoandum ſit, eaſque prius
inſpicere debeamus, antequam ad juris Romani aut applicationem, aut deciſionem accedatur;
manente tamen jure Romano poſitivo, pro baſi ac fundamento omnis æquitatis ac juſtitiæ. Sic
ut legibus Regiis Hiſpaniæ expreſſe cautum legimus; quod juſtitiæ officium ibi nemo exercere
poſſit, niſi qui prius perlegerit jus regium, & per decennium omni jure ſtuduerit, *Nov recopil.*
Hiſpan. conſtit. lib. 2. tit. 1. leg. 4. & lib. 3. tit. 9. leg. 2. Ius enim Romanum licèt primo Ro-
manis eorumque ſubditis ſcriptum ſit, tamen ob ipſius excellentiam, æquitatem, & utilitatem,
aliæ omnes nationes tacito quaſi utentium conſenſu illud amplexæ ſunt. Unde jus commune ap-
pellatur à Damhoud. *prax. Rer. Civil. cap. 12.* omneſque alias leges in ambiguis, ſecundum has
interpretari merito teſtatur Pecc. *ad cap. 28. de Regul. Iur. in 6. num. 2.* Et quod ita apud nos
obtineat teſtatur Grot. *introd. lib. 1. cap. 2. num. 26.* Merul. *prax. Civil. lib. 1. tit. 4. cap. 1. in fin.*
Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 343.* Gudelin. *de Iure Noviſſ. lib. 1. cap. 13.* Nicol. Burgund. *ad Conſuet.*
Flandr. in proœm. num. 5. Sande *lib. 2. tit. 2. def. 2. & def. 7. in fin. & lib. 4. tit 1. def. 1. in fin.*
Sed & Turcæ Codice Juſtinianeo Græco utuntur, teſte Joann. Leunclav. *in præfat. antiq. paratit.*
quæ è Græco in Latinum vertit. Cæterum de uſu & auctoritate Iuris Civil. Rom. in dominiis Im-
perii *Germanici*, Principatuum *Italiæ*, in Regnis *Neapolis, Siciliæ, Galliarum*, (quibus & *Belgium*
includit) *Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Angliæ, Hiberniæ, Scotiæ, Poloniæ, Hungariæ, Daniæ, Sueciæ, &*
Bohemiæ, late tractat Arthur. Duc, IC. Anglus.

Statuta, ſive ea ſint generalia totius provinciæ, ſive municipalia hujus vel illius civitatis aut mu-
nicipii, alia ſunt perſonalia, quæ de jure, conditione & qualitate perſonæ diſponunt; alia realia, quæ
circa jus, conditionem, & qualitatem rei verſantur; alia mixta, quæ ex utriuſque compoſita, utro-
rumque naturam aſſequuntur.

Quæ communis fere omnium Neotericorum doctrina eſt. De qua vide Burgund. *ad Conſue-*
tud. Flandr. tract. 1. num. 3. Argentr. *ad conſuetud. Brittan. art. 218. gloſſ. 6.* Chriſtin. *volum. 2.*
deciſ. 56. Mæv. *ad Ius Lubecenſe quæſt. 4.* Matth. *de criminib. lib. 48. tit. 20. cap. 4. num. 17.*
Rodenb. *de jure conjug. tit. 1. & 2. cap. 1. & ſeqq.* Quos pro faciliori docendi inſtituto ſequi ma-
lim, quam nudam arguendi ſubtilitatem unici diſſentientis Voetii *tractat. de Statut. ſect. 4.*
cap. 2. num. 2. & ſeq.

Probat hanc diſtinctionem cujuſque effectus ratio inſpecta, qua perſonalia ſtatuta, quia princi-
paliter ipſam perſonam reſpiciunt, ubique locorum, tam intra, quam extra territorium perſonam
comitantur. Exemplo ſint: quod ſecundum hujus & vicinarum provinciarum mores & ſtatuta,
uxor in abſoluta mariti ſit poteſtate, ſic ut nec ipſa res ſuas alienare, ſe ipſam obligare, aut cum
alio valide contrahere poſſit. Ut &, quod minor viginti quinque annis ſe ipſum, abſque tutorum
interventu obligare nequeat, & ſimilia. Quæ ipſis perſonis quandam qualitatem imprimunt, earum-
que naturam ita afficiunt, ut quocunque terrarum proficiſcantur, dum ibidem domicilium tenent,
incapacitatem contrahendi, & ſe ipſum obligandi, tanquam cicatricem in corpore foras circum-
ferant. contra Burgund. *ad conſuetud. Fland. tract. 1. num. 25.* quem ſequitur Mæſtert. ſibi
contrarius *Illuſtr. mater tract. tit. de ſtatut. ſeu inſtitut. civitat.* Qui ejuſmodi ſtatuta mixti gene-
ris eſſe volunt, adeo ut non obſtante tali ſtatuto, uxor irrequiſito marito bona alibi ſita alienare
poſſit. Quod quomodo probetur, non apparet. Tale ſtatutum etiam eſt, quo omnia conjugum
bona per matrimonium ſine contrario pacto initum non ſolum quoad uſum (ſecundum Ius Ro-
manum

Digitized by Google

manum *l. 1. §. 15. ff. ad Senat. Syllan. l. 8. Cod. de pact. convent.* tam ſuper dote, & *tot. tit. Cod. ne uxor pro marito.*) ſed etiam quoad proprietatem communia ſunt. Quod quum principaliter perſonas reſpiciat, etiam ad ea bona extenditur, quæ ita ſunt, ubi ſecundum jus ſcriptum ea tantum communia ſunt quoad uſum. Ad perſonalia etiam ſtatuta referuntur ea quæ verſantur circa ſolennitatem alicujus actus, quomodo actus celebratus ſecundum ſolennitatem loci in quo celebratus eſt, ubique locorum vim ſuam habet, uti de teſtamento ſecundum loci ſolennitatem confecto deciſum probatur infra *lib. 3. cap. 2. num. 18.* Niſi forte ex lege loci ubi res ſitæ ſunt diſpoſitionis ſolennitas tanquam qualitas quædam rebus ipſis impreſſa conſideretur. Quomodo intelligendum *edictum perpetuum Archiducum Alberti & Iſabellæ Anni* 1611. *art.* 12. ad quem vide Anton. Anſelm. *commentar. num.* 50. aliud exemplum habes apud Pecc. *de teſtamento conjug. lib. 3. cap.* 17. Ita etiam procedit ſententia Molinæi *ad conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 33. gloſſ. 1. num.* 86.

Effectus ſtatuti realis eſt, ut, quum principaliter ipſam rem reſpiciat, non extra, ſed intra territorium vires ſuas exſerit, atque etiam non ſubditos ligat ratione bonorum mobilium ibi ſitorum. *l. 3. Cod. de ædific. privat. l. 27. ff. de tutor. & curator. dat. l. 4. Cod. de jure fiſci.* Ita quum inter DD. diſceptaretur an Statutum diœceſis Ultrajectinæ, (quo inter virum & uxorem nulla niſi uſus fructus reſtatio permiſſa eſt) reale an perſonale ſit Statutum, *Novellâ conſtitutione multarum litium dirimendarum cauſa promulgata* 14. *Aprilis* 1659. *art.* 1. cautum eſt, Statutum illud reale cenſeri. Sic ut conjuges Hollandi non recte ſibi invicem bona in diœceſi Ultrajectina ſita relinquunt, & contra Ultrajectini conjuges efficaciter ſibi bona Hollandica relinquunt. Idem dicendum de ſimili Geldriæ ducatus, & nonnullorum Brabantiæ, & Flandriæ locorum ſtatuto. Quæ tamen inter ſtatuta mixta recenſet Burgund. *ad conſuetud. Flandr. tractat. 1. num.* 41. quem refutat Abraham Weſel *in commentar. ad dictas novellas conſtitut. Ultraject. art. 1. num.* 11.

Mixti Statuti effectus eſt, ut diverſo reſpectu utriuſque tam perſonalis quam realis ſtatuti vim habeat. Qualia ſunt ſtatuta quæ circa ſucceſſiones ab inteſtato ordinantur, in quibus mobilia quidem ſecundum domicilii ſtatura ſuccedunt, immobilia vero nulla domicilii morientis aut heredum ratione habita deferuntur ſecundum ſtatuta loci ubi res ſitæ ſunt. Vide Tiraquell. *de jure primogenitura quæſt.* 46. & ibi allegatos. & poſt eum Burgund. *ad conſuetud. Flandr. tract. 1. num.* 36. Et quæ latius infra *lib. 3. cap. 12. num* 4.

Jus Civile aliud eſt ſcriptum, aliud quod diuturni mores tacito utentium conſenſu ſine ſcripto comprobant, *§. 3. 9. Inſtit. de Jure Naturali, Gent. & Civ.* Junct. *l. 32. ff. de legib.* quam conſuetudinem vocamus, nobis **Coſtupmen.** Quæ diſtributio quamvis eſſentialis non ſit, ut recte notat Arnold. Vinn. *ad §. 3. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Civil.* Uſu & moribus tamen probatur. Quibus certa conſuetudo quæ juris & de jure eſt pro lege ſervari ſolet. *arg. l. 35. ff. de legib.* Dico, quæ juris & de jure eſt, quod in juris ratione fundata eſſe debeat, quum ea quæ non ratione introducta, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtenta ſint, jus aut juris conſuetudinem conſtituere non poſſint, ſed pro corruptelis præter rationem juris irrepta cenſeri debeant. *arg. l. 14. l. 39. ff. de legib.*

13 Conſuetudinem conſtituit ſolus utentium conſenſus, *l. 32. §. 1. ff. De legib.* quod ex actuum uniformium frequentia, pro re nata dijudicatur, *l. 1. Cod. Quæ ſit longa conſuetudo.* Certa enim, nec fluctuans debet eſſe conſuetudo, nam quod ſemel vel bis in aliquo caſu contigit, conſuetudinem non efficit, *l. 3. & ſeq. ff. de legib.* Quando vero, aut quanto tempore introducatur con- *Cod. viii. lii. Quæ ſit longa conſuetudo.*
14 ſuetudo? certo jure definitum non eſt; ſed pro varia rerum circumſtantia arbitrio judicis relinquitur dijudicandum, quot actus & quantum tempus ad introducendam conſuetudinem requiratur. Menoch. *arbitr. Iudic. lib. 2. centur. 1. caſ. 83. num.* 6. Cujac. *lib. 20. obſerv.* 1. Everhard. Bronchorſt. *cent. 1. cap.* 8. Et hoc moribus obtinet, præterquam in Saxonia, ubi, ſive præter, ſive contra jus introducatur conſuetudo, ſemper requiruntur triginta anni & ſex ſeptimanæ, quas includit clauſula (*annus & dies:*) Ut poſt Matth. Coler. *De proceſſ. executiv. part. 1. cap.* 3. Schneiduin. *in §. ex non ſcripto. num. 5. Inſtit. de Jure Nat. Gent. & Civ.* Carpzov. *defin. forenſ. part. 2. conſtit. 3. defin. 21. in fin.*

15 An auctoritas aut conſenſus Principis, aut contradictorium judicium, ad conſuetudinem introducendam requiratur? quibuſdam dubium eſſe videtur. Quod quidem de auctoritate Principis nullum dubium eſt, quin quum patitur populum certis moribus uti, nec vetat, ipſe idem velle exiſtimandus ſit. *& arg. l. 32. in fin. ff de legib. junctâ l. 18. ff. Mandati. l. 1. Cod. de patr. poteſt. cap. 1. De conſtit. in* 6. Juxta illud Senecæ in Troade:

Qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet.

Quod ad contrarium judicium attinet, quum rerum judicatarum non vilis ſit auctoritas, *l. 2.*

Cod. h. t. quidam ſtatuunt conſuetudinem per contradictorium judicium rectius probari, *arg. l. 34. ff. de legib.* Sed hoc præciſe non requiritur, nec moribus adeo convenit: quum non valeat conſequentia, ſequimur & exploramus judicia contradictoria, ergo ſine eo non introducitur conſuetudo. Ita judicatum refert Radelant *Traject. deciſ. 13. num. 4.* Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 187. num. 9.* qui ne quidem in conſuetudine juri ſcripto directo contraria de neceſſitate requiri probat.

Scripti juris variæ apud Romanos fuerunt ſpecies. Suntque Lex, Plebiſcitum, Senatuſconſul- 16
tum, Principum placita, Prætorum edicta, Reſponſa prudentum, quæ omnia vim legum obtinebant, *§. 3. in fin. cum ſeq. Inſtit. de Jure Nat. Gent. & Civ.*

Lex hic idem eſt quod Jus civile, quod ab unaquaque civitate nomen habet: Populus vero Romanus Senatorio magiſtratu interrogante conſtituebat *§. 4. Inſtit. de jure nat. gent. & civil.*

D. I. 17. & Cod. I. XIV. *De Conſtitutionibus Principum.*

Ex reliquis ſcripti juris ſpeciebus Principum placita, conſtitutiones dictæ, quibus reſcripta, decreta, edicta, aliaque perſonalia privilegia comprehenduntur, etiamnum legis vigorem habent, & moribus noſtris conveniunt, ſuntque fere, **Edicten / Placcaten / Ordonnantien / Reſcriptien / Privilegien / Gratien / Octroyen / Inſtructien / Conſenten / Authoriſatien** / & ſimilia, quæ conſtitutiones proprie vocari poſſunt, totius provinciæ aut regni quaſi 17
communes ſunt, & adhibito fere Curiæ provincialis conſilio decernuntur, nec vim legum obtinent, antequam coram Curia provinciali aliiſque præfecturis, & tribunalibus, ubi ſolennis publicatio fieri conſuevit, promulgatæ, recitatæ, & in actis publicis relatæ ſunt. Quemadmodum in Hollandia judicatum refert Jacob. Coren *obſerv. rer. judicat.* 1. Et de Ordinat. Regiis in regno *Franciæ.* ſcribit Eguinar. Baro *ad proœm. Inſtit.* Ex his perſonalia privilegia, aliaque reſcripta, non niſi prævio examine, an preces veritate nitantur, concedi ſolent *l. 7. Cod. de diverſ. reſcript.* quod ordinario judici committitur, eaque lege, ut præterea fiant ſine præjudicio juris alieni, neque contra jus vel utilitatem publicam conceſſa intelligantur. *l. 3. l. 4. l. ult. Cod. Si contra jus vel utilit. publ. l. 3. l. 7. Cod. de precib. Imp. offer.* Quod in reſcriptis gratiæ, quibus aliquid alicui ex libertate tribuit Princeps, ut eſt remiſſio & venia delicti, abolitio criminis, aut ſimile quid, Hollandiæ curiæ inquirendum committitur; in reſcriptis Juſtitiæ, in integrum reſtitutio, ætatis venia, & quæ litem vel controverſiam decernunt, ſuo cujuſque ordinario Judici ſecundum Juris & Juſtitiæ regulas deciſio committitur. *arg. l. 3. ff. de in integr. reſtitution.*

Cod. I. XXIII. *De diverſ. reſcript.*

Cod. I. XIX. *De Precibus Imp. offerend.*

Cod. I. XXII. *Si contra jus vel utilitatem publicam.*

Quemadmodum & Prætorum edicta, quæ apud nos quoque, præſertim in decretis, mandatis 18
inhibitoriis, interdictis, & in ſimilibus, modicam juris habent auctoritatem. Quibus accedit edictum quod Ædiles Curules de quibuſdam cauſis proponebant, quod apud nos fere obtinet in his qui curam gerunt, ne publicus urbis conſpectus deformetur, ut ædes ſartæ tectæ ſint, aquæ mundæ, aquæductus integri, viæ expeditæ, &c. quod Ædilium Curulium officium potiſſimum fuiſſe legimus apud Ciceron. 5. *in Verrem.* & Liv. *lib. 6. in fin. & lib. 7. in princ.*

Senatuſconſulta vero non agnoſcimus, nec Senatores alios quam Ordinarios judices habemus, qui legis condendæ vim aut poteſtatem non habent, niſi in his, quæ Curiæ ſtylum & proceſſuum expeditionem concernunt, quibus modum & regulam præſcribere quibuſdam limitative eſt conceſſum. Ut videre eſt apud Merul. *prax. civ. lib. 1. tit. 4. cap. 4.*

Similiter nec reſponſa prudentum: Reſponſa enim quæ à Iuriſconſultis in Academiis, aut civi- 19
tatibus ad conſultationes & petitiones partium reſcribuntur, non tantam habent auctoritatem, quantam veterum Iuriſconſultorum: ſed eorum probabilis tantum eſt doctrina. Quibus æquiparantur fere Supremarum Curiarum placita, ut ſunt in Imperio Romano-Germanico, Cameræ Imperialis ſententiæ, in Gallia Parlamentorum arreſta, in Belgio Supremarum Curiarum deciſiones, quæ legis vigorem non habent, & à quibus judici recedere non eſt prohibitum: quamvis alioquin rerum, præſertim ſæpius judicatarum, non vilis ſit auctoritas. Adeo ut eorum Reſponſa ſive deciſiones, non aliter auctoritatem Iuris in cæteris cauſis habeant, quam ſi lege aut recepta conſuetudine firmentur. Buſ. *ad l. 2. ff. de Origin. Iur.* Atque ita judicatum referunt Coren *obſerv. 30. num. 2. 3. 4. in margin.* Chriſtin. *vol. 1. 2. & vol. 2. deciſ. 51. num. 5. cum ſeq. & deciſ. 65.* Zyp. *Notit. Iur. Belg. tit. de legib. verſ. igitur.*

Ius civile iterum eſt aliud civile Romanum, aliud Canonicum, quod à Pontificibus eſt conſti- 20
tutum. Quod quidem inter Reformatos uſum ſuum quoque habet, non quidem ad plene quid probandum, niſi ſit receptum; ſed ad inſtruendum, & rectius quid explicandum. Quippe quod multa eximia moralia principia, ad juſtitiam & veram æquitatem ducentia contineat, ut in cauſis juramentorum, matrimonialium, & ſimilibus, in quibus fere jus Canonicum ſequimur, & paſſim in illis, in quibus Iuris civilis ſubinde continet interpretationem. In controverſiis ſeu cauſis matrimonialibus, jus Canonicum merito ſequimur, inquit Carpzov. *Iuriſprud. Forenſ. part. 4.*

conſtit. 20. *deſin.* 16. *num.* 4. *& deſin.* 17. *num* 1. *Conſtit.* 25. *deſin.* 8. *num.* 5. Atque eo ſenſu Alberic. Gentil. conſtitutiones juris Canonici laudat, quod juri civili lucem, & interpretationem ſæpiſſime afferant, *lib.* 1. *de Nupt. cap.* 17. 18. æquitas juris Canonici rigorem juris mitigat, inquit Andr. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 88. *num.* 4.

Hujus Juris in Gallia, Hiſpania, Italia, viciniſque regionibus Pontifitiæ relligioni addictis, uſus, & auctoritas magna eſt; adeo ut ibidem leges civiles juri Canonico cedant, atque hi indiſtinctè ſacros Canones ſequantur, per textum in *cap. clerici, De judic.*

Sed & in terris Imperii, atque ita per totam ferre Germaniam, etiam inter Pontifitiæ relligioni quam minimè addictos, ſuo modo obtinet, ſub hac fere diſtinctione; ut in materia eccleſiaſtica ſpirituale peccatum concernente, in utroque foro Imperii & Eccleſiæ jus Canonicum ſervetur, veluti in cauſis matrimonialibus, præſcriptionis, uſurarum, &c. In materia autem indifferenri, ſive ſæculari, non concernente peccatum ſpirituale, ut in ſucceſſionibus, & cæteris cauſis, quælibet conſtitutio in ſuo foro ſervanda ſit, ita ut leges civiles in Imperii terris, Canones in terris Eccleſiæ, quoties pugnare videntur, præferantur: Si verò non contradicant ſibi invicem, in utroque foro leges & canones allegari poſſunt, alteroque deficiente, per alterum cauſa dirimitur. Vide Schneduin. *ad Rubr. Inſtit. de nupt. num.* 10. Georg. Schultz *ad tit. Inſtit. de Grad. Cognat. litt. A.* Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtorial. lib.* 3. *tit.* 1. *definit.* 2. *num.* 14.

21 Aliud publicum eſt, aliud privatum, *l.* 1. *§.* 2. *ff. & §.* 4. *Inſtit. de Inſtit. & Iure.* Publicum eſt quod immediate & per ſe pertinet ad publicum reipub. ſtatum, ut ſunt ea, quæ in Sacris, Sacerdotibus, & Magiſtratibus conſiſtunt. De quibus *lib.* 1. *Digeſt. tit. poſteriores, & Cod. lib.* 1. *tit. priores. & lib.* 49. *&* 50. *Digeſt.*

Privatum eſt, quod directe & per ſe ſpectat ad res, negotia, facta, & utilitatem privatorum, de quibus potiſſimum in jure agitur. Quæ diſtributio quidem quamvis eſſentialis non ſit, quum alterum horum gratia alterius ſit, & utrumque ad ſalutem ſingulorum pariter, & ad utilitatem univerſorum pertineat, tamen uſum ſuum etiamnum habet, ut jus publicum ad politicam Reipublicæ gubernationem pertineat; privatum, ad ſingulorum commercia, actiones, negotia, aliaque utilitatem privatam ſpectantia. Ad publicam quidem Reipublicæ gubernationem quod attinet, ſingula ſingulorum tractare, noſtri inſtituta non eſt. Quum nec jure Romano Juſtinianus præter honores, Magiſtratuum officia, munera, & ptivilegia publica, nominatim de iis egent. Quæ omnia quum ad particularem Reipublicæ ſtatum ſpectent, ad mores noſtros non pertinent, quibus non tantum ſingulis Regionibus & Provinciis, ſed & ſingulis fere Civitatibus ea in re mores & inſtituta variant. Ad mores Imperii Germanici accommodata eſt *Aurea Bulla Caroli IV.* itemque receſſus Imperii pluribus retro annis ab Ordinibus ejuſdem confecti. Et de Regimine & Statu politico Hollandiæ, exſtat *Decretum Ordinum Hollandiæ de Antiquo Iure Reipubl. Batava, datum* 16. *Iulii* 1587. Cujus exemplar vide apud Matth. vander Hoeven *Holland. Chronic. ſuo, part.* 1. *cap.* 5. quod à Marco Zuerio Boxhornio *in Commentariolo ſuo de Statu Confœder. Provinciar. Belgii*, ante annos aliquot illuſtratum, & è vernaculo Latinè redditum eſt.

22 Hactenus de Juris civilis ac legum Romanarum generali diſtributione: Supereſt ut & de earundem initiis ac progreſſu pro fide atque auctoritate ſua hiſtorice diſceptetur.

23 Ius Civile Romanum ab ipſa Urbe condita per mille & quadringentos amplius annos ante *Juſtinianum* perpetuo uſu atque auctoritate ſtetiſſe conſtat. Primo per leges Regias. Qui ipſi quidem jura non conſtituebant, ſed quod impares populo eſſent, qui ſine lege certa, ſine certo jure vivebant, leges jubendas Populum per Tribus & Curias rogabant. *l.* 2. *§.* 1. *&* 2. *ff. de Origin. Iur.* Vocabantur tamen *Leges Regiæ*, quod eas ad Populum tulerant *d. l.* 2. *§.* 2. Haud aliter, quam liberâ poſt Republicâ leges ab iis qui ad Populum eas, Plebemve tulerant, proprium nomen accepere. *§.* 4. *Inſtit. de jure nat. gent. & civ.* Has *Sext. Papirius* in unum corpus collegiſſe, & à ſuo nomine *Ius Civile Papirianeum* denominaſſe dicitur *d. l.* 2. *§.* 2. *in fin. ff. de Origin. Iur.*

D. lib. 1. tit. 11. ***De Origine Juris & omnium Magiſtratuum.***

Exacto ob inconſultam dominationis libidinem *Tarquinio Superbo* Regum ultimo, & ſimul omni Regiâ poteſtate abolitâ, (unde non Regem; ſed Reges exactos Pomponius ſcribit *l.* 2. *§.* 3. *ff. de Origin. Iur.*) omnes illas leges exoleviſſe, iterumque incerto magis jure & conſuetudine, quam per legem latam viginti prope annis, ali ſe Populus Romanus paſſus eſt *d. l.* 2. *§.* 3. *ff. eod.*

24 Quum Anno conditæ Urbis CCXLIV. *duo Conſules* quotannis creari & conſtitui cœpere, qui Rempublicam Populi vice gubernarent.

Hi, obortâ contentione inter Patritios & Plebejos, utrum in nova illa Republica conſultius eſſet ſub Magiſtratuum, an ſub legum Imperio vivere? pro Plebe conſuluere, Rempublicam melius legibus, quam Principum aut Magiſtratuum arbitrio adminiſtrari. Liv. *Hiſtor. lib.* 2. *circa*

prin-

princip. Placuitque Decemviros conſtitui, qui ex Athenienſium, reliquarumque Græcarum Civitatum legibus, jus certum colligerent, quod decem primo tabulis comprehenſum, & duabus aliis ſequenti anno adauctum, Anno Urbis CCCIV. *duodecim tabular.* nomine editum eſt *d. l. 2. §. 4. ff. de Orig. Jur.* Cic. *de Orator. & 2. de legib.* A. Gellius *lib. 20. cap. 1. & lib. 16. cap. 10.* Euſeb. *Chronic. num.* M. D. LXIV. *& ibi* Joſeph. Scalig.

Quas ſubinde Prudentum interpretatio ſubſecuta alterum genus Juris, quod proprio nomine 25
Jus Civile appellabatur, conſtituit. *d. l. 2. §. 5. ff. eod.* Sed quod primum pro jure non ſcripto habebatur. *l. 6. §. 1. ff. de Juſtit. & Iure.*

Ex quibus tum ut genera Juris certa & diſtincta eſſent *Iuris actiones* compoſitæ ſunt, quarum ſo- 26
lennes eſſe formulas voluere, quæ tertium Juris genus conſtituerunt. *l. 2. §. 6. ff. de Orig. Iur.* à *Gnæo Flavio*, qui eas *Appio Claudio* decemviro ereptas, quo gratior eſſet Populo, tradidit, *Ius Civile Flavianum*, & Sexto Ælio, qui de ſuo quaſdam iis addidit *Jus Ælianum* dictæ *d. l. 2. §. 7. ff. de Orig. Iur.*

Non ſic tamen per XII. Tabular. leges, earundemque interpretationem fines iniquitati & libidini undequaque poſiti ſunt: quin artes eludendi, & contemnendi calumniandique jura ſint reperta, & caſus extiterint qui legibus aut jure non comprehendebantur. Hinc & alia juris genera ſuperioribus acceſſere.

Horum aliud Juris genus ſunt *leges* ab univerſo Populo Senatorio Magiſtratu interrogante 27
latæ *§. 4. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Civ.* aliud *Plebiſcita* quæ Plebejo Magiſtratu interrogante Plebs (hoc eſt pars Populi numero major, ſed ingenio & artibus, & ob id dignitate minor) conſtituebat. *d. §. 4. Inſtit. de Jure Nat. Gent. & Civil. l. 2. §. 8. ff. de Origin. Iur.* Quæ primum lege Horatia ſeceſſione in Aventinum, deinde lege Hortenſia ſeceſſione in Janiculum montem facta; non minus valere quam leges cœperunt *d. §. 4. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Civ.* De quibus vid. Liv. Plin. & Aul. Gell. *lib. 15. cap. 27.* Aliud *Prætorum*, aliud *Ædilium Curulium edicta*, quæ Jus honorarium conſtituebant. *§. 7. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Civ. d. l. 2. §. 10. ff. de Origin. Iur.* Aliud *Senatusconſulta §. 5. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Civ. l. 2. §. 8. ff. de Origin. Iur.* Quod Jus, moriente paulatim libertate à Principibus inventum, ut Populi legum ferendarum poteſtatem cum reliquo omni imperio & poteſtate in paucos, & deinde paulatim in ſe unos conferrent. Ut ex Tacit. 1. *Annal.* & Suetonio *in Tiberio.* Ciceron. 1. *in Catilin.* 4. Liv. *Hiſtor. lib.* 44. & Dion. Caſſ. *Hiſtor. lib.* 53. abunde liquet. Cæterum quo interim Senatorum numero, quo modo, & qua forma conſtiterint, vid. Aul. Gell. *lib. 14. cap. 7.* Sigon. *de Antiquit. Iur. Civ. Roman. lib. 2. cap. 2.* Manut. *de Senat. Roman.* Johan. Roſin. *Antiq. Roman. lib. 7. cap. 6. 7.* Quibus utriſque tandem uſurpatis, aliud & ſupremum genus Juris introductum eſt, quod vicem legum obtineret, & *Conſtitutiones Principum* vocaretur. *§. 6. Inſtit. de Jure Nat. Gent. & Civ. l. 2. §. 11. 12. ff. de Origin. Iur.* Atque ita paulatim tanta Principum, ultimis præſertim, temporibus, poteſtas exſtitit, ut his ſolis & leges dare, & prudentibus, ex eorum, non vero Populi, aut Senatus auctoritate Jura interpretari, conceſſum fuerit *§. 8. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Civ. l. 2. §. 48. verſ. Primus Auguſtus. ff de Origin. Iur. l. 1. §. cum enim Cod. de Vet. Iur. Enucleand.* Nam & edicendi Jura poteſtas quæ Prætorum vel maxima fuerat. *§. 7. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Civ. l. 7. §. 1. ff. de Iuſtit. & Iure.* cum Edicto perpetuo, quod Princeps Adrianus per Salvium Julianum compoſuit, de quo in *l. 3. §. 18. Cod. de Vet. Iur. Enucleand. l. 10. Cod. de condict. indebiti.* & vid. Valent. Forſter. *Hiſtor. Iur. lib. 2. cap. 73.* deſiiſſe videtur. Poſt illud enim edictum alia recentiora non reperiuntur: ſed commentationes duntaxat Prudentum, quibus illud ipſum ſunt interpretati, quarum ſeriem, atque ordinem librorum, quos Juriſconſulti Veteres ad id ſcripſere collegit Jacobus Gothofredus, Dionyſii filius.

Deſiit paulatim etiam vani Senatus auctoritas, qui Jus ſuffragia ferendi (quod Populo ademptum in ipſum videbantur Principes contuliſſe) & omnia præter nomen amiſit, ut ſolummodo à Principibus, (quæ erat imago quædam Priſci moris) conſuleretur. Et tandem etiam periculoſa Principibus Prudentum auctoritas, quamvis eam ipſi quibus vellent, & non ambientibus darent, ſublata eſt: poſtquam ſoli Principes non tantum Jura darent, verum etiam interpretarentur. *Conſtit. tanta. Cod. de confirmat. Digeſtor. §. 18. junct. §. 6. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Civil.*

Sic ut ab Auguſti tempore, in quem primo omne Imperium poteſtatemque ſuam Populus contulerat, *d. §. 6. Inſtit. de jure nat. Gent. & civ.* Reipublicæ Romanæ forma iterum fuerit mutata, & ad Monarchicum Statum tranſlata. Interea vero dum ſummam poteſtatem Principes uſurparent, & ea, adſuetis jam diu ſervitio Romanis, uterentur, multa, eaque varia de omnibus juris partibus, *reſcribendo, decernendo & edicendo* conſtituerunt, quæ communi nomine *Principum conſtitutiones* appellabantur. *d. §. 6. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Civ.*

Has,

Has, ſed maxime anteriorum Principum conſtitutiones, ſcriptis ſuis & commentariis Pruden-
tes celebrarunt, iiſque vel jus antiquum adauxerunt, vel ſuas de jure civili ſententias & opiniones
confirmarunt. Nonnulli etiam integros ex quorundam Principum conſtitutionibus libros com-
poſuerunt. Donec tandem ipſis judiciis mole Conſtitutionum laborantibus, è re publica viſum fue-
28 rit variorum etiam Principum Conſtitutiones Codicibus includere. Quorum Primus quidem Co-
dex, cui à *Gregorio* auctore nomen impoſitum, continebat Hadriani & ſequentium Principum
conſtitutiones. Quem deinde inſecutus eſt alius & ſecundus Codex, qui *Hermogenianus* vocabatur,
ſuperiori cæterum ſimilis, niſi quod ſupplementum quaſi illius ſingulari duntaxat libro à Claudii
& ſequentium Principum, uſque ad Conſtantini Conſtitutiones exhibuerit. Tertium *Codicem* Im-
perator Theodoſius utriuſque exemplo confici curavit, eumque ſexdecim libris, iiſdemque ſuis
titulis inter ſe diſtinctis, à ſuo nomine *Theodoſianum* appellavit: quo ſimul anteriorum & Conſtan-
tini reliquorumque Principum conſtitutiones una cum ſuis comprehendit. A quo poſtea variæ, &
de variis juris articulis, ut & ab inſequentibus Principibus promulgatæ ſunt Conſtitutiones, quas,
quod poſt eundem Codicem noviter prodiiſſent, *Novellas leges* vel Conſtitutiones veteres appel-
larunt.

In tanta multitudine ac varietate Conſtitutionum, tantaque *Papiniani, Pauli, Gaii, Ulpiani, Mo-
deſtini, Scævolæ, Sabini, Juliani, Marcelli*, aliorumque veterum Juriſprudentum, (quorum tra-
ctatus atque ſententias illi ſuis operibus miſcuerant) ſcriptorum mole, quorum univerſa ſcripta ab
eodem *Theodoſio & Valentiniano* confirmata legimus, *l. 1. Cod. Theod. de Reſponſ. prud.* Multi
jam olim Principes (inter quos *Marcus Craſſus, Tullius Cicero, Sextus Pompeius*, & ex Impera-
toribus primo *Julius*) mente agitaverant quo pacto omnes illæ Conſtitutiones, quæ totidem Codi-
cibus ſeparatæ, & extra eas Novellæ vagabantur, omniaque veterum Juriſconſultorum ſcripta, quæ
jam in duo millia librorum, & trecenties decem millia verſuum excreverant *l. 2. §. 1. l. 3. §. 1.
Cod. de Vet. Jur. Enucl.* unum in Codicem, atque ex immenſa diffuſaque legum copia optima quæ-
que & neceſſaria in pauciſſimos libros conferrentur. Vid. A. Gell. *lib. 1. cap. 22.* Sueton. *in Julio,
cap. 44.* Marq. Freher. *in præfat. Jur. Græc. Roman. ad Rudolph. II.* Donec ſumma rerum Ro-
29 manarum in Juſtinianum Principem collata, is Principalis judicii homo, ac ſuperſtitioſus, vaſto
illi Imperio, mole ſua jam dudum ruinam minanti fulcra à legibus quæreret, non inepte exiſti-
mans Imperatoriam Majeſtatem legibus armatam eſſe oportere, ut ſubjectorum ſimul com-
modis hoc pacto videretur conſulere. *procem. Inſtit. in pr.* Qui altero Imperii ſui anno ſe ſecundum
& quidem ſolo Conſule, *Idib. Febr.* Qui erat annus poſt Chriſtum DXXVIII.) univerſas Codicum
Gregoriani. Hermogeniani, & *Theodoſiani* Conſtitutiones, quaſque poſtea tum Theodoſius,
tum inſequentes Principes, & ille ipſe Novellas conſtituiſſent, prætermiſſis, ſi quæ in præſens mi-
nus conducere viderentur, brevi ſermone conſcriptas unum in Codicem per decemviros illuſtres,
omni juris & experientiæ genere verſatiſſimos conjungi juſſit. *l. unic. Cod. de Novo Cod. faciendo.*
Quem XII. libris, iiſque per titulos diſtinctis, ſequenti anno *VII. Idib. April.* qui erat Decio ſolo
Conſ. annus poſt Chriſtum DXXIX. confirmavit. *l. unic. Cod. de Juſtin. Codic. confirm.* eundemque
Theodoſii Principis imitatione, de ſuo nomine *Juſtinianeum Codicem* nominari voluit. *l. unic.
Cod. de Novo. Cod. faciend. circa finem.*

30 Quo opere confecto ſupererant veteris Juris reliquiæ, & veterum Juriſprudentum reſponſa;
quæ in duo millia librorum, & trecenties decem millia verſuum excreviſſe diximus: ex quo jure
incerto, inter ſe contrario, & partim incognito, ſi ad præſentem utilitatem confingeretur, mul-
tum commodi ſperabatur; quod, licet fieri, haud poſſe videbatur, & non omnino recte fieri
potuiſſe eventus docuit, in certum corpus, & in unam conſonantiam congregari mandavit.
XVIII. *Kalend. Jan. Lampadio & Oreſte Conſſ.* qui erat tertius Imperii ſui annus *l. 1. Cod. de Vet.
Jur. Enucl.* quod quinquaginta libris, iiſque ſingulis per ſuos titulos diſtinctis, *Digeſta*, ſive
Pandectas, quod in eo jura antiqua ex ordine eſſent digeſta, & eodem omnia complecterentur,
appellari voluit *l. 2. §. 1. Cod. de Vet. Jur. Enucleand.*

31 Quibus duobus operibus ita compoſitis ut novi juris præjudicio tenerorum animi præoccupa-
rentur, de juris Inſtitutionibus, quibus totius ejus legitimæ ſcientiæ elementa traderentur, etiam an-
te libros Pandectarum confirmatos cogitare cœpit: iiſque compoſitis *XI. Kalend. Decemb.* qui erat
ipſo III. & ſolo iterum conſ. poſt Chriſtum DXXXIII. robur atque auctoritatem tribuit. *procem. Inſtit.*
ejuſdemque anni menſe ſequenti XVII. *Kalend. Jannar.* Pandectas jam ante compoſitas confir-
mavit. *l. 2. Cod. de Vet. Jur. Enucl.* Ita ut Pandectæ quanquam compoſitione priores, promul-
gatione uno menſe poſteriores ſint.

32 Interim vero dum Jus vetus ita emendatum ſuſciperet, quam plures in eo ambiguitates ſunt

repertæ, de quibus quinquaginta ambigui juris novellas deciſiones, aliaſque nonnullas ediderat Conſtitutiones, quæ omnes extra ſuum Codicem vagabantur: ſic ut eundem Codicem aliquis iterum emendatione indigere arbitraretur: eaſdem deciſiones aliaſque Conſtitutiones novas eidem emendato, & refecto Codici addi voluit, eundemque octavo Imperii anno, poſt Chriſtum DXXXIV. XVII. *Kalend. Decemb. ipſo* II. *& Theodoto Paulino* Conſſ. (priori ſimulque Gregoriani, Hermogeniani, & Theodoſiani Codicibus, omni auctoritate adempta) confirmavit, eumque *repetitæ prælectionis Codicem* nominavit. *l. unic. Cod. de emendat. Cod. Iuſtin.* & *l. unic. §. 3. Cod. de Iuſtin. Cod. confirm.*

Poſt quem Codicem, aliam juris commutationem & ipſi tædium, & diſcendi, judicandique 33
difficultatem allaturam ratus, neque Digeſta juris veteris, neque Conſtitutionum Codicem amplius refingi voluit: ſed ſi quæ in ſingulis juris articulis mutanda, aut ex facto noviter conſtituenda putaverit, in aliam congregationem Novellarum nomine referri voluit. *l. unic. §. 4. in fin. Cod. de emend. Cod. Iuſtin.* Quæ ſingularem in Codicem nunquam conjectæ, ſed ordine tantum temporis ſervato à privato aliquo, poſt Juſtiniani obitum (quem menſe Auguſto poſt Chriſtum DLXV. expletis Imperii ſui annis XXXVIII. menſibus VIII. diem ſuum obiiſſe referunt Nicephor. *lib. 17. cap. 31.* Carol. Sigon. *de Regno Italiæ lib. 1.*) collectæ ſuperſunt.

Poſt Juſtinianum varii Principes idem Jus à Juſtiniano collectum & ipſius temporibus accom- 34
modatum, ad ſua cujuſque tempora varie deduxerunt, aliis per Novellas pauciores, per plures aliis eidem juri derogantibus, ſurrogantibus, abrogantibus. Nonnulli etiam nova juris opera ex eodem jure, ſuis eidem placitis ſubinde interpoſitis, confecerunt. Hinc Baſilii Macedonis *πρόχειρον νομικόν*, & Leonis Philoſophi Baſilicorum libri ſexaginta, & eorundem Conſtantini Porphyrogenetæ repetitæ prælectiones, & Photii Patriarchæ, aut alterius Conſtantinopolitani Imperatoris, Synopſis ſive *μικρὸν κατὰ στοιχεῖον*, ejuſdemque rurſus Synopſis Michaëlis Ducæ Imperatoris juſſu per Attiliatam Michaelem compoſita, & pleraque alia, quæ publici juris nondum facta ſunt, aut quæ edita referre ſupervacuum duco: quod nullus eorum uſus gentium, quæ in regionibus verſus Occaſum incolunt, receperit. Quod eveniſſe videtur, ſive quod ſermo Græcus, quibus poſteriora hæc juris ſcripta, Romano ſermone utentibus minus fuerit cognitus, ſive & ob id potiſſimum, quod eaſdem haſce, quæ in Occaſum Imperii Romani ſpectant partes, *Gothi*, *Hunni*, *Vandali*, cæteræque Barbaricæ gentes jam antea occupaſſent, quæ in odium Imperii Romani, ut Romanorum, ita nec Conſtantinopolitanorum Principum juſſis Romanos parere paterentur. Uſque adeo ut & alii Principes, qui Reges nonnunquam appellabantur, in his partibus exſtiterint, qui omne Jus Romanum interpolarunt, ſingulis articulis in ſuum commodum commutatis, aut nova inſuper jura promulgarunt, de quibus exſtat *Codex legum Antiquarum* à *Frid. Lindenbrogii* collectus. Verum quod hæ gentes de Principatu ſemper contendentes varia fortuna uterentur, mirum in modum omne jus conturbatum, & incertiſſimum ex certiori factum eſt. Donec iterum ſexcentis fere poſt Juſtinianum annis novi Imperatores exſtiterint, (inter quos primo *Lotharius Saxo* XVIII. Germanorum Imperator) qui jus Juſtinianæum, tanquam omnium longe celeberrimum ac perfectiſſimum, ſimul ut commune aliquod jus in uno Imperio ſervaretur, quod omnium legum, ac ſtatutorum norma eſſet, maximeque quod hoc jure Imperatoriæ Majeſtati ſatis ſuperque citra invidiam proſpiceretur, in ſcholis primo adoleſcentium animos eo imbui, deinde in judiciis idem obſervari curarunt, mutantes judicum ſententias, qui contra ejuſdem juris præſcripta judicaſſent, ſi ab his qui cauſa ceciderant, vel ipſi, vel hi quos ſua vice appellari conſtituerant, appellarentur. Quibus, aliiſque artificiis, quæ enumerare omnis longum eſſet, exinde ad hæc noſtra tempora ab omnibus in orbe Romano Principibus, aliiſque qui ſummam in privatos exercent poteſtatem, hoc jus eſt introductum. Indeque jam pridem tanta ejuſdem nata eſt auctoritas, ut quaſi jus Chriſtianarum gentium, in omnibus ubi ſua cuique jura, aut conſuetudines deſint, obſervetur, omniaque ſecundum illud dirigantur, atque ex eodem interpretentur; prout latius ſupra de noſtris, & aliorum moribus retuliſſe ſuffecerit.

Quæ hic de origine atque ordine Magiſtratuum Romanorum eorundemque cum noſtris collatione ac differentia, ut huic titulo annexa, dicenda forent, in alterius tomi ſive voluminis *cap. 2.* ubi ex profeſſo de origine, ſucceſſu, atque ordine Magiſtratuum omnium judicum retulimus.

CAP.

Cap. II.

De Jure & Differentiis Perſonarum, & primo de ſui vel alieni Juris, Nobilibus & Plebejis.

Summaria.

1. *Juris privati diſtributio ratione objecti.*
2. *Perſona quidem ſui aut alieni juris ſunt, vera ſervitus exolevit.*
3. *Adſcriptitiorum in Gallia, Germania, & Anglia, Scotiaque Regno quis uſus?*
4. *Eorum conditiones quæ?*
5. *Jus caducum ſive mortuarium optimi catalli, &c. quid, & ubi obtineat?*
6. *Adſcriptitiorum an & qualis apud nos locus fuerit.*
7. *Diviſio perſonarum in Nobiles & ignobiles.*
8. *Nobilium prærogativa in quibus conſiſtat hodie apud Gallos, Batavos, Saxones & Germanos. Et an immunitatem à tributis habeant, & à quibus?*
9. *Qui dicantur nobiles, & quomodo naſcantur?*
10. *Comitum & Baronum liberi ſpurii, an, & quando pro Nobilibus habeantur?*
11. *An Nobilitas per adoptionem acquiratur?*
12. *Profeſſorum, Doctorum & Scholarium privilegia, atque immunitates.*

1 JUs hoc modo conſtitutum & receptum vel ad perſonas pertinet, vel ad actiones
§. ult. Inſt. de Jur. Nat. Gent. & Civ. l. 1. ff. de Statu homin. Ex Epicteti enim doctrina, quicquid eſt, vel eſt homo, eſtque perſona, vel eſt aliquid extra hominem, ut res; vel eſt modus legitimus rebus illis utendi, quo conſequimur quod noſtrum eſt, vel nobis debetur: eſtque hæc Juris diſtributio ex objectis ad juſtitiæ ſcopum accommodata: ut enim tribuatur cuique quod ſuum eſt, ante omnia videndum, quid ſit cujuſque ſuum, cujus cognitio eſt vel ex perſonis, id eſt, jure quod quis ratione ſtatus, aut conditionis perſonæ ſuæ habet; aut ex rebus, ſive jure extra qualitates & conditiones perſonarum conſtituto: quod ſi ultro non præſtetur, qua ratione, & quo legitimo modo id ab invito exequamur, deinde deſpiciendum eſt, ſolenni nimirum actione.

Ad perſonas jus pertinet vel ratione ſtatus, vel ratione ſexus, vel ratione ætatis; agit enim de ſtatu, ſexu, ætate, aliave conditione hominum.

Perſonarum diviſio ratione ſtatus iterum tripliciter conſideratur, I. ratione nativitatis. II. Ratione familiæ, & conſanguinitatis. III. Ratione vitæ & conditionis. De quibus ordine. *Inſt. 1. 3. De Jure Perſonar. Dig. 1. 5. De Statu hominum.*

Ratione nativitatis homines ſunt aut ſuijuris, aut alieno juri ſubjectæ; quod ultra patriam, tutelarem, aut curatoriam poteſtatem, quæ ad ætatis quoque differentiam ſpectat, moribus vix
2 ullum habet uſum. Quum ſervitus Romana penitus exoleverit, hodieque ingenui & liberi omnes naſcamur quotquot ſumus, abſque ulla alia quàm nobilium aut plebejorum differentia, Grotius *Introduct. lib. 1. cap. 4. §. 2.* Gudelin. *de Iure Noviſſ. lib. 1. cap. 4.* Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 80. num. 2. & ſeq.* Mornac. *ad l. 19. ff. Ex quib. cauſ. major.* Præterquam quod & in Galliæ quibuſ-
3 dam locis, ut apud Meldenſes & Avernos Adſcriptitiorum conditio etiamnum in uſu eſſe videatur, ex Eguinar. Baron. *ad tit. Inſtit. de jure perſonar.* Et de Flandrorum nonnullis teſtatur Burgundus *ad Conſuetud. Flandr. tract. 15.* Quod & pro diverſa Germaniæ conſuetudine in ruſticis colonis adſcriptitiis, & propriis hominibus, quos **Leib-eygen** vocant, uſu venit. Cujus ferè conditio-
4 nes ſunt. I. Quod dominus ruſticum inobedientem, rebellem, & delinquentem carceribus aut pœna pecuniaria coërcere poſſit. II. Quod illum de lubitu ſuo quibuſdam in provinciis de fundo ejicere, eumque alio transferre poſſit: Sed aliis in locis quamdiu annuam penſionem ſolvit, quæ pro diverſis regionibus variant, expelli minimè poteſt. III. Quod ruſtico & ſubdito ſuo, contributionem extraordinariam, quatenus regalia Principis non averſantur, ſecundum loci conſuetudinem imponere poſſit. IV. Quod dominus jus retractus ſive jus protomiſeos habeat, quoties coloni prædia quæ ab ipſo recognoſcunt, vendunt, aut alienant. V. Quod domino adverſus inimicos operi ſuppetiaſque ferat ruſticus. VI. Quod munera & operas præſtare debeat, quæ pro more Regionum variant. Cui annumeratur jus mortuarium ſive caducum, quod Dominus poſt mortem proprii hominis in ejuſdem bonis habet. De quibus latius Huſſan. *De ſerv. ſeu hominib. propr. cap. 7. num. 58.* & paſſim Joannes Franciſc. Balthaſar *Practicabil. Reſolut. Iuris Civil. & Bavar. tit. 4. per tot.* quæ probat *Receſſ. Imper. Auguſt. Anni* 1555. *& Receſſ. Ratubon. Anni* 1594.
5 Quod poſterius jus ſcilicet caducum, aut mortuarium de Flandrorum moribus quoque obtinere teſtatur Burgundus *dict. tract. 15.* ſub nomine manus mortuæ, ſive optimi catalli, quo patronus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

in defunctorum bonis jus habet ejus pecoris pecudiſve caput, vel quicquid in ſupellectile, or-
namento, & mundo, aut inſtrumento habetur, prætioſiſſimum eligere. Quale jus Abbates
Egmundanos olim in **Abſwoude** Hollandiæ Pago etiam exercuiſſe legimus ſub nomine **Abſ-
recht** / aut **Dooden-pandt.** Quod & in quibuſdam Septentrionalis Hollandiæ pagis etiamnum
obtinere nuperrimè intellexi in nuptiis ſive matrimoniis contrahendis. Ubi ut matrimonio jun-
gantur, territorii domino in recognitionem dominii penſam aliquam ſolvere etiamnum tenentur.
vid. Boxhorn. *in Sueton. Caligul. cap. 41. in not. ad pag.* 258. Quod & de moribus Galliæ teſta-
tur Baro *d. loco*, ubi, ſi eum liberis connubio jungantur adſcriptitii, dominis mulctam ſolvunt
illiciti conjugii, quod vocant *formariagie.*

Neque hæc adſcriptitiorum conditio Germanis uſitata, unde & nos Batavi originem traximus, 6
(à Francis ſcilicet & Saxonibus) ab antiquis moribus noſtris aliena fuit. Quibus homines antiqui-
tus, ut antiquo verbo inhæream, diſtinguebantur in *Edlingos*, *Frilingos*, & *Laſſos*, id eſt *nobiles, li-
beros*, & *adſcriptitios.* Quod de Francorum origine teſtatur Joann. Pontan. *Origin. Francicar.
lib. 6. cap.* 15. Vide etiam Paulum Wechner. *Practicabil. obſerv. de Verborum ſignificatione in ver-
bo, Laßi.* Quaſi **verlaſſen** / nobis **verlaten** / qui à ſuis derelicti aut proprio jure deſtituti, aliorum
familiæ ſunt addicti, qui, meo quidem judicio, nullius quam adſcriptitiorum conditioni ſunt an-
numerandi. Quæ perſonarum diſtinctio, ut antiquitus apud nos uſitata, expreſſa Hollandiæ curiæ
ſententia 4. Martii 1532. probata fuit. **In de ſaake van Welgeboozen Mannen van
Maaſland Impetranten / ende den Rent-meeſter van Noozd-holland/ ende eenige
Huyſ-luyden van den ſelven Ambagte.** Idem etiam recognoſcit Antiqui Hollandici regi-
minis ſcrutator Matth. vander Hoeven *Hand-veſt Cronijq lib. 8. cap.* 18.

Liberi homines iterum ſunt vel nobiles vel ignobiles, ſive plebeji. Quorum differentia olim 7
quidem magna & ſingularis, paulatim etiam ab uſu receſſit: adeo ut Nobilium prærogativa apud
nos vix in alio conſiſtat, quàm in libera venatione & aucupio, & ſumma patriciatus dignitate, quæ
& ignobilium apud Romanos fuit, & in plurimis dignitatibus, & honorum ornamentis, etiam ad
plebejos pervenit. Roſinus *Antiq. Roman. lib. 1. cap. 14. in fine.* Quomodo etiam apud nos politica
rerum adminiſtratio, quæ pro majori numero & parte è Nobilibus conſtabat olim, tractu tempo-
ris plebejorum numero in tantum adaucta eſt, ut etiamnum Nobilibus Hollandicis collective
ſumptis, primus tantum inter reliquos Provincialis Hollandiæ ordinis detur locus. Apud Saxo-
nes tamen, & reliquos Germanos Electores & Principes ſummam in ſuis Provinciis habent pote-
ſtatem, Petrus Heig *quaſt. 2. num.* 18. diſcretique ſemper fuêre Nobiles à plebejis. Quod re-
tinendum præcipit idem Heig *dict. quaſt. num.* 65. Niſi jura ipſamet & omnem gubernandi ratio-
nem confundere, incitamenta quoque, & præmia virtutum, fugamque vitiorum, è mundo tol-
lere velimus. Dignitates & tituli Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Vicecomitum,
Baronum, &c. quæ antiquis officiis, quorum nomina recenſentur *in lib. 12. Cod.* ſucceſſerunt,
paſſim tranſiverunt in hereditarias dignitates ac juriſdictiones, hodieque jure proprio competunt,
ut rectè notat Zyp. *Notit. Jur. Belg. lib. 12. tit. De Dignitat. & Nobilitat. verſic. De Principum.*

Apud Gallos, Nobiles immunitatem à tributis habere ſcribit Bodinus *de Repub. lib. 1. cap.* 6. 8
Quod tamen de Regalibus, collectis, & tributis, quæ Principibus, aut Regibus in præeminen-
tiam ſuæ dignitatis debentur, quorum Nobiles, propter ſervitia perſonalia illis, eorumque bonis
feudalibus impoſita, immunes ſunt, intelligi velim; non vero de collectis aut tributis extraordina-
riis, publicæ utilitatis, aut neceſſitatis cauſa impoſitis, quibus & Nobiles Gallos quoque teneri teſtis
eſt Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubr. 1. §. 2. num.* 62. Quod & Hollandiæ moribus convenit,
quibus Nobiles tributorum, quæ olim Hollandiæ Comitibus in præeminentiam ſuæ dignitatis
conceſſa erant, atque etiam ſub nomine **Schot ende Loth** domanio comitatus cedunt, plane
ſunt immunes: Reliquorum vero ad publicum Reipublicæ ærarium pertinentium, ſive ea ſint
perſonalia, ſive realia, quæ nos **des Gemeenlands Middelen** vocamus, immunitatem habent
nullam: quippe quæ indiſtincte tam nobilibus, quam ignobilibus imponuntur, ut recte quidem
notat Grot. *Introd. Juriſp. Batav. lib. 1. cap.* 14. verum minus diſtincte, antiqua illa Comitatus
Hollandici regalia, quæ ſub nomine **Schot ende Loth** veniunt, etiam ceſſare, & à nobilibus
quoque indifferenter exigi, potuiſſe mihi videtur, eo quod illa Comitatus domanio etiamnum
annuatim cedant, & eorum omnes qui modo Nobilitatem generis ſui probare poſſunt, ut & olim
expreſſo Privilegio, ſic & nunc inveterata conſuetudine immunes ſunt. Ultra quam diſtinctio-
nem Tributorum, Vectigalium aut Collectarum immunitas nulla. Quippe quod moribus fere
omnium gentium invaluerit, præter Principum regalia, nullam fere Tributi collectam populo
imponi, niſi publicæ utilitatis cauſa indictam, & communi Reipublicæ bono applicandam.

Quo facit *arg. ex l. ſunt munera, 11. ff. De vacat. & excuſat. muner. junct. l. 2. 3. 6. 9. Cod. De munerib. Patrimon.* Ubi ſatis innuitur Nobilitati neutiquam Privilegium tributum eſſe, quoad tributum, ſive collectam publicæ utilitatis cauſa indictam.

Secundum quam diſtinctonem etiam intelligendum eſt, quod Petr. Heig *quæſt. Jur. Civil. & Saxon. quæſt.* 18. *num.* 38. ſcribit, Anglos, Hiſpanos, & Germanos Nobiles à collectis & aliis oneribus immunes non eſſe, quum alias Gutierez *practicabil. quæſt. Civ. lib.* 3. & 4. *quæſt.* 14. *num.* 87. referat apud Hiſpanos potiſſimum Nobilitatis effectum eſſe, immunitatem à tributis. Cui præterea reſpondet Caſper Clock *tractat. de contribut. cap.* 14. *num.* 49. hanc immunitatem propterea acquiſiviſſe equeſtrem ordinem, quia onera olim belli portavit ille ſolus, & nemo niſi Nobilis militabat, quod ubi ceſſaverit, immunitatem etiam exinde ceſſare conſequens eſt. Ita etiam in Suecia Nobiles eorumque ſubditos nihil ut plurimum contribuere refert idem Caſp. Clock *d. loco, num.* 48. niſi neceſſitas publica efflagitet: ut ſi forte bella conſenſu Nobilium decernantur, quoties ipſorum ſubditi medietatem taxationis pendunt, quam etiam ii qui mediate regi ſubjiciuntur, Majeſtati Regiæ concedunt, *Theſoro Politico de Regno Sueciæ, fol.* 326.

9 Nobiles ſunt, qui eam dignitatem propriis ſuis meritis acquirunt ipſi, aut Nobili Patre legitime Cod. xii. 1. De Dignitatibus.
nati ſunt, *arg. cum legitima* 19. *ff. de ſtatu hom.* Chriſtin. *vol.* 5. *deciſ.* 88. licet ex matre ignobili: Mulieres enim plebejæ & ignobiles, ſi nubant nobili viro, per nuptias adipiſcuntur Nobilitatem, omniaque jura ac privilegia, quibus mulieres natura nobiles gaudent, *l. mulieres* 13. *Cod. de dignitatib.* Ex viro vero ignobili & nobili fœmina nulli nobiles naſcuntur, liberi enim patris conditionem ſequuntur: *d. l. cum legitima* 19. *ff. de Stat. Homin.* & vel ipſa fœmina ex genere nobili progenita, dignitatem & nobilitatem amittit, ſi civi, ruſtico, vel alii ignobili nupſerit, *l. fœmina,* 8. *ff. de Senatorib. l.* 34. *§. ult. ff. De ritu Nupt. l.* 1. *Cod. de dignitatib.* Quod & de Saxoniæ moribus refert Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 37. *defin.* 1. & Jure conſuetudinario regni Hungariæ expreſſe cautum eſt, ut illi qui ex nobili matre, patre vero ruſtico ſunt propagati, veri nobiles non dicantur, è contra vero ex nobili patre, & matre ignobili procreati, recti & veri nobiles cenſeantur. *Jur. Conſuetud. Regn. Hungar. part.* 1. *tit.* 7.

10 Nobilium vero Spurii vel Baſtardi, jure communi viles ſunt & infames, ut late Andr. Tiraquell. *tract. de nobilitat. poſt* Bart. *ad l.* 1. *Cod. De dignitat. col.* 4. *verſ. item pone.* & Bald. *ad d. l. cum ligtima* 19. *ff. De Stat. homin.* Sed apud pleraſque gentes conſuetudine invaluit, ut Comitum & Baronum liberi Spurii, & vulgo quæſiti, pro nobilibus etiam habeantur, & omnibus nobilitatis privilegiis gaudeant, ſi modo gentilitia inſignia domus & familiæ ferant per interlineam in tranſverſum à ſiniſtro dextrorſum exſurgentem diviſa. Quam conſuetudinem in Gallia locum habere teſtatur Tiraquellus, *tract. de Nobilitat. cap.* 15. *num.* 25. Chaſſan. *de conſuetud. Burgund. Rubric.* 8. *§.* 3. *num.* 21. Quod & in Belgio uſitatum eſt, teſte Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 14. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de Dignitat. verb. ut Spurio.* Apud Sabaudos vero non aliter quam ſi totius familiæ caput conſentiat, nobiliter vivat, & ad nobiliter vivendum facultates habeat ſufficientes, quibus nobilium munera omnia pro Principe & republica ſubire ac implere poſſit, teſte Anton. Fabro *Cod. lib.* 9. *tit.* 29. *defin.* 20.

11 An Nobilitas per Adoptionem acquiratur, quæri poſſet ab illis quibus adoptionum aut arrogationum jura quodammodo in uſu ſunt, de quibus poſtea. Sed quum jure civili in eo à liberis legitimis & naturalibus diſtinguantur, quod feudorum capaces non ſint, *cap.* 1. *§. Adoptiv. ſi de feuda fuerit controverſ.* Conſequens etiam eſt adoptatos à patre nullum nobilitatis jus poſſe conſequi, ut recte notat Andr. Tiraq. *de nobilit. cap.* 15. *num.* 5. Niſi auctoritas Principis, ad cujus majeſtatem jus nobilitandi pertinet, intervenerit. Henric. Bocer. *De Regalib. cap.* 2. *num.* 41. 42. Treutler. *volum.* 2. *diſput.* 15. *theſ.* 5. *litt.* C. Quod & cum Jure conſuetudinario Hungariæ convenit, *part.* 1. *tit.* 8. quo cautum, quod ſi quis dominorum vel nobilium ruſticum ſeu ignobilem quempiam in filium ſibi adoptaverit, & ejuſmodi adoptioni conſenſus Regius acceſſerit, ignobilis ille, & filii ſui veri nobiles reputentur. Quod tamen ad ſucceſſionem feudi pertinere nemo dixerit, niſi hoc expreſſe ſit actum, & agnati reliquique legitime nati ſi ſint, aut alii quorum intereſt, conſenſerint. Ut latius infra, ubi de legitimatione per reſcriptum Principis.

12 De Nobilium Hollandorum ordine ac prærogativa ſatis ſuperque Belgico idiomate ſcripſi tractatu, de Jure Romano-Hollandico *lib.* 1. *cap.* 9.

Alia etiam eſt perſonarum differentia circa jurium immunitates & privilegia, quibus Profeſſores, Doctores & Scholares præ cæteris condecorantur, quæ indoctis non competunt. Hujus materiæ ſedes eſt in nova *Frederici Barbaroſſæ* Imperatoris conſtitutione *auth. habita. Cod. ne filius pro patre. tit. ff. de Jure immunitat.* & *tit. Cod. de Profeſſorib. & Medicis.* Quorum præcipua ſunt capita.

D. 1. vi. *De Jure immunitatum.* Cod. x. iii. *De Professoribus & Medicis.*

I. Ut à Vectigalibus, portoriis, aliiſque oneribus pro ſe, libris ſuis, veſtibus & reliqua ſupellectile ſint immunes. II. Ne Jure repreſſaliarum capiantur. III. Ut fori privilegio gaudeant, eiſque optio detur utrum apud Præceptorem & Rectorem ſuum, an apud loci judicem conveniantur. *d. auth. habita. Cod. ne filius pro patre.* IV. Ut una cum Uxoribus & filiis, nec non & rebus quas in civitatibus poſſident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus vel civilibus vel publicis immunes ſint, & neque in provinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere teneantur. *l. 6. Cod. de Profeſſ. & Medicis.* Huc pertinet *art. 38. & 39. Statutor. Academiæ Leidenſis* quorum alterum publicarum præſtationum immunitates, alterum privilegium fori ſpectat, his verbis: *art. 38.*

Dat den Rector/ Profeſſoors ende de Officiers van de Univerſiteyt / mitſgaders de Doctoren ende Magiſtri die haar titul in de Univerſiteyt hebben verkregen/ende aldaar nog continuelijck tot goede ſtudien hare naarſtigheyt doen/niet doende eenige Koopmanſchap / Ambacht / Hand-werck ofte Poorters-neeringe / ſullen voor haare huyſen ende huyſgeſinnen vry ende ontledigt zyn van eenige Soldaten ofte Hovelingen te logeren / daer-en-boven van alle ordinare dag ende nagt-wagt/ ook van alle contributien tot alle gemeene der Stede wercken ofte fortificatien. Welke vrydommen ook ſullen genieten alle Studenten / elk voor haar ſelven: Ten waar by avontuur om eenige gewigtige nood / ende dringende oorſaak / by advys ende goed-vinden van den Rector ende Senaat der Univerſiteyt anders mogt werden geſtatueert.

Id eſt, Ut Rector, Profeſſores, & reliqui Academiæ officiales; ut & Doctores & Magiſtri qui ſuo in hac univerſitate titulo fuerint decorati, ibidemque continuatim in exercendis ſtudiis ſuam adhibuerint diligentiam, non exercentes mercaturam, mechanicam artem, opificium, aut aliquam inquilinorum mercimoniam, pro ſe, uxoribus aut familia ſua liberi & immunes ſint diurnarum aut nocturnarum vigiliarum, nec milites aut hoſpites recipere, nulliſque contributionibus, urbis aut projacentium arcium muniendarum ratione impoſitis, teneantur. Quibus immunitatibus etiam gaudeant ſinguli Academiæ Studioſi: niſi ſumma urgente neceſſitate, ex ipſo Rectoris & Academici Senatus juſſu ac mandato.

Quæ ad privilegium fori ſpectant, hiſce continentur verbis: *art. 39.*

Dat olle Studenten/ pedellen/en al die gene / de welke tot de Univerſiteyt behooren/ ſoo wel in civile als criminele ſaaken / 't zy dat ſy aanleggers off verweerders zijn / niet dan voor den Rector ende Aſſeſſeurs met den Burgermeeſteren ende twee Schepenen der Stad Leyden ſullen te regt ſtaan / 't zy off de ſelve met Studenten ofte met Burgeren geſchil mogten hebben.

Id eſt, Ut omnes Studioſi, Rectoriæ Majeſtatis Antambulones, aliaque omnia Academiæ membra, tam in civilibus quam criminalibus cauſis ſive actores ſint ſive rei, coram nullo alio judice, quam Academiæ Rectore, ejuſdemque adſeſſoribus adjunctis Conſulibus & duobus Urbis Scabinis in judicium veniant aut trahantur.

Cui privilegio an & quatenus renunciari poſſit, & quæ porro ad hanc rem ſpectant, vide latius infra *part. 2. cap. 18. num. 4.* De Doctorum & Scholarium privilegiis latius tractant Horat. Lucius *tract. de privileg. Scholaſticor.* Eumque ſecutus Jacobus Benius *ſingulari tractatu de privilegiis Iuriſconſultorum.* Qui ea ad centum uſque dinumerat, & Rebuff. *tract. de privileg. & Immunitat. Doctorum*, qui ea ad centum & octoginta deducit, & noviſſime Georg. Chriſtophor. Walterus Rotenburg. *tractatu de Statu, juribus & privilegiis Doctorum omnium facultatum*, qui ea XXIV. capitibus, centum & duodecim quæſtionibus locupletata comprehendit.

Cap. III.
De Conſanguinitate Naturali & legitima.

Summaria.

1. *Familia quid & quotuplex?*
2. *Cognatio quid & quotuplex, & quomodo ab affinitate differat?*
3. *Naturalis.*
4. *Civilis.*
5. *Legitimi qui, quando & quo tempore naſcantur?*
6. *An ex ſponſa impragnata filius naſcatur legitimus?*
7. *Matrimonium quando cenſeatur contractum.*
8. *Illegitimi qui?*
9. *An aliqua inter ſpurios & naturales differentia?* Neg.
10. *Quænam inter legitimos & illegitimos Iuris differentia, an & quibus ſuccedant illegitimi?*
11. *Legitimati qui, & quibus modis fiant?*

12. Per

12. *Per ſubſequens matrimonium.*
13. *Per Reſcriptum Principis.*
14. *Quibus, & an in feudis ſuccedant?*
15. *Adulterini an legitimari poßint?*

Ratione ſtatus familiæ, & conſanguinitatis homines certâ agnationis aut cognationis neceſſitudine inter ſe conjunguntur.

1 Eſtque familia alia propria, cujus unum eſt caput, quod cæteros, ſi qui ſint ejuſdem familiæ, in poteſtate ſua habet, qui paterfamilias dicitur, de quo infra, *De patria poteſtate*: alia communis, quæ eſt agnatorum plurium, inter ſe communem quidem agnationis ſtipitem, & originem habentium, ſed in quo ſunt capita plura, quæ viciſſim familias proprias habent, quæ ex eadem domo & progenie provenerunt, *l. 40. §. 2. ff. de verb. ſignific.* Quo referendum eſt illud quod Covarruv. *tom. 1. part. 2. de matrimonio cap. 6. §. 10. num. 13.* ſcribit, quod in Hiſpania vicus quidam centum circiter domorum extiterit, cujus incolæ omnes à ſene quodam, qui tum temporis adhuc in vivis erat, procreati erant: Cui & illud addo, quod & hic in Soetermeer Rhenolandiæ pago, quidam etiam conjuges deſcendentes ſuos ultra centum & octoginta vivi numeraverint, quorum ſeriem ſuo ordine & gradu ipſemet delineatam & depictam vidi.

Hinc mutuus quidam inter homines oritur reſpectus, de quo hoc loco dicendum: Sunt enim homines alii ſibi neceſſarii ſeu propinqui, ex neceſſitudine quadam qua ſibi invicem ſunt devincti, *l. 1. in fin. ff. Quod pro uxore l. 5. §. 11. ff. De reb. cor.* alii extranei, *l. 19. Cod. de Iure deliberandi*, eſtque hominum inter ſe relatio ex ſanguine vel ex nuptiis proveniens.

2 Quæ ex ſanguine eſt neceſſitudo, dicitur cognatio; quæ ex nuptiis eſt, dicitur affinitas, *l. final. ff. de Iuſtit. & Iure. l. 5. §. 1. ff. Quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eatur.*

Cognatio iterum alia eſt naturalis, alia civilis.

3 Naturalis eſt, quam ſola natura novit, eaque ex ſola fœmina æſtimatur, *l. 4. §. cognationis, ff. de gradib. & affinib.* nec legibus probatur. Quæ iterum duplex, alia quam quidem leges non probant, attamen permittunt, ut eſt cognatio concubinaria, alia quam non tantum non probat lex, ſed etiam damnat, quæ eſt inter vulgo quæſitos, alioſque illegitimos, *l. 2. ff. Unde. Cognati, & d. l. 4. §. cognationis, ff. de gradib. & affinib. §. vulgo quæſitos. Inſtit. de Succeßion. cognator.*

4 Cognatio civilis eſt, quam non tantum natura agnoſcit, ſed & quæ à legibus approbatur; Etſi enim natura cognatos omnes æquales fecit, jus tamen eos fecit diverſos, non quidem in matre, quæ ſemper certa eſt, utpote quam ipſa natura demonſtrat, *l. 19. & l. 24. ff. De ſtatu homin.* Sed in patre, quem non tam ex natura quam ex jure metimur, cum eſſe dicimus quem jus demonſtrat, *l. 23. ff. De ſtatu hominum.*

Ex hoc fundamento fit, ut alii dicantur legitimi, alii illegitimi, *l. 1. Cod. De Natura lib.* ubi legitimi opponuntur naturalibus.

5 Legitimi ſunt qui ex nuptis parentibus procreantur. Favore enim matrimonii receptum eſt, ut is dicatur filius legitimus, qui in matrimonio ex uxore natus eſt, quum pater ſit ille, quem nuptiæ demonſtrant, *l. 6. ff. De his qui ſui vel alien. Iur. l. 11. §. 9. ff. ad leg. Iul. de Adult.* Vide Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 97. &* ibi DD. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 18. art. 4.* Maſcard. *De probat. concluſ. 789.*

Ad hoc ut quis legitimus naſcatur ſufficere intelligimus, ſi aliquo graviditatis tempore juſtæ nuptiæ interceſſerint, ſic ut vel momento poſt contractas parentum nuptias naſcatur filius legitimus. *arg. pr. Inſtit. de Ingenuis, & l. 2. ff. de ſtatu homin.* Niſi maritus ſe cum uxore ſua ante matrimonium rem habuiſſe jurejurando denegaverit, quo caſu juramento ejus ſtatur, per ea quæ in ſimili tradunt Ant. Fab. *ad tit. Cod. de adulter. defin. 61.* Gail. *lib. 2. obſerv. 97. num. 12.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 18. art. 5.* Sande *lib. 1. tit. 10. defin. 5.* Et ſeptimo demum menſe à juſtis nuptiis numerando filii reputantur legitimi. *per l. 12. ff. De ſtatu homin.* aut 181. die, *per l. 3. §. 12. ff. De ſuis & legitim.* Menoch. *de arbitr. Jud. lib. 2. cent. 1. caſ. 50. num. 19. & caſ. 89. num. 55.* Qua ratione infantem ſexto à conſummato matrimonio menſe natum, illegitimum eſſe in Senatu Gratianopolitano judicatum refert Autumn. *Confert du droict. ad d. l. 12.* Atque iterum partus a muliere honeſtis moribus nec ambiguâ pudicitiâ vivente undecimo à mariti âbitu menſe editus legitimus reputetur, & patri hœres exiſtat, *Novell. 39. cap. 2.* Quod & Divum Hadrianum cauſa cognita decreviſſe ſcribit A. Gell. *lib. 3. cap. 16.* vide Menoch. *de arbitrar. Judic. lib. 2. cap. 89. num. 49. & ſeqq.* Georg. Toloſan. *Syntagm. Jur. lib. 9. cap. 26. num. 22.* Mynſinger. *centur. 6. obſerv. 40.*

Quod moribus ubique fere obtinet. De Germania teſtatur Matth. Coler. *part. 1. deciſ. 99.* & poſt eum Carpzov. *defin. forenſ. part. 4. conſtit. 28. defin. 13. 15.* de Belgio Gudelin. *De Iure Novißimo lib. 1. cap. 12. verſic. Ac decemviri.* de Gallia Autumn. *ad d. l. 3. §. 11. ff. De ſuis & legitimis.* ita in Friſia deciſum refert Joann. à Sande *lib. 4. tit. 8. defin. 10.* & de Hollandiæ moribus teſtatur. Grot. *introduct. lib. 1. cap. 12.*

Sed an ſi quis quum ſponſam imprægnaſſet, ante conſummatum per Sacerdotalem copulam 6
matrimonium mortuus fuerit, filius exinde natus pro legitimo habeatur, & patri cjuſque agnatis tanquam legitimus ſuccedat? Quidam affirmant, eo quod conſenſus ſolus, necdum carnali copula accedente ipſo jure matrimonium conſtituat, *cap. tua, Extra de Sponſalib. l. 30. ff. de Regul. Jur.* Ita tenent Hartmann. Piſtor. *obſerv.* 83. *num.* 8. *& ſeqq.* & poſt cum David Mæv. *ad jus Lubecenſe part.* 2. *tit.* 11. *art.* 9. *num.* 56. Et Benedict. Carpzovius *Juriſprud. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 14. *definit.* 12. Qui ita à Scabinis Lipſienſibus judicatum, nec in cauſa appellationis ab ea ſententia receſſum refert, nec recedendum vult, ſi modo mater probet ſponſalia, aut promiſſionem conjugii præviam. Sed hoc noſtris & aliorum moribus non convenit, quibus conſummatio matrimonii per copulam ſacerdotalem coram facie Eccleſiæ rite & ſolenniter factam, pro certa & juſta ſolemnitate eſt, ut ſi qui adverſus ea coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligatur. *arg. §.* 12. *Inſtit. de Nupt.* Cum quo concordat expreſſ. text. in
politic. Ordin. Holland. art. 3. Quemadmodum è contra matrimonium ſacerdotali ſolemnitate 7
conſummatum, juſtum eſt, etiamſi nullus concubitus ſubſequatur. Ut in illis conthoralibus, qui quum in facie Eccleſiæ matrimonio eſſent juncti, lacu quodam quo domum properabant, ante concubitum & nuptiarum uberiorem ſolemnitatem erant ſubmerſi, à Suprema Hollandiæ curia judicatum refert Neoſtad. *de pact. Antenupt. obſerv.* 15. 16. 17.

Illegitimi ſunt qui extra matrimonium nati ſunt, ſuntque iterum ex prohibito, & damnato le- 8
gibus coitu nati, vel naturales tantum, qui ex fœmina cum qua non eſt interdictum matrimonium, quamque ſolum pater cognovit extra adulterium aut inceſtum, veluti ex concubina, nati ſunt, *§.* 13. *Inſtit. de nupt.* Vel ſpurii, ſive vulgo quæſiti, qui incerto patre nati ſunt, *§.* 12. *Inſt. eod.* Sic ut mediam quaſi conditionem inter juſtos & ſpurios obtineant illi, qui ex concubina nati ſunt, vocanturque naturales. Cujac. *in paratit. ff. de Concubin.* atque eum ſequutus Goeddæus *ad l. cognoſcere*, 56. *ff verbor. ſignificat.*

Cod. v. 11. *De Naturalib. liberis.*

Quæ diſtinctio tamen moribus noſtris vix ullum habet uſum, quippe quibus Naturales & Spu- 9
rii uno eodemque nomine ac jure promiſcue veniant, quibus & concubinatus nullam prærogativam meretur; ſed pariter ut res illicita juſta pœna damnatur, arg. *Novell. Leon.* 91. Prout ubique fere obtinet. Politic. Ordinat. Holland. *art.* 3. Zeland. *art.* 29. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 144. *num.* 3. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. De Concubin.* Autumn. *ad tit. ff. & Cod. eod.* Georg. Schultz *ad tit. Inſtit. De Nupt. littera H.* Quo facit *Ordinat. Prov. Elector. Saxon. de Anno* 1550. qua Principes Saxoniæ concubinatum rejiciunt, & arbitrariâ quoque pœnâ damnant.

Inter legitimos & illegitimos maxima quidem juris differentia ea eſt, quæ ad ſucceſſionem hæ- 10
reditariam pertinet. Quomodo Naturales aut Spurii ad ſucceſſionem maternam quidem admittuntur, *l.* 29. *§.* 1. *ff. De inoffic. Teſtam. §. Noviſſim. Inſtit. ad Senat. Orphician. l.* 2. *l.* 4. *ff. Unde Cognati.* Patri autem, aliiſque agnatis per lineam paternam conjunctis minime ſuccedunt, quum Patrem certum habere nunquam intelligantur, *l.* 23. *ff. De ſtatu hom. l.* 15. *ff. de in jus vocand. d. l.* 2. 4. 8. *ff. Unde Cognati*, *DD. ad §. Noviſſim. Inſtit. ad Senatuſconſult. Orphic.* Schneduin. *ad tit. Inſtit. De hereditat. qua ab inteſtato deferuntur*, *Rubr. De Succeſſ. Spur. num.* 2. 4.

Ex damnato vero coitu nati, ſunt Adulterini & Inceſtuoſi, qui neque Patri neque Matri eorumque ognatis, aut cognatis ſuccedere poſſunt. *Auth. ex complexu. Cod. De Inceſt. Nupt. Gloſſ. in d. §. Noviſſim. Inſtit. ad Senat. Orphician.* Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 31. *Defin.* 8. Valentin. Forſter. *de Succeſſion. ab inteſtat. lib.* 6. *cap.* 50. *num.* 10. Niſi quoad alimenta neceſſaria. *cap.* 5. *in fin. extr. de eo qui duxit in matrimon. quam poll. adult.* Grot. *Introd. lib.* 2. *part.* 16. *num.* 7. 8. Chriſtin. *vol.* 1. *Deciſ.* 117. *& vol.* 3. *Deciſ.* 129. *num.* 17. 18. Gomez. *ad l. Tauri* 29. *num.* 38. *& ſeq.*

Cod. v. xxvii. *De naturalibus liberis & matribus eorum & ex quibus cauſis juſti efficiantur.*

Sed & legitimis annumerantur legitimati, qui cum Naturales aut Spurii erant, Parentum con- 11
ſenſu intercedente legitimantur, quo ipſo, in omnibus & per omnia legitime natis adæquantur, *§. fin. Inſtit. De Nupt. l.* 6. *& l.* 10. *Cod. De Naturalib. Lib.*

Quod duobus potiſſimum modis fieri moribus convenit, per ſubſequens Matrimonium, & per reſcriptum Principis. *Novell.* 74. *cap.* 1. *& Novell.* 89. *cap.* 9. *§. ult. Inſtit. de Nupt.* Tertius enim legitimandi modus qui per oblationem curiæ fiebat, de quo in *l.* 9. *De Naturalib. Lib. & Novell.* 89. *cap.* 2. *& ſeq.* ſublatus eſt, nec ad mores noſtros pertinet. Gudelin. *De Jure Noviſſim. lib.* 1. *cap.* 16. *in fin.* Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 7. Chriſtin. *voll.* 3. *Deciſ.* 145. *num.* 17. 18. Zyp. *Not. Jur. Belg. tit. De Nat. Lib.* Frider. à Sand. *ad Conſuetud. feudal. Gelria*, *tom.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. Præterquam quod in Germania exemplo ejus Naturales & Spurios ſeſe Imperatoris, Præſidis Provinciæ, & Reipublicæ Patriæ officio etiamnum offerre poſſe quidam opinentur.

Per ſubſequens Matrimonium legitimatio fiebat jure civili, dotalibus inſtrumentis compoſitis; 12
§. fi-

§. final. Inſtit. De Nupt. l. 10. Cod. De Naturalib. Lib. Unde quidam volunt, ut Liberi ſi ejus ſint ætatis, Matri in ipſa copula ſacerdotali quam proxime adſtent, eamque veſtitu teneant; quod in Germania nonnullis Imperii locis conſuetudinis eſſe teſtatur Georg. Schultz *ad d. §. ult. Inſtit. De Nupt.* Sed quum jure civili dotalia inſtrumenta non ſolennitatis, ſed ſolius probationis in contrahendis nuptiis adhibebantur, ut recte notat Groeneweg. *Tractat. ſuo De Legib. Abrogat. ad d. §. ult. Inſtit. De Nupt.* Et quatenus ſolennitatis fuerint, ipſa ſolennis apud nos in facie Eccleſiæ aut coram Magiſtratu copulatio ſufficiat: illud nullius neceſſitatis eſſe, conſequens eſt. Quemadmodum enim ſolennes matrimonii contrahendi proclamationes ex ſcripto recitari ſolent, ita quoque conſummato in facie Eccleſiæ matrimonio, in fidem rei geſtæ, nuptialia documenta ſcriptis conficiuntur, & in perpetuam rei memoriam in archivis cuſtodiuntur.

Sic ut re bene perpenſa, ad probationem nuptiarum nihil prorſus deſideretur, nec illa liberorum præſentia, aut parentum publica quaſi confeſſio, ad probationem parentelæ quicquam faciant. Quippe quod nec conſenſus filiorum ad legitimationem per ſubſequens matrimonium requiratur. Tiraquell. *de Nob. cap. 6. num. 31.* Nec parentes matrimonium contrahentes, inficiando talis filii ante matrimonium nati, legitimationem impedire poſſint. *arg. l. 9. Cod. de Nupt.* Covarruv. *De Matrim. part. 2. cap. 8. §. 2. num. 15.* Secundum quam opinionem jure provinciali Duc. Pruſſiæ *lib. 2. tit. 5. §. 1.* expreſſe cautum legimus etiam tum legitimationem per ſubſequens matrimonium procedere, quum nulla inſtrumenta aut pacta dotalia deſuper ſunt confecta, ſatis eſſe exiſtimantes (hæc ſunt ipſa conſtitutionis verba) ſi de utriuſque partis conſenſu & matrimonio contracto aliunde conſtet.

Quomodo etiam illa verba legis interpretatur Gudelin. *De Jure Noviſſ. lib. 1. cap. 15. verſic. porro in fin.* Quod ſcilicet ejuſmodi inſtrumentorum confectio neceſſaria fuerit, ob id, ut conſtarent nuptiæ cum concubinis, & manumiſſis, vilioribuſque perſonis: quod cum hodie ceſſet, conſequens etiam ſit, etiam abſque ſolemnitate dotis, dotaliſque inſtrumenti, per ſimplex ſubſequens conjugium parentum liberos fieri legitimos: quum beneficium hoc ſolennitati datum non ſit, ſed juſtæ conjunctioni ſequenti. Sed an quemadmodum per ſubſequens matrimonium liberi antea nati fiunt legitimi, ita quoque liberi poſt divortium propter adulterium aut ex alia juſta cauſa factum, ex iiſdem ante nuptis, non reiteratis nuptiis nati, fiant legitimi? affirmative pro iis concludendum non ambigo, ex eo fundamento, quod ipſum divortium propter adulterii cauſam, non ipſo jure, ſed ex ſola partium aut alterutrius inſtantia & voluntate fieri poſſit. *arg. l. 6. ff. pro Socio.* A quo poſtquam fuerit interpoſitum pars læſa pœnitere poteſt; neque divortium verum eſt, quod non animo perpetuam conſtituendi diſſenſionem factum eſt. *l. 3. ff. de divort. & repud.* Et ſi pœnituit, qui libellum divortii dedit, durare matrimonium dicendum eſt, inquit Papinianus *l. 7. ff. eod.* quæ pœnitentia exſpectanda eſt, ipſumque abſolutum divortium in ſuſpenſo tenet, donec pars innocens per matrimonium ſeſe alteri copulaverit, quod prius perpetuam diſſenſionem inducit, omnemque reconciliationem excludit. In quam rem eſt text. in *l. 33. ff. de Ritu Nuptiar.* Ubi Juriſconſultus Marcellus *ad leg. Jul. & Papiam,* de divortio, ex adulterio differens, *plerique*, inquit, *opinantur, quum eadem mulier ad eundem virum revertatur, id matrimonium idem eſſe, quibus aſſentior, ſi non multo tempore interpoſito, reconciliati fuerint, nec inter moras aut illa alii nupſerit, aut hic aliam duxerit, &c.* Neque eſt quod novas nuptias, aliamve publicam reconciliationis neceſſitatem deſideremus, quum ea tacite, atque ipſo facto contingat, quomodo *Novell. 134. cap. 10.* maritus poſt duos annos adulteram uxorem recipit, atque ipſo jure maritus pœnitere, & uxori ſuæ vitium remittere intelligitur, neque audiendus eſt divortium petens, ſi interim ſtupri, aut adulterii gnarus, debitum præſtiterit conjugale. *arg. l. 11. Cod. & l. 4. ff. ad leg. Jul. de Adult.* Vid. Joh. Gerard. *in loco à conjuge §. 5.* & late Zanch. *de Matrimonio diſput. 14.* Neque ullibi inter conſtitutiones aut leges municipales circa nuptiarum ritus, ſolennitates diſponentes, quicquam de reducendorum aut renubendorum ſemel conjugatorum neceſſitate cautum reperitur.

13 Per reſcriptum Principis legitimatio fit ad inſtantiam & ſupplicationem parentis ex præſcripto *Novell. 74. & Novell. 89. cap. 10.* ſi liberos nullos alios habeat, qui ſi ſint, etiam conſentire debent, *per l. 24. ff. De Natalib. reſtit.* Reliquorum vero conſanguineorum conſenſus non aliter requiritur, quam eo caſu, quo etiam ab inteſtato ſuccedere cupiunt legitimandi, quæ clauſula legitimationum formulis communiter inſerta: *Si conſanguinei etiam conſentiant, &c.* alium effectum habere non videtur, nec ob id reliquo legitimationis effectu privatur ſupplicans. Neoſtad. *De feud. Holland. Succeſſ. cap. 5. in fin.*

Legitimatos in omnibus & per omnia legitime natis adæquari diximus, ea ſola differentia, quod legitimati per reſcriptum Principis agnatis aut cognatis, qui in legitimationem non conſen-
14 ſerunt, non ſuccedant. Sed an etiam feudorum ſucceſſores ſint quæſtionis eſt? Et quidem quoad

legitimatos per ſubſequens matrimonium non eſt dubium quin ſuccedant. Roſenthal *De ſeud. cap. 7. concluſ.* 18. Hartman. Piſtor. *lib. 2. part. 2. quaſt.* 41. *per tot.* Quam ſententiam adeo communem, & multarum curiarum præjudiciis confirmatam, uſuque receptam eſſe teſtatur Joachim. Scheplits *ad Conſtitut. Brandeburgenſ. part. 3. tit. 3. num.* 51. Ut ab ea nec reſpondendo, nec judicando recedendum eſſe doceat. Sed tota difficultas eſſe videtur de legitimatis per reſcriptum Principis; ad quam bene, meo judicio, idem Joac. Scheplits *poſt* Schrader. *De feudis cap.* 5. & Hartman. Piſtor. *d. loco quaſt.* 40. *num.* 10. diſtinguendo reſpondit; ut non aliter ſuccedant, quamſi ipſe dominus feudi, & reliqui agnati quorum intereſt, in legitimationem conſenſerint, & hoc in legitimationis reſcripto expreſſe dictum & cautum ſit. Vide quoque And. Gail *lib. 2. obſerv.* 140. *num.* 8. Quod & noſtris & Gallorum moribus convenit, reſte Grot. *Introd. lib. 1. cap. 12. in fin.* Gudelin. *De jure noviſſ. lib. 1. cap. 15. verſ. Quin etiam.* Zyp. Notit. *Jur. Belg. tit. De Natural. lib. verſ. caterum.* Chriſtin. *vol. 1. Deciſ. 199. num. 18. & vol. 5. Deciſ. 145. num. 10. & ſeq.* Imbert. *Enchirid. Jur. Gall. in verb. legitim.* Argentr. *ad Conſuetud. Britann. art. 456. & tract. De legitim. c. 5.*

Hæc de Naturalibus & Spuriis. Adulterini autem neque per ſubſequens matrimonium, quod 15 inter eos interdictum eſt. *cauſ. 31. quaſt. 1. cap. 1. cap. 5. extr. de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.* neque per reſcriptum legitimari poſſunt. Ut quibus ob ſpecialem turpitudinem legitimationum litteras *Veter. edict. Caroli V.* 20. *Octob.* 1541. *art.* 31. niſi de expreſſo conſenſu Regio, & ſpeciali gratia. *Renovat. placit.* 19. *Mey* 1544. *art.* 28. & noviſſime *Ordin. Holland. placito* ſtatutum 18. *Julii* 1674. vid. Grot. *introd. lib. 1. cap. 12. in fin.* Zyp. *not. Jur. Belg. tit. de Natural. lib.*

Cap. IV.
De Adoptionibus.

Summaria.

1. *Adoptio & Adrogatio inuſitata.*
2. *Unio prolium apud Germanos adoptionis loco.*
3. *In Hungaria & Bavaria quodammodo uſitata.*

Inſt. I. XI. D. I. VII. & Cod. VIII. XLVIII. De Adoptionibus.

Adoptionibus eorum, qui in patris naturalis poteſtate erant coram magiſtratu, aut arrogationibus eorum qui ſui juris erant, ex reſcripto principis fieri ſolitis, *§. 1. Inſtit. De Adoptionibus*, hodie non utimur, ſed adſciti nobis pro alumnis ſunt, qui nec liberorum, nec agnationis jure cenſentur, Grot. *Introd. lib. 1. cap. 6. §.* **De Groote**/ *in fine.* Gudelinus *De Jure Noviſſimo lib. 1. cap. 13. circa fin.* Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 185. num. 4. 5.* Imbertus *Enchirid. Jur. Gall in verb. Fils Adoptif.* 1 Præterquam quod in Germania Adoptionis loco eſſe videatur Unio prolium, quam inire poſſunt viduus & vidua de mutua invicem ſucceſſione liberorum ſuſceptorum & ſuſpiciendorum communium, quæ præſentibus conſanguineis, & tutoribus interpoſita cauſæ cognitione, & accedente ordinarii Magiſtratus auctoritate, actiſque publicis inſinuata, firmatur. De quibus Georgius Schultz *ad tit. Inſtit. De Adoptionibus*, & Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 125. num. 5.* Weſembecius *conſil.* 71. 2

Sed & in Regno Hungariæ Arrogationis uſum eſſe conſequens eſt, ex eo quod in jure conſuetudinario Regni Hungariæ expreſſum inveniatur, Adoptionem vim contractus obtinere, ſi permiſſione & conſenſu Regis fiat, aliter verò nullius eſſe firmitatis, *Jur. Conſuetud. inclyt. Regni Hungar. part. 1. tit. 66.* Ubi & per adoptionem ruſticos ſeu ignobiles, nobiles fieri & creari, regio conſenſu accedente, ſupra oſtendimus. Quemadmodum etiam in Electoratu Bavariæ adoptiones & arrogationes etiam in uſu eſſe, innuere videtur Joann. Franciſcus Balthaſar *Reſolut. Iuris Civil. & Bavar. tit. 3. reſolut. 1. num. 7.* Ubi integram Adoptionis ex Jure Civili reſolutionem moribus ſuis incorrectam, & velut immutatam relinquit. 3

Cap. V.
De Agnationis & Cognationis Differentia, & de Graduum Computatione.

Summaria.

1. *Agnatio & Cognatio, quid? & quomodo diſtinguatur?*
2. *Linea quæ, & quotuplex?*
3. *Adſcendentes qui dicantur?*
4. *Deſcendentes.*
5. *Tranſverſales.*
6. *Diſtinctio lineæ in gradus, eorumque computatio.*
7. *Inter parentes & liberos.*
8. *In linea collaterali.*
9. *Juris Canonici.*

10. *Ju-*

10. *Juris Civilis.*
11. *Explicatio.*
12. *Exempla.*
13. *Ultra computatio alteri præferenda, & quanam, aut quatenus moribus recepta?*
14. *Affinitas qua, & quouſque ſe extendat?*

COnſanguinitas, ſive cognatio, iterum alia eſt cognatio ſtrictè ſumpta, alia agnatio.

1 Cognatio ita dicta, eſt inter eos qui per fœminini ſexus perſonas cognatione junguntur; qui non patris, ſed matris familiam ſequuntur, *l. 196. ff. De Verb. ſignific. l. 10. §. 2. ff. De Gradib. & Affinib.* ut ſunt duo conſobrini, *§. 1. Inſtit. De legitima agnatorum tutela.*

Agnatio eſt inter eos, qui per virilis ſexus perſonas cognatione ſunt conjuncti; qui & nomen, & gentilitia inſignia paternæ familiæ retinent; cujuſmodi eſt inter patrueles, *§. 1. Inſt. de legitim. agnator. ſucceſſ. l. 7. ff. De legitim. tutor.*

Porrò cognatio omnis, ſive ſit cognatio in ſpecie ita dicta, ſive agnatio, diſtinguitur certis ſuis lineis *l. Stemmata 9. ff. De Gradibus & Affinib.*

Linea eſt certa collectio perſonarum ad eundem communem ſtipitem pertinentium.

Quæ iterum alia eſt recta, alia tranſverſalis, *l. 1. ff. De gradib. & Affinib.*

2 Linea recta eſt inter parentes & liberos, eſtque iterum alia ſuperior parentum, alia inferior liberorum, *l. 1, 9, 10. ff. eod.* vocaturque communiter linea aſcendens, & deſcendens, unde parentes ad liberos aſcendentes, liberi ad parentes collati, deſcendentes appellantur.

3 Appellatione parentum veniunt pater, mater, avus, avia, proavus, proavia, abavus, abavia, atavus, atavia, tritavus, tritavia & qui ſupra hos ſunt, communi voce omnes *Majores* vocantur, *l. 10. §. 7. ff. De Gradib. & Affinib.*

4 Liberorum appellationem habet filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, abnepos, abneptis, atnepos, atneptis, trinepos, trineptis, & qui infra hos ſunt itidem communi voce *Poſteri* dicuntur, *l. 83. §. 1. ff. De leg. 3.*

5 Tranſverſalis linea eſt inter fratres & ſorores, & qui per duorum fratrum & ſororum cognationem ſibi invicem ſunt conjuncti, ut ſunt frater & ſoror, eorumque liberi & ulteriores deſcendentes, patruus, amita, avunculus, matertera, & deinceps ulteriores adſcendentium fratres & ſorores, *d. l. 1, 9, 10. §. 8. ff. De Gradib. & Affinib.* Ita dicta, quod cum de cognatione alicujus quæritur, aſcendendum ſit ad communem ſtipitem unde omnes proximè provenerunt, & ab eo tranſverſim, & quaſi ad latus eundum (unde etiam collaterales dicti) & ſic iterum deſcendendum ſit ad illum de cujus cognatione quæritur.

6 Linea iterum diſtinguitur in ſuos gradus ſurſum, verſum, vel deorſum tendentes, quibus de uno ad alterum per ſingulas generationes numeratur, ita dicti à ſimilitudine ſcalarum locorumve communium, quos ita ingredimur, ut à proximo ad proximum, id eſt in eum qui quaſi ex eo naſcitur tranſeamus, *d. l. 10. §. 10. ff. de Gradib. & Affinib.* Quorum computatio utilis & neceſſaria, eo quod hereditates, tutelæ, & bonorum poſſeſſiones ad proximum quemque agnatum pertineant, *d. l. 10. in princ. ff. eod.* Et à quorundam nuptiis graduum proximitas abſtinere jubeat, *§. 1. & ſeq. Inſtit. De Nupt.* De quibus cùm ſuis locis quædam tradantur, quæ à juſta graduum computatione dependeant, quomodo illa fieri debeat, hoc loco demonſtrare, noſtri quoque inſtituti ratio requirit.


Inſt. III. VI. De gradibus Cognationum. Digeſt. XXXVIII. X. De gradib. & affinib. & Nominibus eorum.

7 Inter parentes autem & liberos ſcala ſive linea ad cognoſcendum gradum unica ſufficit, eaque recta, per regulam: quot ſunt generationes, tot ſunt gradus; ſic ut de uno in alterum, & proximum quemque, nullo relicto intermedio, facillimè deveniatur, nam qui ei, qui mihi primo gradu eſt, proximus eſt, diſtat à me ſecundo gradu, & ſic deinceps, *d. l. 10. §. 9. ff. De Gradib. & Affinib.* Et in eo convenit Jus Civile cum Jure Canonico.

8 In linea vero collaterali diſtinguendum eſt inter computationem canonicam, cum ratione prohibitionis nuptiarum à Pontificiis introductam, & computationem civilem ratione ſucceſſionis ab inteſtato prius inventam.


9 Jure Canonico conſanguinitas tranſverſalis duabus conſtat lineis à communi ſtipite ſeorſim è regione ſejunctis deſcendentibus, quæ ſi æqualiter ſint productæ, veluti ſi iiſdem gradibus à communi ſtipite diſtent, tunc quoto numero generationis perſonæ diſtant à communi ſtipite, eodem diſtant inter ſe: Ex quo à patrueli meo jure Canonico diſto gradibus duobus; Si vero lineæ illæ inæqualiter ſint productæ, ſic ut non æqualiter à communi ſtipite diſtent, ſed eorum de quorum cognatione quæritur unus communi ſtipiti propior ſit, alter ab eo remotior, tunc quo gradu remotior diſtat à communi ſtipite, eodem diſtant etiam à ſe invicem, de quibus quæritur: ſic ut ego & Nepos Patrui mei jure canonico tertio conſanguinitatis gradu ſimus, eo quod Nepos Patrui mei à communi ſtipite diſtet gradibus tribus, & ſic deinceps de cæteris, ſecundum hoc ſchema propoſitum, de quo vide *cap. ad ſedem. 102. & cap. primo gradu. 106. cauſ. 35. queſt. 5.*

Sed



Sed Jure civili tam in linea tranſverſa, quam in linea recta, una eademque computationis ratio eſt, & regula unica, eaque certiſſima, qua dicuntur tot eſſe gradus quot ſunt generationes, aut ut alii volunt: quot ſunt perſonæ tot ſunt gradus, una dempta: ſive pro ea demas communem ſtipitem, qui in ſe ipſo generationem aut gradum non facit, ut communiter, ſive eam detrahendo conſideres in eo, eave, qui de alicujus cognatione quærit, qui etiam primum tantum gradum & generationis rationem in illo habet qui proxime ab eo diſtat, quum prior aut primus non ſit quem nemo alius ſequatur, & unius numeri nulla poſſit eſſe comparatio, quod malim, ex eo quod ſi pro perſona demenda communem ſtipitem ſumas, illud quidem procedit in linea recta, qua à communi ſtipite deorſum deſcendere potes, ad eum de cujus cognatione quæritur, in linea autem tranſ- 10

tranſverſali vix procederet; propterea quod in linea tranſverſali, non ſit inchoandum à communi ſtipite, ſed ab eo qui de alicujus cognatione quærit adſcendendo quaſi per ſcalas & gradus à proximo in proximum, uſque ad communem ſtipitem, ab eoque iterum tranſverſim deſcendendo ad eum de cujus cognatione quæritur *arg. l. 10. §. 9. ff. de gradib.* quod ut magis perſpicuum fiat, & de cujuſvis cognationis gradu facilius innoteſcat, inſerto etiam hoc præſenti ſchemate de gradu ad gradum demonſtrabimus.



11 Et primo quidem notandum, quod quum totius computationis ratio ſit relativa, ante omnia deſpiciendum eſſe ad eum ad quem referatur, ſcilicet de cujus cognatione quæritur, quem nos in deſcribenda cognatione in medio collocavimus, inferiorem parentibus, ſuperiorem liberis, pro-

pinquum iis qui à dextra & ſiniſtra ſunt, à dextra quidem agnatos & per virilis ſexus cognationem
junctos, à ſiniſtra vero cognatos & qui per fœminini ſexus cognationem veniunt, reſpicientem, ut
ab eo utrimque numeretur ſive adſcendendo, ſive deſcendendo ſive etiam per communem ſtipi-
tem primo ſurſum, deinde deorſum tranſverſim decurrendo, ad eum qui illum intra ſextum co-
gnationis gradum, & quo uſque propria cognationis appellatione quemquam denotare poſſumus,
contingit, juxta formam & modum quem nobis præſcribit JC. Paulus, *in l. 10. ff. de gradib. & affinib.* & ipſe Juſtinianus, in *tit. Inſtit. de Gradib. cognat.* Sic ut etiam in linea recta à primo in-
cipiat in tranſverſa vero à ſecundo gradu, ſecundum *l. 1. §. 1. ff. eod.*

Quod ut exemplo uno aut altero commonſtrem in linea recta quidem ſi quæratur inter nepo- 12
tem & avum, quoto gradu inter ſe diſtent, ita numerandum eſt, perſona mea, perſona patris, &
perſona avi, ſunt tres perſonæ, una dempta, ſcilicet me, qui in me ipſo gradum efficere non poſ-
ſum, manent duæ perſonæ, ergo duo gradus.

In tranſverſa autem linea ſi quæratur de cognatione inter me & patrui mei, hoc eſt patris mei
fratris filium, qui mihi patruelis eſt, uterque communem habemus parentem, ſeu ſtipitem
per quem conjuncti ſumus, cui uterque ſumus in linea deſcendenti: Is autem eſt avus per quem
cognati ſumus non immediate ſed per utriuſque noſtrum parentem, eamque ob cauſam primo
ſeſe offert uſus lineæ rectæ, ut dicam me genitum ex patre meo, patrem genitum ex avo meo,
quod itidem patruelis meus de ſe ipſo conſiderat, quo ipſo tamen ratio cognationis quæ inter
utrumque noſtrum eſt, nondum cognoſcitur, ſed ejus duntaxat, quæ utrique noſtrum inter-
cedit cum avo noſtro qui utrique noſtrum in linea recta communis eſt, à quo utrinque tranſver-
ſim, & ad latus tranſcurrendum, & per communem hunc avum eundum, ut veram diſtantiam,
& cognationis gradum inveniamus, hoc modo: perſona mea, perſona patris, perſona avi
(qui nos omnes generavit) perſona patrui (per quem deſcendendo ad perſonam patruelis mei
pervenio) & perſona patruelis mei ſunt quinque, una dempta manent quatuor, ergo quatuor
gradus, atque adeo quarto gradu nos invicem diſtamus. Idem judicium ex eadem regula de
cæteris eſt.

Utra autem computatio alteri præferenda ſit? quamvis ex receptiori doctrina civilem Ca- 13
nonicæ prævalere ſatis conſtet, quum tamen in Gallia, Hiſpania, Italia, atque interjacentibus
regionibus pontificiæ relligioni ut plurimum addicti ſint, de eo dubium non eſt quin ibidem
etiam jus pontificium, atque etiam computationem Canonicam ſequantur. Quod etiam per to-
tam fere Germaniam & in terris imperii pontifici relligioni quam minime addictis in cauſis
mere ſpiritualibus, ut ſunt matrimoniales, præſcriptionum, uſurariæ, ſequuntur; cæterum in
ſucceſſionibus cæteriſque cauſis non concernentibus ſpirituale peccatum, computatio juris civi-
lis obtinet, teſte Georg. Schultz *ad tit. Inſtit. De Gradib. cognat. littera A. verſ. hinc perplexa:*
poſt Schneiduin. *ad tit. Inſt. de Nupt. Rubric. De Arbore conſanguinitatis num.* 10. *& de arbore civili num.* 1. & Carpzov. *defin. conſiſtorial. lib. 2. tit. 5. defin.* 78. *& defin.* 85. In Belgio autem
inter Reformatos tam in cauſa matrimoniali quam ſucceſſionum jure indiſtincte computatio civi-
lis obtinet, Grot. *Introd. lib. 1. cap. 5. verſ.* **Alle mondigen.** & *lib. 1. cap.* 27. Groeneweg.
De leg. abrog. ad Rubric. ff. De Gradib. & Affinib.

Hactenus de cognatione quæ ex ſanguine, ea autem quæ ex nuptiis provenit, dicitur affini-
tas, quæ ita dicta eſt, quod duæ cognationes diverſæ copulentur, & una ad alterius cognationis
fines accedat, *l. 4. §. 3. ff. de gradib. & affinib.* Eſtque inter maritum duntaxat, & cognatos uxo-
ris, itemque inter uxorem & cognatos mariti, non autem inter cognatos mariti & cognatos
uxoris inter ſe, *d. l. 4. §. 3.* Sic ut inter duarum ſororum maritos, duorumve fratrum uxores,
nulla inter ſe ſit affinitas, quemadmodum nec inter me, & uxoris meæ fratris uxorem, aut uxoris
meæ patrui uxorem, inter quos ſecundum affinitatis gradum intercedere quidam ſomniant, quod
tamen nulla lege aut ratione probari poteſt, quam ob rem & inter eos juſtas conſiſtere nuptias ſuo
loco defendimus. Neque inter virum & uxorem proprie eſt affinitas, etſi ab iis oriatur affinitas, 14
ut ex Theophilo *& Gloſſ. in §. 6. Inſtit. de Nupt.* & alios ibi citatos notat Treutler. *vol. 2. diſp. 6. theſ. 3. in Not. litt. A.* Unde & duos fratres duas ſorores in matrimonio habere poſſunt, & ma-
riti filium ex uxore alia novercæ ſuæ filiam ex marito alio ducere poſſe probat, ibid. *arg. §. 8. Inſt. eod. junct. l. 34. §. 2. ff. de Nupt. & l. 134. ff. de Verb. oblig.* Quod probe diſtinguendum, ut
communis loquendi error detegatur, quo vulgo duarum ſororum mariti, duorumve fratrum uxo-
res, qui non niſi affinium tantum mariti, aut uxores ſunt, neque vere inter ſe affines dici poſſunt,
quod neque mariti, nec uxoris alterutrius ſint cognati, tamen affines ſe invicem nominent, quod
& magni nominis Juriſconſultos in manifeſtum errorem induxit, jam olim a Georgio Haloandro

repte-

reprehenſi. Cujus pro reſtitutione tituli, *De Gradibus & Affinibus*, qui vulgariter de Gradibus adfinium indigetabatur, verba hic apponere lubet. *Ex horum grege*, inquit, *cum à cordato, & apprime docto viro, quidam inſigniter ſtupidus, ſua tamen opinione doctiſſimus, de tam petulanti calumnia admoneretur, & ferociter reclamanti objectum fuiſſet*, titulum, de gradibus & affinibus *in vulgatis Digeſtorum libris mendoſiſſime de gradibus adfinitatis inſcribi, quum nulli ſint adfinitatis gradus, expreſſis verbis in eodem tractatu id ipſum teſtante; Juriſconſulto, maluit pro ſua ſive pertinacia, ſive ſtupore potius inter adfines gradus contra Juriſconſultum admittere, quam quadam in Jure Civili à librariis depravata. Sed facile horum importunitatem convincet ipſius rei veritas.* Hactenus ille. Sed ut ad objecti ſcrupulum, quem ſibi fingunt, quod ſentio, reſpondeam, interpretanda nobis veniunt priora verba *l. 10. ff. de Gradib. & Affinib.* Ubi contra *d. l. 4. §. 5. ff. eod.* ubi dixerat Modeſtinus, adfinitatis gradus nullos eſſe, è contra Juriſconſultus Paulus reſpondiſſe videtur: Juriſconſultum cognatorum *gradus*, & adfinium noſſe debere. Cui cum cæteris reſpondere poteram, *gradus* verbum hic improprie ſumi, ſicuti eadem tranſlatio in aliis rebus uſurpari ſolet, quomodo dicuntur gradus heredum, pœnarum, honoris, & dignitatis. Aut, quod veritati magis convenit, pro *adfinium*, legendum eſſe *adfines*: Sed probabilior mihi illa reſponſio viſa eſt, quam miror, à nemine hactenus obſervatam: in hac *lege* 10. librariorum incuria, verbum intermiſſum eſſe, adeoque textum in hunc modum eſſe legendum: *Juriſconſultus cognatatorum gradus, & adfinium* nomina *noſſe debet.* Quod, ſi non alias, & tituli & ipſius *legis* 10. eadem inſcriptio ſatis evincit, quæ, *De Gradibus* eſt, (cognatorum ſcilicet) & *adfinibus, & nominibus eorum*, non de gradibus eorum, qui nulli ſunt. Quo facit, quod paſſim de nominibus affinium, nuſquam de gradibus in toto hoc titulo agatur, quod exprimit *§. 4. l. 4. ff. eod.* ubi notanter: *nomina eorum hac ſunt.*

Gradus autem affinitatis diſtincti non ſunt, *l. 4. §. 5. ff. De Gradib. & affin.* ſed conveniunt cum iis qui ſunt inter cognatos.

Atque ita parentum loco ſunt, Socer, Socrus Vitricus, Noverca, Proſocer, Proſocrus. Liberorum loco ſunt gener, nurus, progener, pronurus. Fratrum vero & ſororum loco ſunt levir mariti frater: Glos mariti ſoror: Sororius ſororis maritus, fratria fratris uxor.

Extranei ſunt omnes à nobis alieni, & nulla cognatione vel affinitate conjuncti. *l. 6. ff. De ventr. inſpiciend. l. cum in antiquioribus 19. Cod. De Jure deliberandi.*

Cap. VI.

De Jure & Differentiis Eccleſiaſticorum, & Secularium, Municipum & Forenſium, & de Muneribus & Honoribus.

Summaria.

1. *Eccleſiaſticorum privilegia, qua, & quatenus recepta?*
2. *In Belgio.*
3. *In Germania.*
4. *Seculares alii, municipes, originarii, aut incola, alii forenſes.*
5. *Originarii qui?*
6. *An ducens originarii civis filiam, eodem Jure gaudeat?*
7. *Qua ſit inter Originarios, & incolas Juris differentia?*
8. *Qua circa munera & honores? & de Decurionibus quatenus moribus conveniunt.*

Ratione vitæ & conditionis homines ſunt Eccleſiaſtici, aut Seculares, Municipes, aut Forenſes, *Cod. 1. 11. 111. De Sacroſanctis Eccleſiis, & De Epiſcopis & Clericis, &c.*
Patricii aut Plebeji. Quorum Eccleſiaſtici quidem multis privilegiis & immunitatibus ipſo
jure gaudent, de quibus in *l. 4. 5. 7. 8. 10. 11. 12. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. auth. item nulla,*
1 *& auth. Statuimus, Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Inter quæ præcipua quidem ſunt immunitates à
muneribus publicis, & exactionibus tributorum, quibus & Pontifices Romani ſucceſſu temporis multa addiderunt, ut videre eſt *in cap. Non minus 4. cap. Adverſus 7.* & paſſim *tot. tit. extra De immunitat. Eccleſiar. & cap. Clerici. De Judic. cap. Si diligenti. cap. Significaſti. De foro competenti*, & paſſim. Et præter ſingulares immunitates etiam privilegium fori Eccleſiaſtici & propriæ Juriſdictionis tam in criminalibus quam civilibus cauſis ipſis indultum eſt.

2 Sed poſtquam tumultibus Belgicis ſupervenientibus, Monaſteriis aliiſque ædibus ſacris devaſtatis, altaribus dirutis, bonis Eccleſiaſticis in fiſcum redactis, ipſa religio ab erroribus purgata, &

ad

ad antiquam normam fuerit reformata, totum eccleſiaſticum regimen in Hollandia vicinisque Regionibus immutatum eſt; ita ut ne veſtigia quidem tantorum privilegiorum, & immunitatum totiusque inſuper Eccleſiaſtici reginimis apud Reformatos remanſerint; exceptis ſolum Xenodochiis, quibus advenæ ægroti, inopes, debiles, aliique invalidi, neceſſarium victum ſibi parare nequeuntes, hoſpitio excipiuntur, Orphanotrophiis, quibus parentibus deſtituti minores ſuſtentantur atque educantur, Ptochotrophiis quibus pauperes & mendici excipiuntur, Noſocomiis quibus valetudinarii, & Gerontocomiis, quibus ſenes decrepiti curæ ſunt, aliiſque pauperum ædibus & collegiis, de quibus in *l. illud* 19. *& l. ſancimus* 22. *Cod. De Sacroſanct. Eccleſ. & l. ſi quis* 49. *Cod. De Epiſcop. & Cleric.* quæ etiamnum impoſitionum aliiſque immunitatibus gaudent. Sic ut Paſtores noſtri, aliique Eccleſiarum Miniſtri, & Perſonæ Eccleſiaſticæ, nec fori privilegio, aut juriſdictione, niſi in cauſis mere ſpiritualibus, nec ullis immunitatibus aut privilegiis, extra ſeculares alios gaudent. In Friſia tamen etiamnum verbi divini miniſtros fori privilegio gaudere refert Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib.* 1. *tit.* 1. *defin.* 1.

Præterquam quod in Germania Auguſtanam confeſſionem ſequentibus, Eccleſiæ Miniſtris, 3 earundem immunitatum quædam permanſerint ſimulachra, quæ enumerantur fere in *Ordinat. Eccleſiaſtic. Elector. Saxon. tit. De immunitat. Miniſtror. Eccleſ.* Ut ſunt, immunitas metatorum, id eſt hoſpitiorum, quæ ſupervenientibus militibus præbentur, jus decimarum, potus à collectis liber, honoraria funebria, matrimonialia, miſſalia, & reliqua accidentalia ſtipendia, & ſalaria. De quibus Carpzov. *Juriſprud. Eccleſiaſtic. ſive Conſiſtorial. lib.* 1. *tit.* 7. *per tot.*

D. L. I. Cod. R. xxviii. & xxxix *Ad Municipalem & de Incolis.*

Seculares iterum ſunt Municipes aut Forenſes. Municipes ſunt cujuſque civitatis cives, *l.* 1. *§.* 1. 4 *ff. ad Municipal.* Quorum alii iterum ſunt originarii & in ipſo Municipio nati, *l.* 228. *ff. De Verbor. Significat.* quos nativitas, ſive origo Municipes facit, *l.* 1. *in pr & §.* 2. *ff. ad Municipal.* Alii incolæ qui domicilium tantum in Municipio habent, *l.* 7. *Cod. De Incolis*, *l.* 239. *§.* 2. *ff. De Verb. ſignific.*

Et quidem originarii Cives ſunt non tantum qui aut quorum parentes in ipſo Municipio nati 5 ſunt, & ibi fixum domicilium habent, *d. l.* 1. *ff. ad Municipal.* ſed etiam illi qui in ſuburbiis, locis, ædificiiſque Urbi connexis, & quaſi cohærentibus degunt. Romæ enim fieri dicitur non tantum quod intra muros, ſed etiam quod extra muros intra continentia fit, *l.* 87. *ff. De Verbor. ſignificat. junct. l.* 1. *§. apud Labeonem. ff. De Aq. pluv arcend. & l.* 99. *§.* 1. *ff. de Verbor. ſignific.* Vide Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 19. *definit.* 17. *num.* 3. Cardin. Tuſch. *practicab. concluſ. tom.* 1. *lit.* C. *concl.* 274. *num.* 30.

Sed & quorundam Statutis & moribus ducens in uxorem filiam Civis originarii eo ipſo etiam 6 Civis efficitur. Qualia Statuta cum cauſæ ſint, nec ſub nomine alicujus certæ perſonæ reſtringantur, etiam ad heredes & ſucceſſores porriguntur, ſic ut & inde progeniti, licet in ipſo municipio nati non ſint, pro civibus Originariis etiam habeantur, ut *arg. l. privilegia quadam.* 196. *ff. De Reg. Jur.* de ſimili ſtatuto Hiſpalenſi dicta *Sivilæ* recte notat Gomez. Leonius *deciſ.* 89.

Inter Originarios & incolas ea juris differentia fuit quod Originarii cives ad munera publica 7 ſubeunda compellerentur, *l.* 6. *l.* 22. *§.* 2. *ff. ad municipal.* ſub pœna damni reipub, dari, *l.* 11. *in pr. ff. eod.* ſive illa eſſent munera perſonalia, quæ labore & ſollicitudine animi geruntur, ſive realia, quæ cum ſumtu expediuntur, *l.* 1. *in pr. & §.* 1. *& ſeqq. l.* 18. *in pr. §.* 1. *& ſeqq. ff. eod.* quibus quoque tenebantur licet alibi domicilium tranſpoſuerant, *l.* 6. *§.* 1. *ff. ad municipalem.* Sed quemadmodum incommoda atque onera municipalia ſuſtinebant, ita etiam omnibus beneficiis & honoribus municipii gaudebant, quorum incolæ tantum, ſic ut munerum municipalium, ita nec honorum aut benificiorum participes erant, niſi quod ſubinde ratione domicilii, etiam muneribus quibuſdam minoribus adſtricti fuerint, ſic ut ad plurium locorum munera indictiones & præſtationes vocari poſſint, qui è loco originis domicilium ſuum tranſtulerant, *l.* 29. *ff. ad municipal.* Quod tamen moribus receptum non eſt, quibus hujuſmodi præſtationes perſonales ſunt, & domicilium perſonamque ſequuntur, neque extra domicilium quis perſonalibus oneribus ſubjici poteſt. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. De incol.* Andr. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 38. *num.* 6. 7. Argentr. *ad conſuetud. Brittan. art.* 9. *not.* 1. *num.* 3. Ne tamen quis ſe per dominii tranſlationem muneribus publicis ſubtrahat, aut imperfecto munere incolatui renunciet, *l.* 34. *ff. Ad municipal.* Multis locis ſtatutum & conſuetudine receptum eſt, ut is qui civitatem deſerit, ut publicis oneribus ſe ſubtrahat, decimam aliamve de mobilibus bonis partem civitati penſitare cogatur, Flandris *Iſſuë.* Vide Chriſtin. *vol.* 5. *deciſ.* 31. *num.* 16. Andr. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 35. *num.* 9. *& obſerv.* 36. *num.* 10. Quod tamen in Hollandia non præſtatur niſi in iis civitatibus, quibus, & quatenus tale privilegium à principibus eſt conceſſum, quæ varia exſtant. Quale civitati Leydenſi datum 13. *Julii* 1495.

1493. *&* 3. *Novemb.* 1525. à Carolo V. per formam edicti prohibitorii confirmatum 14. *Novemb.* 1542. & civitati Delphenſi ab eodem Carolo 27. *Martii* 1545. conceſſum eſt.

8 Ad munera vero & honores quod attinet, ea etiamnum excluſis penitus exteris, originariis tantum civibus ut plurimum conceduntur. Quæ inter leges, quibus Hollandiæ Comites olim adſtricti erant, hæc fuit præcipua; Ne munera Senatoria, Quæſtoria, Prætoria, aliaque, aliis quam indigenis mandentur. Vide Merul. *prax. civil. Holland. lib.* 4. *tit.* 9. *cap.* 1. Chriſtin. *vol.* 5. *deciſ.* 35. *num.* 13. In quibus tamen jus vetus in tantum coarctatum ſcribit Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 13. ut ea vix locum habeant niſi contra eos qui noſtræ Regionis inquilinos muneribus ſuis excludunt. Quod ex *Caroli V. edicto*, 17. *Maii*, *Anni* 1555. obſervaſſe videtur. Quo cautum inter cætera de nemine ex alia regione ubi Batavi à muneribus publicis excluduntur oriundo, ad dignitates & munera in hiſce regionibus vacantia, admittendo. Quod quum tractu temporis magis atque magis contra Originarios harum provinciarum traheretur, eoque Hiſpani, quod quaſi unius dominii imperio pareant, ac proinde noſtros à muneribus publicis nullibi palam excludant, potioribus provinciæ noſtræ dignitatibus atque honoribus, ipſis etiam Originariis præferri cœperint, contra regiminis noſtri expreſſas leges & privilegia in eam rem à retro Principibus conceſſa, maximam illud inter cætera cauſam præbuit, quod 26. *Iulii* 1581. dominatui Philippi Hiſpaniarum Regis palam fuerit renunciatum. Quo jus Originarium in uſum iterum revocatum, & hactenus contra exteros obſervatum eſt, quo facit text. in *l. in Eccl. ſ.* 11. *Cod. De Epiſcop. & Cleric. & ibi DD.* & poſt omnes Lucas de Penna in *l. quiſquis* 6. *Cod. De omni agro deſerto.* Quod etiam in conſtitutionibus Regiis Hiſpaniæ expreſſe cautum refert Alphonz. de Azevedo *ad Conſtitut. Reg. Hiſpan. lib.* 1. *tit.* 3. *l.* 14. Ubi idem obtinere refert apud Gallos in regno Franciæ, quibus nullus alienigena ibidem aliquod beneficium habere poteſt. Idemque in Ducatu Britanniæ, Bononienſi, & Burdigalenſi obſervatur, teſte Barbat. *Conſil.* 23. *col.* 6. *& conſil.* 57. *in princip. vol.* 1. & Boër. *deciſ.* 13. *num.* 18. 19. 20. Diſtinguuntur Jure Romano munera & honores in magiſtratus Juridicos, quibus Juris & Juſtitiæ adminiſtrandæ cura demandata eſt, de quibus ſuo loco, & Politicos quibus incumbit Rempublicam adminiſtrare *l.* 2. *§.* 1. *l.* 8. *l.* 17. *§.* 7. *ff. ad Municipal.* Qui iterum in ſuas claſſes diſtinguuntur. Quorum hi qui Decuriones appellabantur, (ab eo quod ab initio quum coloniæ deducerentur decima pars eorum qui ducerentur conſilii publici gratia conſcribi ſolita ſit *l.* 239. *§.* 5. *ff. de Verb. Signif.*) velut Seminarium erant cunctorum honorum municipalium. Quibus per omnia fere conveniunt Seniores noſtri, qui in omnibus fere civitatibus quibuſdam XXIV. quibuſdam XXVII. quibuſdam XXXVI. & quibuſdam XL. membrorum Reipublicæ adminiſtrationi præſunt, ex quorum decretis non tantum rei municipalis, ſed & totius Reipublicæ gubernandæ adminiſtratio dependet, qui ad ſingula quæ in DD. Ordinum Comitiis, ubi ſuos tranſmittunt delegatos, peragenda occurrunt, omnium ſuffragio per deputatos ſuos reſpondent. Quemadmodum apud Romanos proviſum fuit ne iis facultates deficerent. *l.* 1. *Cod. de prædiis decurionum ſine decreto.* Ita apud nos pleriſque fere civitatibus juramento obſtringuntur, ut non niſi ditiores ac potiores in ſuum ordinem eligant *arg. l.* 6. 7. 11. *ff. de decurionib. l.* 45. *Cod. eod.* Ex his plerumque Conſules, Scabini & reliqui majores magiſtratus creari ſolent, & velut olim, ne deeſſent qui munera publica obirent, nemo munus illud retrectare ullo modo poterat, ſed & eorum liberi curiæ muneribus obnoxii erant, ut defuncti parentis locum in decurionatus munere implerent. *l.* 1. *ff. de decurion. l.* 35. *l.* 48. *& ſeq. l.* 54. *Cod. eod. l. unic. Cod. Si Curialis relicta Civitate.* Ita moribus noſtris conſtitutum eſt, ut nemo in decurionatus ordinem electus, munus illud declinare poſſit, ſed quoad vixerit illi ſit obſtrictus, & in omni bene conſtituta civitate ita conſtitutum eſt, ut eorundem liberi poſt mortem parentem ſuorum in eundem ordinem eligantur, multiſque Hollandiæ Civitatum ſtatutis cautum reperitur, ut nemo ſub decimæ bonorum ſuorum confiſcationis partis mulcta, pro evitando publico ſibi injuncto munere foras migret, illudve quovis modo declinet. Unde hunc titulum non adeo à moribus noſtris alienum eſſe, cenſeo, quam quidam ſcribunt. Hujus Ordinis accuratam deſcriptionem vide apud Gudelin. *de Jure Noviſſimo lib.* 5. *cap.* 7. & Chriſtin. *deciſ. Belgicar. tom.* 5. *deciſ.* 24. Cooptati in eum ordinem, eo munere quoad in vivis ſunt fruuntur, apud nos contra *l.* 3. *Cod. qui ætate vel profeſſione ſe excuſant.* quæ majores quinquaginta quinque annis invitos ad munera perſonalia vocari non poſſe præcipit. Ubi pro quinquaginta quinque, ſeptuaginta legi communiter volunt, inter quos etiam Cujacius, ut ſcilicet conveniat cum *l. unic. Cod. qui ætate ſe excuſant.* Quem tamen ita ſalvari malim, ut *d. l.* 3. ſpecialiter de munere decurionatus intelligenda ſit, quæ ætas à decurionatu excuſat per text. in *l.* 2. *§. ult. & l.* 11. *de decurionibus.* adeoque à *lege unica Cod. qui ætate.* excipiatur.

Cod. x. xxxi. *De Decurionibus.*

Cod. x. xxxvii. *Si curialis relicta civitate, eam habitare maluerit.*

Cod. x. xlix. *Qui ætate vel profeſſione ſe excuſant.*

Horum munus eſt adminiſtrare rempublicam, tributa exigere, & tractare pecuniam publicam *arg. l. 2. §. 1. l. 8. l. 17. §. 3. ff. ad Municipal.* Penes hæc ſola collegia deliberandi, conſulendi, ac decernendi de negotiis tam totius ditionis, quam urbis jus, poteſtaſque eſt. Ex his pleriſque apud nos quotannis eliguntur quatuorviri, aliis tres, quibuſdam etiam duo, Conſules dicti, quibus ſpecialis Civitatis ſuprema cura eſt, & ſeptemviri alii qui juridicundo præſunt, quorum omnium annuum munus eſt.

Cap. VII.

De Maribus & Fœminis, eorumque Juris differentia.

Summaria.

1. *Inter mares & fœminas ſexus differentia.*
2. *Pubertas utrum ex annis, an ex habitu corporis æſtimanda?*
3. *Quid moribus?*
4. *Maritorum in Uxores ſuas poteſtas jure veteri.*
5. *Apud Belgas & Gallos.*
6. *Nupta per ſe abſque mariti conſenſu nihil agit.*
7. *Exceptâ palam negotiante.*
8. *In Saxonia etiam innuptæ majorennes Curatoris conſenſu indigent.*

Ratione ſexus perſonarum diviſio eſt in mares & fœminas, quam ſexus differentia facit, & ut 1
plurimum ex naturalium paſſionum varietate procedere videtur, quæ aliæ ſunt in mare ac in fœmina: ut ſunt ea quæ ex naturæ frigiditate aut calore proveniunt. Unde evenit, ut fœmina quæ naturali calore & ſanguinis abundantia marem ſuperat, quæ ſecundum Phyſicos generationis proxima cauſa eſt, citius etiam pubeſcat; qua ratione duodecimus in fœminis, & decimus quartus in maſculis juſtus pubertatis annus reputatur, quo demum expleto nuptiæ illis permittuntur, *l. 24. Cod. de Nupt. l. 10. ff. De condit. & demonſtrat. pr. Inſtit. Quib. mod. tutel. finit.* De quo vide Macrob. *Saturnal. lib. 7. cap. 7. & in Somnium Scipionis lib. 1. cap. 6.* Quamvis moribus noſtris rarius hoc tempore, præſertim maſculi, matrimonio jungantur: Unde quidam volunt hoc negotium ab externo corporis habitu relinquendum eſſe arbitrio judicis, *arg. cap. puberes, extr. de deſponſat. Impub.* eo quod quidam natura citius quidam tardius pubeſcant.

De quo etiam inter veteres dubitatum fuit, utrum pubertas annis, an vero habitu corporis æſti- 2
manda eſſet, teſte Quintil. *Inſtit. Orator. lib. 4. cap. 2.* Proculianei eum puberem eſſe dicebant qui decimum quartum annum impleviſſet, Caſſiani pubertatem in maſculis ex ſolo habitu corporis æſtimabant. Quod quidam de turpi quadam & inhoneſta corporum inſpectione intellexerunt, de qua in *pr. Inſtit. Quib. mod. tutel. finit.* Quæ tamen quemadmodum apud Romanos nunquam in fœminis locum habuiſſe fatentur omnes, *arg. d. pr. inſtit. Quib. mod. tutel. finit.* ita nec in maſculis hujuſmodi quid uſitatum fuiſſe uſquam legimus, ut recte etiam monet Doctiſſim. Arnold. Vinn. *ad d. pr. Inſtit. quib. mod. tutel. finit. num. 2.* & poſt eum Jacob. Ouſeel, in *not. ad Caii Inſtitutiones lib. 1. tit. 6.* Quibus contra Hottomann. & Anthon. Matth. aſſentior, illud ipſum à Triboniano *d. loco* perperam eſſe confictum; ſic ut id quod in libris Juriſconſultorum, & apud Quintilianum *lib. 4. Inſtit. orat. 2.* ſuper ea re traditum eſt, non de turpi aliqua nudorum corporum inſpectione accipiendum ſit, ſed de externo tantum corporis aſpectu & vigore, *arg. l. 4. Cod. Qui teſtam. fac. poſſ.*

Cæterum hac in parte diſpoſitionem Juris civilis mores ubique fere ſervant, quæ etſi non in 3
omnes, in pleroſque tamen quadrat, & Medicorum Phyſicorumque auctoritate fulcitur. De Hollandiæ vicinarumque Regionum moribus ſatis conſtat ex Grot. *Manuduct. Juriſprud. Batav. lib. 1. cap. 5. circa pr.* Chriſtin. *volum. 3. deciſ. 128. num. 3.* In Gallia exſtat expreſſ. text. in *Cod. jur. civil. Roman. Gall. Henric. IV. lib. 1. tit. 3. cap. 3.* De jure Saxoniæ teſtatur Georg. Schultz poſt Schneiduinum, *ad pr. Inſtit. de Nupt.* Angliæ, *Reformat. leg. Henric. VIII. & Eduard. VI. tit. de matrimon. cap. 5.* In Ducatu tamen Pruſſiæ juſta & legitima reputatur ætas in fœminis 14. in maſculis 18. annorum. *Jur. Provinc. Ducat. Pruſſ. lib. 2. art. 5. §. 1. 3.* Vide porro Carpzov. *Juriſprud. conſiſtorial. lib. 2. tit. 1. defin. 12.* Quoad Juris differentiam, fœminæ quum earundem infirmum, ac fragile ſit conſilium, multis captionibus obnoxium, *l. 2. §. 2. ff. ad Senat. Velleian.* ab omnibus civilibus & publicis officiis removentur. Sic ut nec judices eſſe, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro aliis intervenire, nec procuratores exiſtere poſſint, *l. 2. ff. de Reg. Jur. l. 12. §. moribus. ff. de judic. l. 3. §. 3. ff.*

de

de muner. & honor. l. 61. §. 5. ff. de poſtul. l. 9. ff. de Stat. hom. l. 7. ff. de bon. poſſ.

4 Eadem quoque ratione mulier nupta propter imbecillitatem ſexus, & lubricum animi judicium, quarum contra propria commoda plerunque invenitur laborare conſilium. *l. 4. Cod. de Sponſalib.* in mariti incidit poteſtatem. Nicol. Burgund. *ad conſuetud. Flandr. tract. 1. num.* 23. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 9. art. 1. num.* 9. Quæ juris veteris Romani quoque ratio videtur fuiſſe, quo omnes mulieres ſub perpetua erant tutela, ut ex Ulpian. fragment. *Inſtit.* & Boër. *in Topic. Ciceron.* recte notat Cujac. *lib. 7. obſervat. cap.* 11. & *lib. 26. cap.* 33. & Mornac. *ad l. 1. ff. De fund. dot.*

5 Hæc poteſtas in uxorem moribus noſtris magna eſt & frequens, adeo ut omnium fere munici-
piorum leges & conſuetudines apud Belgas & Gallos, maritum uxorem habere in poteſtate ve-
lint, ejuſque eſſe veluti patrem atque tutorem: cujus poteſtatis hæc vis atque efficacia eſt, ut ma-
ritus pro uxore ſua in judicio agat, & conveniatur, uxoris ſuæ res alienet, & in iis liberam habeat
adminiſtrationem. Gudelin. *De Jure Noviſſ. lib. 1. cap. 7.* etiam earum quæ uxor extra commu-
nionem per pacta antenuptialia retinet. De quibus fuſius infra *cap.* 12. Neoſtad. *de pact. an-
tenupt. Obſerv.* 10. Radelant *Cur. Traject. Deciſ.* 21. Boër. *ad Conſtitut. Bitur. tit. 1. art.* 5. San-
de *lib. 1. tit. 2. defin.* 3. Atque adeo in æs alienum à marito ſtante matrimonio inſcia uxore con-
tractum quoque obligetur, & poſt mariti obitum pro dimidio conveniri poſſit. Grot. *Introd. lib. 1.
cap. 5. verſ.* **Upt kracht̃e** / Neoſtad. *de pact. antenupt. Obſerv.* 5. contra *tit. Cod. Ne uxor pro ma-*
6 *rito.* Et è contra mulier nupta per ſe abſque mariti conſenſu & auctoritate nihil prorſus agere poſ-
ſit, ſed contractus ab ea ſine mariti conſenſu initus, ipſo jure nullus ſit, Argentr. *ad. Conſuetud.
Brittann. art. 424. gl.* 1. Gomez. *ad leg. Tauri l. 54. & ſeq. num.* 7. Ferdinand. Vaſq. *lib. 4. con-
troverſ. cap.* 10. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 9. art. 4. num. 38. &* 39. Exceptâ palam negotiante,
7 quæ in his quæ ad negotiationem ſpectant ſe maritumque ſuum obligat. Grot. *lib. 1. cap. 6. num.* 37.
Chriſtin. *d. tit. 9. art.* 10. Joann. à Sande. *lib. 2. tit. 4. defin.* 4. Conſuetud. Antwerp. *cap.* 41.
art. 13. 34. 40. 42. 43. Gudelin. *loco ſupra citato.* Si tamen ab uxore inſcio marito utiliter quid
geſtum eſt, ſi maritus id ratum habere velit, ſubſiſtere nihil vetat, Argentr. *d. art. 424. gloſſ.* 1.
Quum enim conſenſus mariti non ſit de ſolemnitate, ſufficit ſi ex intervallo intercedat, & poſtea
maritus ratum habeat, quod à muliere geſtum eſt. Gomez. *d. loco* Vaſq. *d. lib. 4. cap. 11. num.* 3.
Herbaj. *d. cap. 13. §.* 18. Quomodo quoque à Friſiæ curia judicatum refert Joann. à Sande *lib. 2.
tit. 4. defin.* 3. Quo caſu mulier nupta, inſtar minorennis, ſe ipſam nemini, alios vero ſibi utiliter
obligare poſſit, ſi modo maritus id ratum habeat. Similique modo ſi quid ad communem familiæ
ſuſtentationem mulieri creditum fuerit, in id maritus tenetur. *arg. l. 33. l. 78. §. 2. ff. de jur. dot.*
Prout etiam ab Hollandiæ curia aliquoties judicatum referunt. Vide tamen Anton. Fab. *ad Cod.
lib. 4. tit. 21. defin.* 8.

8 Jure Saxonico non tantum mulieres nuptæ ſub cura maritorum ſuorum ſunt, ſed & innuptæ, viduæ, vel virgines majorennes, contrahendo ſe obligare, vel in judicio comparere nequeunt, abſque curatore ad id electo. *Conſtit. elect. Saxon. part. 2. conſtit.* 15. Et ibi Moller. & Carpzov. late, Matth. Berlich. *part. 2. Concluſ.* 17. Quod & in Gelria, Tranſiſulania & vicinis Provinciis in viridi obſervantia eſſe ſcribit Jann. à Sande *lib. 2. tit. 4. defin.* 3. & poſt eum Lambert. Goris *Adverſ. jur. tract. 3. partic. 2. cap.* 6. Et in Hollandia moribus antiquis receptum, nunc iterum in deſuetudinem abiiſſe, ac proinde nullius eſſe neceſſitatis teſtatur Grot. *Introd. ad Juriſprudent. Holland. lib. 1. cap. 4. in fin.* Niſi quod in Boreali Hollandia priſtini moris aliqua adhuc ſuperſint veſtigia, ut ex variis contractibus ſibi exhibitis teſtatur Wilhelmus Grot. *Iſagog. ad prax. fori Batav. lib. 1. cap.* 2.

Cap. VIII.

De majoribus, & minoribus viginti quinque annis.

Summaria.

1. *Puberes, & Impuberes qui ſint?*
2. *Majores qui, & quomodo diſtinguendi?*
3. *Senes qui, & quando à munere publico excuſentur?*
4. *Minores qui, & quæ ſit eorum legitima ætas, qua majores & ſui juris efficiuntur, & quid moribus?*
5. *Annus cœptus pro completo, an & quando intelligatur?*

1 Ratione ætatis alii ſunt Puberes, alii Impuberes. *D. 1. tit. De Vacatione & excuſatione munerum.*

Puberes ſunt maſculi 14. & fœminæ 12. annis majores. *pr. Inſtit. quib. mod. tut. fin.*

Im-

Impuberes ſunt iiſdem annis minores, tam maſculi, quam fœminæ. Qui iterum ſunt infantes, minores ſeptem annis. *l.* 18. *Cod. de Jure delib.* qui nihil agere vel intelligere in Jure dicuntur. *l.* 53. *ff. de Reg. Jur. l.* 14. *ff. de Sponſalib.* aut infantiæ, aut pubertati proximi, qui ſtatus, quum alii tardioris, alii præcocioris ſint ingenii, ac judicii, niſi in certis caſibus Jure definitus non eſt, ac proinde judicis arbitrio committendus. *arg. l.* 1. *in fin. ff. de Jure delib.* Præſertim in delictis, & in his ubi de dolo agitur, an & quatenus ſint doli capaces, quam quæſtionem vid. infra. *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 17.

Pubertas alia eſt plena in maſculis 18. in fœminis 24. annorum *§.* 4. *Inſtit. de Adopt. l.* 49. *§.* 1. *ff. eod. §. ult. Inſtit. Quib. manumitt. lic. l.* 1. *§.* 3. *ff. de poſtul.* Alia vulgaris in maſculis 14. in fœminis 12. annorum. *pr. Inſtit. Quib. mod. tut. finit. l. ult. Cod. Quando tut. eſſe deſin.*

Puberes iterum alii ſunt majores, alii minores.

Majores alii ſunt ſenes, alii nondum ſenes. 2

Senectutis autem initium non ſemper eſt certum, ac proinde judicis moderationi relinquendum, niſi in his ubi lex eam ſpecialiter determinat, ut *in §.* 13. *Inſtit. De Excuſat. tutor.* ubi ſeptuagenarius à tutelari onere ſuſcipienda, *& l.* 2. *ff. De vacat. muner. l.* 3. *ff. De jure immunitatis. l.* 3. *§.* 6. *&* 12. *ff. De munerib. & honorib.* ubi à muneribus civilibus & perſonalibus præſtationibus excuſatur. Quod mores ubique fere ſervant, & in his jus civile ſequuntur, 3
Chriſtin. *vol.* 5. *deciſ.* 49. *num.* 5. præterquam in decurionatus aut curialis munere, quod non aſperum aut ſervile, ut apud Romanos, ſed Politici Regiminis præcipuum apud nos conſtituit collegium, cui ſumma Reipublicæ cura commiſſa eſt, ac proinde quum ſeniores res univerſitatis optime ſcire præſumantur, non quinquaginta quinque annis majores ab eo munere excuſantur, ut in *l. ult. Cod. Qui ætate vel profeſſione ſe excuſant.* Sed quoad in vivis ſunt ut plurimum eo munere funguntur.

D. tit. De minoribus. Minores ſunt omnes qui viceſimum quintum annum nondum expleverint, ſive mares ſint ſive 4
fœminæ, *d. tit. ff. de minoribus.* quod Hollandiæ moribus velut jus commune ubique locorum frequens eſt, ut illa legitima minorum ætas ſit, quæ propriæ ſuæ curæ committuntur. Ut ſonant fere rerum pupillarium leges, municipales omnes, & tradunt Damhoud. in *Patrocinio pupillor. tom.* 1. Montan. *tract. De tutel. cap.* 37. *num.* 86. Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 7. *in pr.* Chriſtin. *voll.* 3. *deciſ.* 148. *num.* 14. *& ad leg. Mechlin. tit.* 19. *art.* 27. Quod & in Gallia uſitatum eſſe refert Caſpar. Roderic. *tract. de Annuis reditibus, lib.* 2. *quæſt.* 15. *num.* 17.

Et de Germaniæ moribus idem teſtatur Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 96. *num.* 1. præterquam quod jure Saxonico major quis efficitur vigeſimo primo anno completo. Conſtitut. Elect. *lib.* 2. *art.* 42. Carpzov. *definit. forenſ. part.* 2. *conſtit.* 11. *defin.* 9. Ut & jure Bavarico, ubi tam maſculi quam fœminæ adimpleto vigeſimo primo anno fiunt majorennes, & quoad omnia pro majoribus habentur, Joann. Franciſ. Balthaſar. *Reſolut. Juris civil. & Bavar. tit.* 5. *reſolut.* 5. *num.* 26. *in fin.* Ut & apud Bituricenſes, teſte Nicol. Boërio, *deciſ.* 350. *num.* 4. & inter Gallos nobiles obtinere refert Andr. Tiraquil. *de Nobilitate cap.* 20. *num.* 41. Et Florentiæ ſtatuto annus vigeſimus pro legitimo determinatus eſt, referente eod. Boër. *d. loco.*

In Regno Siciliæ & Neapolitano poſt 28. annum ſui juris efficiuntur. Matth. de Afflict. *in conſtitut. Regn. lib.* 2. *rubric.* 38. *num.* 14. Robert. Maranth. *de Ordine Iudicior. part.* 6. *art.* 2.

Et in imperio Romano Germanico, Electores decimo octavo anno ſui juris fiunt, & non tantum Electores, ſed & Ducatus & Principatus adminiſtratores fiunt. Aur. Bull. Carol. IV. *cap.* 7. *&* 20. Quo facit conſtitutio Caroli V. in cauſis Rupertorum prolata anno 1556. Quod quidem 5
ſtricte intelligendum eſt de decimo octavo anno completo. Quamvis enim in honoribus & muneribus Reipublicæ ſubeundis, & in aliis favorabilibus annus cæptus pro completo haberi ſoleat, *l. ad rempublicam.* 8. *ff. de munerib. & honor. & l.* 74. *§.* 2. *ff. ad Senatuſconſult. Trebell.* Ex tenore tamen dictæ Aureæ Bullæ aliud dicendum eſt, quæ decimum octavum annum completum deſiderat, his verbis *quam in Principe Electore decem & octo annos completos cenſeri volumus.* Quod & de quavis alia legitima minorennium ætate dicendum mores & leges municipales ubique fere probant, quibus nuſquam fere annus cœptus pro completo habetur, ſed conſtitutum tempus completum expreſſe deſideratur; *arg. pr. inſtit. De Curatoribus.* Quod adeo inibi verum eſt, ut extremum momentum elapſum eſſe oporteat, *l.* 3. *§.* 3. *ff. de minorib.*

CAP.

Cap. IX.

De Patria Poteſtate.

Summaria.

1. *Pater aut filius familias quis dicatur.*
2. *Patria poteſtas an, & quatenus uſitata?*
3. *Liberi qui, & quatenus in poteſtate parentum ſint?*
4. *Quænam parentum ſit poteſtas ac vis, circa conſenſum in contrahendis nuptiis liberorum, minorennium, majorennium, maſculorum, & fœminarum?*
5. *Circa auctoritatem in negotiis, & rebus acquirendis?*
6. *Quod liberi acquirunt, an, & quatenus patri cedat?*
7. *Quid circa Uſumfructum bonorum adventitiorum obtinet apud nos?*
8. *In Hiſpania, Bavaria, Saxonia, aliiſque Germaniæ Regionibus?*
9. *An, & quatenus per nuptias patria poteſtas ſolvatur, in Gallia, Hiſpania, Luſitania, Anglia, Italia, Bavaria?*
10. *An ad hoc etiam ſeparatio bonorum, menſæ & cohabitationis requiratur.*
11. *Separatio bonorum & menſa an, & quatenus emancipationem inducat?* & 15.
12. *An Jure Saxonico ad ſolas fœminas reſtringi, quidam recte velint.*
13. *Statutorum verba, quomodo interpretanda?*
14. *An viduus vel vidua minorennis iterum in patriam poteſtatem recidat?*
15. *Bonorum & menſa ſeparatione an & quatenus patria poteſtas ſolvatur?*
16. *Quæ ſit Majorennitas, & legitima minorum ætas.*
17. *An, & quatenus dignitas filii patriam poteſtatem ſolvat?*
18. *Mors, furor, & prodigalitas.*

1 RAtione Juris alii ſunt Patres familiarum, alii Filii familiarum.

Pater familias eſt, qui ſuæ poteſtatis eſt, ſive pubes ſit ſive impubes ſit. *l. 4. ff. De his qui ſui vel alien. Jur. ſunt.* Veluti emancipatus, *§. 6. Inſtit. Quib. mod. jus Patr. pot. ſolv.* Manumiſſus. *§. 1. Inſtit. de libertin.* Quicunque enim in dominica vel patria poteſtate non ſunt, ſui juris habentur, ſive illi ſint majores, ſive minores, ſive puberes, ſive impuberes. Hi vocantur Patresfamilias. *l. 1. junct. l. 4. ff. de his qui ſui vel alien. Jur.* Vid. Goedd. *ad l. 194. §. 3. ff. de Verb. Signific. num. 4. 5.* Inſt. I. IX. D. I. VI. *De his qui ſui vel al. Juris ſunt.*

Filiusfamilias eſt, qui in Patris poteſtate eſt. *d. l. 4. ff. de his qui ſui vel alien. jur.* ita dictus quod vivo quoque patre quodammodo dominus exiſtimetur. *§. 2. Inſtit. de hered. qualit. & differ.* propter continuationem ſcilicet dominii, in quod ut ſui heredes neceſſario ſuccedunt & familiæ quaſi caput ſunt. *l. 11. ff. de lib. & poſthum.* quod an & quatenus moribus obtineat, ut dicatur filius ergo heres vid. infra *lib. 3. cap.* 10.

Qui in dominorum poteſtate ſunt, ſervi ſunt, de quibus an & quatenus ad mores ſpectent vid. ſupra *cap.* 2.

2 Ad patriam poteſtatem quod attinet, tametſi illud jus quatenus Romanis peculiare fuit, magnopere noſtris & aliorum moribus imminutum eſt, ſuperſunt tamen ejus adhuc magna veſtigia, & nonnulli non inanes effectus. Adeo ut de non in totum abrogata apud nos patria poteſtate atteſtantibus potius ſit credendum, quam iis qui de jure ſuo diffidentes, eo ſolo conantur perſuadere iſtius juris abrogationem, quod quidam ejuſdem effectus hodie ceſſent, ut contra Accurſium recte notat Baro *ad tit. Inſt. de patr. poteſt.* & Matth. Berlich. *pract. conclus. 11. num. 3.* Inſtit. I. IX. & Cod. VIII. XLVII. *De Patria poteſtate.*

3 Ita etiamnum in poteſtate noſtra ſunt liberi noſtri ex juſtis nuptiis ſive ante ſive poſt matrimonium contractum procreati, *pr. Inſtit. De patr. poteſtat. l. 3. ff. De his qui ſui vel alien. jur. junct. §. ult. Inſtit. de Nupt.* Abrogata ea juris Romani differentia, qua liberi, quorum pater qui in poteſtate alterius eſt, in ejuſdem quoque poteſtate ſunt in cujus & pater eſt, niſi emancipentur, *d. §. ult. Inſt. De patr. poteſt. & l. 21. ff. Ad leg. Jul. De Adult.* Quum noſtris & aliorum moribus matrimonio patria poteſtas ſolvatur, & vel minores eo ipſo ſui juris efficiantur: ſic ut hodie in avi poteſtate non ſit nepos ex filio natus, Grot. *Introd. lib. 1. part. 6. num. 9. & part. 10. num. 13.* Gudelin. *De Jure Noviſſ. lib 1. cap. 13. circa fin.*

4 Hæc quum ita ſint à parte liberorum, quod ſcilicet per matrimonium à patria poteſtate eximantur; non immerito etiam pro patria juris auctoritate moribus introductum eſt, ut parentes abſolutam aut concedendi, aut abnuendi matrimonii liberorum ſuorum minorennium habeant poteſta-

Digitized by Google

teſtatem, abſque ulla emancipationis differentia, contra *l. 25. ff. De Ritu nupt.* In majorennibus vero etiam parentum conſenſus requiritur; ſed ita ut nudus eorum diſſenſus liberorum nuptiis impedimento non ſit, niſi ſubſit cauſa. Quod ubique fere obtinet. Ut latius ad *tit. De Nupt. & matrimon.* Circa quod tamen Hollandiæ mores inter filias & filios differentiam ſtatuunt, ut illa poteſtas in filiis 25. in filiabus vero 20. annis terminetur. Politic. Ordinat. Holland. *art. 3.*

Quæ ætatis quidem differentia inter maſculum & fœminam, quæ parentes abſque legitima denegandi cauſa, in liberorum ſuorum matrimonium conſentire compelluntur, ex pubertatis & ſexus differentia promanare videtur, quâ mulieres citius pubeſcunt quam maſculi, & propter imbecillitatem ſexus continentiæ dona quaſi non habeant ſic ut maſculi. Qua ratione etiam jure Romano patri incumbebat filiæ ſuo tempore honeſtam conditionem quærere & marito elocare. Quin ea 25. annum egreſſa ſine conſenſu patris nubere, *l. 19. ff. De ritu Nupt. & arg. l. ult. Cod. de Sponſalib.* & ſi fiat meretrix, & luxurioſum vitæ genus eligat poſt dictam ætatem a patre exheredari non poterit, per *l. ſi filiam 19. cum auth. ſeqq. Cod. de inoffic. teſtam.*

Quod quidem Italorum mores ſpectat, qui filiarum ſuarum paſſim ſuſpectam habent pudicitiam, eaſque in ædibus ſuis ſtricte cuſtodire, omnibuſque procis aditum præcludere ſolent. Sed moribus noſtris non convenit, quibus filias maritis copulare non ſolent parentes, cujus loco ſucceſſit ipſas filias adeundi, conveniendi, & honeſte ambiendi licentia, ita ut hodie parentum culpæ, aut negligentiæ non imputetur, ſi filiabus poſt vigeſimum ætatis annum honeſta nubendi conditio non ſit oblata, qua cœlibem adhuc agant vitam.

Patria poteſtas porro conſiſtit in modica liberorum caſtigatione: nam ſi graviorem animadverſionem res exigat, judici eos pater offerre debet, *l. 3. 4. Cod. De patr. poteſt.*

5 Præterea conſiſtit in auctoritate præſtanda, ſic ut filius familias ſine conſenſu patris ne quicquam polliceri, aut ſe contrahendo obligare, aut in judicio cum quoquam experiri poſſit, niſi in caſtrenſi peculio vel quaſi, in quibus pro patribusfamilias habentur, *§. 1. Inſtit. Per quas perſon.* Sed quod juſſu patris agunt filii, ex eo in patrem actio datur in ſolidum, *l. 1. ff. Quod juſſu, l. 1. ff. Quod cum eo qui in alien. poteſt.* Et in ſolidum tenetur parens, in cujus rem verſum eſt quod filius accepit, *l. 1. & tot. tit. ff. De in rem verſ.*

6 Patria poteſtas in iis quoque verſatur, quæ liberi, qui in poteſtate ſunt, acquirunt. Quod jure quidem civili hanc diſtinctionem recipit, ut ſi quid ex re patris eis obveniat (quod peculium profectitium appellari ſolet) totum parentibus acquiratur, *l. 6. Cod. de bonis quæ liberis, l. 79. ff. De acq. vel omitt. her. l. 45. de Verb. Obligat.* Sed ſi ex alia cauſa quid obveniat (quod peculium adventitium appellant) veluti ſi filio hereditas externe obveniat: hujus rei uſusfructus patri quidem acquiritur, dominium vero apud filium remanet, *d. l. 6. Cod. de bon. quæ lib. l. 1. 2. Cod. de bon. Matern. junct. l. 2. 3. 4. Cod. de bon. quæ lib.* Quod eatenus tantum moribus noſtris obtinet; ut is qui in poteſtate patris eſt, non ei totum acquirat, ſed id duntaxat quod ex jure ejus, operiſque quas ei præſtat, conſequitur, ut poſt Georg. Tholoſan. *Syntagm. jur. univerſ. lib. 11. cap. 8. num. 21.* notat Gudelin. *de Jure Noviſſim. lib. 1. cap. 13. in fin.* Vide quoque Everhard. *Conſil. 92. num. 2.* Sande *lib. 2. tit. 7. defin. 3.* Et hoc quidem ſub ea moderatione: ut ſi unus ex filiis labore ſuo & induſtriâ, rem patris præ cæteris multum auxerit, in diviſione paternæ hereditatis, reſpectu ejus boni viri arbitratu quid præcipuum ei debeatur. De quo vide Gutier. *de jur. confirm. part. 1. cap. 5. 6.* Gomez. *ad leg. Tauri 29. num. 24.* Chaſſan. *ad conſuetudin. Burgund. rub. 6. §. 2. gloſſ. (ne) num. 7.* Georg. Tholoſan. & Joann. à Sande *d. locis.*

7 Quod vero ad uſumfructum bonorum adventitiorum attinet, moribus noſtris patri non aliter competit, quam ad hoc, ut exinde alimenta liberorum ſuorum deducat, quum non teneatur alere filium, qui aliunde ſe exhibere poteſt, *l. 5. §. 7. ff. De agnoſcend. lib.* Grot. *Introd. Juriſp. Batav. lib. 1. cap. 9. num. 9. 10.* Quod ex eo ſupereſt in totum liberis cedit, iiſque reſervare debet pater, contra *l. 1. & tot. tit. Cod. De bon. matern. & tit. De bon. quæ lib.* Gudelin. *De Iure Noviſſim. lib. 1. cap. 13.* Chriſtin. vol. 1. *deciſ. 96. num. 21.* Quod & Statut. Antwerp. *tit. 36. art. 10.* cautum. Plures vid. apud Groeneweg. *ad §. 1. & 2. Inſtit. per quas perſon. cuique acq.*

8 In Hiſpania tamen, Bavaria, Saxonia, aliiſque Germaniæ Regionibus aliter ſeſe res habet, ubi fere jus ſcriptum hac in re ſervatur, ut in foro Saxonico, ubi de conſuetudine generali, tam in maternis quam reliquis liberorum bonis adventitiis patri uſusfructus competit, licet aliunde habeant liberi, quo ſe ſuſtentare poſſint, nec à patre alimenta petant. Non quidem ad tempus vitæ ſuæ, ut in *l. 1. 2. Cod. De bon. matern.* ſed eo uſque duntaxat, donec hi ab ipſo ſeparentur, & ex patria poteſtate liberentur. Matth. Coler. *part. 1. deciſ. 41. num. 3.* Hartmann. Piſtor. *obſervat. ſingular. 16. in pr.* Daniel Moller. *lib. 2. ſemeſtr. 26.* & poſt eos late Carpzov. *Juriſprud.*

Digitized by Google

prud. forenſ. part. 2. conſtit. 10. defin. 7. 8. Joann. Franciſ. Balthaſar *Reſolut. Jur. civil. & Bavarics tit. 3. reſolut. 3. num. 3.*

9 Solvitur patria poteſtas, primo per nuptias ſive matrimonium contractum, quo ipſo, quaſi voluntaria emancipatione, omnis patria poteſtas ſolvitur, & vel minores ſui juris efficiuntur, ut ſupra ex Grot. *Introd. lib. 1. part. 6. num. 9. & part. 10. num. 13.* & Gudelin. *De jure noviſſ. lib. 1. cap. 13.* oſtendimus, quibus adde Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 185. num. 7. & ad leg. Mechlin. tit. 9. art. 14. num. 7.* Sande *deciſ. Friſicat. lib. 2. tit. 7. defin. 5.* Zip. *Notit. Jur. Belg. tit. Ad Senatuſconſult. Macedon.* Quod apud omnes fere gentes Europæas per inveteratam hactenus conſuetudinem receptum eſt. Quemadmodum de conſuetudine Germaniæ teſtantur, Matth. Berlich. *Concluſ. practicab. part. 2. concluſ. 11. num. 34. & DD. ibi allegat.* Mav. *ad jus Lubecenſ. lib. 1. tit. 4. art. 5. in fin.* de Gallia Tiraquell. *De legib. Connubialib. ad leg. 1. part. 1. gloſſ. 1. num. 4. & 6.* Argentr. *ad Conſuetud. Brittann. art 499.* Boër. *ad Conſuetud. Biturig. tit. 1. §. 2. & deciſ. 197. num. 3.* Autumn. *Confer. du droict. ad tit. Cod. De Patria Poteſtate.* Imbert. *Enchirid. Jur. Gall. in verb. le fils eſt en la puiſſance du Pere.* Quod & in Hiſpania moris eſſe teſtatur Gutierez *lib. 2. practicab. concluſ. 9.* Gomez. *ad l. 47. Tauri num. 2.* Ferdinand. Vaſq. *De ſucceſ. progreſſu, §. 1. num. 34. & 43.* de Luſitania Pinell. *ad l. 1. §. 1. De bonis maternis, num. 34.* de Anglia Alber. Gentil. *De Nupt. lib. 1. cap. 4. in med.* Thom. Schmid. *De adminiſtrat. reipubl. Anglorum lib. 3. cap. 8. & ſeqq.* de Italia Anton. Hering. *De fide juſſorib. cap. 7. num. 621.*

Inſtit. 1. tit. 12. Quibus mod. jus Patr. Poteſt. ſolvatur.

10 Ad hoc quidam non ſufficere volunt, filium vel filiam ſolummodo matrimonium contraxiſſe, ſed copulative requiri, ut etiam ſeparatim habitent, ac propriam œconomiam inſtituere inceperint, ut fere ſonat conſtitutio juris Bavarici *tit. 3. art. 2.* Et innuere videtur ſtatutum Magdeburgenſe *art. 76.* Quod tam diu liberos in poteſtate patris eſſe jubet, quamdiu ipſius pane fruuntur. Quibus quidem præter ſtatuti aut conſtitutionis expreſſum textum non aſſentior: Quum ad hoc ſolus conſenſus parentum in contrahendis liberorum nuptiis neceſſarius ſufficere poſſit, in quo totum deciſionis poſuimus fundamentum & rationem finalem, cum quo ſeparatio foci aut œconomiæ, quæ per ſe tacitam quandam emancipationem conſtituit, ut modo dicemus, nihil habet commune. Quomodo etiam deciſum refert Carpzov. *defin. forenſ. part 2. conſtit. 10 defin. 2.* per matrimonium filiæ, patriam poteſtatem ſolvi, licet ea ædibus, menſaque patris adhuc fruatur, poſt Berlich. *concluſ. 11. num. 47.* eo quod ratio ob quam patria poteſtas, matrimonio contracto, diſſolvitur: non minus obtineat ſi filia elocata cum patre habitet, quam ſi ſeparatim vivat, *arg. l. 32. ff. ad leg. Aquil. & l. 108. ff. de Verb. oblig.* Et ratio quæ in ſeparatione bonorum & menſæ ponitur, per ſe efficiat modum emancipationis peculiarem.

Cod. viii. tit. xlix. De Emancipationibus.

11 Quomodo apud nos emancipationis modus per bonorum & menſæ ſeparationem; licet Jure Juſtinianeo incognitus, per inveteratam ubique locorum conſuetudinem utrobique receptus eſt, &
12 in eo omnium pene gentium mores conveniunt. Præterquam quod juris Saxonici interpretes de jure Saxonico illud tantum in fœminis procedere dicant, ut illæ quidem per matrimonium in poteſtatem mariti tranſeant, & proinde à nexibus patriæ poteſtatis liberentur, maſculi vero non utique; propterea quod ipſa conſtitutio Elector. Saxon. filiarum quidem, filiorum vero mentionem non faciat. Matth. Berlich. *practicab. Concluſ. 11. num. 49.* Carpzov. *defin. forenſ. part. 2. conſtit. 10. defin. 3.* Quod etiamſi ſtricto jure defendi poſſit, quod ſcilicet regulariter ſtatuta ad literam & prout jacent accipienda ſint, & non expreſſa ſtatutorum ratione, magis verba conſideranda ſint quam ipſa ratio, per text. *in l. 12. ff. Qui & à quibus manumiſſi.* Bald. *ad l. maximum vitium, 4. Cod. De lib. præterit. num. 15.* Alexand. *Conſil. 96. num. 2. vol. 6.* Bart. *in l. omnes populi 9. ff. de Iuſtit. & Iure, num. 54. 56.* Et ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debea-
13 mus, per *l. 64. §. 9. ff. ſolut. matrimon. & l. 3. ff. de offic. Præſidis.* Attamen quum ratio finalis & depoſitiva iſtius deciſionis ſit conſenſus nuptiis liberorum adhibitus, qui uſque dum liberi ſunt minorennes, meræ & liberæ voluntatis ſit, adeo ut parens ad id compelli non poſſit, majorennes vero vel alia ratione ſui juris efficiantur, differentiam illam juris quam illi volunt, non video.

14 Sed an viduus vel vidua minorennis diſſoluto matrimonio per quod à poteſtate patria exempti ſunt, iterum reincidat in patriam poteſtatem, quæſtionis fuit. Quod tamen deciſum, ut matrimonio ſoluto ſui juris maneant, nec in patris poteſtatem revertantur: propterea quod Politic. Ordinat. Holland. ubi de conſenſu parentum nuptiis liberorum adhibendo, quem præcipuum patriæ poteſtatis effectum eſſe diximus, eorum mentionem non faciat. Quod expreſſe cautum Ordinat. Eccleſiaſtic. *Genevenſi art. 5.* Ita late Tiraquell. *in legib. connubialib. gloſſ. 3. num. 12.* ubi inter alios citat Boër. *deciſ. 179.* qui dicit hanc opinionem ubique ſervari. Quod & de jure Saxonico defendit Daniel Moller. *ad conſtitut. Elector. Auguſt. part. 2. conſtit. 10. num. 7.* Propterea quod

jus

jus patriæ poteſtatis ſemel extinctum, reviviſcere non poſſit, *arg. l. 66. §. 1. ff. De Legat. 2. & l. 98. §. 8. ff. De ſolut.* Prout latius infra *tit. de Nupt. & tit. Quibus mod. tutel. finitur.* Ita deciſum pro obtinenda tutela Wilhelmi III. Principis Auriaci, ab Hollandiæ curia 30. Maji 1651. Quod Mater ejus vidua Wilhelmi II. licet minorennis adhuc, per matrimonium majorennis habita pro legitima filii ſui tutrice debuerit admitti. Ut late relatum à Leone Aitzema *Herſtelde Leeuw, pag. 348. & 362.* & poſt eum à Jacobo Heemskerk *Arcad. Batav. pag. 140.*

Secundus modus ſolvendæ patriæ poteſtatis, eſt ſeparatio, qua liberi ſe à ſuis parentibus ſepa- 15
rant, ſeparatim habitant, propriamque œconomiam & rem familiarem inſtituunt, quæ quidem jure civili incognita, proxime tamen ad veterem emancipationem accedere videtur, quæ quidem ſolemniter & coram magiſtratu fiebat, *§. 6. Inſtit. Quibus mod. jus patr. poteſt. ſolvat. junct. l. ult. Cod. de Emancipationib.* Unde inter juris Saxonici & Bavarici interpretes magna olim fuit controverſia, quibuſdam opinantibus quod ſimplex ſeparatio bonorum, & habitatio ſeorſim facta, aut propriæ œconomiæ ſimplex inſtitutio non ſufficeret, niſi illa fieret quoque coram & intercedente Magiſtratu, aut judice ordinario, eo quod illa ſeparatio habitationis & œconomiæ naturam quaſi emancipationis induat, atque in ejus locum ſurrogata ſit. Quod ut moribus & praxi noſtra invaluit, ſic & Jure Saxonico tandem obtinuit, quod ſcilicet ſimplex ſeparatio bonorum, & œconomiæ inducat exemptionem à patria poteſtate, etiamſi coram Magiſtratu facta non fuerit, Joann. Franciſc. Balthaſar. *Practicab. reſolut. Jur. Civil. & Bavarici tit. 3. reſolut. 3. num. 6.* Quod ab Auguſt. Elector. Saxon. expreſſa Sanctione confirmatum refert Matth. Berlich. *concluſ. Practicab. 11. num 26.* qua conſtituit, ut quam primum liberi ſe à ſuis patribus ſeparant, ſeparatim habitant, propriamque œconomiam inſtituunt, pro emancipatis, & patria poteſtate exemtis habeantur, quantumvis ſeparatio illa in judicio facta non ſit. De Moribus noſtris teſtantur Grot. *Introd. Juriſprud. Batav. lib. 1. cap. 6. num. 10. 11.* Chriſtin. *volum. 4. deciſ. 186. num. 11.* Conſuetudin. Antwerp. *tit. 43. art. 73.* Quibus tamen addo, ut illa ſeparatio & nova œconomiæ inſtitutio fiat, conſentiente, aut ad minimum ſciente, & permittente patre, quum pater invitus non teneatur filium emancipare, *l. non poteſt, 31. ff. De Adoptionibus, l. pen. in fin. ff. unde liberi, §. 10. Inſtit. quib. mod. jus patr. pot.*

Tertius ſolvendæ patriæ poteſtatis modus eſt majorennitas, & legitima ætas, qua quis ſuæ cu- 16
ræ committitur, quæ pleriſque eſt viginti quinque annorum, præterquam in Germania, ubi vigeſimo primo anno completo, majores & ſui juris fiunt, & nonnullis decimo octavo, ut ſuperiori capite oſtendimus.

Sed an dignitate filii patria poteſtas quoque ſolvatur? diſtinguendum eſt inter dignitatem 17
majorem, aut minorem. In Germania quidem, quum quilibet ſtatus imperialis in ſuo territorio eandem vim & poteſtatem habere dicatur, quam habet imperator in imperio Romano, Andr. Gail *lib. 1. cap. 6. num. 11.* ſequitur ibi conſiliarios, cujuſvis Electoris, Principis, Comitis, liberæ civitatis, aut alterius ſtatus per hoc patria poteſtate eximi, ſecundum *§. 4. Inſtit. Quib. mod. patr. pot. ſolv. junct. l. 5. Cod. de Conſulibus. Novell. 81. cap. 1. & 3.* Sed quum mores noſtri vix ferant, ut minores 25. annis (quod diverſis locis expreſſe cautum eſt) ad ſuperiores dignitates evehantur, rarius uſu venire ſolet ut quæratur, an ejuſmodi dignitate liberetur quis patria poteſtate, aut imperio? Quod de moribus Galliæ etiam obſervat Eguinar. Baro *ad d. §. 4. Inſtit. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.* Sic ut moribus noſtris recte diſtinguatur inter dignitatem publicam majorem, ut eſt conſularis aut alterius Magiſtratus, quam nemo niſi major obtinet, & inter dignitatem privatam & minorem, quæ ſingularem poteſtatem patriam ſolvere non valet. Sic cum dignitas doctoratus aut clericalis inter illas dignitates majores nuſquam reperiatur, conſequens eſt nec filium aſſumendo doctoratus aut clericatus gradum per id à ſacris parentum liberari. Ut recte notat Schneidirin. *ad d. §. 4. Inſtit. num. 5.* Cui accedit quod nec veteres Juriſprudentes, quorum loco noſtri Doctores Juris ſuo modo conſtituti videntur, nuſquam in Jure à patria poteſtate fuerint exempti, ſed contra *arg. l. 1. §. 3. ff. De Poſtul.* Atque ita tenent Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtitut. 10. defin. 4.* Matth. Berlich. *part. 2. concluſ. practicab. 11. num. 53.* Vide quoque Arniſæum *de Republ. lib. 1. cap. 4. ſect. 7.*

Alius ſolvendæ patriæ poteſtatis modus eſt mors, furor, aut prodigalitas parentis, quo ipſo in 18
alterius poteſtatem ipſe coincidit, *pr. §. 1. 2. Inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv.* quam tamen veram emancipationem nemo dixerit, quum neutro caſu liberi ſui juris fiant, ſed in tutelam aut curam aliorum tranſeant, niſi quod à patre parentum furioſorum aut prodigorum, nullus patriæ poteſtatis ſit effectus, ex eo quod propter furorem vel prodigalitatem ipſe rebus ſuis ſupereſſe non poſſit, & in alterius curatione conſtitutus ſit, contra *l. 8. ff. De his qui ſui vel alien. jur.* Et ibi Groeneweg poſt Grot. *Introd. lib. 1. cap. 6. in fin.*

CAP.

Digitized by Google

Cap. X.

De Agnoſcendis & alendis liberis & Parentibus, & de alimentis præſtandis.

Summaria.

1. *Quatenus, & qui parentes ad alendos liberos compelli poſſint? &* num. 3.
2. *An, & quatenus mulieri in aſſignando patre credatur?*
3. *An, & quatenus avus filii nomine nepoti ex filio alimenta debeat?*
4. *An, & quatenus* liberi *parentibus, & fratres fratribus alimenta præſtent?*
5. *Alimentorum nomine, quid contineatur?*
6. *A quibus, & quomodo alantur illi qui ſe ipſos exhibere non poſſunt, nec conſanguineos habent, qui eos exhibere poſſunt, aut debent?*
7. *Infantes expoſiti à quibus ſuſcipi debeant?*
8. *Dotium & Donationum propter nuptias præſtationes, an & quatenus alimentorum rationem habeant?*

1 Obedientiæ & reverentiæ paternæ, quam liberi parentibus ſuis debent, correſpondet debitum parentum ergo liberos, in honeſta educatione & alimentis ſecundum facultates præſtandis, liberis ſuis, qui aliunde ſe exhibere non poſſunt; ad quod ut faciant compelli poſſunt, *tot. tit. ff. & Cod. De Agnoſcend. & alend. lib.* Niſi ex bonis ſuis adventitiis aut artificio aliquo ipſi ſemet alere poſſint. Quippe quod pater filium alere non teneatur, qui aliunde ſe exhibere, aut per artificium aliquod proprio, ut ajunt, cortice natare didicit, *l. 5. §. 7. ff. eod.* ubi Gloſſ. & Bartol. Vid. Ioann. Aurpach. *Epiſtol. quæſt. lib. 3. cap* 4. Quod quidem commune utriuſque parentis debitum eſt, *d. l. 5. §. 1. ff. eod.* Nec ad legitimos reſtringitur, ſed etiam ad Naturales, & adulterinos extenditur, *cap. 5. in fin. extr. De eo qui duxit in matrimon. quam poll. adulter.* Surd. *de Aliment. tit. 1. quæſt. 14. num. 4.* Grot. *Introd. lib. 3. cap. 35. num. 5.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 18. art. 6. num. 1.* Matth. Coler. *part. 1. deciſ. 62. num. 21.* Hartmann. Piſtor. *patr. 1. quæſt. 19. num. 3.* Joh. Franciſc. Balthaſar *practic. Reſolut. Iur. Civ. & Bavar. tit. 3. reſolut. 1. num. 77.* Carpzov. *defin. forenſ. part. 2. conſtit. 10. defin. 18.* Sed an ad Spurios & vulgo quæſitos pertineat? Negandum eſt, eo quod ante omnia conſtare, vel probari debeat, eum qui petit alimenta, eſſe filium, *l. ult. Cod. De alend. lib.* D. xxv. iii. Cod. v. xxv. De Agnoſcendis & alendis liberis & parentibus.

2 Qua in re ſi quis eum aliqua, aliquo ſaltem tempore rem habuiſſe infitiari non poſſit, in aſſignando patre iſti mulieri juratæ fides habetur, quum alias filiationis probatio ex parte patris directo fieri nequeat, *l. Lucius 83. ff. de Condit. & demonſtrat.* DD. & Gloſſ. *ad l. 6. ff. De his qui ſui vel alien. Jur.* Chriſtin. *ad Conſtitut. Mechlin. tit. 18. art. 4.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 97. num. 11.* Boër. *deciſ. 99.* Maſcard. *de probation. vol. 0. concluſ. 788. num. 05. & ſeqq.* Quia habet intentionem ſuam ex juris præſumptione fundatam, quæ onus probandi in adverſarium rejicit, quod uſque adeo procedit, ut ſi is qui confiteatur ſe eam cognoviſſe, ſed dicat de alio tempore, & probare velit meretricem publicam, alioſve plures cum eadem rem habuiſſe, interim & pendente lite ad alimenta teneatur, (ita deciſum refert Chriſtin. *ad leg. Mechlin. d. tit. 18. num. 7.*) donec definitive id, quod dicit, probaverit. Quum mulieri ad quam alias licet forte non publice aut palam, ſed in occulto de facili fuerit acceſſus, alicui adjuranti prolem, ſtandum non ſit, quod præſumptio ſit contra eam, ut poſt Alexandr. *vol. 5. conſil. 157.* idem Chriſtin. *d. loco num. 6.* Et nati ex talibus mulieribus proprie ſint vulgo quæſiti, qui patrem non habent, vel eum habent, quem habere non licet, *l. 23. ff. de Stat. homin.* Papon. *lib. 22. tit. 9. art. 13. in fin.* Teſſaur. *Deciſ. Pedemont. 3. num. 4. 5. 6.* quos mater alere tenetur. Surdus *De aliment. tit 1. quæſt. 13. num. 11.* Si vero quis jurato inficietur ſe nunquam rem habuiſſe cum illa muliere, de cujus partus filiatione quæritur, mulieris dicto non ſtatur, etiamſi illi prolem in agone partus, ut ſolent, adjuraverit: quod moribus noſtris obtinet. Vide Chriſt. *d. tit. 18. art. 5.* Joann. à Sande *lib. 1. tit. 10. defin. 2.* Grot. *Introduct. lib. 3. tit. 35.* Teſſaur. *d. deciſ. 3. num. 4.* Quomodo porro filiatio probetur, vid. Fulv. Pacian. *De probat.* lib. *2. cap. 6.* Andr. Gail *d. obſerv. 97.* Maſcard. *De probat. volum. 0. concluſ. 786. & ſeqq.*

3 Ubi unius ex parentibus facultates deficiunt, integrum alendi & educandi onus ad alterum defertur, Gloſſ. *in cap. 5. extr. De eo qui duxit in matrim. quam polluit adulter.* Chriſtin. *d. tit. 18. art. 6. num. 4. in fin. & num. 9.* Surd. *De aliment. d. l. 1. quæſt. 14. num. 7. & tit. 7. quæſt. 8. &*

Digitized by Google

quæſt. 13. Gabriel. *lib.* 6. *de aliment. concluſ.* 1. *num.* 43. Horum ſi neuter exſtet, aut facultates habeat ſufficientes, & ulteriores aſcendentes tenentur; Adeo ut vel avus filii nomine teneatur alimenta præſtare nepoti ex filio extra legitimam conjunctionem ſuſcepto. Surd. *De aliment. tit.* 1. *quæſt.* 12. Ut à Sabaudiæ Senatu deciſum refert Anton. Fab. *ad tit. Cod. Ne filius pro patr. lib.* 4. *tit.* 9. *defin.* 3. & in foro Saxonico receptum teſtatur Carpzov. *defin. for. part.* 2. *conſtit.* 10. *defin.* 20.

4 Quemadmodum liberi à parentibus ſuis; ita etiàm parentes inopes à liberis ſuis divitibus ali debent, *l.* 5. *§.* 2. *& paſſim. ff. De Agnoſcend & alend. lib. vel Parentib. l.* 1. *Cod. de alend. lib.* Ita ut mutuum ſe invicem alendorum officium ſit, inter aſcendentes & deſcendentes. Atque ita deciſum refert idem Carpzov. *d. conſtit. defin.* 29.

Sed & ſi aſcendèntes defecerint, frater fratri, aut ſorori facultatibus lapſis alimenta præſtare tenetur, *arg. l.* 73. *§. manent. ff. De Iure Dot. l.* 20. *ff. Solut. Matrimon. l.* 1. *§. ſed etſi, ff. De Tutel. & rat. diſtrah. l.* 4. *ff. Ubi Pupill. educari.* Hertmann. *tit.* 36. *obſerv.* 2. Coler. *De Aliment. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 1. 2. *& seqq.* Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 189. *num.* 41. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 143. tam uterinis quam germanis, ut poſt Hertmann. & Coler. *d. loc.* deciſum refert Joann. à Sand. *lib.* 2. *tit.* 8. *defin.* 2. quo facit *Novell.* 89. *& Auth. licet, Cod. De Naturalib. lib.* Ultra quos nemo alimentandi onus in ſe recipere tenetur. Sic ut patruus alere nepotem ex fratre non teneatur, Sand. *d. loco.*

5 Sub alimentis victum & amictum includimus, id eſt, non ſolum cibaria, ſive eſculenta aut potulenta, ſed & veſtitum, habitationem, ægroti curam, & medicinas, & inſtitutiones, tum in religione tum in arte aliqua liberali, ſive mechanica, pro facultate & conditione parentum comprehendimus. Quo jure potiſſimum utimur in liberis educandis, quorum reſpectu alimentorum appellatione veniunt ea omnia ſine quibus humanum corpus ſuſtineri non poteſt, & quæ porro bene vivendi ratio demonſtrat, quo facit *l.* 5. *§.* 12. *ff. De lib. agnoſcend.* junct. *l. legatis, & l. ult. ff. de aliment. legat. l.* 4. *ff. Ubi pupill. educari.* Quæ ſingula quid contineant, latius tractat Surd. *De aliment. tit.* 4. *per tot.*

Cod. I. III. *De Episcop. & Cleric. & Orphanotrophis, & Xenodochis, & Brephotrophis, &c.*

6 Qui ſe ipſum exhibere non poteſt, nec conſanguineos habet qui ad id tenentur, aut eos qui inopes manibus ſuis victum quæritant, ex eleemoſynis publicis, ejus loci, ubi degunt, ſuſtentantur, niſi ſint infantes, aut infantiæ proximi parentibus orbati, quibus ſingulis fere locis orphanotrophia erecta ſunt.

Cod. VIII. LII. *De Infantib. expoſitis.*

7 Si vero infantes aliunde ſint expoſiti, ita ut ignoretur cujates ſint, ad eleemoſynatores publicos ejus loci ubi inveniuntur, ſuſcipiendi dimittuntur: quippe qui cum pauperum & mendicantium numero ſint, ab univerſis incolis iſtius loci ubi reperiuntur inſtar aliorum pauperum quoque ſunt alendi, quomodo in Friſia judicatum refert Joann. à Sande *lib.* 2. *tit.* 8. *defin. ult.* & ita per Belgium paſſim obſervari teſtatur Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 1. *art.* 51. *in not.* Apud Gallos & Italos, ut & Brabantiæ quibuſdam locis, ubi illud crebro accidit, peculiaria brephotrophia pro hujuſmodi infantibus fundata ſunt, in quibus ſuſtentantur; de quo Petr. Gregor. Tholoſan. *Syntagmat. Jur. univerſ. lib.* 15. *cap.* 28. *num.* 4. Sed quid dicendum ſit ubi certa hoſpitalia ad alendos pauperes aut infantes expoſitos deſtinata non ſunt? DD. variant. Quorum alii illud onus ad Ecclesiam, alii ad Communitatem, alii ad Principem, alii ad Magiſtratum Politicum pertinere volunt, ut latius videre eſt apud Henric. Bocer. *De juriſdict. cap.* 9. Daniel. Moller. *ſemeſtr. lib.* 4. *cap.* 45. Petr. Surd. *De aliment. tit.* 1. *quæſt.* 81. Anton. Teſſaur. *deciſ. Pedemont.* 118. Menoch. *lib.* 1. *Conſil.* 72. *num.* 12. Quorum opinionibus omiſſis, magis recepta & conveniens videtur: infantium expoſitorum educationem ac alimentorum præſtationem ad Principem ſive fiſcum pertinere, eo quod ad eum ſpectet commodum ac emolumentum ſucceſſionis bonorum vacantium, *arg. cap. Qui ſentit. de reg. jur. in* 6. Quomodo tenet Matth. Berlich. *Concl. practicab. part.* 1. *concl.* 1. *num.* 14. & ſecundum hanc ſententiam contra Electorem Saxoniæ judicatum fuiſſe refert Daniel Moller. *ſemeſtr. lib.* 4. *cap.* 45. *num.* 9. Quod & moribus noſtris quam proxime accedit, quibus Brephotrophium vel aliud publicum hoſpitale, quod talem filium ſuſtentaverit, eo ipſo etiam eidem defuncto, excluſo fiſco, ab inteſtato ſuccederet, ſecundum ea quæ tradit Peregrin. *De Jure fiſci lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 17. Vid. Chriſtin. *ad l. Mechlin. tit.* 1. *art.* 51. *in not.* Charond. *lib.* 9. *reſponſ.* 16.

D. XXIII. III. & Cod. V. XII. *De Iure Dotium.* Cod. V. III. *De Donation. propter Nuptias.*

8 Sed & alimentorum rationem quodammodo habere videntur dotium & donationum propter nuptias præſtationes, quæ licet moribus noſtris plane confundantur, & eorum quoad reſtitutionem, uſumfructum, aut reliqua jura, plane nullus, aut perexiguus ſit uſus, ut ſuo loco annotabimus; quatenus tamen dotium aut donationum jus loco alimentorum eſt, *arg. l. fin. ff. De alim. &*

Cibar.

Cibar. legat. Sic ut jura dotium atque alimentorum invicem comparari ſoleant. Nicol. Everhard. *locis legalib. loco* 28. Et de ſubſtantia matrimonii quaſi reputetur, *l. fin. poſt pr. Cod. De donat. ante nupt.* in tantum dotium & donationum propter nuptias onus parentibus pro facultatibus ſuis, etiamnum incumbere conſequens eſt, juxta *l. 19. ff. De Ritu Nupt.* Niſi aliunde habeat filius aut filia, unde ſibi ipſi honeſte dotem, aut donationem facere poſſit, aut pater abſque dote honeſti matrimonii conditionem filiæ ſuæ invenire poſſit. Ut poſt Franciſc. Conan. *Commentar. lib. 8. cap. 8. num 7.* quoque animadvertit Gudelin. *De Jure Noviſſ. lib. 1. cap. 14. in fin.* Ita tamen, ut quod & de alimentis præſtandis ſupra quoque annotavimus, propter receptam conjugalem bonorum communionem, ad utriuſque quoque conjugis ſpectet officium, adeo, ut etiamſi pater filiæ ſimpliciter dotem promiſerit, non ex propriis, ſed ex communibus bonis dotem promiſiſſe intelligatur, Covarruv. *Var. reſol. lib. 3. cap. 19. num. 3.* Gomez. *ad l. 50, 51, 52, 53. Tauri, num. 24. verſ. item, & verſ. Secunda.*

Cap. XI.

De Sponſalibus.

Summaria.

1. *Sponſalia quæ, & quotuplicia?*
2. *An recte dicantur de præſenti & futuro?* neg.
3. *Quomodo contrahantur?*
4. *Sub quibus conditionibus?*
5. *An & quando conditionalia, in pura tranſeant per copulam carnalem intercedentem?*
6. *An, & quatenus parentum conſenſus copulam ſequi debeat?*
7. *An, & quatenus arrhis confirmentur ſponſalia, an, & quid probent?*
8. *Sponſalia quomodo probentur, Jure Canonico, Jure Civili, & moribus?*
9. *Clandeſtina ſponſalia quæ apud nos?*
10. *An, & quatenus juramento locus, & cui deferendum?*
11. *Qui contrahere ſponſalia poſſint?*
12. *An impuberes?* neg.
13. *An, & quatenus puberes minores?*
14. *Quorum conſenſus ad ſponſalia contrahenda neceſſarius?* & num. 16.
15. *An etiam matris?*
16. *Parentum conſenſus an & quatenus neceſſarius?*
17. *Liberi inviti ad contrahenda ſponſalia cogi minime poſſunt.*
18. *Quid jure Canonico eâ in re cautum?*
19. *Quid Jure civili?*
20. *Quid moribus?*
21. *Diſſenſus parentum an, & quatenus in liberorum ſponſalibus conſideretur, & quid moribus?*
22. *Quænam dicantur juſta diſſentiendi cauſa?*
23. *An paupertas, & inopia ſponſi vel ſponſæ, aut nimia inæqualitas?*
24. *An expreſſus parentum requiratur conſenſus?*
25. *Utrum præcedere, an ſubſequi ſufficiat?*
26. *Quis ſit ſponſaliorum effectus, & quatenus obligent?*
27. *An, & quando pœnitentia locus ſit?*
28. *An, ſi quis cum vitiata, quam virginem putabat, ſponſalia contraxerit? & quo modo probetur vitium?*
29. *An idem in ſponſo?*
30. *Juſta pœnitentia cauſa eſt, ex juris impedimento, puta ex coëundi impotentia, lepra, aut inſignis deformitas ſuperveniens.*
31. *An ſi quis grandem dotem promiſit, qui ære alieno gravatus eſt?*
32. *An, & quatenus filius majorennis propter clandeſtina ſponſalia inſciis parentibus facta, ſi parentum voluntati parere maluerit, pœnitere poſſit?*
33. *An, & quando Sponſalibus repromiſſis, neque præſtitutis, præſcribatur, & propter temporis lapſum renunciari poſſit.*

1 Sponſalia ſunt futurarum nuptiarum mentio & repromiſſio, *l. 1. ff. De Sponſalib.* ita dicta à ſpondendo, & repromittendo, quod ſcilicet mutua ſtipulatione & reciproca promiſſione ſpondeantur futuræ nuptiæ, *l. 2. ff. eod.* Alii verbum *mentio* in *d. l. 1. ff. de Sponſalibus,* uti ſuperfluum expungunt. Alii legunt: *mutua repromiſſio.* Vide *Hottomannum*, *Coſtalium*, & *Weſembecium*, ad dictam legem, *l. 1. ff. eod.* Quæ mere critica ſunt, neque ad rem faciunt, quoniam vulgata lectio probabilior eſt. Quod ſcilicet JC. *Florentinus* in dicta *l. 1.* ad veterum morem reſpexerit, qui ſolennibus ſtipulationibus ſponſalia contrahebant, quarum duæ erant partes, *mentio,* & *repromiſſio*, ſive interrogatio, & ei coördinata reſponſio: *mentio* hic idem eſt quod interrogatio, *repromiſſio* eſt eam ſubſecuta coördinata reſponſio. Vulgatam lectionem probant Conanus,

D. xxiii. 1. & Cod. v. 1. *De ſponſalibus, arrhis ſponſalitiis & proxeneticis.*

Commentar. Jur. Civ. lib. 8. cap. 2. Bacchov. *ad Treutler. vol. 2. diſp. 6. litt. B.* Cypr. *de Jure*
Connub. lib. 1. cap. 2. Alber. Gentil. *de Nuptiis lib. 2. cap. 1.* Henric. Hahnius *ad Weſembec. ad*
dict. l. 1. num. 2. De Jure & more veterum ſponſaliorum vid. Aul. Gell. *lib. 4. cap. 4.*

Diſtinguuntur communiter ab Interpretibus in ſponſalia de præſenti, & ſponſalia de futuro. Quod
juris Canonici Auctores ex conceptione verborum ita accipi volunt, ut ſi fiant verbis in futurum
conceptis; veluti accipiam vel ducam te in uxorem, eris mihi uxor, maritus, &c. ſponſalia de
futuro dicantur; ſin vero verbis præſentis temporis concipiantur; ut accipio, vel duco te in uxo-
rem, dicantur ſponſalia de præſenti. Qualis diſtinctio nec juri, nec moribus noſtris conveniens 2
eſt, quibus ſponſalia ipſa natura ſua de futuro ſunt, quo quo modo concipiantur, atque illa quæ de
præſenti fiunt, ipſum verum matrimonium ſunt, quod in facie Eccleſiæ nubentes ad interroga-
tionem Paſtotis, pet manifeſta verba de præſenti contrahunt. Ut de Germaniæ motibus quoque
teſtatur Carpzov. *De Juriſprud. Conſiſtorial. lib. 2. tit. 2. definit. 17.* Vide Henric. Brouwer. *de*
Iure Connubiorum apud Batavos recepto, lib. 1. cap. 2. num. 4. & ſeqq.

Contrahuntur ſponſalia patium conſenſu, ſive verbis, ſive litteris dato, aut quo alio modo, 3
ut fit in reliquis contractibus qui conſenſu ineuntur. *l. 2. ff. De obligat. & action.* etiam inter
abſentes per epiſtolam, vel procuratorem, cui ſpecialiter hoc demandatum eſt, *l. 4. l. ult.*
ff. De Sponſalib.

Sed vel pure, vel ſub conditione contrahi poſſunt, honeſta ſcilicet & poſſibili, ut, accipiam 4
te in uxorem, ſi pater aut propinqui conſenſerint, aut ſi tantum dotis nomine dederit; ero tibi
uxor, ſi Religionem Chriſtianam fueris amplexus, aut ſi quando ad certam conditionem
aut functionem veneris, & ſimilibus: quæ conditiones ſponſalia ſuſpendunt, uſque dum im-
pleantur, adeoque illis non exiſtentibus pœnitere licet, *cap. unic. extr. De Sponſalib. in 6. &*
tot. tit. extr. De condit. appoſ.

Circa conditiones vero impoſſibiles, aut inhoneſtas, diſtinguendum eſt, an ſint contra matri-
monii ſubſtantiam, vel honeſtatem, nec ne, ita ut illæ quæ contra matrimonii ſubſtantiam ſunt,
veluti ſi te proſtitueris, ſi feceris ne generes, niſi divitiorem invenero, aut ſimiles, ipſa ſponſalia
vitient, *text. & gloſſ. in cap. 1. & ult. De condit. appoſ.* Aliæ vero conditiones turpes & inhoneſtæ,
quæ contra matrimonii ſubſtantiam non ſunt, veluti ſi furtum commiſeris, homicidium, falſum,
pro non adjectis habentur, *d. cap. ult. extr. De condit. appoſ. & Canon. aliquando. Canon. ſolet 32.*
quæſt. 2. nec ſponſalia vitiant, quæ ſub talibus conditionibus contracta pro jure contractis cen-
ſentur, *d. cap. ult. extr. De condit. appoſit.* & ibi Panormitan. Felin. & alii DD. ſecundum quam
diſtinctionem etiam in ſupremo Saxoniæ Conſiſtorio ordinatum & decretum refert Carpzov.
Definit. Conſiſtor. lib. 2. tit. 2. defin. 23.

Porro circa ſponſaliorum conditiones illud obſervandum eſt, eas ſubinde per id quod novi 5
accedit in puram promiſſionem tranſire, & ſic deſinere eſſe conditiones; ut ſi pendente condi-
tione ſponſalia pura promittantur, vel ſi verba ad rem conferantur, non exſpectata conditionis
impletione, veluti ſi copula carnalis & concubitus interceſſerint, quo caſu ſive turpes ſive honeſtæ
conditiones appoſitæ ſint, conditiones vitiari & contrahentes à conditione receſſiſſe intelligun-
tur, *arg. cap. Aliquando 32. quæſt. 2. & cap. Per tuas. 6. extr. De condit. appoſit.* Menoch. *De*
Præſumpt. lib. 3. Præſumpt. 1. num. 6. & ſeq. Covarruv. *in Epit. De Sponſalib. part. 1. cap. 4.*
§. 1. Quomodo à ſupremo Saxoniæ Conſiſtorio quoque deciſum refert Carpzov. *Definit. Conſi-*
ſtor. lib. 2. tit. 2. defin. 25. Atque ita in facti ſpecie qua proponebatur aliquem promiſiſſe mulieri
conjugium, ſi virgo ſit & à nemine corrupta; quod quum metueret, de eo certior eſſe voluit, an-
tequam pure ſe obligaret: quod antequam exploratum eſſet, copula carnalis interceſſerat, per
concubitum eum cenſeri à conditione receſſiſſe, adeoque licet virgo non ſit, aut ab alio corrupta,
eam ducere illum teneri, reſponſum fuiſſe refert Cypræus *De Sponſalib. cap. 8. §. 2. num. 6.*

Quod tamen ita intelligendum eſt, ſi in contrahentium poteſtate poſitum ſit à conditione 6
appoſita recedere, ſi vero ſit conditio quæ ab alterius poteſtate dependet, factum contrahen-
tium, tanquam res inter alios acta, quæ aliis præjudicare non debet, *l. final. Cod. Quibus*
res judicata non nocet, & tot. tit. Cod. Inter alios acta. jus ipſius diminuere non poteſt. Sic ſi
ſponſalia ſunt contracta ſub conditione conſenſus paterni, & ante exiſtentiam conditionis copula
carnalis accedat, concubitus tanquam res per ſe illicita ſponſalia pura efficere non valet, quia
promiſſio ab initio facta ſimpliciter & abſolute pendebat à parentis conſenſu, nec ſolo facto vel
voluntate contrahentium confirmari potuit, quo ipſo *d. cap. Per tuas. Extr. De Condit. appoſit.*
limitari neceſſe eſt.

Sed quum moribus noſtris, quibus ſponſalia omnia de futuro eſſe diximus, ad validitatem
ſpon-

ſponſaliorum à parte parentum, nihil intërſit utrum conſenſus paternus præcedat, an ſequatur, eo quod mandaſſe dicatur qui ratum habuit, & ratihabitio retrotrahatur, & confirmet actum ac ſi ab initio adfuiſſet, *l. 60. l. 125. §. 1. ff. de Regul. Jur. l. ult. Cod. ad Senatusconſult. Macedon.* Parentes eo caſu quo ſponſaliia liberorum ſuorum copula carnalis interceſſit, ad conſenſum ſuum ſponſaliis iſtis accommodandum de honeſtate tenentur, quo majora evitentur ſcandala, ac nec injuria major vitiatæ deſertæque mulieri inferatur, liberique pro illegitimis & ſpuriis proclamentur. Ut ex Principum & Magiſtratuum Euangelicorum doctrina atque obſervantia in Electoratu Saxoniæ cautum & deciſum refert Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtor. lib. 2. tit. 3. defin. 60.* quem vide, & DD. *ibid. num. 6. & 7. allegat.* niſi juſtam recuſandi cauſam habeant, aut ſecundum mores & ſtatuta, de quibus infra, ejus ſint ætatis, qua parentes ad juſtam recuſandi conſenſus cauſam conſtringi nondum poſſunt. Quibus caſibus liberi inconſultis parentibus, ſive abſque conditione & reſervatione auctoritatis paternæ, ſponſalia contraxerint, ſive ſub conditione conſenſus paterni contracta, copula carnali quaſi purificaverint & confirmaverint, parentes cogi minime poſſunt, ut tam temerariis ſponſalibus conſentiant: Ut ex iis quæ de conſenſu parentum, ad liberorum ſponſalia adhibendo, latius tractabimus, ſatis fiet apertum.

7 Datis arrhis utcunque confirmari ſolent ſponſalia. Quod an & quatenus uſu obtineat, videamus, & quidem quum arrharum datio, ad priſtinam ſponſaliis renunciandi licentiam pertinuerit, eas, ad exemplum emptionis venditionis arrhis hinc inde conſtitutis confirmatæ, in pœnam temerariæ quaſi renunciationis parti duplicatas reſtituere tenebatur is, qui invito altero ſponſaliis renunciabat, *l. 5. Cod. De Sponſalib.* A quibus quum hodie invita parte recedere nemini liceat, ut poſtmodo dicemus, arrharum dationea nullius uſus aut neceſſitatis eſſe cœperunt; niſi ad hoc forte, ut quis in foro conſcientiæ ex datæ fidei teſſera arctius quaſi ſit obſtrictus.

Neque ad probationem ſponſaliorum abſque alio adminiculo nummi ſponſalitii, aliiſque pro arrhis conſtitui ſolita quid conferent, eo quod ipſa ſponſalia non minus quàm alii contractus omnes, quatenus in facto conſiſtunt, communi probandi modo, & genere verificari debeant, adeoque nec ipſis nummis aliiſque rebus pro arrhis conſtitui ſolitis, quæ vel invito alicui ſurripi, inter amantes nihil frequentius eſt, tantum tribui poſſit, ut ex eo ſolo actionem aut obligationem metiri quis poſſit, quum rebus inanimatis actum aut animos dare nemo valeat.

8 Cæterum quod ad probationem ſponſaliorum attinet, Jure Canonico clandeſtina, vel clam teſtibus inita ſponſalia prohibita ſunt, *d. cap. ult. §. 1. extr. De condit. appoſit.* Quod & Electorali ſanctione expreſſe cautum refert Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtor. lib. 2. tit. 3. defin. 32.* Sed quum ſolus conſenſus nuptias & ſponſalia faciat Jure Civili, nihil intereſt, utrum ſponſalia clam contrahantur, an publice, *l. 7. ff. eod.* Quod & moribus noſtris convenit, quibus ut plurimum in angulo, remotis arbitris, de conjugio tractatur, & virgines ſe ipſas deſpondent. Quæ quidem contracta ſponſalia inter honeſtiores ad ulteriorem eorundem conſummationem convocatis propinquioribus conſummari, & publico inſtrumento confirmari ſolent; quod tamen ad ipſam probationem neceſſarium non eſt, quibus ſufficit, quod aliunde de iis conſtare poſſit: Quanquam inficiari non poſſum ſecurius agere contrahentes, qui adhibitis teſtibus honeſtis, & fide dignis, qui de actu ſponſaliorum deponere, alioſque certiores reddere queant, contrahunt, quemadmodum
9 hoc crebræ ſponſalia inficiantium diſceptationes quotidie provenientes ſatis evincunt. Alias extra probationis rationem clandeſtina, & ob id illicita ſponſalia, nobis vocantur ea, quæ ignorantibus & inſciis parentibus, aut iis, quorum conſenſus neceſſarius eſt, ineuntur, quæ alia ratione non ſubſiſtunt & clandeſtina vocantur, etiamſi mille intervenerint teſtes, ut recte notat Schneiduin. *ad tit. Inſtitut. de nuptiis, rubr. De Sponſalib. num. 21.* De quibus ſuo loco.

10 Si negetur promiſſio conjugalis clam facta, & intentio affirmantis plene probari nequeat, an, & quando ad juramentum deveniri oporteat, & utri hoc ſit deferendum quæritur? Cum non minus in cauſis matrimonialibus, quam in criminalibus probationes perſpicuæ requirantur, ſi nulli teſtea actui interfuerunt, nec aliis adminiculis affirmantis intentio ſuffulciatur, juramentum ſuppletorium deferri nequit, ſed actore non probante reus abſolvitur, etiamſi nihil contra præſtiterit, juxta *l. 4. Cod. de Edendo.* ſed ubi teſtimonium unius adeſt, aut aliæ præſumptiones, aut indicia pro matrimonio aliquam minus-plenam probationem conſtituunt, quibus reus negans oneratur, reus non abſolvitur; ſed arbitrio judicis relinquitur, utrum affirmans in defectum ulterioris probationis intentionem ſuam jurejurando probabit, an vero is qui negat jurejurando innocentiam ſuam declarando conſcientiam ſuam expurgabit, facit *cap. final. §. ſane. extr. De jurejurand.* Panormitan. *in cap. quod nobis 2. De Clandeſtin. deſponſ.* Vide Covarruv. *De Sponſalib. tom. 1. cap. 4. num. 5. in fin.* Sed quid dicendum, ſi copula carnalis, aut concubitus interceſſerit, quem

vir quidem fatetur, negat vero conjugii promiſſionem? Adhuc idem dicendum arbitror: in de-
ferendo enim juramento multum refert, & ante omnia hoc caſu conſideranda veniunt, an quis ſit
homo non improbus, aut bonæ æſtimationis, mulier honeſta ſit, cui in aliis fides adhibenda eſſet;
an vero inhoneſta, & quæ non admodum bene audit, an petat perſonam ſibi æqualem, aut non
multum ſupra ſuam conditionem eminentem, & ſimilia: Ita ſi puella inops, aut non adeo bonæ
famæ, in virum petat nobilem, aut divitem, vix eſt ut juramentum ei deferatur, etiamſi ſemiple-
ne probet ſuam intentionem. Ut poſt Panormitan. *in cap. mulieri* 34. *extra De Jurejurando*. Ca-
ſtrenſ. & Jaſon. *ad l.* 31. *ff. de Jurejurando*, recte notat Schneiduin. *d. rubric. de Sponſalib. num.* 29.
Nec concubitus præſumptionem meliorem reddere poteſt, quum mulier vitiata, quæ dicit ſibi
promiſſum eſſe matrimonium ab eo qui vitium intulit, non magni æſtimabit quid juret, modo in-
famiam aboleat, & illum quem petit, maritum naneiſcatur; ſuſpectiſſimum enim teſtimonium
mulieris quæ jam deliquit, vocat Ant. Fab. *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 15 *defin.* 49. *num.* 3. Rurſum ſi honeſta
ſit matrona, non cenſetur ſtupratori conſenſiſſe florem virginitatis decerpere, niſi fidem ipſi de
matrimonio dediſſet, cui non immerito juramentum ſuppletorium officio judicis imponendum
voluit Joachim. Beuſt. *tract. de Sponſalib. quæſt.* 47.

Contrahere ſponſalia poſſunt omnes tam puberes quam impuberes, dummodo ſeptimum æta- 11
tis annum exceſſerint, *l.* 14. *ff. De Sponſalib.* Quæ tamen non aliter rata ſunt, quam ſi puberes
facti confirmaverint, alias ſi inter impuberes ſponſalia contracta ſint, iique pubertate adveniente
contradicant, ab iis abſolvuntur, niſi intereeſſerit copula carnalis, *cap. à nobis. Extr. de Deſponſat.
impuber.* Sed quum ſponſalia nobis ab initio valide contrahi debeant, nulluſque ab iis debite 12
contractis detur regreſſus, vix eſt ut impuberes ſeſe ſponſaliis obligent, præterquam in magna-
tibus, qui conditionem ſibi ſimilem rarius inveniunt, & quorum Reipublicæ intereſt, ut huic vel
illi Principi, Regi, aut ſummam poteſtatem habenti, matrimonio jungantur, qui vel ſeptennio
minorennes ſibi invicem deſponſantur: quod ad exemplum trahi minime poteſt: noſtris & alio- 13
rum moribus, puberes, minores tamen 25. annis, haud valide ſponſalia contrahunt, niſi majores,
aut alias ſui juris facti confirmaverint; quippe quod in his ſicut & in cæteris contractibus benefi-
cio reſtitutionis in integrum ſubveniantur minores læſi, quod moribus noſtris frequens & uſita-
tum eſt refugium.

Ita nec ſponſalia minorum valide contrahuntur ſine conſenſu eorum quorum in poteſtate ſunt, 14
eo quod in ſponſaliis eorundem conſenſus exigatur, quorum in nuptiis deſideratur, *l.* 7. *§.* 1. *ff.
De Sponſalib.* Nuptiæ vero conſiſtere non poſſunt, niſi conſentiant omnes, id eſt, qui coëunt,
quorumque in poteſtate ſunt, *l.* 2. *ff. de Ritu Nupt.* Quod an ſolum de parentum conſenſu, an
vero etiam de conſenſu tutorum aut curatorum ſit intelligendum, poſtmodo *ad tit. de Nuptiis* vi-
debimus, ubi de conſenſu tutorum vel curatorum in nuptiis minorum adhibendo vel non. Sed 15
quod de conſenſu Matris Jure Civili diſputant *ad l.* 25. *ff. de Ritu Nuptiarum*, an ex honeſtate
ſaltem vel etiam ex neceſſitate conſenſus Matris de Jure Civili ad ſponſalia & nuptias liberorum
requiratur, qua de re vide Donell. *lib.* 3. *comment. cap.* 20. Cujac. *obſerv. lib.* 3. *cap.* 5. mori-
bus deciſum eſt, etiam ex neceſſitate Matris conſenſum requiri. Quorum ſtatuta ubique fere
continent hanc clauſulam, (*parentum, vel ſuperſtitis eorum*) quod in terris Statuum Euangelico-
rum ubique obſervari teſtantur Schneiduin. *ad tit. Inſtit. De Nupt. num.* 38. Dan. Moller. *Se-
meſtr. l.* 1. *ſemeſtr.* 47. Joachim. Beuſt *de matrimonio cap.* 47. Coler. *part.* 1. *deciſ.* 5. Henn.
Arniſæus, *De Conjug. cap.* 3. *ſect.* 10. *num.* 27. Quod & Electoral. Saxoniæ conſtitutionibus
cautum refert Carpzov. *Iuriſprud. Conſiſtor. lib.* 2. *tit.* 3. *defin.* 44. In Hollandia exſtat *text. in Po-
litic. Ordin. Anni* 1580. *art.* 3. *verb.* **Het conſent van haare Ouders / off de langſt-le-
vende van dien.**

Ad ſponſalia igitur contrahenda non tantum requiritur conſenſus contrahentium, ſed & pa- 16
rentum eorum, ſive majores, ſive minores ſint illi qui contrahunt. Quod in majoribus quidam
diſtinguunt, ut filiæ majorennes ſine conſenſu parentum ſponſalia & nuptias valide contrahant,
eo quod puellarum nuptiæ abſque periculo tam diu protrahi & differri non poſſint, ac maſculo-
rum, per *l.* 18. *Cod. De Nupt.* Et filii emancipati abſque conſenſu patris uxorem ducere jure ci-
vili poterant, *l.* 25. *ff. De ritu Nuptiar.* Sed moribus noſtris, ubique obſervatur, ut indifferenter
liberi conſenſum parentum in nuptiis contrahendis adhibere debeant, abſque ratione ætatis,
ſexus, aut emancipationis, ut ubique fere ſonant cauſarum matrimonialium ſtatuta, *Polit. Holland.
Ordin. d. art.* 3. & de Jure & moribus in Provinciis Electoratus Saxonici teſtatur Carpzov. *Iu-
riſprud. Conſiſtorial. lib.* 2. *tit.* 3. *defin.* 49. *num.* 6. Sed ut ordine hæc ſingula tradamus, notanda
eſt inſignis utriuſque conſenſus differentia, qua conſenſus ipſorum contrahentium liberæ & meræ

volun-

voluntatis eſt, parentum vero rationabilis tantum, & quatenus conſenſus aut diſſenſus eorum li-
beris ad contrahenda ſponſalia expediat, quare & diſſenſus ſui rationes reddere tenentur: Ut mox
de nuptiis & matrimonio latius explicabimus.

17 Liberi itaque ad contrahenda ſponſalia à parentibus cogi non poſſunt inviti; eo quod matrimo-
nium ſit res, quæ liberrima omnium eſſe debet, non coacta aut neceſſaria, ne quod conjunctio
vitæ mutuæ, & amoris eſſe debet, in diſſidium & odium vertatur. Et propterea quemadmodum
nec matrimonium, *l. 22. ff. De ritu nuptiar.* ita nec ſponſalia inter invitos contrahuntur, nec libe-
ra facultas contrahendi ac diſtrahendi matrimonii ad neceſſitatem transferri oportet, *l. 12. & 14.*
18 *Cod. De Nuptiis.* Quod & cum Jure Canonico convenit, *cap. De Neptis. 3. cauſ. 31. q. 2.* Ubi
Canoniſta, Si matrimonio collocentur invitæ puellæ, verendum eſſe, ait, ne contra domini præ-
ceptum aut reatum diſſidii, aut crimen fornicationis incurrant. Quod & procedere volunt etiamſi
parentes ſub juramento alicui nuptias filiæ promiſerint: non enim cogitur filia conſentire, nec
pater perjurium incurrit. *cap. 1. d. cauſa 31. quæſt. 2.* Quippe quod illud ſecundum terminos ha-
biles accipiendum ſit; nempe ſi filia velit, *d. cauſ. 31. quæſt. 2. cap. 2.* Schneiduin. *ad tit. De Nu-
ptiis, rubric. De requiſit. in Nupt. licitis, requiſit. 4. num. 42.* Et liberi hac in re ſine cauſa à paren-
19 tibus ſuis diſſentire poſſunt, nec recuſationis ſuæ cauſas adferre tenentur, quod Jure Civili qui-
dem in filiofamilias ita indiſtinctè obtinebat, ut eo quo quo modo diſſentiente, ſponſalia ejus no-
mine fieri non potuerint, *l. 13. ff. De Sponſalib. l. 21. ff. De ritu Nupt. & l. 12. Cod. de Nupt.*
Filiabus autem, in quibus elocandis plus licebat patri quam in filio propter ſexus fragilitatem, con-
ſilii infirmitatem, & amittendæ pudicitiæ periculum, tunc ſolum diſſentiendi à patre concede-
batur licentia, ſi indignum moribus, vel turpem ſponſum pater ei eligat, *l. 12. ff. De Sponſalib.*
20 Sed quum noſtris & aliorum moribus, ſingulare illud filiæ elocandæ officium, ejuſque peculiares
effectus in deſuetudinem abierint, atque inter Chriſtianos eadem ratio ob quam matrimonia
oportet eſſe libera, non coacta, æque concernat filiam ac filium, hæc indiſtinctè quoque tam in
filiabus quàm in filiis obtinent. Quo facit *cap. Honorantur 13. cauſ. 32. quæſt. 2.*

21 Parentibus autem, à ſponſalibus liberorum diſſentiendi, licentia tanta non eſt, quanta liberorum;
ſic ut quamvis ſponſalia abſque conſenſu parentum inita ipſo jure nulla ſint, tamen non tantum
auctoritatis illis tributum eſt, ut ad impedienda vel diſſolvenda ſponſalia, pro lubitu diſſentire
poſſint parentes, ſed ſui diſſenſus rationes adferre debent: quæ ſi parum juſtæ videantur, ad ma-
giſtratus officium pertinet, ſuam auctoritatem interponere, & de cauſa cognoſcere, ne violetur
patria poteſtas, & ne ab iniquis & indignis patribus liberi opprimantur, aut parentes ex injuria,
aut moroſitate aliqua honeſtis liberorum deſideriis reluctentur, *l. 19. ff. De ritu Nupt.* Conſen-
tiendum enim parentibus non eſt, qui injuriam adverſus liberos ſuos inducunt, *l. 4. ff. De Inoffic.
Teſtam.* Qua in re multum arbitrio judicis ex circumſtantiis judicandum committitur, de quibus
latius Carpzov. *Juriſp. Conſiſtor. lib. 2. tit. 3. defin. ultim.* poſt Joachim. Beuſt. Melchior. Clingh.
Baſil. Monner. & alios ibi allegat.

Ut tamen reverentiæ paternæ ſit proſpectum, ne liberi minorennes, quorum infirmum adhuc
animi eſt judicium, ut qui plerumque contra proprios ſtimulos calcitrare, & contra propria com-
moda laborare inveniuntur, *l. 4. Cod. de Sponſalib.* in parentum ſuorum judicium ultra quam
decet maturius invehantur, moribus & ſtatutis variarum apud nos civitatum & provinciarum
laudabiliter cautum eſt; ſi liberi ſint minores, maſculi quidem viginti quinque, fœminæ vero
viginti annis minorennes, non teneantur parentes ullas diſſenſus ſui rationes adferre, ſi vero ma-
jorennes ſint, (qua in cauſa fœminæ, quod citius matureſcant, aut alias ipſa matrimonii onera
illis non ita incumbant, quinquennio maſculis præferuntur) parentum diſſenſus non aliter locum
habet, quam ſi juſtas diſſentiendi cauſas magiſtratui, cauſis matrimonialibus ſpecialiter commiſſo,
proferat, quæ ſi non appareant, aut ſi ſtatuto ad id tempore citati comparere neglexerint, ut in-
juſtæ rejiciuntur, aut eorum abſentia & negligentia pro tacito conſenſu reputatur, matrimonii
conſummandi licentia data. Ita conſtitutum eſt Politic. Ordin. Holland. *art. 3.* Quod & demta
ſolum annorum inter fœminas & maſculos prærogativa, convenit cum Jure Provinciali Tranſi-
ſulaniæ, *part. 2. tit. 1. art. 1.* Statutis Daventriæ, *part. 3. tit. 1. art. 9.* & plerarumque Geldriæ
Civitatum.

22 Quænam autem ſint juſtæ & ſufficientes diſſentiendi cauſæ, certo jure definitum non eſt, ſic ut
res illa arbitrio & diſcretioni judicis committatur. Ad id I. conſiderandum an procus, vel perſo-
na cujus matrimonium liberi appetunt, ſit turpis, vel inhoneſtæ vitæ, *arg. l. 12. & l. 18. Cod. De
Nupt.* II. Cujus conditionis ſit qui puellam in matrimonium petit, & an onera matrimonii ſu-
ſtentare queat. III. An ſub prætextu matrimonii bonis ſponſæ inſidietur, nec tam filiam amet,

quam

quam divitias quærat. IV. An non facinus aliquod vel delictum ei imputari poſſit. V. Num filia dolo adducta ſit ut in matrimonium conſenſerit, ab eo à cujus matrimonio abſtinere pater juſſerat, Baſil. Monner. *De Matrimon. cap. 2. num.* 10. VI. Num ſuſpicio ſit fore ut ex eo matrimonio inter liberos & parentes lites & rixæ ſint orituræ, Menoch. *Conſil.* 69. *num.* 43. 44. *&* *num.* 66. & ſimilia, in quibus multum arbitrio & diſcretioni Judicis tribuitur, ita ut ex cauſarum, perſonarumque circumſtantia magiſtratus judicet, quid pro liberis vel parentibus decidendum ſit, ne vel honor & obſervantia parentibus debita lædatur, & rurſus ne matrimonii occaſio liberis præcidatur. Atque inibi parentes moroſi & duri inducendi ſunt, minus convenire ut poteſtate ſua abutantur, quo vota liberorum nimium differant, *l.* 12. *ff. De Sponſalibus*, *& l.* 19. *ff. De ritu Nuptiar.* E contra liberi admonendi, ut cauſa etiam juſta diſſenſus deficiente, parentibus gratificentur. Vide Henric. Brouwer. *de Jure Connubiorum lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 11. *& ſeqq.*

An & paupertas & inopia Sponſi vel Sponſæ, aut nimia bonorum inæqualitas juſtam præbeat 23
diſſenſus cauſam, ſæpiſſime diſceptatur. Quæ res negative ſemper fuit deciſa, eo quod conſideratio divitiarum & bonorum circa ſubſtantialia conjugii non verſetur, ſed mere accidentalia ſint & contingentia, quæ & abeſſe & adeſſe poſſunt, ac proinde quum illud quod extra contractum eſt impedire ipſum non debeat, bona fortunæ diſſentiendi ſponſalia aut matrimonium ineundum cauſam non præbent, Covarruv. *part.* 2. *De Matrimon. cap.* 3. *§.* 7. *num.* 3. Cypræ. *De ſponſalib. cap.* 13. *&* 35. Alberic. Gentil. *De Nupt. lib.* 3. *cap.* 4. quum nec error qualitatis aut fortunæ ipſum conſenſum excludat. Quemadmodum nuperrime judicatum memini, in cauſa, in qua quis ſub ſpe amplioris dotis ſe deceptum allegabat, atque exinde à ſponſalibus reſiliendi juſtam cauſam ſe habere putabat, qui eo non obſtante ad matrimonium in facie Eccleſiæ conſummandum fuit condemnatus. Quod tamen ita limitandum, niſi dolus acceſſerit manifeſtus, aut expreſſe aliter ſit actum. Vide Cypræ. *De ſponſalib. cap.* 13. *§.* 36. *num.* 4. Ut infra quoque latius.

Sic nec diſſentiendi cauſam habent parentes nobiles ex eo quod filius uxorem plebejam ducere velit: quamvis enim interſit reipublicæ familias nobiles conſervari, *l.* 1. *§.* 13. *ff. De Ventr. inſpiciend.* & in nuptiis contrahendis ut quo ad opes & fortunas, ſic etiam circa ſtatum & vitæ conditionem, æqualitas contrahentium plurimi faciat: quum tamen diverſitas ſtatus non minus accidentalis ſit, quam fortunæ aut bonorum, ſi aliud non obſtet impedimentum, in nuptias filii conſentire tenentur parentes, qui plebejæ amore adeo detinetur, ut nulla perſuaſione abſtrahi queat. Ut in utroque caſu à Supremo Saxoniæ conſiſtorio deciſum quoque refert Carpzov. *Juriſprud. conſiſterial. lib.* 2. *tit.* 3. *defin.* 55. *&* 56.

Utrum parentum conſenſus ſit expreſſus aut tacitus, nihil refert, paria enim ſunt conſentire, 24
& non contradicere, *l.* 5. *ff. De Adoption. l.* 7. *§.* 1. *in fin. ff. De Sponſalib. l.* 5. *Cod. De Nupt.* Quippe quod is qui taceat conſentire videatur, *cap. qui tacet*, 43. *extr. De Regul. Jur. in* 6. *l.* 13. *§.* 11. *ff. Locat.* De quo vide Maſcard. *de probat. concluſ.* 1360. *num.* 1. Et in bonorum poſſeſſionibus patientia cum ſcientia pro conſenſu habetur, *l.* 1. *§.* 5. *ff. De tributer. act. verſ. caterum ſi ſcit. in verb. impeſuiſſe. l.* 4. *§. item qui*, *ff. De precarie.* Sed quum omnia cauſarum matrimonialium ſtatuta fere expreſſum parentum conſenſum requirant, atque alias ſit facti, quod non præſumitur. *l.* 11. *§.* 2. *De poſtliminio reverſ.* Et porro in matrimoniis conſenſus ambiguus non admittatur, ſed certus & clarus exigatur: vix eſt ut conſenſus tacitus probari poſſit, niſi expreſſe de non diſſentiendi ratione aut voluntate fuerit reſponſum, & quidem clare & perſpicue, quum ex verbis ambiguis & obſcuris colligi nequeat conſenſus, Gothofred. *ad l.* 16. *Cod. de pact.* & incertitudo omnem probationem perimat, *l.* 30. *ff. De Teſtam. tutel. l.* 15. *§.* 9. *ff. De Injur.* Si tamen de eo interrogatus parens, ſciens reſponſionem ſubterfugerit, aut ad reſpondendum citatus non comparuerit, taciturnitas & abſentia ipſorum pro conſenſu moribus noſtris habetur, Politic. Holland. Ordinat. *art.* 3.

An parentum conſenſus præcedat, aut ſubſequatur ſponſalia, parum aut nihil referre moribus 25
convenit, eo quod mandaſſe dicatur is qui ratum habuit, ac ratihabitio actum ab initio nullum per retrotractionem quaſi confirmet, ut perinde ſit ac ſi ab initio ipſis ſponſaliis fuerit interpoſitus, *l.* 60. *ff. De Reg. Jur. l. ult. Cod. ad Senatuſconſult. Macedon. cap. ratihabitionem* 10. *extr. de Regul. Jur. in* 6. contra eos qui Juris ſubtilitati (ut videtur) hac in re diſtinguendum, atque illud axioma huic deciſioni minus convenire putant; eo quod conſenſus hic pro forma ſit, & in actibus in quibus lex pro forma aliquid expreſſe requirit, ab ea forma recedi non poſſit, aut debeat, per *l. conſtitutionibus* 24. *ff. Ad municipalem.* atque ea quæ Bald. *ad l. ſi uxorem* 5. *Cod. de condit. inſert.* & Bart. *in l. bonorum*, 24. *ff. rem ratam haberi.* Ac proinde ſponſalia ſine conſenſu parentum

con-

contracta per ſubſequentem eorum ratihabitionem non niſi ex tempore ratihabitionis convaleſcere; quaſi patrio conſenſu accedente, novus ab eo tempore ſponſaliorum contractus inducatur. Quod licet ſubtili Jure defendi quodammodo poſſit, quum tamen ſponſaliorum, quæ nobis ſemper de futuro ſunt, unicus, idemque ſit effectus, quoquo tempore ſint contracta, ad uſum noſtrum minime pertinet, quibus ſufficiunt ſponſalia ſemel valide contracta, nulla initii, aut intermedii temporis habita ratione.

26 Sponſaliorum effectus eſt, ut futurarum nuptiarum obligationem inducant, tantamque moribus firmitatem obtinent, ut is qui ſui juris ſponſalia contraxerit, cum arrharum diſpendio ab iis recedere non poſſit, contra *l. 5. Cod. de Sponſalib.* Sed contractum ſponſalitium adimplere, adeoque & uxorem ducere teneatur invitus, *cap. 10. extr. de Sponſalib.* & vel ipſo carcere cogatur condemnatus: Zanches *de matrimonio lib. 1. diſput.* 29. *num.* 4. Everhard. *conſil.* 178. *num.* 1. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 124. *cap.* 51. *num.* 4. Quemadmodum ſæpiſſime in Provinciali & ſuprema Hollandiæ curia judicatum memini; & in Gallia frequentari certo intellexi. De Hiſpanorum moribus idem teſtatur Gutierez, *de Juram. confirmat. part.* 1. *cap.* 51. *num.* 4. Quod & de Germanorum moribus per Scabinos Lipſienſes judicatum, & à Saxoniæ conſiſtorio ſupremo decretum refert Benedict. Carpzov. *definit. Conſiſtorial. lib.* 2. *tit.* 8. *defin.* 133. *& ſeqq.*

27 Niſi tamen pœnitentiæ locus ſit, & ſponſaliis renunciandi aut repudiandi juſta cauſa interceſſerit, quæ variæ ſunt. Ut primo propter fornicationem alterutrius ſupervenientem, quum fidem frangenti fides ſervanda non ſit, & talis eo ipſo de fide in futurum ſervanda fiat ſuſpectus, *cap. de illis 2. extr. De Condit. appoſit. cap. fruſtra* 75. *De Reg. Jur. in* 6. quam ob cauſam alter à ſponſaliis liberatur, ſeque alii deſponſare permittitur, *cap. quemadmodum*, 25. *extr. De Jurejurand.* Zanch. *de matrimon. lib. 1. diſputat.* 57.

Digeſt. XXIV. II. & Cod. V. XVII. *De Repudiis.*

28 Utrum propter fornicationem præcedentem tempore ſponſaliorum ignoratam ſponſalia diſſolvantur, & ea juſta pœnitentiæ cauſa reputetur? In praxi receptum eſt, Ut ſi quis cum vitiata quam virginem putabat per errorem ſponſalia contraxerit, eam repudiandi, & ſponſaliis renunciandi juſtam cauſam habeat, quum in promiſſione nuptiarum caſtitatis & pudicitiæ conditio ſubintelligatur, Zanch. *de matrimonio lib. 1. diſputat.* 63. *num.* 3. & DD. ibid. Joach. Beuſt *de matrimon. part.* 2. *cap.* 34. 35. Philipp. Melanthon *in locis communib. De conjugio, cap. de errore, §. alius eſt error*, atque ita in Eccleſia Genevenſi recte obſervari defendit Th. Beza *tract. de Repud. §. poſtremo, pag. mihi* 100. vide quoque Chriſtin. *volum.* 3. *deciſ.* 124. *num.* 4. contra Canoniſtas, & poſt eos Weſenbec. *De Ritu Nupt. num.* 8. Alberic. Gentil. *lib.* 6. *De Nupt. cap.* 13. Bronchorſt. *cent.* 3. *aſſ.* 3. Sed quum illa Conditio ſponſaliis adjecta: ducam te uxorem, ſi virgo es, & à nemine corrupta, tanquam ſuperflua & inhoneſta rejiciatur, eo quod ejus mentio parum honeſta, & exploratio Virginitatis cum aliqua turpitudine conjuncta videatur, nec minus difficilis, *cap. ult. in fin. extr. De Condit. appoſit.* Covarruv. *de matrimon. part.* 2. *cap.* 3. *§.* 2. *num.* 16. Et facillime eludi poſſent ſponſalia admiſſa iſtius conditionis adjectione, præſumptio pro muliere eſt, eam eſſe incorruptam ſi pro virgine ſe gerat: conſequens eſt illam renunciationem à ſponſaliis non admitti, niſi quis ſignis evidentiſſimis doceat, & planum faciat eam cui nuptias promiſit à viro integram non eſſe. Ut recte notat Cypræus *De Sponſalib. cap.* 8. *§.* 9. Quod quum clarius probari nequeat, vix aliter procedit, quam ſi ex alio uterum geſtare, aut jam peperiſſe deprehendatur.

29 Quæ cum ita ſe habeant in muliere deſponſata, de ſponſo quæritur, utrum ſi ille ante contracta ſponſalia libidinibus ſe contaminaverit; propterea ſponſaliis renunciare poſſit ſponſa? Videtur, quamvis caſtitas non minus deſideretur à viro quam à fœmina, & iniquum ſit maritum ab uxore exigere pudicitiam quam ipſe non habet, *l.* 13. *§.* 3. *ff. ad l. Jul. de Adult.* quum tamen læſa pudicitia multa fœdior ſit in fœmina quam in viro, & mulier vitiata partum adulterinum marito ſubjiciat, heredemque alienum excluſis legitimis illi obtrudat, leges virorum magis quam mulierum libidini indulſerunt. Sic ut quidem propter ſcortationem à ſponſo poſt ſponſalia contractam, juſtam pœnitentiæ cauſam habeat ſponſa, ſed eo quod ante ſponſalia contracta ſeſe libidinibus aliquo modo inquinaverit, non utique: modo poſtea caſte vixerit, *l.* 5. *verſu hic illud quoque. Cod. de Sponſalib.* Quo facit *Canon, quemadmodum extr. de Jurejurand. in verb. non poſſe ei opponi fornicationem præcedentem, ſed ſubſecutam.*

30 Secunda pœnitentiæ cauſa eſt, ſuperveniens Juris impedimentum dirimens, ut ſi naturalis procreandi & coëundi imbecillitas interceſſerit, *l.* 10. *cum auth. ſeqq. Cod. de Repud. l.* 39. *§.* 1. *ff. de Jure dot.* Sed & impediens tantum ſi modo tale ſit, ut ſi in principio exſtitiſſet, ſponſalia non fuiſſent contracta. Ut ſi poſt ſponſalia contracta alter contrahentium fiat leproſus, paralyti-

cus, oculos, aut naſum amiſerit, aut ſi fœmina quæ quum eſſet pulcherrima notabiliter deformis facta ſit, & ſimilia, ne ſibi ipſis ſponſi diſpliceant, & matrimonium ita contractum infœlicem habeat exitum, ut poſt alios Zanch. *De matrimonio lib. 1. diſput. 57. num. 4.*

31 Tertio ſi alter contrahentium dotem grandem promiſerit, & conjugem multis promiſſionibus pecuniarum aliorumque bonorum, quæ præſtare non poteſt, ad contrahenda ſponſalia induxerit, ob eam cauſam ſponſalia dirimi quoque poſſunt, eo quod promiſſione facta ſub modo vel conditione, ea non impleta obligatio extinguatur. Alber. Gentil. *de Nupt. lib. 3. cap. 4.* Quod eleganti exemplo confirmat Joann. Papon. *lib. 22, tit. 6. arreſt. 4.* Quibus conſimilia ſunt ſi res ſponſi vel ſponſæ Hypothecæ nomine obligatas, aut publico alicui muneri obſtrictas eſſe compertum ſit, idque alter alterum celaverit, aut ſi ſponſus tempore ſponſaliorum ditiſſimus repente notabiliter pauper factus ſit, Zanch. *de matrimon. lib. 1. diſputat. 59.* Anton. Gabriël. *tom. 2. commun. concluſ. cap. de Jurejur. concluſ. 10. num. 2.* atque ita in Hollandiæ Curia judicatum in cauſa, qua pendentibus ſponſaliis ſponſi parens qui dotem grandem promiſerat, multo ære alieno gravatus foro ceſſerat. Vide Papegay / *pag. 39. & ſeqq.* Quod quidem procedit in caſu quo dos certa promiſſa propterea perſolvi non poteſt. Sed quid ſi dos nulla promiſſa? Sibi imputabit qui de dote præſtanda nullum pactum iniverit. Covarruv. *De Sponſalib. part. 1, cap. 5. num. 5. 6.* facit *l. 60. & l. 69. §. 4. ff. De jure Dot.* Joſeph. Maſcard. *De probat. concluſ. 577. num. 2.* Ubi allegat Roland. à Valle, *de lucro Dot. quæſt. 72. & 73.* Atque ita à Scabinis Leidenſibus judicatum memini.

32 Si filius majorennis inſciis parentibus clandeſtina ſponſalia contraxerit, contra voluntatem parentum ad ea conſummanda cogi non poteſt, ſi parentum voluntati obedire maluerit, ut ſæpiſſime judicatum: A parte tamen filii ſubſiſtunt; ſic ut à talibus ſponſaliis in totum pœnitere non poſſit. Quemadmodum à ſuprema Hollandiæ curia, in reviſione cauſæ Gerardi de Bicker contra Alidam Koninx 14. Maii 1656. judicatum eſt: quo dictus dominus Gerardus de Bicker, poſt mortem parentis, ad ſponſalia ſua, quæ majorennis, ſed inſcio & reprobante parente contraxerat, & ob id eo vivo diſtulerat, in facie Eccleſiæ conſummanda, fuit condemnatus. Plures pœnitentiæ cauſas vide apud Zanch. *de Matrimonio, lib. 1. diſput. 48. & ſeqq.* Gutier. *de matrimonio cap. 24. cum ſeqq.* Mantic. *de tacit. & ambig. conv. lib. 3. tit. 17.* Menoch. *de arbitr. judic. caſ. 455.* Chriſtin. *volum. 3. deciſ. 124. num. 3. & ſeqq.*

33 Sed & per temporis lapſum, quo alter ſponſaliorum conſummationem in eadem provincia degens per biennium ſuperſederit, ſi puella poſtea, decurſo ejus ſpacii fine, in alterius conjunctionem pervenerit, prioribus ſponſaliis jure pœnituiſſe eam, quæ nuptias maturando vota ſua diutius eludi non paſſa eſt, conſtat *l. 2. Cod. de Sponſaliis.* Quod ſi abſens fuerit ad tres peregrinationis annos *l. 2. Cod. de Repud.* aut ſi valetudo ſponſi, ſponſæve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, vel longiores peregrinationes, quæ ex neceſſitate fiunt, interceſſerint, ad quadriennium, & quandoque ulterius extenditur, *per l. pen. ff. de Sponſalib.* quæ relativa eſt ad *d. l. 2. Cod. de Sponſalib.* & *l. 2. Cod. de Repud.* adque ejus inſcriptionem vide Jacob. Gothofredum *ad Capita leg. Jul. & Papiæ, de maritandis uxoribus. cap. quicunque ſponſam.* Vid. etiam Cujac. *de diverſ. temp. præſcript. cap. 21.* Quod quamvis exemplo frequens non ſit, eique poſtea Canonici nullum tempus præfixerint, *cap. 5. extr. de Sponſalib.* quicquid ſentiant alii, in praxi à Juris Civilis diſpoſitione hac in parte non eſſe recedendum, cum Beza, *de Repud. quæſt. de abſentia,* recte cenſuit Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. l. 2. Cod. De Repud.* Quod enim mutatum non eſt, quare illud ſtare prohiberetur *l. 27. Cod. de Teſtament.*

CAP. XII.

De Jure Dotium, Donationibus, & Pactis Antenuptialibus.

SUMMARIA.

1. *Dotium & donationum propter nuptias uſus.*
2. *Definitio, & diviſio in dotem profectitiam & adventitiam, an, & quatenus obtineat?*
3. *An, & quatenus mulier in cauſa dotis aliis mariti creditoribus præferatur?*
4. *An ad maritum, aut ad mulieris heredes alioſve ceſſionarios idem privilegium extendatur?*
5. *Fundus dotalis alienari aut hypothecæ ſubjici prohibitus, an obtineat?*
6. Groeneweg. *reprehenſus.*
7. *Fidejuſſores dotium quatenus moribus noſtris dentur?*
8. *An, & quatenus Pater filium dotare teneatur, Jure Civili, & moribus?*

9. Ta-

9. *Tabula, ſive inſtrumenta Nuptialia an, & quatenus neceſſaria?*
10. *Pacta dotalia quomodo interpretanda, & quid de caſu omiſſo?*
11. *Convenionalis ſucceßio, ſive pactum futuræ ſucceßionis, an & quatenus obtineat?*
12. *Etiam inter conjuges.*
13. *An, & quatenus in ſecundis aut ulterioribus Nuptiis?*
14. *Filialis portio in caſu exiſtentium liberorum anterioris matrimonii, quomodo, & ex cujus temporis ratione computanda?*
15. *Et quid ſi conſtante ſecundo matrimonio aliqui ex liberis prioris thori, aut omnes mortui fuerint?*
16. *Pacta dotalia an, & quodmodo revocari poßint?*
17. *Quod in favorem tertii, pactis inſertum, an & quatenus revocari poßit?*
18. *Lucri & damni communio & ſocietas quando & quatenus locum habeat inter conjuges?*
19. *An etiam hereditates, legata, donationes, aliaque extrinſecus alteri conjugum obvenientia comprehendat?* Neg.
20. *An, & quatenus damna, & æs alienum contineat?*
21. *An etiam fidejußiones mariti, uxori ex damni clauſula imputari, ab eaque pro dimidio exigi poßint?*
22. *Quid de caſu, incendio, aut alio infortunio, in alterutrius bonis oberto?*

1 JUris Dotium & Donationum propter nuptias apud nos nullum, aut plane exiguum eſſe uſum conſtat; propterea quod noſtris & aliorum moribus inter conjuges legalis & conſuetudinaria omnium bonorum, tam præſentium quam futurorum, ſit communio: juxta *l.* 1. *§.* 1. *l.* 3. *§.* 1. *ff. Pro Socio*: niſi, & quatenus pactis antenuptialibus ab illa communione eſt receſſum. Eoque jus Romanum uſu eſt receptum, quo donationes inter virum & uxorem non ſubſiſtunt, niſi per mortem confirmentur, *l.* 32. *§.* 2. 3. *ff. De donat. inter vir. & uxor. l.* 25. *Cod. eod.* Mantic. *de tacit. & ambig. Conv. lib.* 21. *tit.* 7. Grot. *Introduct. lib.* 2. *cap.* 11. *verſ.* **By Huywelijk** / Gudelin. *De Jure Noviſſ. lib.* 1. *cap.* 1. *verſ. ult.* Neoſtad. *De pact. antenupt. obſerv.* 9. Goris *adverſar. de Societat. conjugal. cap.* 5. Argentr. *ad Conſuetud. Britan. tit.* 19. *ad rubr. num.* 6. & *art.* 409. *gloſſ.* 1. *num.* 1.

D. XXIII. III. & Cod. V. XII. De Jure dotium.

D. XXIV. I. & Cod. V. XVI. De Donationibus inter Virum & Uxorem.

2 Quod à ſponſo ſponſæ ad ſuſtinenda onera matrimonii in nuptias confertur, & conſtituitur, eſt donatio propter nuptias, *tot. tit. Cod. De donation. propter Nupt.* Quod vero a ſponſa vel alio, pro ea ad eadem matrimonii onera ſuſtinenda ſponſo conceditur, Dos vocatur, *l.* 7. *ff.* & *l.* 20. *Cod. de Jure dot.* Eratque alia profectitia, quæ à patre, vel de bonis, vel de facto ejus profecta eſt, *l.* 5. *ff. De Jure dot.* alia adventitia, quæ aliunde quam à patre, veluti à matre, vel ab extraneo provenit, *d. l.* 5.

Cod. V. III. De Donationibus propter Nuptias.

Eſt etiam arrha, ſive ſponſalitia largitas, quæ à Sponſo Sponſæ prima die nuptiarum poſt concubitum datur, vulgo **Morgen-gabe.** De qua in *l.* 5. *Cod. de Sponſalib.* Quam conſuetudinario jure noſtro, tanquam tacito pacto mulier velut pudicitiæ donum extra communionem ſibi retinet. Vide *Conſultat. Juriſconſ. Batav. part.* 2. *conſ.* 208.

Nobis, ſublata Romani Juris hac in parte diſtinctione, jure dotium non venit id quod in matrimonium eſt collatum, quo quo modo ſit profectum, nec ad patrem aut mulierem ejuſve heredes quid revertitur, niſi & in quantum per pacta antenuptialia expreſſe ſit ſtipulatum, & conſuetudinariæ bonorum inter virum & uxorem communioni & acquæſtuum lucro, aut damno ſit renunciatum: quo ſolum caſu mulier pro recuperando dote hypothecario dotis privilegio gaudet, per *l. unic. Cod. De rei uxor. action.* & *l.* 12. *Cod. Qui potior. in pignor.* Neoſtad. *De pact. antenupt. obſerv.* 9. 10. Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 40.

Cod. VIII. XVIII. De Privilegio Dotis.

3 Quatenus illud Privilegium extendatur? & an etiam mulier in cauſa dotis præferri debeat omnibus aliis creditoribus etiam expreſſam anteriorem hypothecam habentibus? Quidam volunt: quomodo etiam à Scabinis Leydenſibus, *arg. l.* 12. *Cod. Qui pot. in pignore.* Viduam ex cauſa dotis etiam pupillis, ex legali hypotheca antiquiori agentibus, præferendam judicatum aliquando intellexi. Quo faciunt etiam text. *in l.* 4. *Cod. In quibus cauſ. pignus vel hypoth. tac. contr.* junct. *l.* 29. *Cod. De jure Dot. poſt princip.* & *l.* 30. *eod.* A quibus tamen in tantum uſu & moribus eſt receſſum, ut mulier in bonis mariti pro reſtituenda dote, cum aliis legalem aut ſpecialem hypothecam habentibus concurrat tantum, ſecundum regulam, qui prior eſt tempore, potior eſt jure; nec expreſſam hypothecam anteriorem habentibus præferatur. Quum Privilegium *d. l.* 12. *Cod. Qui potior. in pignor.* mihi jus auferre non poſſit, quod mea mihi opera & cautione quæſivi. Ita communiter Gloſſ. & DD. *in d. l.* 12. ſecundum quod temperamentum paſſim judicari teſtantur Schneidwin. *ad §.* 29. *Inſtit. De Action. num.* 58. Anton. Fab. *ad Cod. Qui potior. in pignor. defin.* 16. Chriſtin. *voll.* 4. *deciſ.* 159. *num.* 8. Andr. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 25. *num.* 10. Qui hanc

Digitized by Google

rationem dat, quod Privilegium dotis uxori proviſione legis datum, non debeat excludere proviſionem hominis & expreſſam conventionem temporis prærogativa firmatam, quum privilegium juris citra injuriam alterius conceſſum intelligatur, per text. *in l. 2. §. Si quis à Principe, ff. Ne quid in loco publico, l. 2. Cod. De precib. Imp. offer. l. 12. ff. ad Senatusconſult. Trebellian.* neque ita doti favendum ſit, ut aliis injuriam faciamus. *cap. Ex tenore 11. extra De Foro competent.* Quam opinionem non ſolum in Foro Saxonico & Provinciis Electoratus, extra dubium, ſed ubique terrarum receptam eſſe teſtatur Bened. Carpzov. *definit. Forenſ. part. 1. conſtit. 28. defin. 64. & 65.* Vide quoque Daniel. Moller. *ad Conſtit. Saxonia, part 1. conſtit. 28. num. 33.* Coler. *part 1. deciſ. 57. num. 6. & part. 2. deciſ. 270. & de proceſſib. executiv. part. 1. conſtit. 2. num. 219. & part. 2. conſtit. 3. num. 276.* Joach. Beuſt *tract. de dote, part. 3. cap. ult. circa med. verſ. Hic quaritur an mulier.* Neguzant. *tract. de pignorib. part. 2. membr. 4. num. 98. in med.*

4 Utrum vero Privilegium hoc etiam marito competat pro recuperando eo quod in matrimonium contulit, & ſibi ſalvum fore ſtipulatus eſt, aut ad heredes mulieris tranſmittatur, aut per ceſſionem in alium tranſeat? fruſtra quæritur, quum ſolius mulieris favore ac providentia hoc eſſe inductum tradat Juſtinian. *§. 29. Inſt. de Action.* quod magis exprimitur *in l. unic. Cod. de Privileg. dot.* Ubi expreſſe dicitur: Privilegium dotis in heredem non tranſire, unde Interpretes volunt hoc Privilegium eſſe perſonale, quod perſonam non egreditur, nec ad heredes tranſit, *l. 68. l. 196. ff. de Regul. Jur. l. 12, 13. ſolut. matr.* Sic ut ad maritum minime pertineat niſi ad hoc ut pro dote cauta non numerata exigenda tacitam quoque habeat hypothecam in bonis ejus qui eam promiſit, *l. unic. §. 1. 2. Cod. de rei uxor. act.* in donatione vero propter nuptias, quam ſibi reſtitui ſtipulatus eſt, hoc illi expreſſe denegatur, *in l. 12. §. 2. Cod. Qui potior. in pignor.*

Nec ad heredes tranſmittitur hoc privilegium, niſi ad liberos & heredes ſuos deſcendentes, qui jure ſanguinis materni cum matre eadem perſona habentur, *l. ult. Cod. De Impub. & aliis ſubſtitut.* Schneidwin. *ad §. 29. Inſtitut. de Actionib. num. 68. per text. in auth. Quod obtinet. Cod. de pignorib. & Novell. 91. in pr.* Nec ad extraneum vel alium ſingularem ſucceſſorem cedi poteſt: Ut poſt alios late Berlich. *part. 1. Concluſ. 65. num. 94. & ſeqq.* Quod tamen intelligendum eſt de ceſſione, qua mulier hoc privilegium penitus à ſe abdicat, & in alium per ceſſionem quoad dominium etiam transferre cupit; cæterum ſi mulier proprio nomine agere velit, tunc recte procuratorem conſtituere, cui, hoc jus ſuo nomine tractandum, cedere minime prohibetur, *per l. 23. ff. De Re Judic.* Bald. Novell. *tract. De dote part. 12. num. 17.*

5 Alterum dotis privilegium eſt, ut fundus dotalis alienari vel hypothecæ ſupponi non poſſit à marito, etiamſi mulier conſentiat, *pr. Inſtit. Quib. alien. licet vel non. l. unic. §. 15. Cod. De Rei uxor. action.* Quod utrum apud nos obtineat? dubium eſt, propterea quod omnium fere civitatum ac provinciarum ſtatutis & moribus receptum ſit, uxorem eſſe in legali & conſuetudinaria poteſtate mariti, eumque velut patrem illius eſſe ac tutorem, cui poteſtati hæc vis attribuitur, ut ſine mariti conſenſu & authoritate contrahere, nec in judicio experiri valeat, marito vero omnis rerum cura incumbat, peneſque eum libera omnium rerum adminiſtratio exiſtat, abſque ullo reddendarum rationum onere, qui & alienandi quoque jus habet, & ſolus pene dominus eſſe videtur. Quidam diſtinguunt, ut ſi pactis dotalibus conjugalis illa bonorum communio cum aequæſtuum damno & lucro ſit excluſa ſimpliciter, quo caſu ſolum dotis privilegia locum obtinere diximus, mulieri, dote à marito non alienata, rei vindicatio quidem, Neoſtad. *De pact. antenupt. obſerv. 9.* Grot. *Introd. lib. 1. part. 5. num. 40.* alienata autem dote, tacita tantummodo in bonis mariti hypotheca competat, *per l. 12. Cod. Qui pot. in pign.* **Placc.** Caroli V. 4. *Octob.* 1540. *art. 6.* Sed ſi dotalia bona alienandi poteſtas ei pacto nominatim ſit prohibita, eo caſu maritum alienando nihil agere; adeoque & mulieri adverſus quoſcunque rerum dotalium poſſeſſores rei vindicationem competere volunt, Neoſtad. *d. tractat. obſerv. 21.* & Grot. *Introd. lib. 1. part. 5. num. 39.* & poſt eos Groeneweg. *De legib. abrog. ad l. 30. Cod. De Jure dotium.*

6 Quod tamen pro generali regula perpetuo obtinere dubitem, niſi forte talis prohibitio publicata, aut actis inſerta ſit, quibus omnibus innoteſcere queat: Ut ab *Ordin. Holland.* expreſſa ſanctione *Anni* 1624. erat cautum. Quod etiam Grotii verba dicto loco videntur innuere, in verbis (**yets tragtende te vervremden ofte belaſten / ſulcx regtelijck verbiedende**) quod de præſenti, aut futuro, non de præterito intelligi poteſt: quum alioquin quilibet tertius ſub ſpecie dotis poſſit falli; eo quod difficilis admodum ſit indagatio eorum quæ privatim inter maritum & uxorem, contra legalem mariti poteſtatem ſunt geſta. Neque adeo obſtat exemplum ex Neoſtad. hic ex *obſerv. 21.* allegatum; quum in illa ſpecie mulier viro, qui bonis ſuis ceſſerat, nuptura, magis ſibi per ſtipulationem proſpexiſſe, quam tertio, qui conditionem mariti ſatis perſpe-

ctam

étiam habere potuerunt, obeſſe videatur. His accedit quod jus publicum privatorum pactis tolli non poſſit, *l.* 38. *ff. De pact.* Quod juris axioma etiam locum habet in ſtatutis, & conſuetudine, ſi actus in contrarium geſtus contra bonos mores ſit, aut reverentiæ maritali repugnet, aut ex eo in matrimonio perfidia naſceretur, Bart. *ad d. l.* 38. *num.* 4. 5. facit *l.* 15. *§. Eleganter. ff. ſolut. matrimon.* ex quo *§.* notat Baldus, quod non valet pactum per quod aufertur reverentia quæ per uxorem debetur marito, & quod pactum non valet contra jus reverentiale, vide Joann. à Sande, *deciſ. Friſic. lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 8. Lambert. Goris *adverſ. tract.* 1. *cap.* 8. *num.* 18. *& ſeq.* Radelani *deciſ. Ultraject.* 21.

7 Unde quoque prohibitum eſt fidejuſſores dotium dari, aut ſi dati ſint, non obligantur, *tot. tit. Cod. Ne fidejuſſores dot. dentur. & ibi* DD. cujus deciſionis ratio alia non eſt, quam, ne in matrimonio generetur perfidiæ cauſa, Bart. *ad l.* 1. *Cod. eod. & ad d. l.* 31. *ff. De pact. num.* 5. Quod tamen ex alia cauſa moribus admittitur, quibus pactis antenuptialibus conveniri poteſt, ut dotis fidejuſſor detur, *arg. l. ultim. Cod. De pact. inter emptor. & venditor.* Faber *ad Cod. lib.* 5. *tit.* 14. *defin.* 1. *num.* 7. quum libera partium conventio ad cautionem præſtandam perfidiæ cauſam non generet. Buſius *ad l.* 55. *ff. De jure dot.* Quid? quod conſtante matrimonio propter inopiam mariti aut bonorum diſſipationem, ad dotis exactionem aut cautionem agere poſſit mulier. *cap. per veſtras.* in verbis, *ad inopiam vergere. De donat. inter virum & uxorem,* junct. *l.* 24. *ff. ſolut. matrimon.* & ibi Gloſſ. & DD. Ita tamen ut oblata cautione Judicis arbitrio relinquatur, pro qualitate offerentis, & aliarum circumſtantiarum, eandem cautionem vel admittere vel rejicere, prout aliquando ſupremam Brabantiæ curiam judicaſſe refert Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 141. *num.* 9. 10. Vide Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 84. *num.* 10. Anton. Fab. *Sabaud. Cur. deciſ. ad lib.* 5. *Cod. defin.* 14. Idemque ſuprema Hollandiæ curia judicavit, in cauſa **Emmerentie van Swieten** / contra **Hendrik Putman** / 28. **Julij** 1675. ubi oblata cautione de non fraudandis uxoris ſuæ bonis, libera eorundem adminiſtratio eidem Henrico Putman conceſſa & relicta eſt.

Cod. v. 20. Ne fidejuſſores vel mandatores dotium dentur.

8 Pater filiam dotare tenetur Jure Civili ſecundum conditionem perſonarum, & quantitatem ſui patrimonii, ad hoc ut conditionem honeſte nubendi inveniat, ad quod compelli Judicis officio poteſt, *l. ult. Cod. de dotis promiſſione, l.* 19. *ff. de ritu. Nuptiar.* niſi pater ſit inops, aut multis debitis involutus, *l.* 10. *§. Si cum mulier, & l. ult. ff. de his quæ in fraudem creditorum,* aut filia ſit locuples & aliunde habeat unde ſe ipſam dotare poſſit, Bart. *in d. l. ultim. Cod. de dotis promiſſ.* Vel alias filia ſit ingrata, vel contra familiæ honeſtatem indigno viro nubere velit. Zaſ. *ad §. Fuerat* 29. *num.* 84. *&* 85. *Inſtit. de Action.* Quod in Germania etiamnum obſervari teſtantur, Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 94. *&* 95. & poſt eum Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 42. *defin.* 12. 13. Sed quum moribus noſtris introductâ filias adeundi & conveniendi & honeſte ambiendi liberâ licentiâ, elocandæ filiæ neceſſitas patri non adeo incumbat, & dos profectitia nullo jure ad patrem revertatur, ut ſupra diximus, & præterea, uſusfructus in bonis liberorum, hodie etiam patri denegetur, ut ſuo loco notavimus, quibus præſupoſitis non plane iniquum erat patrem ad dotandi officium compelli, *arg. l. ult. Cod. de dot. promiſſion.* conſequens eſt patrem nec ipſo jure teneri, nec compelli poſſe, ultra id quod ex libera voluntate in dotem aut donationem propter nuptias (quæ hac in parte nobis confunduntur) conſtituere velit, quum ſuæ quiſque rei juſtus moderator atque arbiter ſit, *l.* 21. *Cod. Mandati.* Quibus accedit, quod dotandi officium, quod olim erat paternum, hodie etiam maternum ſit, & ad utriuſque conjugis officium æqualiter ſpectet; ſic ut ſi pater filiæ ſimpliciter dotem dare promiſerit, ex communibus bonis dotem promiſiſſe intelligatur; Covarr. *var. reſolut. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 3. Gomez. *ad l. Tauri* 50. 51. 52. *&* 53. *contra d. l. ult. Cod. de dotis promiſſ.* Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 51. *num.* 9.

Cod v. 11. De dotis promiſſione.

Quum dotium, aut donationum propter nuptias materia vix, ultra quam propoſuimus, ad mores noſtros pertineat, de pactis antenuptialibus quid Juris & conſuetudinis ſit, videbimus. Quæ quidem ad matrimonii ſubſtantiam minime neceſſaria ſunt, quum illis omiſſis, ſponſalia ſimpliciter inita nihilominus rata habeantur, *l.* 17. *ff. De ſponſalib. l.* 7. *Cod. de Nupt.* Sic ut nec tabulæ,
9 ſive inſtrumenta nuptialia de neceſſitate requirantur, eo quod ſponſalitius contractus ſolo contrahentium conſenſu perficiatur: moribus tamen obtinet, ut litium vitandarum, & certitudinis cauſa ut plurimum pactiones & conditiones quædam interponantur, maxime inter perſonas honeſtiores, quæ facilioris probationis cauſa & ad futuram rei geſtæ memoriam tabulis atque inſtrumentis publicis utcunque nuptias confirmare ſolent, *arg. l.* 4. *ff. De probat. l.* 4. *ff. De fide inſtrumentor.* Neoſtad. *De pact. antenupt. obſerv.* 18. *num.* 2. *&* 3. Quod & in Gelria & Tranſiſulania ſtatuto cautum, & præſcriptum eſt: ut pacta dotalia fiant in præſentia propinquorum utriuſque par-

D. lib. 23. tit. 4. De Pactis Dotalibus. & Cod. v. tit. 14. De Pactis Conventis.

tis, & ab illis ſubſcribantur, ac ſubſignentur: quod ſi factum non fuerit, communioni bonorum, lege & conſuetudine introductæ, locus eſt. Ut videre eſt Conſtitut. Velav. *cap.* 27. *art.* 1. Tranſiſulaniæ *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 1. Daventr. *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 1. De Jure communi vero ad formam pactorum dotalium ſcriptura neceſſaria non eſt, ſed ſufficit ea per teſtes fide dignos probari, ut recte docet Grot. *Introd. Juriſprud. Holland. lib.* 2. *cap.* 12. Perez. *ad Cod. de pact. convent. num.* 13. Ita deciſum referunt Radelant *Cur. Ultraject. deciſ.* 120. & Neoſtad. *De pact. Antenupt. obſerv.* 19. niſi forte teſtamenti factionem includant, quo caſu ultimarum voluntatum ſolemnitatem quoque deſiderari conſequens eſt.

Pacta dotalia admodum ſunt favorabilia, *tot. tit. Cod. De pact. Convent. & ff. De pact. dotalib.* 10
quatenus tamen contra jus commune, aut loci conſuetudinem facta ſunt, ſtricte ſunt accipienda, prout verba eorum ſonant, neque admittunt interpretationem paſſivam à jure communi, cui ſemper derogant, *arg. cap. quæ à jure, De Reg. Jur. in* 6. *& l.* 14. *ff. De legib.* Sic ut extendi non poſſint ultra caſum de quo loquuntur, & illud ipſum quod verbis expreſſum non eſt, pro omiſſo habeatur: qui decidendus eſt ſecundum jus municipale, & ſtatuta locorum, aut alias ſecundum generalem conſuetudinem *arg. l.* 22. *ff. Solut. matrimon.* Vide Peck. *de Teſtam. conjug. lib.* 1. *cap.* 6. Jacob. Coren *obſerv.* 30. *num.* 23. *& conſil.* 25. *num.* 4. *& ſeqq.* Mantic. *De tacit. & ambig. conv. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 11. Grot. *introd. lib.* 2. *cap.* 12. *verſic.* **Van wat.** Neoſtad. *De pact. antenuptial. obſerv.* 4. *&* 23.

Sed bonorum communione excluſa, lucri & damni ſtante matrimonio oriundi communio ipſo jure tamen locum habere intelligitur. Grot. *d. loc.* Sand. *lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 8. Argentr. *ad conſuetud. Brittan. art.* 418. *Gloſſ.* 1. *num.* 7. 8. & communio bonorum in defectum liberorum aut alio aliquo certo caſu excluſa, contrario aut alio caſu exiſtente, juxta ſtatutum aut conſuetudinem loci iterum admittitur: Coren *Obſerv.* 30. quilibet enim caſus omiſſus ad conſuetudinariam ſemper recidit inter conjuges communionem; adeo ut licet bonorum communio fuerit excluſa, acquæſtuum & lucri & damni communio haud excluſa cenſeatur, niſi & quatenus hoc exprimatur, *arg. l.* 9. *ff. Pro ſocio*, Peck. *de Teſtam. conjug. cap.* 6. Neoſtad. *De Pact. antenupt. obſerv.* 4. Deciſ. Holland. Cur. **Inder ſaake van Hendrik Janſz van Berchel**/contra **Krijn Gerritſz. Landman** / 19. **Novemb.** 1619.

Pactorum dotalium materia fere eſt, ut legali bonorum communioni renuncietur in totum, aut pro parte, & ut, liberis non exſtantibus, quiſque bona ſua in matrimonium collata, eo diſſoluto ſibi ſalva retineat, deinde, ut & ſuperſtes ex bonis defuncti quid præcipuum habeat, quo ip- 11
ſo in teſtamenti factionem incidit, ſive ea conventio ſit reciproca, ſive ab altera tantum parte promiſſio facta ſit, ſive de rebus quibuſdam, vel univerſis inita: ſic ut contra *l.* 3. *Cod. De collat. l.* 35. *§.* 1. *Cod. De inoffic. teſtam l. ult. ff. De ſuis & legitim. heredib. l.* 61. *ff. de Verb. obligat. l.* 15. *l. ult. Cod. de pactis.* (quibus pacta de futura ſucceſſione non ſubſiſtunt, etiamſi in dotali inſtrumento ſint conſcripta) certa ubique fere locorum conſuetudine invaluerit, & conventionalis ſucceſſio ex pactis dotalibus ſit recepta, Joann. à Sande *lib.* 2. *tit.* 2. *defin.* 7. *verſ. pactum autem*, Anton. Fab. *lib.* 5. *tit.* 9. *defin.* 6. licitumque ſit de conſervanda futura ſucceſſione paciſci inter parentes & liberos, itemque agnatos & cognatos ad quos alioqui hereditas pertineret, Johann. Papon. *lib.* 20. *arreſtor. tit.* 2. *defin.* 1. *&* 2. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 133. Neoſtad. *ad pact. antenupt. obſerv.* 2. Quo ſenſu declarat Frider. à Sande *ad conſuetud. Gelriæ tract.* 2. *tit.* 2. *cap.* 3. nunquam hic, nec apud pleraſque Germaniæ, ac Franciæ gentes obſervatam fuiſſe, *d. l.* 3. *Cod. de Collat.* Vide quoque Berlich. *part.* 2. *concluſ.* 51. *num.* 5. Si modo id quod de futura ſervanda ſucceſſione liberorum pactis inſeritur, ita intelligatur, ut liberis non impediat liberam de omnibus bonis parentum diſpoſitionem, nec aliter procedat, quam ſi teſtamento liberorum aut eorum quorum intereſt, ſecus cautum non apparet, Grot. *Introduct. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 5. Neoſtad. *De pact. antenupt. obſerv.* 1. 2. Jacob. Coren *obſerv.* 20. *num.* 16. *& ſeqq. & conſil.* 9. *num.* 45. *&* 50. Anton. Faber *ad Cod. lib.* 5. *tit.* 9. *defin.* 6. Sande *lib.* 2. *tit.* 2. *defin.* 7. Carpzov. *defin. Forenſ.* 22. *conſtit.* 43. *defin.* 1. 2. 5. 6.

Ut ne quis tamen lucri partes ſtipuletur, qui & quatenus damni contributionem excluderet, quod in ſocietatem leoninam incidit, quæ omni jure prohibita eſt. *l.* 29. *§.* 2. *ff. pro ſocio. l.* 30. *ff. eod. §.* 2. *Inſtit. eod.* quam tamen inter conjuges; quoad ipſos, reſervato tantum utriuſque creditorum Jure, conſiſtere volunt. Neoſtad. *de pact. Antenupt. obſerv.* 21. *in not.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 16. *art.* 22. *in addit. verſ. Sed quæri poteſt.* Radelant *Cur. Trajectin. deciſ.* 84. *quæſt.* 1.

Sed mulieribus, propter ſexus fragilitatem, illud ex ſingulari Jure moribus conceſſum fuiſſe, conſta-

conſtans eſt doctrina, ut optionem ſtipulentur, qua poſt mariti mortem, aut lucri & damni communionem accipiant, aut bonis conquiſitis renuncient, & ſimul omni æri alieno à marito contracto ſemet eximant. Neoſtad. *de pact. Antenupt. obſ.* 9. & poſt eum Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 12. *verſ.* **Maar wel.** quod à parte mariti vel ex eo vetitum eſt: quod in eo, exceptione eluderetur, quod matrimonii onera ad eum ſolum, non obſtante tali pacto, ſpectarent *l.* 22. *§.* 8. *ff. ſolut. matrimon.*

An vero hoc optionis beneficium non tantum ſibi, ſi ſuperſtes ſit, ſed & caſu quo præmoriatur heredibus ſuis pacto reſervare poſſit mulier? aut heredibus tale pactum prout hos lucri & damni communione alias excluſa, receptis tantum bonis mulieris in matrimonium collatis, contentos eſſe debere videtur: propterea quod illud ſit privilegium mulieribus duntaxat ſuperſtitibus conceſſum, quod, quum perſonale, ſit ad heredes ejus, neque de caſu ad caſum extendi poteſt. *l.* 1. *§.* 2. *ff. de conſtit. princip.* Ita nec ſimpliciter initum tale pactum heredibus prodeſſe poteſt: quum veroſimile non ſit maritum ejuſmodi beneficium adverſus ſe ipſum concedere voluiſſe: Qui uxori gratum quid facere voluit, ita tamen, ne ſibi noceret, heredibus non item, quorum reſpectu ad jus commune recurritur, quod tale pactum non admittit. Secundum quam regulam variis decretis à Senatu Pariſienſi deciſum refert Herald. *Rer. Judic. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 6. Contrarium quidem probare volunt ex Joann. Papon. *lib.* 15. *Arreſt. tit.* 5. *Arreſt.* 12. Ubi, ſi matrimonium contrahentes conveniant, uxorem ſuperſtitem optionem habituram, præfixum doarium & conventum retinendi vel jus conſuetudinarium amplectendi, hujuſmodi optionem ab uxore ad heredes tranſmitti *Arreſto Pariſienſi*, judicatum refert *arg. l.* 19. *ff. de Opt. vel elect. legat.* Quod ad caſum propoſitum extendi non poteſt.

12 Porro quotidiana praxis in contractu matrimonii inter virum & uxorem admittit, ut altero ſine liberis mortuo, bona defuncti ad ſuperſtitem perveniant, contra *l.* 19. *Cod. de pact.* quo nihil frequentius apud nos, quo caſu, votum captandæ mortis excluditur; eo quod nihil vincat conjugalem affectum. Ut recte notavit Cyn. *ad l.* 5. *Cod. de inoffic. teſtam.* quem ſequuntur Bald. Salicet. & Paul. Caſtrenſ. atque eo modo hereditates pacto vero dari nemo dixerit. Ut recte notat & demonſtrat Neoſtad. *Rer. Judic. obſerv. de pact. Antenupt.* 2. *in not.* Vide Everhard. *Conſil.* 199. Radelant *Curia Traject. deciſ.* 84. Quod & Camera Imperialis judicando probat, teſte Mynſingero *cent.* 2. *obſerv.* 33. *num.* 10. & And. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 126. *num.* 6.

13 In ſecundis & ulterioribus nuptiis tamen pacta dotalia in caſu exiſtentium ex anteriori matrimonio liberorum ad filialem portionem reſtringuntur, ſic ut viduus, vel vidua ſecundo conjugi plus in dotem aut donationem propter nuptias conferre non poſſit, quam illi qui ex liberis ejus minimam hereditatis partem accipit, *l. hac edictali* 6. *Cod. de Secund. Nupt.* Coren *obſerv.* 30. *num.* 29. *&* 54. *in margine*, Neoſtad. *de pact. antenupt. obſerv.* 4. *in Not. in verb. portio, in fin.* Peck. *de Teſtam. conjug. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 8. Sic ut nec ejus liberis parentibus, aut aliis conſanguineis in fraudem legis quid relinqui aut conſtitui extra eam portionem poſſit, juxta *l.* 3. *ff. De Donat. inter vir. & uxor. l. Servo legato.* 69. *§.* 2. *ff. De leg.* 1. *& l.* 27. *ff. ad leg. Falcid.* Et quod præter ea datum aut conſtitutum ſit, liberis ex anteriori matrimonio natis in totum cedat, *Novell.* 22. *cap.* 27. Ut à ſuprema Hollandiæ Curia judicatum referunt, *in cauſa* Adrianæ de Ruyſſcher, *contra* Jacobum Petri, *pronunciatum* 31. *Junii* 1620. & in cauſa Philippi de Bacchere *contra* Anton. Thyſium *pronunciatum* 3. *Junii* 1634.

14 Quæ filialis portio æſtimatur ex numero liberorum tempore obitus ſecundo nupti, nulla habita ratione initi contractus, quum pacta antenuptialia, prout in iis de ſucceſſione hereditaria agitur, naturam etiam ultimarum voluntatum ſequantur, & à tempore mortis teſtatoris quoque initium ſumant. Ex quo etiam ratio præjudicii, quod liberis prioris matrimonii per ſecundas nuptias generatur, ſumenda, *d. Novell.* 22. *cap.* 28. *§. quia vero.* Ut & legitimæ portionis, in caſu præteritionis, aut injuſtæ exheredationis, *l.* 6. *Cod. De inofficioſ. teſtam.* ex cujus comparatione præjudicium illud æſtimatur, *d. l.* 7. *verſ. ita tamen. Cod. de Secund. Nupt.* Quomodo à Sabaudiæ Senatu judicatum refert Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 5. *tit.* 5. *defin.* 11.

Ita ut ſi per dotale pactum virilis portio ſecundo conjugi conſtituta ſit, & interea unus aut plures ex liberis prioris matrimonii mori contigerit, vitrici portio quoque augebitur, quemadmodum quoque ſi mulier ex ſecundo matrimonio plures conceperit liberos, illi quoque hereditatis maternæ partem faciunt, *Novell.* 118. *cap.* 1. & mariti ſecundi portionem minuunt, quæ minimam liberorum portionem excedere non poteſt: argumento ducto ex eo quod nihil æque naturale ſit, quam commodum eum ſequi, quem ſequuntur incommoda, *l.* 10. *ff. de Reg. Jur. l. unic. §.* 4. *Cod. de Caduc. tollend. l.* 65. *§. ult. ff. pro ſocio.*

Sed quid ſi conſtante hoc ſecundo matrimonio, omnes liberi prioris matrimonii obierint, 15
quæritur quænam erit virilis portio ſuperſtitis mariti? Quæ quidem quæſtio licet paulo diffici-
lioris determinationis ſit, ex iiſdem fere juris fundamentis pendet: ſic ut liberorum tempore ma-
trimonii contracti ratio nulla habeatur. Sed an igitur tota hereditas in ipſa portione confundetur?
Nequaquam: ſed quum determinatio virilis portionis in dotalibus inſtrumentis facta, manifeſte
concurſum, & diviſionem præſupponat, ultra dimidium totius augeri, & accreſcere non poteſt,
cui & illud accedit, quod per omnium liberorum obitum, ipſum pactum quaſi evaneſcat, atque
eo quod res facile ad communem ſuam naturam convertatur, *l. 27. §. pactus ff. de pact.* velut caſus
omiſſus, redigi debeat ad legalem & conſuetudinariam bonorum communionem, ut de quolibet
alio caſu omiſſo ſupra docuimus. Quo facit *l. 3. Cod. de Secund. Nupt.* ubi, proprietas bonorum
ex priore matrimonio acquiſitorum, qua parens binubus ob tranſitum ad ſecundas nuptias erat pri-
vatus, omnibus liberis prioris matrimonii mortuis, ipſo jure ad eundem revertitur, cujus ratio-
nem & deciſionem vide apud Joann. à Sande *lib. 2. tit. 3. defin. 1.* Hanc quæſtionem ex profeſ-
ſo tractat Jacob. Mæſtert. *tractat. De Secund. Nupt. quæſt. 63.*

Utrum & quatenus pacta dotalia revocationi obnoxia ſint, & an illud quod pactis dotalibus eſt 16
conventum, poſtmodo alterutrius, aut utriuſque conjugum voluntate, mutari, & jus ex facto al-
teri quæſitum auferri poſſit? Quidam diſtinguunt inter ea pacta quæ jure contractus valent, & in-
ter ea quæ jure ultimæ voluntatis de futura ſucceſſione diſponunt, quorum illa non niſi mutuo con-
trahentium conſenſu revocari, hæc etiam ab eo ſolo, de cujus ſucceſſione tractatur, revocabilia
volunt; eo quod quælibet ultima voluntas ambulatoria ſit uſque ad extremum vitæ ſpiritum, eam-
que facultatem nemo ſibi ipſi adimere poſſit, *l. 32. §. 3. ff. De donat. inter vir. & uxor. l. 4. ff. de
adim. & transferend. legat. l. 12. §. 3. de legat. 1.* Quomodo in foro Saxonico quoque pronuncia-
tum docet Carpzov. *definit. forenſ. part. 2. conſtit. 43. defin. 10.*

Noſtris vero & aliorum moribus, omnia pacta dotalia, etiam ea quæ ultimæ voluntatis effe-
ctum habent, mutuam obligationem ex contractu pariunt, ſic ut ab uno aut altero conjugum ſe-
paratim revocari nequeant, & ne quidem teſtamento, illis derogari poſſit, atque adeo ut ſi vel
mutua conjugum teſtamenti factione revocata ſint pacta antenuptialia, per revocationem ejuſdem
teſtamenti, altero etiam neſcio, aut invito factam, denuo reſtituantur, & reviviſcant, prout in
Hollandiæ Curia judicatum; **in de ſaecke van Hendrik Meits** / contra **Balthazar ende
Guido van Giſtelen** / 3. Julii 1609. à Suprema Curia confirmatum 31. Julii 1610. & paſſim
ita receptum eſt. Sic ut de renunciatione à pactis antenuptialibus alteri conjugum vix ſatis cau-
tum ſit, nec effectum habeat, niſi is qui renunciavit, in ea voluntate ad extremum uſque perman-
ſerit. Quibus nec per contraria pacta valide renunciari poteſt, quum is qui pacto antenuptiali à
legali & conſuetudinaria bonorum communione receſſit, eam contrario pacto denuo introducere
non poſſit, eo quod omnis donatio inter virum & uxorem, ultra ipſa pacta antenuptialia, & ul-
timarum voluntatum liberas diſpoſitiones, prohibita, & invalida ſit, *arg. l. 6. Cod. de donat. an-
tenupt. & tot. tit. de Donation. inter vir. & uxor.*

Sed quid ſi de futura ſucceſſione in favorem tertii pactis antenuptialibus quid inſertum aut ſti- 17
pulatum ſit, an illud mutuo conjugum diſſenſu infringi aut mutari poſſit? Diſtinguendum eſt, ut ſi
ſimpliciter dicatur, ut defunctis conjugibus ſine liberis, bona revertantur in ſinum unde ſunt
profecta, eo ipſo teſtamenti factio prohibita non intelligatur, & alium effectum non habere
cenſeatur, niſi in quantum aliter teſtamento cautum non inveniatur, ut ſupra quoque de Succeſ-
ſione liberorum annotavimus: Si vero à parentibus aut aliis, ex quorum rebus hereditariis dos
procedit, in tabulis nuptialibus diſertis verbis exprimantur certæ perſonæ quibus bona ſunt reſti-
tuenda: ut ſi præmoriatur conjux nullis liberis ſuperſtitibus, bona devolvantur ad fratres illius, vel
ad alias perſonas, nominatim vel certa aliqua demonſtratione notatas; eo caſu intelligitur factum
eſſe fideicommiſſum conventionale favore & intuitu familiæ, quod omnem teſtamenti factionem
excludit, ſic ut ejuſmodi pacta antenuptialia per contrariam diſpoſitionem revocari non poſſint, ne
alioqui illudatur illis qui alias forte contracturi non fuiſſent, aut in contractum non conſenſiſſent.
Vide Peck. *De Teſtam. conjug. lib. 1. cap. 6.* Annæ. Robert. *lib. 1. cap. 2. & lib. 4. cap. 1.* Lam-
bert. Goris *tract. 3. part. 2. cap. 2.* Secundum quam diſtinctionem ſtatutis Antverp. *tit. 41. art. 5.
6. & 7.* expreſſe etiam cautum legimus.

Excluſa bonorum communione, manet lucri & damni ſocietas, ſive illa in ſtipulationem ve- 18
nerit, ſive non, modo non expreſſe fuerit excluſa, ut paulo ſuperius oſtendimus: eamque inter-
pretationem recipit lucri & damni clauſula, ut alterutro expreſſo, etiam alteri locus ſit: quomo-
do ſi placuerit, ut lucrum conſtante matrimonio commune ſit, nec de damno expreſſe fuerit
actum,

actum, etiam damnorum communicatio locum habet, & vice verſa: quicquid enim in uno convenit, in altero etiam, propter rationis paritatem, & probabilem contrahentium intentionem, conveniſſe intelligitur, *arg. §. fin. Inſtit. De Obligat. ex conſenſu, §. 3. Inſtit. De Societate*, & ibi Schneiduin. Nicol. Everhardi *Conſil.* 197. *num.* 3. *junct. l.* 30. *ff. pro Socio. in verb. neque enim lucrum.* atque ita deciſum eſt apud Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 51. *num.* 2.

Ipſa quidem legalis & conſuetudinaria inter conjuges communio, omnia bona undequaque quæſita & quærenda comprehendit, tam ea quæ beneficio alieno & fortunæ dono cuique eorum obveniunt, quam quæ ex opera aut induſtria alterutrius quæruntur, hereditates itidem, legata, donationes, &c. *l.* 3. *§.* 1. *&* 2. *l.* 73. *ff. Pro ſocio, §.* 4. *Inſtit. eod.* Grot. *Introduct. lib.* 2. *cap.* 11. *in pr. & lib.* 3. *cap.* 21. *verſ. pen.* Neoſtad. *de pact. antenupt. obſerv.* 9. Ut latius infra, *lib.* 4. *cap.* 21. Ubi ex profeſſo de ſocietate & bonorum communione.

19 An ergo ſub lucri & damni clauſula, ſive illa tacite ſive expreſſe pacto fuerit comprehenſa, etiam hereditates, legata, donationes, aliaque extrinſecus alteri conjugum obvenientia comprehendantur? non videtur. Ut ecce, ſi qui conthorales pacto antenuptiali bona ſua ſocietati exemerint, eaque poſt ſolutum matrimonium ad ſuos reverti voluerint, in cæteris lucri damnique tantùm ſtante matrimonio obventuri, aut expreſſe, aut tacite eorum mentionem omittendo, fecerunt communionem: utrum eo ipſo etiam hereditates ſive ſucceſſiones interim alterutri conjugum obvenientes, quarum nulla mentio, communes fiant? ſub communi lucro haud contineri, ſed cujuſque bonorum maſſam ſequi placuit; eo quod acquæſtuum ſocietas apud nos tam generalis non ſit, ut ea contineat quæ hereditario, legati, aut donationis jure, conſtante matrimonio alterutri obveniunt, ſed tantum ea quæ ex induſtria, labore ac opere, & communibus bonis percipiuntur, *arg. l.* 7. 8. 9. 10. 11. *ff. Pro ſocio.* Nicol. Everhard. *Conſil.* 155. *num.* 4. 5. *& ſeqq. & Conſil.* 156. Jacob. Coren, *Conſil.* 18. *num.* 18. *& ſeq.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 16. *art.* 18. *num.* 2. Zyp. *notit. Jur. Belg. de jure dot. verſ. Plerumque.* Quod etiam Galliæ moribus convenire refert Boër. *ad Conſuetud. Burdigal. tit. Des couſtumes concernens les gens mariez.*, *§.* 2. *verb. item auſſy par la couſtume.* Sed de Germaniæ moribus, pro ſtatutorum diverſitate diſſentire videtur Carprov. *Definit. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 17. *defin.* 16. Et quod inter conjuges omnium bonorum ſit ſocietas non ſtipulata; & communione per ſtipulationem ſimpliciter excluſa, manente lucri & damni communione, neque hereditates, neque legata, donationes, aliave extrinſecus alteri conjugum obvenientia, ſub lucri & damni clauſula comprehendantur, haud adeo novum videri debet, quin & illud ex ipſis Juris Romani fundamentis facile peti poſſit, ſecundum quæ in *l.* 3. *§.* 1. *ff. pro Socio.* agitur de ſocietate omnium bonorum ſpecialiter inita, quæ omnia, quæcunque, & undecunque communia inter ſocios conſtituit, quod ipſum legalis omnium inter conjuges ſocietatis, haud ſecus ſi ſpecialiter eſſet inita, fundamentum eſt, cujus vi omnia undecunque, quandocunque quæſita, etiam donationes & hereditates inter eos communia eſſe diximus. Rurſumque pro reſidua lucri & damni communione, caſu, quo ſola bonorum communio fuerit excluſa, facit *l.* 7. *ff. pro Socio*, qua ſocietas ſimpliciter inita, ut & hæc quæ tacite initur, nec omnium bonorum, ſed lucri tantum & damni ſimpliciter ita dici poteſt, eorum tantum eſt, quæ ex acquæſtu proveniunt, nec aliorum, aliunde provenientium, ut ſunt hereditates, legata, donationes.

20 Ita è converſo, licet damni vocabulum generale ſit, quaſvis impenſas, item damna quocunque modo contingentia, ac æs alienum, ex quacunque cauſa conſtante matrimonio contractum comprehendens, eo caſu interpretandum eſt, ut regulariter quidem complectatur omne æs alienum conſtante matrimonio legitime & debite contractum, omneſque impenſas, & damna: ut ſunt negotiorum communium infortunia, & caſus, morborum aliarumve calamitatum, alterutrius impendia, quæ de communi ſolvenda ſunt: quorum ſi quid ab uno ſolutum, alteri in communi dividundo judicio imputari poteſt, *l.* 3. *Cod. De negot. geſt. l.* 25. *§.* 13. *ff. Famil. Erciſ.* aut ſi ſolutum non ſit, creditor pro ſemiſſe ab alterutro ſi velit exigere poteſt. Illud tamen quod proprie ad communem utriuſque cauſam non pertinet, ſub damni clauſula in alterius præjudicium non continetur.

21 Quomodo quum fidejubere ſit quodammodo donare & perdere, unde qui mandatum habet cum libera, quemadmodum non donare, ita nec fidejubere poteſt, ut poſt Caſtrenſ. *ad l.* 28. *§. fin. ff. De pact.* Johann. del Caſtillo Soto Major, *quotidianar. controverſ. part.* 4. *cap.* 26. *num.* 17. 18. nec proprie ad communem utriuſque cauſam pertineat; mulierem ex lucri & damni communione ſive ſocietate, pro mariti fidejuſſione non teneri communiter eſt receptum, per ea quæ tradunt Joann. Gutierez *Practic. quæſt. ſuper nova recopilat. Regia Hiſpaniæ lib.* 2. *quæſt.* 127.

num. 3. Ptr. Barboſ. *ad leg.* 1. *ff. ſolut. Matrimon.* Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 8. Quod quidem moribus noſtris quoad ipſos admitti poteſt, ne ſoluto matrimonio mulieri, ejuſve heredibus, mariti fidejuſſio inſcia aut non conſentiente muliere facta, pro dimidio imputetur: Sed quoad ipſos creditores, utrumne hi uxorem pro dimidio ex mariti fidejuſſione, ſalva tantummodo ei pro indemnitate adverſus maritum aut heredes ejus actione, ex mutua lucri & damni ſocietate convenire poſſint, propter legitimam, & liberam maritorum apud nos, in uxores, earumque bona, tutelam atque adminiſtrationem, quæ tanta eſt, ut & res uxorum abſque earundem conſenſu alienare poſſit, uxoreſque pro ære alieno à maritis ſuis ex quacunque cauſa contracto pro dimidio obligentur, ut latius ſuo *loco*: ſane dubium eſt. Et magis eſt ut eo caſu creditoribus ſubveniatur: prout diverſimode pro rationum varietate & circumſtantiis judicatum memini. In quo noſtri à Friſiorum moribus differunt, quod apud eos, maritis quidem quaſvis res uxorum ſuarum, ut boni patris familias in rebus ſuis, adminiſtrare permittatur, alienare autem ſine earundem conſenſu nequaquam poſſint, vide Sande *lib.* 1. *tit.* 4. *defin.* 2. Quare non eſt mirum quod à Friſiæ Senatu, ex fidejuſſione mariti uxorem non teneri, pro moribus patriis, indiſtincte fuerit judicatum teſte Joann. à Sande, *dict. lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 8. quod certe propter manifeſtam juris & poteſtatis maritalis (quam diximus apud nos) differentiam ad conſequentiam trahi non poteſt.

Quemadmodum & hoc quod de caſu infortuito, aut qualibet calamitate communicanda diximus, ad communem vitæ ſocietatiſque cauſam reſtringendum eſt: ſic ut ſi res illæ quæ extra ſocietatem cuique ſibi ſuiſque fuerint reſervatæ, quemadmodum ſi quid per alluvionem aliamque acceſſionem hiſce acceſſerit, iis etiam cedat, nec in communionem veniat, ut *latius* vide apud Vall. *De reb. dub. tract.* 13. *num.* 5. & Herbaj. *Rer. quotidian. cap.* 16. Ita etiam ſi caſu aliquo, puta, incendio, ruina, aliove infortunio perierint; quiſque ſibi ſuiſque acceptum ferre debet, nec in hanc damni contributionem venit: res enim domino ſuo perit. vid. Hect. Felic. *tract. De Societate cap.* 16. *num.* 5. Nicol. Everhard. *conſil.* 190. *num.* 7. Thom. Herbaj. *Rer. quotidian. cap.* 16. Ioann. à Sande *lib.* 1. *tit.* 5. *defin.* 8. *in fin.* Iacob. Coren *conſil.* 18. *contra* Grot. *Introduct. lib.* 2. *cap.* 13. *verſ.* **Als ooit.** 22

Nec commune reputatur damnum, ſi maritus propter delictum aut crimen aliquod pœnæ nomine certam mulctam fiſco inferre cogatur, eamque ex ſolis mariti bonis exſolvendam eſſe conſtat; ex eo quod nulla criminum ſocietas inter virum & uxorem ineatur, quare nec alter alterius criminis infortunio adſtringitur, *arg. l.* 9. *Cod. de bon. proſcript. l.* 52. *in fin. l.* 58. *§. ult. ff. Pro ſocio.* vide Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 86. *num.* 14. Papon. *lib.* 15. *tit.* 2. *art.* 12. Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. rubr.* 4. *§.* 10. *in verb. Omnium debitorum*, *num.* 5. 6. Sande *d. lib.* 2. *tit.* 5. *definit.* 8. *verſ. Similiter.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 9. *art.* 2. *num.* 12. Gotis *adverſar. tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 7.

Cap. XIII.

De Nuptiis & Matrimonio.

Summaria.

1. *Nuptiæ ſive matrimonium, quid? & ejus requiſita.*
2. *An & quatenus ſervi, & famuli noſtri nuptias contrahant?*
3. *An inter Chriſtianos & Judæos nuptiæ conſiſtant, & quid de hæreticis?*
4. *Qua ætate matrimonia contrahantur?*
5. *Quorum conſenſu, conſilio, & auctoritate*, & 9. & 10.
6. *An & quatenus juſtus metus actum vitiet?*
7. *Quis ſit juſtus metus?*
8. *An & quatenus parentum conſenſus in nuptiis liberorum neceſſarius, & an etiam matris?* Aſſirm. *moribus.*
9. *An defectu conſenſus parentum concubinatus aut ſtuprum contrahatur?*
10. *An & quatenus conſenſus Tutorum aut Curatorum in nuptiis liberorum neceſſarius?* neg.
11. *An & quatenus parentum conſenſus in ſecundis nuptiis requiratur, & quid in viduis minorennibus?*
12. *Quinam ſuo vel alieno facto nuptias ſive matrimonium contrahere prohibeantur? & quid de pluribus ſponſalibus concurrentibus?*
13. *Quænam legibus prohibeantur nuptiæ? & de inceſtis, nefandis, & nefariis?* & num. 17.
14. *In quarto & ulteriori collateralium gradu nuptiæ permittuntur inter ſe.*

15. Niſi

15. *Niſi eorum quis alteri parentis loco ſit.*
16. *Regula: cujus nec filiam, ejus nec neptem: & quomodo intelligenda?*
17. *Quid moribus circa conſanguinitatis proximitatem in nuptiis obtineat?* & num. 19.
18. Hottomannus & Anton. Faber *reprehenſi.*
19. *Quouſque Jure Canonico inter conſanguineos nuptiæ prohibita, & qui hac in parte jus Canonicum ſequantur, ut ſunt præter Pontificios, Galli, Saxones, Hungari, & reliqui Germani, exceptis Pruſſis.*
20. *Affinitas quatenus Jure Civili & moribus nuptiis impedimento ſit, & quouſque ſe extendat?* & num. 22.
21. *An cum filia ex prædefuncta uxoris ſorore conſiſtant nuptiæ?* neg.
22. *Quouſque ſeſe affinitas extendat?*
23. *Quid de ſecundo affinitatis gradu, & quouſque ejus reſpectu nuptiæ ſint prohibita?*
24. *An cum vidua ejus qui fuit uxoris meæ frater nuptiæ conſiſtant?* Affirm.
25. *An inter tutorem & pupillam, magiſtratum & ſubditam nuptiæ ſubſiſtant?*
26. *Duas uxores ſimul habere non licet.*
27. *An, & intra quæ tempora ad ſecundas nuptias tranſire liceat?*
28. *Secundo nubentium pœnæ legales an & quatenus in uſu?*
29. *Quantum ſecundo conjugi, exiſtentibus ex anteriori matrimonio liberis, dotis, donationis, aliove titulo relinqui poſſit?*
30. l. hac edictal. 6. Cod. de Secund. Nupt. *an per legalem bonorum inter conjuges communionem reſtringatur, ut ea non obſtante communio procedat?* Affirm.

1 Nuptiæ ſive matrimonium ſunt maris ac fœminæ conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens, *pr. Inſtit. De patria poteſtate*, conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio, *l. 1. ff. De Ritu Nupt.* *Inſtit. 1. & Cod. v. IV. De Nuptiis.*

Ad contrahendum matrimonium I. Requiritur, ut qui quæve contrahunt ſint Cives Romani, id eſt, liberi homines ſub ditione Romana. Et quidem ſi alter conjugum vel ſervus vel peregrinus
2 ſit, nuptiæ legitimæ non ſunt, *pr. Inſtit. De Nuptiis.* Sed hoc ſpectat ſervitutem & ſingularem poteſtatem patriam, quæ Civium Romanorum propria ſunt, quo jure non utimur. Sed famuli noſtri licite matrimonium contrahunt, & tempore conductionis nondum finito, ſic à nobis recedentes, pro ratione ſervitiorum & operarum præſtitarum mercedem accipiunt. Quod & in Imperio Romano-Germanico expreſſe cautum eſt, **Land-Regt** / *lib. 2. art. 33.* Apud Gallos tamen (quos quibuſdam locis adſcriptitiorum conditionem ſervaſſe diximus) niſi cum ſuæ conditionis hominibus contraxerint nuptias, matrimonium quidem juſtum eſt ſed mulctam domino ſolvunt illiciti conjugii, quod vocant (*Formariage*) & ex eo matrimonio natus matrem ſequitur, niſi alteruter conjugum nobilis ſit. Conſuetud. Meldenſ. *art. 4. 5.* Trecenſ. *art. 3. & ſeq.* Et in Germania *Cod. 1. 18 De Judæis & 1. v. De Hæreticis & Manich.*
3 Chriſtiana mulier Judæo vel Turcæ nubere, aut Chriſtianus Judæam vel Turcam ducere prohibetur, *arg. l. 6. Cod. De Judæis*, teſte Georg. Schultz. *ad pr. Inſtit. De Nuptiis.*

Quod tamen apud nos, quibus omnium pœne ſectarum connivens eſt libertas (quam defendit Grot. *De Jure Belli, lib. 2. cap. 15. num. 10.*) prohibitum non eſt: ſed & lege cautum, ut inter diſparis relligionis aut ſectæ cultores matrimonia coram magiſtratu loci celebrentur, *Politic. Holland. Ordinat. Anni* 1580. *num.* 3. Quæ tamen apud Brabantos & Pontificiæ Relligioni addictos tanta non eſt, ut quibus non tantum cum Judæis matrimonium contrahere, certa pœna prohibitum eſt, *arg. l. 6. Cod. De Jud. cap. 10. & cap. 15. cauſ. 28. quæſt. 1.* Sed & cum quibuſcunque hæreticis, qui vel levi argumento, à Judicio Catholicæ (ut illi vocant) Relligionis deviare videntur, matrimonia commiſcere piaculum eſt, *arg. l. 2. §. 1. Cod. De hæretic. & cap. Si quis Judaica. 17. cauſ. 28. quæſt. 1.* Sic ut è converſo in Eccleſia Genevenſi reformatis connubia cum Pontificiæ Relligioni addictis celebrare in tantum prohibetur, ut prorſus irrita cenſeantur, reſcindanturque matrimonia cum Papiſtis celebrata, *Ordin. Eccleſ. Genev. art. 112.*

4 Sic ut & vel maximis dignitatibus decoratis, cum libertis aliiſque humilioribus fœminis, nuptias contrahere liceat, per *Novell. 117. cap. 6.* qua corrigitur *l. 7. De inceſtu & inutilib. Nupt. & l. 23. Cod. De Nupt. c. v. VII. ſi qua præditus poteſtate, vel ad eum pertinentes ad ſuppoſitarum adſpirare nuptias, &c.* Rittershuſ. *de Differ. Jur. Civil. & Canon. lib. 1. cap. 22.* Gudelin. *de Jure Noviſſimo lib. 1. cap. 9.*

II. Requiritur ut matrimonium contrahere volentes, ſint puberes maſculi quatuordecim, & viripotentes fœminæ duodecim annorum, *pr. Inſtit. De Nupt.* Quod mores ubique fere ſervant. Ut latius ſupra *De Statu homin.*

5 III. Ut conſentiant omnes, id eſt qui coëunt, & quorum in poteſtate ſunt, *l. 2. ff. De ritu Nupt.* coëuntium aut contrahentium quidem conſenſus debet eſſe liber ab omni metu & coactione: inter invitos enim matrimonium non contrahitur, *l. 22. ff. De ritu Nupt.* quippe quod con-

ſenſui nihil magis contrarium quam vis aut metus, *l. 116. ff. De Reg. Jur.* Et quemadmodum
vim aut metum paſſis in quolibet contractu ſubvenitur: ſic quoque ſponſalia coactione aut metu
contracta, ipſo jure nulla ſunt, etiamſi jurejurando ſint confirmata. *cap. Cum locum, 14. cum
ſeq. extr. De Sponſalib. cap. ſignificavit 2. extr. de eo qui duxit in Matrimon.* Covarruv. *De Matri-
mon. part. 2. cap. 3. §. 5. num. 1. & 2.* In quo recedit cauſa matrimonialis à communi regula: 6
quod regulariter metus non vitiet actum ipſo jure, eo quod coacta voluntas, etiam ſit voluntas,
l. Si Mulier, 21. §. Si metu coactus 5. ff. Quod met. cauſ. & ibi Gloſſ. & Bart. ſed actio detur ad
reſcindendum contractum, metu probato, *l. 9. §. 3. ff. eod. l. 1. Cod. De reſcindend. vend.* DD.
in l. dolo, 5. Cod. de inutilib. ſtipulat. In matrimonio autem ipſum actum vitiet ipſo jure, *text. in
cap. 1. De deſponſat. impuber. l. 21. & ſeq. ff. De ritu Nupt. l. 12. Cod. De Nupt.* Quod quidem
de metu juſto intelligendum, qui cadit in conſtantem virum, & inſtantis vel futuri periculi cau-
ſa mentis trepidationem parit, *l. 1. ff. Quod metus cauſ.* quum alias vani timoris excuſatio non ad-
mittatur. *l. Vani 185. ff. De regul. Jur.* Covarruv. *d. part. 2. cap. 3. §. 4. num. 5.* Quod judi-
cis arbitrio committitur judicandum, an vir prudens potius eligeret facere id quod metus cauſa
fit, quam periculum imminens ſubire, *l. 13. Cod. De tranſact.* Covarr. *d. loco num. 15.* Et
juſtus quidem reputatur metus, quum gravius periculum, mortis ſcilicet, cruciatus corporis, tor- 7
mentorum, amiſſionis bonorum, pudicitiæ, ſimiliſque incommodi intentatur. Ut ſi quis videat
ſibi mortem imminere, quam promittendo alteri conjugium evadere poteſt, is in tanto periculo
poſitus, eliget potius id facere quam ſubire caſum, & is metus efficit quo minus promiſſio habea-
tur rata. Cujus rei vivum exemplum poſt Autumn. refert Chriſtin. *vol. 2. deciſ. 114. in fin.* Quod
Antwerpiæ contigit & deciſum fuit; quo juvencula quædam ob glaciei diſruptionem in periculo
mortis exiſtens, promiſit ſe Nautæ cuidam ſi eam ſalvaret nupturam: ſub qua fiducia quum eam
ab imminenti periculo liberaſſet Nauta, aliquoties ab eo interpellata, juvencula noluit ſtare pro-
miſſioni: ſed illius loco obtulit ei pecuniæ ſummam in recompenſam dicti periculi, & laboris ſuſ-
cepti, cujus occaſione lite inſtituta, cenſuit Senatus mediante oblata pecunia eam ab illius impeti-
tione eſſe abſolvendam. Vide porro Covarruv. *d. loc.* & Andr. Gail. *lib. 2. obſerv. 93.*

Sed an parentum minæ juſtum inducant metum ut ſponſalia liberorum irritentur? diſtinguen- 8
dum eſt, ut ſi atroces & graves ſint, veluti ſi parentes minentur liberos exheredare, abdicare,
verberibus aut alio cruciatu corporis afficere, niſi ſe huic vel illi in matrimonium collocent, juſtus
exiſtimatur metus, qui matrimonium impediret, præſertim in filiabus, Panormitan. *in cap. ve-
niens. 15. extr. De Sponſ.* At ſi metus tantum ſit reverentialis, ut ſi filius vel filia pudore & reve-
rentia quam parentibus debent, ducti, ne patrem offendant, aut ad iram provocent, ſponſalibus
conſenſerint, quibus alioquin non conſenſiſſent, eo prætextu extricate ſe non poſſunt, quum me-
tus juſtus non ſit, aut talis qui cadit in conſtantem virum; ſed hoc maluiſſe præ ſumuntur, *l. ſi pa-
tre. 22. ff. de Ritu Nupt.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 93. num. 22.*

Parentum autem conſenſus in nuptiis liberorum adhibendus Jure Romano ſingularem patriam 9
poteſtatem ſpectat, ut non aliter requiratur quam ſi & quatenus liberos ſuos in poteſtate retineant.
Nec matris conſenſum ſpectat, *pr. Inſtit. de Nupt. & l. 2. ff. de Ritu Nupt. in verb. quorum in po-
teſtate ſunt.* Sic ut & filius emancipatus, etiam ſine conſenſu patris, uxorem ducere poſſit, *l. 25.
ff. de Ritu Nuptiar.* Sed quum ipſius quaſi naturæ primo inſtituto filii, etiam emancipati, indiſtin-
cte parentibus reverentiam debeant, *Exod. 2. 12.* & obedientiam, *Epheſ. 6. 1. Coloſ. 3. 20.*
Grot. *Introduct. lib. 1. part. 6. num. 12.* moribus indiſtincte liberi etiam majorennes, parentum,
aut parentis ſuperſtitis, atque adeo etiam matris conſenſum in nuptiis contrahendis requirunt, ea
ſolum differentia, quod minorennibus abſolute conſenſum denegare poſſint parentes; majoren-
nibus vero, non niſi ſubſit cauſa; quæ judicis arbitrio committitur.

Sic ut ille conſenſus parentum in minoribus poteſtatem reſpiciat paternam, in majoribus reve-
rentiam. Quippe quod & civilis & naturalis ratio ſuadeat, parentes qui ad illam uſque ætatem
liberos ſuos educaverunt, hoc ſaltem honoris habere ut illorum matrimonio conſentiant, ex qui-
bus heredes exſpectant, *l. 12. §. 3. ff. De Capt. & poſtlim. reverſ.* maxime quum infirmum ſit li-
berorum minorennium ea ætate in re tam ſeria judicium, ac inſidiis multis multiſque captionibus
obnoxium, *l. 1. ff. de minorib.* Theoph. *ad pr. Inſtit. de Nupt.* Quod ubique fere obtinet.
De Jure Saxonico, extat *Ordinatio Eccleſiaſtica Elect. Auguſt. Anni* 1580. *cap. 7.* Quæ in Nu-
ptiis liberorum tam filiorum quam filiarum conſenſum utriuſque parentis requirit. Quemadmo-
dum in conſiſtoriis eccleſiaſticis reliquarum Germaniæ Regionum quotidie pronunciari teſtatur
Schneiduin. *ad pr. Inſtit. de Nupt.* Idem ſuo modo continetur Jure Provinciali Ducatus Pruſſiæ,
lib. 2. tit. 1. art. 1. Quod & Carolus V. in regnis & ditionibus ſuis hereditariis publico edi-

cto

cto Anno 1540. conſtituit, cui Brabantiæ leges municipales hac in re conformes eſſe teſtatur Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 19. art. 30.* Zyp. *notit. Jur. Belgici, tit. de Sponſalib. & matrimonio.*

Quod idem in Hollandia & adjacentibus regionibus in filiis ad 25. in filiabus vero ad 20. annum taxatur. Cujus differentiæ rationem dedimus ſupra ad *tit. de patria poteſtate.* Quo termino parentes abſolutam aut concedendi, aut abnuendi matrimonii habent poteſtatem: quam ætatem ſi exceſſerint, reverentialis quidem parentum conſenſus requiritur, ſed ita ut eum denegare non poſſint, niſi ſubſit cauſa, ſic ut nudus eorum diſſenſus impedimento non ſit, Politic. Ordinat. Holland. *art.* 3. Zelandiæ, *art.* 7. *Ordinat. matrimon.* Ordinat. Provinc. Ultraject. *dat.* 6. *Octob.* 1584. *art.* 5. Vide Grot. *Introduct. lib.* 1. *cap.* 5. *verſ.* **Nomentlijk dat.**

Alii volunt matris conſenſum tantum de honeſtate requiri, teſte Maſuer. *De Nupt. pag.* 331. Menoch. *lib.* 2. *præſump.* 4. Covarruv. *De matrimon. part.* 2. *§.* 8. Rectius tamen etiam de neceſſitate requiri defendunt, Donell. *lib.* 3. *commentar. cap.* 20. Cujac. *lib.* 3. *obſerv cap.* 5. *per l.* 18. 20. *Cod. de Nupt.* Quod & moribus convenit, quibus plerumque ita expreſſe cautum legimus, his verbis: *parentum, aut ſuperſtitis eorum.*

Matrimonia invitis parentibus, aut abſque eorum conſenſu contracta, jure civili nulla, ac omnino invalida ſunt, *l.* 2. *l.* 34. *ff. de Ritu Nuptiar. l.* 7. *l.* 12. *Cod. de Nupt.* Iſque parentum conſenſus eo jure de ſubſtantia matrimonii eſt. Schneiduin. *ad tit. Inſtit. de Nupt. part.* 2. *requiſit.* 4. Georg. Tholoſan. *Syntagm. Juris lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 9. 10. 20. Quo facit *pr. Inſtit. de Nupt. junct. §. ſi adverſus.* 12. *eod.* Quod iiſdem pœne verbis cautum legimus *Politic. Ordin. Holland. art.* 13. atque ita ſæpiſſime pronunciari videmus. Vide Joann. à Sande *deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit.* 1. *defin.* 4.

In Gallia tamen, Brabantia, & aliis Imperii Pontificii Regionibus, pœna quidem ſtatuta eſt contra eos qui abſque parentum conſenſu clandeſtina conjugia contrahunt. Quo pertinet Henrici II. Regis Galliæ conſtitutio *Anno* 1556. & Henrici III. *Anno* 1579. promulgata, qua parentibus, filios qui triginta, filias quæ viginti annis majores nuptiis ſine earum eorumve conſenſu contraxerint, exheredare, ac liberos iis bonis quæ legibus municipalibus morte eorum earumve iiſdem deferuntur, excludere, ac donationes in eos eaſve factas revocare permittitur. Et Caroli V. edictum Anni 1540. præcipiens, ne is, eave qui alterum minorennem abſque conſenſu parentum aut proximorum in matrimonium pellexerit, ex bonis ejus dotis, donationis, ultimæ voluntatis, aut quovis alterius nomine quicquam ullo tempore poſſit conſequi, &c. Ipſa vero matrimonia, licet abſque conſenſu parentum ſint contracta, irrita non videntur. Qua in parte Jus Canonicum ſequuntur, *cap. cum cauſa. De Rapt. Canon. ſufficiat. & ibi Gloſſ. cap.* 27. *quæſt.* 2. *cauſa* 1. *Canon. honorantur* 32. *quæſt.* 1. *Canon. noſtrates* 35. *quæſt.* 5. *Canon. placuit.* 36. *quæſt.* 2. *& cap. videtur. Qui matrimon. accuſ. poſſ.* Quum quæſitum eſſet an non & is qui contra aut præter voluntatem parentum, quorum conſenſum adhibere debebat, ſe alteri conjunxerit, præter nullitatem matrimonii, etiam in ſtupri crimen incidat: Reſpondi, quoniam ſi, contra requiſitum illud, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium intelligatur quod actum eſt. *§.* 12. *Inſt. de Nupt.* Nihil reſtare, quam ut dicatur aut concubinatus, aut ſtuprum. Concubinatus quidem non eſt, quia ut concubinatus ſit, requiritur, ut quis liberam perſonam honeſtæ vitæ cum teſtatione, ſe ea pro concubina habiturum domum deduxerit. *l.* 24. *ff. de Ritu. Nupt. l.* 3. *ff. de Concubin.* Deinde, quod moribus concubinatus ſit incognitus, ut ſuo loco. Reſtat igitur ut ſtuprum ſit commiſſum, non violentum quod ex lege Julia de vi puniendum venit, ſed voluntarium quod proprie dictum ſtuprum eſt: Eoque facit argumentum *ex l.* 4. *Cod. de Nupt. junct. §.* 12. *Inſtit. de Nupt.* Ubi expreſſis verbis deciditur, quod qui contra legis præcepta coierint., crimen ſtupri committant: neque obſtat *l.* 4. *Cod. de Inceſt. & Inutilib. Nupt.* Quia circa parentum conſenſum, neque facti, quod nemo non ſciat ſe parentes habere, neque Juris error, qui neminem excuſat, intercedere poteſt, præſertim apud nos, quibus de parentum conſenſu, publice interrogari ſolet, & debet. Sed an & quæ moribus noſtris ejus foret pœna ex iis quæ de ſtupro egimus, ſatis fiet apertum.

10 Tutorum aut curatorum conſenſus ad contrahendas pupillorum Nuptias de Jure non requiritur, *arg. l.* 8. *Cod. de Nupt.* Sic ut ad tutoris officium non pertineat, utrum puella nubat, nec ne, *l.* 20. *ff. de Ritu Nuptiar.* Ut neque conſanguineorum aut affinium *d. l.* 8. Quod latius tractat Tholoſan. *Syntagm. Jur. civil. lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 13. & Schneiduin. *ad tit. Inſtit. de Nupt. part.* 2. *requiſit.* 4. *num.* 40. & *ad tit. De Actionib. §. omnium. num.* 49. 50. Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 8. *verſ.* **'t Huwelijk.** Quibuſdam tamen locis aliter ſtatutum invenitur, quibus in copulandis minorum nuptiis, ſicut parentum, ita etiam tutorum, curatorum, conſanguineorum aut affinium authori-

tas intervenire debet, quemadmodum *Politic. Zeland. Ordinat. art.* 7. & in Diœceſi Ultrajectin. *Ordinat. matrimon. Anni* 1584. *art.* 5. expreſſe cautum eſſe legitur. Cui convenit Statut. Leyd. *art.* 101. *§.* 3. Quod & in Friſia obtinet, Sande *lib.* 2. *tit.* 1. *defin.* 6. 7. Et Jure Provinciali Ducat. Pruſſiæ ſtatutum eſt, *lib.* 2. *tit.* 1. *art.* 1. *§.* 7. Et Caroli V. Edictum de *Anno* 1540. etiam conſanguineorum & propinquorum mentionem facit. Ita tamen ut tutores caſu quo eorum conſenſus in Nuptiis minorum ſtatuto requiritur, denegandi conſenſus poteſtatem non habeant, niſi ſubſit juſta cauſa: ut ſupra de parentum conſenſu in nuptiis liberorum majorennium diximus. Atque ſub hac diſtinctione procedit quod Schneiduin. *d. loco.* notat, talia ſtatuta quibus edicitur quod puella vel adoleſcens non debet contrahere matrimonium abſque conſenſu tutorum, vel aliorum conſanguineorum, non valere, eo quod venirent contra libertatem matrimonii, per DD. *in l. Titia* 134. *de Verb. Obligat.* & alia ibid. allegat.

Porro quod de conſenſu parentum in nuptiis liberorum adhibendo diximus, in ſecundis nuptiis 11
locum non habet, quod in filiis expeditum eſt, propter *l.* 25. *ff. de ritu Nuptiar.* ubi emancipatis etiam ſine conſenſu uxorem ducere indiſtincte permittitur. Sed an idem obtineat in filiabus viduis adhuc minorennibus? dicendum eſt: quamvis viduæ minorennes, etiam emancipationis libertate gaudentes, ſine patris conſenſu matrimonium non rite contrahant, *l.* 18. *Cod. de Nupt.* Ut & in Friſia judicatum refert Joann. à Sande *lib.* 2. *tit.* 1. *defin.* 3. Illud non neceſſitatis, ſed honeſtatis cauſa requiri, ſic ut & majorennes parentum ſuorum conſenſum expoſcere diximus, de honeſtate ſcilicet, & ſic ut abnuendi poteſtatem non habeant: niſi ſubſit cauſa juſta. Quo modo *d. l.* 18. intelligi volunt Gloſſ. Bart. & Salicet. Quod Juri Canonico per Gloſſ. *in cap. Sufficiat.* 2. *cauſ.* 27. *quæſt.* 2. *cap. ult. & ibi* Gloſſ. *cauſ.* 32. *quæſt.* 2. Covarruv. *de Sponſalib. part.* 2. *cap.* 3. *§.* 8. *num.* 4. Et moribus convenientius eſt, arg. quod *Politic. Ordinat.* verba de conſenſu parentum nuptiis, ut **Jong-geſellen / ende Jonge-dogteren**/ quæ de iis minoribus vulgo intelliguntur, qui nunquam matrimonio fuerunt copulati, ſic ut & *Ordinat. Eccleſ. Genevenſ. art.* 103. nominatim cautum eſt: conſenſum parentum in ſecundis nuptiis non præciſe requiri. Matrimonium enim minorem ſui juris facit apud nos. Grot. *Introduct. lib.* 1. *tit.* 10. *verſ.* **Ten tweeden.** Quæ generalis fere conſuetudo eſt, & plerisque Statutis pupillaribus firmatur in Hollandia. **Weeſ-keuren van Dordregt** / *art.* 59. **Haarlem** / *art.* 6. **Amſteldam** / *art.* 24. **Briel** / *tit.* 10. *art.* 154. **Alkmaar / Edam / Monnikkendam / Purmerend** / *tit.* 10. *art.* 5. Speciali privilegio Alberti Bavariæ Ducis, Delfenſibus, Anno 1589. conceſſo. Prout latius infra ad *tit. Quib. mod. tut. finitur.* Vide Batav. Arcad. in not. *pag.* 139. *& ſeq.*

IV. Requiritur ut ne legitimo obſtaculo impediantur, aut prohibeantur Nuptiæ.

Impediuntur autem aut facto ſuo aut alieno.

Facto ſuo impediuntur furioſi, quia conſenſum non habent, *l.* 16. *§.* 2. *ff. de ritu Nupt.* Ita & muti & ſurdi, ita nati, vix eſt ut matrimonium contrahant, *cap. Tua fraternitati extr. de Sponſalib.* Bald. Ang. & alii DD. *ad l. Diſcretis* 10. *Cod. Qui Teſtam. facere poſſ.* Item perpetuo & inſanabili morbo laborantes, ſic ut ad procreationem inidonei ſint. De quibus infra de Divortiis, & Repudiis.

Facto alieno impediuntur nuptias contrahere, qui cum alia quam cum qua nuptias celebrare 12
cupiunt, antea deſponſati ſunt: pluribus enim ſponſalibus diverſo tempore contractis, priora poſteriorum conſummationem impediunt, & poſteriora prioribus poſtponuntur, etiamſi concubitus interceſſerit; quia fides poſterius data in præjudicium prioris fidei irrita eſt, ut late Zanch. *de Matrimon. lib.* 1. *diſp.* 49. *num.* 1. Et ex quo priora fuerint contracta, poſteriora ſine crimine violatæ fidei, & ſic cum efficacia contrahi non potuerint, atque ipſo jure nulla ſint: quia quemadmodum nemo pariter duabus conjugibus ſimul legitime jungi poteſt, *l.* 18. *Cod. ad leg. Jul. de Adult. l.* 2. *Cod. de inceſt. Nupt.* ita nec duarum ſponſarum nequit eſſe ſponſus. Quod adeo verum eſt, ut quamvis moriatur illa, cui conjugium primo legitime promiſſum eſt, poſteriori facta promiſſio non convaleſcat, quia illa ab initio vitioſa fuit, & ex eorum genere eſt quæ tractu temporis vices non aſſumunt, *l.* 29. *ff. De Regul. Jur.*

Cod. v. t. De inceſtis, & inutilibus Nuptiis.

Legibus autem prohibentur nuptiæ quibus cognationis vel affinitatis propinquitas, impedi- 13
mento eſt, quæ dicuntur nuptiæ, inceſtæ, nefandæ, nefariæ, & legibus damnatæ.

Cognatio itaque nuptiis impedimento eſt. Primo inter adſcendentes, & deſcendentes eoſque omnes qui parentum liberorumve loco ſunt, & ab his proveniunt in infinitum, *§.* 1. *&* 2. *Inſtit. de Nupt. tot. tit. Cod. De inceſt. & inutilib. Nupt.*

Quod autem ad tranſverſi ordinis cognatos attinet, inter eos nuptiæ ſunt prohibitæ, uſque ad 14
quar-

quartum gradum excluſive; ſicut inter eos qui tertio gradu ſibi invicem contingunt, nuptiæ non conſiſtant, quarto autem gradu non ſint prohibitæ, ſecundum computationem civilem vulgo receptam, (de qua fuſius ſupra *cap. 5.*) juxta hanc regulam: *Quot ſunt perſonæ*, enumerando ab uno, adſcendendo ad communem ſtipitem, & ab eo iterum deſcendendo ad illum de cujus cognatione quæritur, *tot ſunt gradus*, una dempta, ſcilicet ea à qua initium ſumitur, qui in ſe ipſo gradum non facit. Quod ut exemplo clarius fiat, quæritur, utrum inter conſobrinos, id eſt duorum fratrum aut ſororum, aut fratris & ſororis liberos nuptiæ conſiſtant? Cui reſpondetur: quod inter eos nuptiæ prohibitæ non ſint, eo quod quarto gradu inter ſe diſtent, ut hoc Schemate;

II.
Paulus avus
progenuit

I. Petrum parentem meum | III. Jacobum patruum meum

Mariam. | * Johannem. | IV. Catharinam ex avo neptem conſobrinam. | Paulum.

Secundum quod ita numerabimus, ego Johannes, Petrus Parens meus, Paulus Avus meus, (qui nos omnes generavit) Jacobus Patruus meus, & Catharina ex Avo meo Neptis Conſobrina, ſumus quinque perſonæ, una dempta, ſcilicet me ipſo, à quo initium ſumo, manent quatuor perſonæ; ergo diſtamus nos Johannes, & Catharina inter nos quarto gradu: ergo & inter nos nuptiæ conſiſtunt legitimæ, *§. 4. Inſtit. De Nupt.* quæ hic ſufficiant, reliqua de graduum computatione ex profeſſo tractavimus *ſupra ad tit. hujus lib. 5.*

15 Limitatur tamen illa regula: quod quarto gradu nuptiæ ſubſiſtant in linea tranſverſali: ut non procedat, ſi eorum quis alteri parentis loco ſit: ſororis enim aut fratris neptem aut proneptem uxorem ducere non poſſumt, quamvis quarto aut ulteriori gradu ſimus, quoniam parentis loco ei ſim, *l. 39. ff. De ritu Nupt.*

Alii ex *§. 3. Inſtit. De Nuptiis*, perperam intellecto, ſecundam addunt limitationem; ut ſci-
16 licet, cujus filiam uxorem ducere non poſſum, ejus nec neptem uxorem ducere permittatur. Quod neceſſario ad fratris vel ſororis filiam, neptem & proneptem, &c. reſtringendum eſt: eo quod illis parentis loco ſim, *arg. d. l. 39.* quum regula illa: *Cujus nec filiam, ejus nec neptem,* &c. univerſaliter intellecta aperte falſa eſſet; poſſum enim ducere neptem avi mei, cujus filiam ducere non poſſum; ut in ſchemate noſtro propoſito. Reliquæ perſonæ inter quas nuptiæ propter conſanguinitatis proximitatem conſiſtere non poſſunt, enumerantur fere in *§. 1. 2. 3. 5. Inſtit. De Nupt.*

17 Sed ut ad mores redeamus, à quorum Nuptiis, propter conſanguinitatis proximitatem abſtinendum ſit? In Hollandia, dictat *Politic. Ordin. Ann.* 1580. *art.* 3. Zeland. *art.* 13. Quod cum Jure Romano convenit, ut quibus inter conſobrinos, & collaterales, qui quarto gradu ſe invicem contingunt, nec parentum loco ſunt, nuptiæ ſunt legitimæ: quæ nec Jure divino, nec Cæſareo ſunt prohibitæ; *Levitic.* 18. *verſ.* 7. *& ſeq. Num.* 36. 11. *l.* 3. *ff. de Ritu*
18 *Nupt. l. 10. Cod. de Nupt. §. 4. Inſtit. de Nupt.* Cui *§.* quidem Franciſc. Hotomann. in Commenta. ſuis *ibid. num.* 1. & Anton. Fab. *Juriſprud. Papinian. tit. 9. princ. 6. illat. 6.* negationem addunt, moti authoritate Theophili, *in d. §. 4.* & Caji *lib. 1. Inſtitut. tit. 6. §. 6.* Sed hos textui manifeſtam vim inferre reponimus, primo per collationem textuum, *d. l. 3. l. non ſolum 67. §. 1. ff. de Ritu Nuptiar. l. 23. ff. de condit. inſtitut. l. 78. §. 8. ff. ad Senatuſconſult. Trebellian. & l. 19. Cod. de Nupt.* Et ipſa ratio dictat, quod duorum fratrum & ſororum liberi eodem ac pari gradu ſint, & à communi ſtipite æqualiter diſtent, ac per conſequens nec parentum aut liberorum loco ſibi invicem eſſe poſſunt, in qua regula omnis prohibitio fundata eſt. Nec movet authoritas Theophili, aut Caji; eo quod diverſorum temporum diverſæ de hoc conſtitutiones editæ fuerint, ut videre eſt apud Paul. Cypr. *De Sponſalib. & matrimon. part. 2. cap. 6. §. 1. num. 19.*

num. 19. Exemplum eſt in *l. 6. Cod. de inceſt. & inutilib. Nupt.* quæ correcta eſt per *l. 19. Cod. de Nupt.* Sic ut veriſimile ſit Theophilum, qui Græce, ſed liberius, fuſiuſque hunc librum vertit, negationem ex ſæculi ſui jure addidiſſe, quo iterum ejuſmodi nuptiæ improbatæ erant. Quemadmodum & hoc quod apud Cajum *d. loco.* de Amitinorum & conſobrinorum nuptiis dicitur, eas nulla ratione permitti, ab Aniani manu eſſe videtur, ad ſæculi ſui morem ex Gothorum jure accommodatum. Ut recte notat Doctiſſimus Juvenis Jacob. Ouſeel, *in Not. ſuis ad Caji Inſtitutiones, d. loco.* Nec ad rem ratio Antonii Fabri ex *§. 3. Inſtit. de nupt.* allata, quod cujus nuptias mater habere non poteſt, nec filia poſſit; quæ regula ex *d. §.* univerſaliter ſumi non poteſt, ut mox docuimus.

Sic ut pro indubitabili fundamento ponamus, quod ubicunque nec jus Pontificium eſt receptum, nec ſtatutaria prohibitio ſit, conſobrinis, id eſt, duorum fratrum, aut ſororum, aut fratris & ſororis liberis, qui ſibi invicem quarto ſunt gradu, nuptias contrahere prohibitum non ſit, quippe quæ nec jure divino nec jure civili improbatæ ſint.

Sic ut nobis etiam ſit demonſtrandum, quid jure canonico, & his qui hac in parte jus canoni- 19
cum ſequuntur, obtineat. Jure canonico igitur res aliter ſeſe habet, eoque inter eos qui intra quartum cognationis gradum ſibi invicem ſunt conjuncti, ut ſunt duorum fratrum & ſororum liberi, nuptiæ ſunt prohibitæ, *cap. non debet, De conſanguinitat. cap. & affinitat. cap. cum inhibitio. De clandeſt. deſp.* diverſa etiam graduum computatione facta, de qua latius ſuo loco.

Præter Pontificios, Pontificiæque Relligioni deditos, jus canonicum hac in re ſequuntur Galli, teſte Baron. *ad tit. Inſtit. De nupt.* eſtque text. *in Cod. Juris Civil. Romano Gallici Henrici* IV. *lib. 1. tit. 3. cap. 5. num. 36.* Quod & in Provinciis & Ducatibus Electoratus & aliorum Saxoniæ Ducum ex ſpeciali Statuto obtinet, teſte Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtor. lib. 2. tit. 5. defin. 78. & defin. 85. num. 3.* Ubi in omnibus reformatis Auguſtanæ Confeſſionis eandem prohibitionem quoque obtinere refert. Quod & Jure conſuetudinario Regni Hungariæ *part. 1. tit. 117.* cautum legimus his verbis: *Conſanguinitas ſecundum ſacros Canones, & regni quoque noſtri legem uſque ad quartum gradum incluſive, connubium prohibet, atque vetat.* Jure vero Provinciali Ducatus Pruſſiæ, matrimonium quarto gradu in linea æquali, ob urgentes rationes permittitur, propterea quod neque divino, neque naturali, neque Cæſareo jure ſit vetitum, ut ſonat text. *lib. 2. tit. 2. art. 1. §. 8. num. 3.*

Sed & affinitas jure civili & moribus impedimento eſt, *arg. §. 6. Inſtit. De Nupt.* Quouſque 20
vero hac in re affinitatis computatio ſeſe extendat, dubium ſæpe videtur: eo quod omnes gradus, qui quidem ratione conſanguinitatis matrimonium impediunt, expreſſim prohibitorii non ſunt, nec inter propoſitos caſus in *§. 6. 7. & ſeqq.* ſint expreſſi, ita ſuborta aliquando quæſtione de matrimonio cum filia ex prædefunctæ uxoris ſorore, aut filio à prædefuncti mariti fratre progenito, quum caſus ille ſcripto jure expreſſus non ſit, aliquoties inter eos matrimonium conſiſtere judicatum eſt. Ita tenent Beza *tract. de divort.* Zanch. *de Matrimonio lib. 7. diſput. 52. num. 1.* & Bellarmin. *de matrim. cap. 24. collat. antepenult. verſ. & quidem.* Et inter Juriſconſultos, Alexan. *conſil. 229. lib. 6.* Conan. *lib. 8. comment. cap. 5. num. 7.* Vide quoque Groeneweg. ad Grot. *lib. 1, cap. 5. num. 17.* Et ab Ordinibus Hollandiæ ſuper iis aliquoties diſpenſatum, donec ſu- 21
premæ curiæ Senatu, nec non SS. Theologiæ Facultate Academ. Lugdun. Batav. in conſilium adhibitis Anno 1626. expreſſa Ordinum reſolutione cautum ſit, ſeſe ejuſmodi matrimonia tanquam juris divini, cultioris politiæ, & publicæ honeſtatis fundamentis contraria, in poſterum non permiſſuros, aut probaturos, qui caſus quamvis Politic. Holland. Ordinat. in prohibitione matrimonii ex gradu affinitatis forte non exprimatur, attamen generalitati textus includitur, & intentioni legis quam proxime accedere volunt, his verbis, *art. 8.* **Dat den Man met egene bloed-verwanten ofte magen van ſijn overleden huyſvrouwe / nog de Vrouwe met egene bloed-verwanten ofte magen van haaren overleden Man / den ſelven Man / ende Vrouw binnen de voorſz. uytgedrukten graden beſtaande / malkanderen niet en ſullen trouwen** / &c. hoc eſt: Ut nec maritus cum conſanguineis uxoris ſuæ, nec uxor cum conſanguineis mariti ſui prædefuncti, intra prædictos gradus prohibitos, ſibi invicem matrimonio jungantur: quod & Jure Canonico pariter, & jure provinciali Saxonico probatum refert Benedict. Carpzov. *defin. Conſiſtor. lib. 2. tit. 6. defin. 92.*

Quod tamen dubium eſt, an generalitati textus tantum ſit differendum, ut etiam tacite com- 22
prehendat alios caſus qui in ſpecierum enumeratione, *eod. §. 8. & ſeqq.* nominatim facta, expreſſi non ſunt. Propterea quod in edictis prohibitoriis, quale hoc eſt, permiſſa omnia cenſentur quæ in lege prohibita non ſunt, *L. 5. ff. de probationib. L. 1. §. 1. ff. de teſtibus.* Præſertim ubi caſus & ſpe-

ſpecies enumerantur. Argumentum enim à ſufficienti partium enumeratione in Jure eſt fortiſſimum. *per l. 8. ff. de his qui ſunt ſui vel alien. Juris.* ubi Bart. & DD. Nicol. Everhard. *loco à partium enumeratione* 96. Sic ut non abs re alii voluerint illos affinitatis gradus, qui in dicta *Politica Ordinat.* non exprimuntur, non eſſe prohibitos, licet iidem gradus in conſanguinitate matrimonium non admittant. Facit text. in ipſa prohibitionis introductione, ubi conſequentem graduum enumerationem propoſitam eſſe, ut omne dubium ſubmoveatur, ipſe textus declarat his verbis: **Dat eenige duyſterheit ende verſcheidenheit in de betekening der graden / byſonder in de maagſchap van ter ſyden werd bevonden: Soo iſt dat de Staten de verboden graden hier naar hebben doen uytdrukken.** Id eſt: *Quum dubium & difficultas aliqua in ipſa graduum ſignificatione reſidere videatur, præſertim in linea collaterali: Idcirco DD. Ordines prohibitos gradus hiſce enumerari curarunt:* Ergo qui gradus hic enumerati non ſunt permiſſi eſſe cenſentur: non obſtante generalitate textus *d. art.* 8. quæ ipſo contextu ad ſubſequentem enumerationem reſtringitur hoc demonſtrativo verbo, **Namentlijk:** id eſt veluti ſunt &c. Idem in ipſa lege Moſaica occurrit *Levit.* 18. *verſ.* 6. Ubi in genere Deus prohibuerat, ut nemo ad proximum ſanguinis ſui accedat, ut turpitudinem ejus revelet. Quod ne perpetuum ſit, ad certos & conſanguinitatis & adfinitatis gradus reſtringit, facta diſtinctione inter conſanguinitatis & adfinitatis gradus, cujus prohibitio tanta non eſt, ut in cujus enumeratione varii caſus omittuntur, qui in conſanguinitate prohibiti recenſentur; iidemque illi qui in dicta *Politica Ordinat.* omiſſi reperiuntur. Quare non abſurde quis argumentetur, quod quemadmodum lege Moſaica adfinitatis gradus ibidem non expreſſe prohibiti, nuptiis contrahendis impedimento non ſunt, eoſdem illos gradus in Politica Ordinatione pari ratione, quod adfinitatis alia quam conſanguinitatis ſit ratio, omiſſos, pro matrimonio eſſe admittendos. Vid. Corenſ. *Conſil.* 21. Quod DD. Ordin. moviſſe videtur, ne ſuper hoc caſu in poſterum amplius dubitetur: utrum inter prohibitos ſit recenſendus, expreſſa ſanctione 21. Maji 1664. declarare: **Dat de Huywelijken met ſyn overleden Huyſvrouwen broeders / ofte ſuſters dogter / niet tegenſtaande daar van geen byſonder verbod in het agtſte ende volgende articulen van de Politique Ordonnantien en is gedaan / voor ongeoorlooft ende van onwaarden ſullen werden gehouden.** Id eſt: *Ut matrimonia cum prædefunctæ uxoris fratris aut ſororis filia, non obſtante quod octavo & ulteriori Politicæ Ordinationis articulo nulla eorum mentio facta ſit, illicita ac irrita reputentur.* Quo præſuppoſito & alii adfinitatis gradus, qui *d. Polit. Ordin.* non enumerantur, permiſſi intelligendi ſunt, donec ſimili ſanctione inter prohibitos declarentur. Quemadmodum nuperrime in facto conſului, quod matrimonium cum prædefunctæ uxoris matertera prohibitum non ſit, propterea quod neque Jure divino *Levitic. cap.* 18. neque Romano *§. 6. 7. & ſeq. Inſtit. de nupt.* neque *Ordin. Politic.* ejuſque ampliatione 21. *Maji*, inter prohibitos adfinitatis gradus non recenſeatur.

22 Sic ut Regula illa non procedat ut quouſque prohibitio matrimonii ſe extendat in cognatione, eo uſque etiam ſe extendat in affinitate, quamvis enim conſanguinei uxoris meæ, & mei ſunt conſanguinei, & vice verſa qui mei ſunt conſanguinei, ſunt etiam conſanguinei uxoris meæ, & mei & uxoris meæ invicem affines ſint, non ideo eadem prohibitionis matrimonii ratio eſt affinitatis quæ conſanguinitatis eſt, præterea notandum quod utriuſque conjugis cognati inter ſe nulla affinitatis neceſſitudine ſint conjuncti, aut prohibitione aliqua à contrahendo matrimonio prohibiti: Sic ut pater & filius matrem & filiam: plures fratres, plures ſorores alias, & ego ſororem tuam, tuque meam ducere potes, nec proprie loquendo affines ſumus, neque eo nomine vel in ſacris aut profanis legibus ulla prohibitio exſtat.

23 Sed porro, quum leges fere omnes quotquot ſunt nuptiarum prohibitoriæ, de primo affinitatis
genere loquantur, quæritur quid ſit dicendum de ſecundo affinitatis genere, & an inibi eadem obti-
neat regula quæ in conſanguineis, ſcilicet ut omnes affines uxoris meæ etiam ſint mei affines, & vice
verſa omnes mei affines etiam ſint affines uxoris meæ, ac proinde inter eos quoque nuptiæ non
conſiſtant? Diſtinguendum eſt inter lineam aſcendentem ſive deſcendentem, & inter lineam col-
lateralem, ut inter adſcendentes & deſcendentes quidem, ut ſunt vitrici & privigni mei vidua &
novercæ meæ maritus, inter quos jure Canonico per *tit. Gregor. 9. de conſanguinitat. & affinitat.*
nuptiæ prohibitæ non cenſentur, eorundem tamen nuptiis abſtinendum ſit, per *text. in l.* 15. *ff. De*
24 *Ritu nupt.* In linea vero collaterali ejuſmodi nuptiæ licitæ ſint; Sic ut cum vidua ejus qui fuit uxo-
ris meæ frater, patruus aut avunculus, & è converſo, matrimonium rite conſiſtat. Et hoc Jure
utimur. Quod & in Germania obtinere teſtatur Schneiduinus *ad tit. Inſtit. de Nupt. Rubric. De
Arb. affinit.* & Georg. Schultz *ad §. 6. Inſtit. de nupt. litt. F.* Quam diſtinctionem tamen vix ad-
mittit Benedict Carpzov. *Definit. Conſiſtorial. Elect. Saxon. lib. 2. defin.* 102.

Cod. v. vi. De Interdicto matrimonii inter pupillam & tutorem, ſeu curatorem, filiosque eorum. Cod. v. v. Si quacunque præditus poteſtate, vel ad eum pertinentes.

Inter tutorem ſeu curatorem eorumve filios & quondam pupillam ſuam, interque Magiſtratum & ſubditam nuptiæ olim erant interdictæ, *tot. tit. Cod. de Interdict. matrimon. inter pupill. & tutor. & tit. Si quacunque præditus poteſtate*: ſed quum hodierna nuptiarum ſolennitas omnem ſuſpicionem removeat; hodie inter eos nuptiæ prohibitæ non ſunt, Gudelin. *De Jure Noviſſ. lib. 1. cap. 9. in fin.* Montan. *de Tutelis cap. 31. in fin.* Argentr. *ad conſuetud. Britann. art. 35. not. 1. num. 4.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de Sponſalib. in princip.* Quemadmodum nec illud obſervatur: quod aliquis poteſtate præditus ad nuptias Jurisdictioni ſuæ ſuppoſitarum adſpirare non poſſit, *tot. tit. Cod. Si quacunque præditus poteſtate.* Qui titulus noſtris & aliorum moribus plane abrogatus eſt. Zyp. *notit. Iur. Belg. De Sponſalib. in pr.* Rittershuſ. *De differ. Iur. lib. 1. cap. 20.* Mornac. *obſerv. eod.* Argentr. *ad conſuetud. Brittan. art. 35. not. 1. num. 4.* 25

Unius viri & fœminæ unicum tantum eſt matrimonium, *Geneſ. 1. 27. & cap. 2. 22.* Matth. 5. 32. *& cap. 18. verſic. 25.* Vid. Tacit. *de Morib. Germanor.* & Cluver. *German. Antiq. lib. 1. cap. 20.* Eſtque ſpecies adulterii, nec ſolum jure divino, ſed etiam Canonico, civili, gentium, ac naturali bigamia prohibita eſt, ut late Menoch. *De arbitrar. judic. quæſt. lib. 2. cent. 5. caſ. 420. num. 2. & ſeqq.* Joach. Beuſt *De Iure Connub. part. 2. cap. 3.* Contra Bezam tamen Polygamiam naturali ac gentium juri minime repugnare defendit Bacchov. ad Treutler. *vol. 2. diſp. 6. theſ. 7. litt. c.* cujus pœna apud Germanos juxta adulterii ultimum ſupplicium eſt. Ordinat. Criminal. *Carol. V. art. 121.* Conſtit. Elector. 20. *part. 4.* quo facit *l. 11. §. 12. l. 43. in fin. ff. ad leg. Iul. de Adulter. Novell. 134. cap. 10.* Sed moribus noſtris, quibus adulterii pœna pecuniaria fere eſt, ut plurimum fuſtigatione & relegatione punitur. 26

Sic ut ex præſcripto juris Friſici quidam qui fingens ſe eſſe cœlibem, relicta uxore cum altera aliquamdiu conſueverat, ex Curiæ ſententia publicè virgis cæſus, & ad quinquennium relegatus eſt, teſte Joann. à Sande *lib. 5. tit. 9. defin. 16.* Vide Gothofred. *ad d. l. 18. Cod. ad leg. Iul. de Adult.* & Autumn. *ad l. 2. Cod. de inceſt. Nupt.* & Menoch. *De Arbitrar. Iudic. lib. 2 caſ. 420.*

Cod. v. ix De Secundis Nupt.

Cæterum ſecundæ aut ulteriores nuptiæ, quæ ſucceſſive ineuntur, legibus nec moribus prohibitæ ſunt, *tot. tit. Cod. de Secund. Nupt.* Niſi quod mulier intra annum luctus ad ſecunda vota procedens infamiâ notatur, omniaque, quæ de prioris mariti bonis, vel jure ſponſalium, vel judicio defuncti conjugis conſecuta fuerit, amittit, *l. 1. & 2. Cod. de Secund.* Quæ tamen moribus non obtinent, quibus ſtatuto fere ſimpliciter prohibetur, ne propter ſanguinis confuſionem, & prolis incertitudinem, intra ſex menſes à morte mariti ad ſecundas nuptias admittatur mulier: ſic ut eo ipſo pœnæ illæ ſublatæ ſint, & hac in parte jus Canonicum ſequamur, *cap. Euthymium 2. quæſt. 3. cap. penult. & cap. final. extra de Secund. Nupt.* quibus omnes pœnæ in odium nubentium intra annum luctus conſtitutæ ſublatæ ſunt, ut latius Abb. & Innocent. *in d. cap. final.* & Abbas *in cap. Eccleſ. S. Mariæ, De Conſtitut. num. 15. 12.* Felin. *ibid. num. 56. 57.* Covarruv. *de ſponſalib. part. 2. cap. 3. §. 9. num. 5.* Zanch. *De matrimonio lib. 7. diſput. 87. num. 23. cum ſeqq.* Quod & à legiſtis communiter eſt receptum, ut late poſt alios, Peck. *De Teſtam. Conjug. lib. 1. cap. 47. num. 3.* Et in praxi ubique fere obtinet; ita judicatum referunt Anton. Fab. *ad Cod. lib. 5. tit. 5. defin. 1.* Boër. *deciſ. 186.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 98.* Atque ita demum in Hollandiæ curia judicatum, **inder ſaake van Vrouw Anna van Charu**/contra **Mr. Otto van Arckel**/ & ab inde receptum eſt. Vide quoque Jacob. Coren, *Conſil. 11. num. 11. 12. & ſeqq.* in Provinciis tamen Electoratus Saxoniæ, integrum annum luctus exſpectare debet vidua, priuſquam ad ſecundas convolet nuptias. Ut ex Ordin. Matrimon. Anno 1624. refert Carpzov. *lib. 2. Iuriſprud. Conſiſtorial. tit. 9. definit. 259.* 27 28

Pœnæ tamen legales in favorem liberorum anterioris matrimonii jure civili per *l. 3. & l. 6. Cod. De Secundis Nuptiis* ſtatutæ, etiamnum in uſu ſunt, ſive intra, ſive poſt annum luctus mulier denuo nupſerit, quibus viduus aut vidua exiſtentibus ex anteriori matrimonio liberis, ſecundo conjugi non plus per ultimam voluntatem, dotis, aut donationis propter nuptias ratione, aut per aliam quamlibet diſpoſitionem dare aut relinquere poteſt, quam uni liberorum ex anteriori matrimonio nato, qui minimam ejus hereditatis partem accipit, juxta *l. hac edictali, 6. Cod. de ſecund. Nupt.* Coren *obſerv. 30. num. 29. & 54. in margine.* Neoſtad. *de pact. antenupt. obſervat. 4. in not.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 223. deciſ. 271. num. 21. 21. & vol. 3. deciſ. 151. num. 9.* Gudelin. *de Iure Noviſſimo lib. 1. cap. 12. in fin.* Zyp. *Notit. Iur. Belg. tit. de ſecundis Nupt.* Et parens binubus, à priori conjuge quocunque titulo ſibi donata, aut relicta, non alienare aut transferre in extraneam perſonam poteſt; ſed retinet tantum eorum uſumfructum, reſervata prioribus liberis proprietate, per *l. Fœminæ 3. junct. l. 5. Cod. eod.* Quæ lex 3. licet ſolummodo de fœmina & matre ad ſecundas nuptias tranſeunte loquatur; attamen etiam de parente intelligenda 29

eſt,

eſt, quomodo etiam intelligendæ ſunt *Novell.* 2. *cap.* 2. *& Novell.* 22. *cap.* 46. Ut communiter in praxi eſt receptum, teſtibus Nicol. Boër. *deciſ.* 187. Gomez. *ad leg. Tauri* 14. *num.* 4. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 98. *num.* 2. & pluribus quos citat Joann. à Sande *lib.* 2. *tit.* 3. *def.* 2. Ubi ita quoque à ſupremo Friſiæ Senatu judicatum refert.

30 Circa quod obſervandum eſt, ur quamvis *d. l. 6. hac edictali*, ita ſtricte accipiatur, ut ne quid in fraudem earundem legum ſecundi conjugis liberis, parenti, aut conſanguineis extra filialem portionem poſſit relinqui, & ſi quid extra id datum aur conſtitutum, liberis ex anteriori matrimonio natis in totum cedat, ur latius præcedenti titulo, ſuo loco demonſtravimus; attamen per conſuetudinariam omnium bonorum communionem inter conjuges reſtringitur, ut ea non obſtante, ſi pacta nulla interceſſerint, dicta bonorum communio prævaleat; atque extra dimidiam partem, quæ cuique ex ipſa communione obvenit, inſuper ſecundo conjugi filialis portio, ex dimidio altero teſtamento relinqui poſſit: arg. Politic. Ordinat. Holland. *art.* 23. *in verbis*, **'t Welk ook plaats heeft.** Neoſtad. *De pact. antenupt. obſerv.* 4. *in not.* Coren *obſerv.* 30. *num.* 29. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 271. *num.* 11. Vide etiam Peck. *de teſtam. conjugum lib.* 2. *cap. ult. num.* 8. & Joann. van Zomeren *tract. de Jure Novercat. cap.* 1.

Cap. XIV.

De Ritu Nuptiarum.

Summaria.

1. *Quis ſit & fuerit Nuptiarum ritus & ſolennitas in Hollandia?*
2. *Quis ſit proclamationum publicarum effectus?*
3. *Nuptiarum ſolennitatis deſcriptio.*
4. *Ubique locorum recepta, in Gallia, Hiſpania, Germania.*
5. *Deductio Sponſæ in domum mariti, an neceſſaria, & quatenus recepta in Hollandia, Gallia, Saxonia, Hiſpania, Friſia, Gelria, & Diœceſi Ultrajectina?*
6. *An & quomodo ſolennes nuptiarum trinundinæ proclamationes anticipari, aut abbreviari poßint, & quid ea in re moribus obtineat?*
7. *An & urgente neceßitate in ædibus privatis, ſolennis matrimonii copula conſummari poſſit?*
8. *An & quomodo inter abſentes per epiſtolam aut mandatum?*
9. *Quomodo inter latitantes invitos.*

1 Quod ad matrimonii conſummationem attinet: ritus & ſolennitates nuptiarum in Hollandia olim perexigui erant, & vix in alio, quam concubitu deſponſatorum, coram, & applaudentibus propinquioribus conſiſtebant. Quod quum periculoſum valde eſſet; ita ut ſæpiſſime quidam prioribus ſponſalibus poſthabitis, poſteriora præferrent, aut conſanguinitate propinquioribus quam debebant, nonnunquam & abſque conſenſu, aut inſciis parentibus, aliiſque quorum intererat, clandeſtine copularentur: tractu temporis ſuper eo certa ſolennitate fuit proviſum: & quidem *Ordinat. Politie. Holland. Anno* 1580. *art.* 3. cautum eſt: ne aliter conſiſtant nuptiæ, quam ſi trinis publicis proclamationibus, à Magiſtratu loci, ſingulis diebus dominicis intercedentibus, poſt cauſæ cognitionem conceſſis, in Eccleſiis è ſuggeſtu in facie Eccleſiæ, aut, ſi Reformati non ſint, è curiæ loco publicationi deſtinato, coram magiſtratu pactum connubiale certis ſolennibus conſummetur. Quod d. Politica Ordinatione indifferenter conceditur: utrum in Eccleſia, an coram magiſtratu loci, matrimonii ſolennitatem adimplere velint: Sed quorundam & plerorumque ſtatutis propriis, aut inducta conſuetudine ad eos qui reformatæ religionis non ſunt, reſtringitur, ut hi duntaxat coram Magiſtratu nuptiarum ſolennia adimplere admittantur, reliqui in facie Eccleſiæ conſummandi matrimonii ſolennitatem adhibeant. *Digeſt. [illegible] De Ritu Nuptiarum.*

2 Quarum proclamarionum præcipuus effectus eſt, ut interea quicunque voluerit, & valuerit legitimum impedimentum exponere, ſe matrimonio contrahendo opponat. Quod ut magis innoteſcat, non ſolum eo in loco in quo ſponſus aut ſponſa degunt: ſed etiam in quo uterque vel alteruter natus, aut educatus eſt, vel ubi per annum & diem proximum fixum habuerint domicilium, publicatio illa fieri debet, ne ſi ſponſus vel ſponſa peregre advenerint, fraus aut fallacia committatur.

3 Nuptiarum itaque ſolennitas hoc modo deſcribitur; ut ſit ritus legitimus, quo ſponſus & ſponſa juſtis ſponſalibus, & publica trina denunciatione præcedente, comitantibus parentibus,

cognatis, vicinis, aut aliis honeſtis perſonis, ad templum aut curiam deducuntur, ac explorato
prius matrimoniali utriuſque partis conſenſu, datis invicem dextris, ab Eccleſiæ Miniſtro in
Templis, aut Magiſtratu in curia, & de divina conjugii inſtitutione, ejuſdemque finibus, & de
officio utrique in poſterum incumbente admonitione factâ, ſolenniter copulantur.

Quod ubique fere locorum ſuo modo eſt receptum, præſertim in Eccleſiis per Auguſtanam 4
confeſſionem reformatis. De reliquis Belgiæ Provinciis vide Conſil. Tridentin. ſub Pio IV.
Seſſ. 8. decret. 2. tit. De reformat. Matrimon. in Gallia idem juris conſtituti aſſerunt *Cod. jur. ci-
vil. Romano Gall. ſub Henric. IV. tit. De Nuptiis, cap.* 4. Mornac. *obſervat. ad l.* 5. *ff. De Ritu
Nuptiar.* in Germania Carpzov. *definit. Conſiſtorial. lib.* 2. *tit.* 8. *definit.* 137. *& ſeqq.* Georg.
Schultz *ad tit. Inſtit. de Nupt.* in Hiſpania *nov. collect. Reg. Hiſpan. lib.* 1. *tit.* 3. *part.* 4. Gutierez
Practic. quaſt. lib. 2. *quaſt.* 4. *num.* 10. Quod & cum Jure Canonico convenire videtur, *cap.* 4. *ex-
tra de clandeſtin. Sponſalib. & cap. cum in tua* 27. *extr. eod. & cap.* 3. *quaſt.* 5. *cap. ult. Qui matrim.
acc. poſſ.* Hoſtienſ. *ad tit. de clandeſt. deſponſ. num.* 2. *ubi: qui voluerit.* Et hoc fuiſſe vetuſtiſſimum
Eccleſiæ Chriſtianæ inſtitutum, ex Tertulliano, refert Hottomann. *illuſtr. quaſt.* 2. illudque etiam
Imperatorum Græcorum Leonis & Alexii conſtitutionibus cautum eſſe ſcribit Conſtantin. Har-
menopul. *lib.* 4. *Epitom. tit.* 4.

Jure Civili Romano quidem deductione in domum mariti opus erat, *l.* 5. *ff. De Ritu Nuptiar.* 5
Quod licet moribus noſtris uſum aliquem retinuiſſe videtur, eo quod ut plurimum, peracta bene-
dictione Sacerdotali, cognati, vicini, & amici à novis conjugibus, vel ipſorum parentibus, ho-
neſto excipiuntur convivio, cui deductio Sponſæ in domum ſponſi eſt annexa, per quam ſponſa
in poſſeſſionem quaſi mariti traditur; nullius tamen neceſſitatis eſt, eo quod benedictio Sacerdo-
talis, coram facie Eccleſiæ celebranda, in locum deductionis ſponſæ in domum ſucceſſit, adeoque
nuptiarum conditio cenſeatur impleta ipſo actu, in facie Eccleſiæ, aut coram Magiſtratu legitime
contracto, etiamſi nec introductio in domum mariti, nec concubitus ſubſecutus ſit, Grot. *Intro-
duct. lib.* 1. *part.* 5. *num.* 24. Jacob. Coren *Conſil.* 26. *num.* 64. Peck. *De Teſtam. conjug. lib.* 7.
cap. 5. *num.* 6. Paul. Cypr. *de Sponſalib. cap.* 5. *§.* 6. *& cap.* 11. *§.* 15. *&* 20. Joachim. à Beuſt
de jure connub. part. 2. *in præfat. §. fuerint & gentium ritus.* Et ab eo ipſo momento conjugalis bo-
norum communio locum ſibi vindicat, ut in Hollandiæ Curia in notabili admodum caſu judica-
tum legimus apud Neoſtad. *De pact. antenupt. obſerv.* 15. 16. 17. de quo etiam vide Buſ. *ad l.* 6.
ff. De ritu Nuptiar. num. 8. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 80. *num.* 4. *& ſeqq.* Matth. de Afflict. *de-
ciſ.* 61. *num.* 5. ita expreſſe cautum eſt *Tranſiſulaniæ, part.* 2. *tit.* 2. *art.* 2. *in fin. & Velaviæ ſtatut.
cap.* 27. *art.* 2. Quomodo & in Gallia conſuetudine eſſe receptum teſtatur Mornac. *ad l.* 5. *&* 6.
ff. eod. Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. rubr.* 4. *§.* 6. *gloſſ. Maria, num.* 14. *& ſeqq.* Jure tamen
Saxonico, matrimonium quidem conſummari dicitur per copulam ſeu benedictionem ſacerdota-
lem, ad effectum juris hypothecæ quod mulieri in bonis mariti ratione dotis illatæ competit, ab
eoque incipit tempore quo facta fuit copulatio Eccleſiaſtica; non tamen ad ulteriorem conjugis
ſucceſſionem: quum pleniſſima matrimonii conſummatio illis demum fiat per commixtionem
carnalem, & thori conjugalis conſcenſionem, & ingreſſum; ſic ut ante concubitum & conjuga-
lis thori ingreſſum conjunx ſuperſtes ad defuncti conjugis ſucceſſionem haud admittatur Jure Sa-
xonico; ut ex Conſtitut. Electoral. Carpzov. *Jurisprud. conſiſtor. lib.* 3. *tit.* 5. *defin.* 57. *num.* 15.
16. & *defin.* 68. *num.* 9. Et *Jurisprud. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 19. *defin.* 1. Quod & Hiſpani
ſequuntur, teſte Gomez. *ad leg. Taur. l.* 50. *num.* 72. Joann. Lopes *de lucro Mariti & uxor. cap.* 6.
num. 1. *&* 2. Qui ad hoc ut conjugalis bonorum ſocietas obtineat, thori ingreſſum indiſtincte
requirunt, & in Friſia ita obſervari refert Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 1. *in fin.* idemque in *Provinc.
Ultraject. Statut. Conſuetudinar.* expreſſe cautum eſſe legimus *Rubric.* 22. *art.* 1.

Quum Nuptiarum ritus & ſolemnitates de ſubſtantia ipſius matrimonii eſſe dicantur; ſic ut pro-
pter minimam earundem omiſſionem, aut defraudationem, nec vir, nec uxor, nec dos, nec ma-
trimonium intelligatur, *arg. §. ſi adverſus ea.* 12. *Inſtitut. De Nupt.* cui reſpondet text. expreſſ.
Politic. Ordinat. Holland. art. 3. *in fin. in verb.* **Alle de gene die** / &c. Idemque Concilio Tri-
dentino totidem fere verbis exprimitur, *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *verſic. Qui aliter, &c.* Quod & cum
aliorum locorum Statutis convenit; præterquam quod in Friſia, ſi ſolenniſatio illa facta non ſit,
non ideirco matrimonium quod etiamnum ibi ſolo conſenſu conſtare videtur, irritum eſſe pronun-
cietur: ſed contra facientes certa tantum pœna mulctentur, teſte Joann. à Sande *lib.* 2. *tit.* 1. *de-
fin.* 1. Videndum, nunquid in caſu neceſſitatis iſti ſolemnitati quid detrahi poſſit? Et primo 6
quæritur de trinis iſtis proclamationibus intercedentibus, nunquid illæ anticipari aut abbreviari
poſſint? Reſpondeo, ſi rationabilis neceſſitatis cauſa adſit, non tantum anticipari, aut abbreviari

poſſe,

poſſe, ſic ut unica vice atque unica dominica bina ac trina fiat denunciatio; ſed & in totum remitti poſſe à ſuperiori poteſtate; ſi modo id non fiat in fraudem aut præjudicium juris alieni, quibus ut plurimum hac clauſula ſubvenitur, **behoudens ons ende een yder ſijn regt.** Quum enim ritus hujus proclamationis publicæ jure divino mandatus non ſit, ſed pia obſervantia in Eccleſia introductus, & ſic deinceps ordinationibus Politico-Eccleſiaſticis confirmatus ſit, nihil obſtat, quo minus à ſuperiori poteſtate diſpenſari queat; quippe quæ juri poſitivo derogare, legiſque gratiam facere valeat. Accidit enim quandoque, ut neceſſaria ex cauſa perſonæ diſpenſatæ properent ad matrimonii conſummationem, nec ſine jactura tam diu eam differre queant, ut diſtinctis vicibus trina proclamatio intercedat. Quod quidem extra dubium eſt, ſi fiat cum licentia Magiſtratus ſuperioris, qui contra jus poſitivum diſpenſare valent. Jaſon. *ad l. ult. Cod. Si contra jus vel utilitat. public. num.* 4. *& ſeqq.* Andr. Gail *lib.* 1. *obſerv.* 14. *num.* 6. *&* DD. *ad l. Princeps, ff. De legib.*

Sed quid ſi neceſſitas tanta ſit, ut nec tantillum temporis ſpatium admittat, ut pro obtinenda diſpenſatione principem compellare liceat? Eo caſu Eccleſiæ miniſtrum, non impetrata etiam diſpenſatione, proclamatione omiſſa, tuto ad ipſam copulationem progredi poſſe ſcribit Carpzov. *lib.* 2. *Juriſprud. Conſiſtorial. tit.* 8. *defin.* 141. Eo quod neceſſitas ſemper habeat diſpenſationem annexam propter quam non ſubditur legi, præſertim ſi neceſſitas abſoluta ſit, ſine qua ſine evidenti periculo vitæ, dignitatis, aut honoris commode vivere non poſſimus. Ut ex authoritate D. Thomæ argumentatur Hieronym. Cævall. *ſpeculo. Commun. Opinion. quæſt.* 906. *num.* 53. *&* 54. quem vide & DD. *ibid. allegat.* Quod & hac in re probare videtur Concilium Tridentinum, *Seſſ.* 24. *cap.* 1. his verbis: *Ante matrimonii conſummationem trina denunciationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſint impedimenta, facilius detegantur: niſi* (quod notandum) *ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædicta denunciationes remittantur:* quod illius prudentiæ, & judicio Sancta Synodus relinquit. Quod an inter Reformatos apud nos obtineat, quamvis in ſumma neceſſitate rationem ſuam habeat, vix affirmare auſim: quia diſpenſatio illa nobis, propter ſupra dictam clauſulam, *art.* 3. *Politic. Ordinat.* eſt reſervatum quoddam ſuperioritatis, de quo judices ac Magiſtratus inferiores nihil participant: quum diſpenſandi facultatem non habeant.

7 Cæterum cum copulatio conjugum in templo coram facie Eccleſiæ peragenda ſit, quid ſi jam nuptiis inſtitutis, ac termino copulationi præfixo, alteruter ſponſorum in morbum repentinum inciderit, ita ut lecto affixus ſine periculo ædibus ſuis egredi nequeat, nec tamen ob temporis anguſtiam diſpenſatio impetrari poſſit, utrum ſuperintendenti & miniſtris Eccleſiæ, ſponſis veniam dare, & copulam ac benedictionem ſacerdotalem in ædibus privatis, convocatis vicinis, & propinquioribus conſanguineis permitti poſſit? Negari vix poteſt, quum ille ritus tantum ſit conſuetudinis, & piæ obſervationis, cujus nec in Sacro Codice, nec in Politica aut Eccleſiaſtica ordinatione ulla ſanctio clara aut expreſſa reperitur. Nec conſuetudinarius coram facie Eccleſiæ in templis, aut ædibus ſacris, ritus tantum operatur, ut extremam neceſſitatem excludat, quum ipſa Eccleſia ad certum locum, vel ædem ſacram alligata non ſit, ſed in cœtu fidelium conſiſtat; quod ſi igitur in ædibus privati, ac nuptialibus homines in teſtimonium rei peragendæ convenerint, Eccleſiam ibi eſſe, ac coram facie Dei, totiuſque Eccleſiæ copulationem fieri, & perinde ac in templo celebrari, nemo inficias ibit: haud alia ratione, quam eorum Nuptiæ quæ coram Magiſtratu loci conſummari debent, propterea quod reformatæ relligionis non ſint, quotidie utrobique etiam in ædibus privatis, ubicunque modo Magiſtratus legitime convenerit, ex cauſa rite ac ſolenniter celebrari quotidie permittuntur. Quamvis cavendum ſit magnopere, ne indifferenter, ac quibuſvis leviuſcula etiam ex cauſa iſtiuſmodi copulationis venia concedatur, ne forſan exceptio tranſeat in regulam, ac pia & Chriſtiana obſervantia penitus abrogetur.

8 Sed & per epiſtolam, aut per procuratorem matrimonium poſſe contrahi videtur ex *l.* 5. *l.* 6. *& l.* 34. *ff. De Ritu Nuptiar.* Weſenbec. *Paratit. ff. De Ritu Nupt. num.* 5. Duaren. *De Nupt. cap.* 2. Quod & cum Jure Canonico convenit; *l. final. de procurator. in* 6. Gloſſ. *in cap. cum ſocietas* 27. *quæſt.* 2. & moribus obtinere teſtatur Groeneweg. *De legib. Abrog. ad d.l.* 5. *ff. De Nupt.* Quod an ſimpliciter verum ſit? videndum. Jure Romano quidem quo ſolus conſenſus nuptias fecit, abſque ullo actu extraneo interveniente, *l.* 30. *ff. De Reg. Jur. l.* 15. *ff. De Condit. & demonſtrat.* res expedita eſt. Sed quum moribus & ſtatutis gentium publica ipſorum contrahentium aſſertio, & ut miniſter & teſtes intelligant contrahentium conſenſum, ſic ut ejus teſtes eſſe poſſint, de neceſſitate requiri videatur, quæritur an mandatum illud ſimpliciter fieri poſſit, an vero commiſſio illa eadem ſolennitate, quæ in ipſo actu deſideratur, fieri debeat, quum ſolennitas requiſita ad aliquem actum, etiam neceſſaria ſit ad dandam commiſſionem faciendi illum actum,

arg. l. oratio 16. *ff. De ſponſalib.* Unde colligunt DD. prohibito aliquo, cenſeri prohibitum omne id per quod pervenitur ad illud. Et late Riminald. *conſil.* 467. *num.* 78. *& ſeqq.* Cæterum quum jure civili in conſtituendo procuratore pro abſenti matrimonium contracturo nulla certa ſolennitas conſtituta, nec per procuratorem ſimpliciter conſtitutum matrimonium contrahere vetitum ſit, præterquam in muliere quæ ipſamet in domum mariti deduci debeat, *d. l.* 5. *ff De Ritu Nupt.* Quod moribus ſublatum, ſupra diximus: nihil vetat quin & moribus noſtris ſic ſponſus quoque per nuncium ad hoc ſpeciale mandatum habentem in facie Eccleſiæ, aut coram Magiſtratu uxorem ducere poſſit. Quippe quod nec Statuta ea de re quid loquantur aut corrigant, & re vera mandatum contrahendi, non ſit ipſe matrimonii contractus, cui tantum ſolennitas illa imponitur. Quemadmodum illud totius Eccleſiæ praxi invaluiſſe teſtatur Zanch. *De Matrimon. lib.* 2. *diſput.* 11. *num.* 23. Et meo tempore in Societatis Indiæ Orientalis miniſtro, cui hic per procuratorem uxor, eique maritus abſens matrimonio juncti fuere, factitatum & admiſſum memini.

Simili modo per imaginariam ſolennitatem proceditur contra abſentes, qui condemnati matri- 9
monium contrahere detrectant. Quorum nomine Apparitores juſtis proclamationibus intercedentibus, executoria condemnatione exhibita, matrimonii copulam ſupplent. Ita coram Hollandiæ Curia factitatum in cauſa *Maria van Appelboom*, *contra N. de Baats.* Et coram ſupremo Senatu in cauſa *Anna Pauw*, *contra Henricum van Hove*, iterumque in cauſa *Margareta van Wulle*, *contra Nicolaum Heinſium.*

CAP. XV.

De Soluto Matrimonio, Divortiis, & Repudiis.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium ſolvitur morte alterutrius, aut thori ſeparatione, per divortium, aut repudium.*
2. *Divortium quid, & quomodo fiat?*
3. *Quæ ſint juſta divertendi cauſa?*
4. *Separatio thori, an, & ob quam cauſam recepta?*
5. *Sterilitas, impotentia, morbus, aut perpetuum corporis vitium, an, & quatenus divortii aut ſeparationis cauſam præbeat?*
6. *Fornicatio, ſive adulterium, præcipua divortii cauſa eſt.*
7. *An pars innocens cum alio iterum nuptias contrahere poſſit?* *Pontificii* neg. *In* Hollandia, Gallia, *&* Germania *Reformati* affirm.
8. *Utrum & parti adulteræ nova poſt divortium concedantur nuptiæ?* *Canon.* neg. *Reformati* affirm diſting.
9. *Quæ ſit adulterii pœna parti læſæ applicanda?*
10. *An propter ſtuprum ſive fornicationem ante contractum matrimonium commiſſum, æque divortium admittatur?* diſting. affirm.
11. *An eadem, quæ divortii, ob adulterium pœna?* diſting.
12. *An & quatenus propter malitioſam deſertionem, matrimonium ſolvatur?*
13. *Quis ordo, qualis proceſſus, & quomodo condemnandus abſens deſertor?* *In* Gallia, Germania, *&* Belgio *remiſſive.*
14. *An & deſerens, ad ſecundas cum alio nuptias admittatur?* diſting. affirm.
15. *An eadem deſertionis quæ adulterii pœna?*
16. *Diſſoluto per divortium matrimonio, ad quem liberorum educatio pertineat, & cui committantur?*
17. *An per menſæ & thori ſeparationem, conjugium diſſolvi recte dicatur?* & numero 19.
18. *Quando admittatur?*
19. *Matrimonio per mortem diſſoluto, quomodo ſeparatio & diviſio bonorum facienda? & quid moribus obtineat.*

D. & Cod. *De Divortiis & Repudiis.*

MAtrimonium ipſo jure ſolvitur, morte alterutrius: *l.* 1. *ff. de Divortiis & Repudiis.* Sed & 1
per divortium aut repudium ſeparatio thori permittitur. *d. l.* 1. Repudium quidem inter
ſponſos quum matrimonium nondum eſt conſummatum locum habet, de quibus ad *tit. de Spon-*
ſalib. Divortium eſt quo matrimonium plene perfectum ſolvitur, *l.* tot. *&* 191. *ff. de Verb.* 2
Significat. Fit autem divortium, certa forma ac ritu, non diſſenſu ſolo, aut voluntate divertentis, *l.* 2. *l. nullum.* 9. *ſi pœnitnit.* 7. *ff. de Divort.* nec non legitimis cauſis præcedentibus. *l.* 10. *& l. ultim. Cod. de Repud.* Quod & mores ſuo modo ſervant, quibus nullum divortium permittitur, niſi quod, legitima divertendi cauſa præcedente, ſententia judicis ad partium petitionem decernitur, & pro juſto declaratur.

Juſtæ

3 Juſtæ divortii cauſæ tantum duæ ſunt. 1. adulterium. 2. malitioſa deſertio, *l. 7. cum auth. ſeq. l. 9. §. 2. Cod. de Repud.* Reliquæ cauſæ propter quas jure civili divortia permittebantur, quæ enumerantur *in l. conſenſu* 8. *Cod. de Repud.* & *Novell.* 117. unde deſumpta eſt *auth. Sed novo jure. Cod. eod.* moribus incognitæ ſunt: niſi quod propter nimiam ſævitiam, & intolerabi-
4 lem vitæ conſuetudinem, ſeparatio menſæ & thori, ſub perpetua ſpe reconciliationis, ſubinde admittatur, ipſo interim matrimonii vinculo & jure manente; Covarruv. *de Matrimonio part.* 2. *cap.* 7. §. 5. *num.* 1. Zanchez *de Matrimonio lib.* 10. *cap.* 17. 18. Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 26. & 30. Neoſtad. *De pact. antenupt. obſerv.* 7. 8. Sande *lib.* 2. *tit.* 6. *defin.* 1. Andr. Gail *lib.* 1 *obſerv.* 17. *num.* 5. Wurmſer. *practic. tit.* 47. *obſerv.* 21. & late Carpzov. *lib.* 2. *Juriſprud. Conſiſtorial.* tit. 11. *definit.* 211. & *ſeq.*

5 Sterilitas, impotentia, aut perpetuum corporis vitium, num ſit etiam juſta divortii cauſa, quæritur? Quæ quidem vera divortii cauſa non eſt, quum ſi tale quid matrimonium præceſſerit, ab initio nullum extitiſſe matrimonium declaretur, tanquam fraude, & dolo initum, quo ipſo ſeparantur conjuges, ut parti deceptæ integrum ſit tranſire ad novum conjugium, *arg. l.* 10. *cum auth. ſeq. Cod. de Repud. l.* 39. §. 1. *ff. de Jur. dot.* Vide Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtorial. lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 200. *num.* 7. & *defin.* 201. *num.* 6. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 338. & *vol.* 5. *deciſ.* 192. Quomodo etiam in Hollandiæ Curia deciſum 28. *April.* 1592. in cauſa Mariæ van Bekelteyn, & Theodori Fijck, exemplo ob alia quædam incidentia plus ſatis noto, cujus proceſſus legitur apud Petr. Borre *Hiſtoriar. Belgicar. lib.* 29. *pag. mihi* 15. & noviſſime in communi formulario practico, quod **Papegay** nominant, *pag. mihi* 51. & *ſeq. editione noviſſ. pag.* 57. & *ſeq* Ubi late de modo procedendi in hac materia. De quo etiam vide Autumn. *ad l.* 10. *Cod. de Repud.* Maſcard. *De Probat. Concluſ.* 311. Menoch. *De Præſumpt. lib.* 6. *præſumpt.* 90. Ann. Robert. *Rer. judicat. lib.* 4. *cap.* 10.

Si vero impotentia, aut vitium aliquod poſt contractum matrimonium obvenerit, propterea matrimonium diſſolvendum non eſt, variis ſiquidem modis perſonis jam deſponſatis coeundi potentia adimi, taliſque imbecillitas accidere poteſt, qua debitum conjugale pro tempore ſolvere minime valuerint, nec ſolum ex cauſis naturalibus, ſed ex ligatura artificioſa externe impoſita, quomodo in tota fere Gallia nodum necti, pro ludibrio habetur, & res eſt frequentiſſima; Quod & in Germania ſæpiſſime accidere refert Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtor. lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 202. *num.* 8. Quid, quod experientia ſatis probet, ut quæ aliquandiu fuerunt ſteriles, eas poſtea tamen concepiſſe, & peperiſſe. Atque idem dicendum eſt de furore aliiſque vitiis ſeu morbis, qui conſtante matrimonio alteri conjugum obveniunt, quæ pro fide, & ſocietate conjugali, ab altero ſuſtineri debent, eo quod nihil humanius, aut individuæ conjugii ſocietati convenientius ſit, quam adverſæ fortunæ, & fortuitorum caſuum conjuges ex æquo eſſe participes, qui eo copulati ſunt, ut læta & triſtia ſimul tolerent, ut Ulpian. *in l.* 8. *ff. De his qui ſui vel alien. jur.* & *l.* 22. §. 7. *ff. Solut. matrimon.* Et nec morbus ullus, neque furor inter divortiorum cauſas recenſetur, *in d. l.* 8. *Cod. De Repud.* & *Novell.* 117. Quod & cum Jure Canonico convenit, quod iis ex cauſis conjugium ſeparari expreſſe negat. *cap. Quod propoſuiſti, cap. Requiſiviſti,* 35. *quæſt.* 1. *cap. Hi qui, cap. Neque furioſus,* 32. *quæſt.* 7. *cap.* 1. & 2. & ibi Panorm. *De conj. lepr.* vide Joachim. Beuſt. *De matrimon. part.* 2. *cap.* 9. & 10. Henning. Arniſ. *De Jure Connubior. cap.* 6. *ſect.* 9. *num.* 6.

6 Fornicatio igitur, ſive adulterium præcipua divortii cauſa eſt, qua maritus propter uxoris adulterium civili actione, ad thori, ſive matrimonii ſeparationem contendere & experiri poteſt, *cap.* 5. *extra De Procurator. d. cap. Significaſti,* & *cap. ex literis, extr. De divort.* Et è converſo, uxor contra maritum adulterum pari ratione agere poteſt, ad divortium & matrimonii diſſolutionem, *Canon. in conjugio,* & *ſeq. verſ. ſimiliter.* 32. *quæſt.* 1. *cap. quæſivit.* 2. *extr. De divort. l.* 8. §. *ſi qua igitur, Cod. de Repud.*

7 Matrimonio per adulterium diſſoluto, quæritur an pars innocens cum alio iterum nuptias contrahere poſſit? Quod quidem ultimo Tridentino Concilio nefas eſſe ſtatutum eſt, & à Pontificiis etiamnum obſervatur, Zanchez *de Matrimon. lib.* 10. *diſput.* 2. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 138. *num.* 3. Gudelin. *de jure Noviſſ. lib.* 1. *cap.* 10. *verſ. Hæc ſufficiant.* Apud nos vero vigore *Politic. Ordinat. Holland. art.* 18. *Zeland. art.* 33. atque alias in perpetua obſervantia eſt, adulterio matrimonii vinculum in totum ſolvi? ſic ut pars innocens vivente adhuc adultero ad ſecundas cum alio nuptias admittatur. Vide Rittershuſ. *de different. Jur. Civil.* & *Canon. lib.* 2. *cap.* 8. 9. Bezam *de Divort.* Ameſ. *de Caſib. conſcient. lib.* 5. *cap.* 38. *quæſt.* 2. quod & *Genevenſ. Ordinat. Eccleſiaſtic. art.* 145. & 146. expreſſe cautum eſt: & ut plurimum ſeparationis ſententiæ, ea

clauſula

clauſula inſeritur. Idem in Germania obtinere teſtatur Schneiduin. *ad tit. Inſtit. de Nupt. Rubric.*
de divort. num. 35. Joachim. Beuſt *de Matrimon. part.* 2. *cap.* 24. Carpzov. *Juriſprud. Conſiſto-*
rial. lib. 2. *tit.* 11. *defin.* 190. niſi poſt commiſſum adulterium reconciliatio interceſſerit, quæ
etiam interceſſiſſe judicatur, ſi maritus cum uxore ſua poſtquam adulterii gnarus fuerit conſuetu-
dinem habuerit, quod pro tacita reconciliatione accipitur, ſic ut audiendus poſtea non ſit divor-
tium petens. Quo facit text. *in l. crimen.* 2. *Cod. ad leg. Jul. de Adult. l.* 40. *l.* 13. *§. idem. ff. eod.*
Vid. Joann. à Sande *lib.* 2. *tit.* 6. *defin.* 1.

Verum in eo major verſatur difficultas, an etiam parti nocenti ſeu adulteræ novæ itidem poſ- 8
ſint concedi nuptiæ? negant illud Canoniſtæ, quorum conſtans eſt ſententiæ: quod diſſoluto ob
adulterium conjugio, parti nocenti poteſtas novum ineundi matrimonium minime competat,
cap. litteris 12. *extr. de præſumpt. & can. quadam cum fratre.* 32. *quæſt.* 7. *can. ſi quis viduam, can.*
qui dormierit, can. concubuiſti. cauſ. & quæſt. ead. Sed Reformatæ Religionis Profeſſores ſub ea di-
ſtinctione adulterum etiam ad novum denuo matrimonium admittunt, ſi pars innocens prius ad ſe-
cunda vota tranſilierit, ac propterea omnis reconciliationis ſpes ſublata ſit, vide Bezæ *tract. de*
Divort. per adulter. Rittershuſ. *de different. Jur. Civil. & Canon. lib.* 2. *cap.* 9. *in fin.* Weſen-
bec. *Paratit. ff. de divort. num.* 11. Atque ita quoque à Germanis Theologis & Conſiſtorialibus
deciſum refert Carpzov. *Definit. Conſiſtor. lib.* 2. *tit.* 11. *defin.* 191. atque uſu apud nos obtinere
teſtatur Groeneweg. *de legib. abrog. ad l.* 9. *Cod. de Repud. num.* 5.

Conjugii ſeparationem ſequitur amiſſio dotis à parte mulieris adulteræ, quæ cedit marito, 9
l. 8. *Cod. de Repud.* niſi & is adulterium, *l.* 39. *ff. Solut. Matrimon.* vel mulier ex viri conſenſu ac
lenocinio, id commiſerit, *l.* 47. *ff. eod.* Et maritus adulter amittit donationem propter nuptias
& tertiam partem antenuptialis largitatis, dotemque uxori reſtituere cogitur. *Auth. ſed. novo. Cod.*
de Repud. Si vero nulla dos aut donatio propter nuptias interceſſerit, quartam partem omnium
bonorum parti læſæ applicandam, ſi liberi non exſtent, liberis vero exſtantibus, illis ſervandam,
pro pœna dare compelli poteſt is eave qui adulterium commiſerunt, *l. pen. Cod. de Repud.* Nec
hoc mutatum moribus, Weſenbec. *ad §. item lex Julia Inſtit. de publ. Judic.* Boër *deciſ.* 338. *num.* 2.
Damhoud. *prax. criminal. cap.* 91. Joann. Chriſtin. *tractat. de matrimonio, diſſert.* 5. *quæſt.* 5.
Quod & cum Jure Saxonico convenit, teſte Coler. *part.* 1. *deciſ.* 175. *in fin.* Dan. Moller. *ad*
conſtit. elect. part. 4. *conſtit.* 21. *num.* 3. Berlich. *concluſ.* 29. *num.* 19. *part.* 4.

Hactenus de divortio, per ipſum adulterium conſtante matrimonio commiſſum, facto. Sed 10
quid ſit dicendum de ſtupro aut fornicatione, ante matrimonium conſummatum perpetrato, an
per hoc ipſum etiam matrimonium vitietur, quæritur? Cui quidem diſtinguendo reſpondendum
eſt; ut ſi quis ignorans pro virgine duxerit aliquam quæ ex alio corrupta, & gravida reperta eſt;
viro poſt reconciliationem tentatam tandem concedendum, mulierem quæ eum ſic decepit, à
ſe dimittere: eoque caſu matrimonium non ſolum quoad thorum, ſed etiam quoad vinculum
ſolvitur, ſic ut ei aliam ducere liceat, & ſtupratæ etiam alteri, præſertim ſtupratori, nubere
permittatur. Ut late Schneiduin. *ad tit. Inſtit. de Nupt. part.* 4. *num.* 59. *& ſeq.* Joachim.
à Beuſt *de Jure connubior. part.* 2. *cap.* 34. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 4. *conſtit.* 20. *defin.* 12.
& *Definit. conſiſtorial. lib.* 2. *tit.* 11. *defin.* 193. *& ſeq.* Vide tamen *l.* 13. *§.* 10. *ff. ad l. Jul. de*
Adult. Niſi maritus uxori ab alio ante nuptias ſtupratæ, ſtupri gnarus debitum conjugale
præſtiterit, quo ipſo ei culpam remiſiſſe etiam videtur, ut ſupra de adulterii tacita remiſſione
diximus: & recte etiam notat idem Carpzov. *Definit. Conſiſtorial. lib.* 2. *tit.* 11. *defin.* 197. Sed
hoc caſu matrimonium non tam diſſolvitur quam nullum declaratur, contractus enim dolo initus
ipſo jure nullus eſt, *l.* 7. *§.* 1. *ff. de Dolo malo.* At ſi vir de fornicatione aut ſtupro, ante con-
jugalem conjunctionem commiſſo, accuſetur, mulier propterea non habet jus virum à ſe dimit-
tendi; eo quod impudicitia mulierum longe fœdior ſit quam virorum, majorque caſtitas in
fœmina requiratur quam in maſculo, & vitio mulieris per alienæ prolis obtruſionem major in-
juria familiæ inferatur, *l.* 6. *§.* 1. *l.* 34. *§.* 1. *ff. ad leg. Jul. de Adult.* Weſembec. *Parat. eod.*
num. 4. *& ſeq.*

Utrum vero matrimonio propter errorem qualitatis, quod quæ virginem accipere putans 11
vitiatam acceperit, ſoluto, mulier in eandem dotis amiſſionis pœnam incidat, quam contra
adulteros adulteraſve conſtitutam eſſe diximus? abſolute negat Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtor.*
lib. 2. *tit.* 11. *defin.* 199. eo quod re vera matrimonium non fuerit, ſed reſcindatur, tanquam ſi
ab initio non conſtiterit, neque etiam adulterii accuſatio admitti poſſit, ob id quod ante con-
tractum matrimonium fuit commiſſum: ergo nec ejus pœna locum habere debeat. Quare diſſo-
luto, ob ſtuprum ante nuptias uxori illatum, matrimonio, omnia bona illata, una cum dimidietate

dono-

donorum nuptialium, ei reſtitui debere defendit, atque ita à Lipſienſibus Scabinis bene judicatum refert. Qua in re tamen diſtinguendum arbitror inter eam quæ cum alio rem habuerat, & imprægnata erat, antequam ſponſalia cum marito, quem poſtea in matrimonium duxit, celebraverit, quo caſu de adulterio accuſari minime poteſt; eoque ſenſu dictam Carpzovii deciſionem veriſſimam etiam exiſtimo: & inter eam, quæ viriata eſt, & rem habuit cum alio poſt ipſa celebrata ſponſalia; qua in ſpecie exiſtimarem illa omnia, quæ de amiſſione dotis ratione adulterii dicta ſunt, etiam locum ſibi vindicare; eo quod in ſponſa etiam adulterium cadat, Clar. *lib.* 5. *Sentent.* §. *Adulterium. num.* 9. Quam opinionem poſt Henning. *de Divort.* & Joachim. Beuſt *de Matrimonio*, latius etiam defendit Joachim. Scheplitz *ad Conſtitut. Brandeburg. part.* 1. *tit.* 2. *quaſt.* 1.

12 Secunda divortii aut repudii cauſa eſt malitioſa deſertio, qua non tantum ſponſalia, ſed & ipſum matrimonium diſſolvi poſſe, perſonæque deſertæ, altera adhuc vivente, novas nuptias permittendas eſſe conſtat. Jure Civili quidem ſponſa ſponſum tres peregrinationis annos exſpectare tenetur, quo elapſo, ab ejus ſponſalibus liberatur, & ad alias nuptias denuo contrahendas admittitur, *l.* 2. *Cod. de Repud.* Et uxor, quæ intra quadriennium nullum ſoſpitatis mariti abſentis indicium accepit, *l.* 7. *Cod. de Repud.* certa ſolennitate præeunte impune alteri nubere poteſt, quod deinde ad decennium prorogatum eſt, *Novell.* 22. *cap.* 14. Quod omnino intelligendum de affectata & malitioſa abſentia, qua quis à conjuge diſcedit nulla juſta aut neceſſaria cauſa coactus; ſed levitate & malitia quadam aliiſque non neceſſariis, neque probabilibus cauſis impulſus, abſque animo redeundi ad conjugem, oberrat; nam ſi militia, aut longiores peregrinationes, quæ ex neceſſitate fiunt, intercedant, quantiſque annis protrahantur, mulier ſuſtinere debet, licet neque reſponſum ab eo acceperit, *l. pen. ff. de Sponſalib. d. auth. hodie. Cod. de Repud. Novell.* 117. *cap.* 11. *cap.* 19. *extr. De Sponſalib.* vide Cujac. *lib.* 16. *obſerv.* 35. Schneiduin. *ad tit. Inſtit. de Nupt. Rubr. de Divort. num.* 38. *&* 41. Arniſæus *de Jure Connub. cap.* 6. *ſect.* 7. Quo fundamento, quum aliquando contigerit, quod quum maritus negotiorum cauſa peregre, aut in militia profectus diu abfuiſſet, & pro mortuo habitus eſſet, idque etiam ab uxore aliquo modo probatum eſſet, mulier tandem alteri nubendi licentiam obtinuerit, priori marito redeunte, alterum maritum relinquere, & priori marito reverſo cohabitare fuit condemnata. Vide tamen **Papegay** / *pag.* 60.

Ubi uxor propter decennalem mariti abſentiam ſecundo nubere, fuerat admiſſa, & prior maritus paulo poſt rediens ab Hollandiæ curia obtinuit prioris matrimonii reſciſſionem in eum finem ut ei etiam aliam uxorem ſecundo ducere permitteretur. Et à noviſſimo Novellarum Jure hac in parte receſſerunt Fœderati Belgii Ordines. **Egt-Reglement over de Steden ende ten platten Lande onder de Generaliteyt behoorende.** Ubi Jus Vetus ad quinquennii abſentiæ moram in uſum revocatur; quod & Tranſiſulani mores probant **Land-regt van Over-Yſel** / *part.* 2. *tit.* 1. *art.* 18. Cæterum deſertionem ſufficientem eſſe divortii cauſam, utrobique eſt receptum. Ut poſt Joachim. Beuſt *de Jure Connub. part.* 2. *cap.* 26. *verſ. Nos vero.* Paul. Cypræus *de Jure Connub. part.* 1. *cap.* 13. §. 77. *num.* 10. & alios, Carpzov. *Definit. Conſiſtorial. lib.* 2. *tit.* 11. *defin.* 192. Beza *de Divort. per deſert.* Henric. Brouwer. *de Jure Connubiorum lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 12.

Ita tamen ut ſemper legitimum intercedat deſertionis judicium, quo conjugium per ſententiam diſſolvitur, & pars innocens ad novas nuptias admittatur, Schneiduin. *d. rubr. de Divort.*
13 *num.* 46. Joachim. Beuſt *dict. part.* 2. *cap.* 27. Sed quantum tempus, quis ordo, & qualis proceſſus in eo obſervari debeat, quomodo & quoties citandus, quomodo item condemnandus ſit abſens, & deſertor, vix convenit. Exſtat ea de re præſcriptum *Ordinat. Eccleſiaſt. Geneven.* quod in Gallia plerumque ſequitur. De Germaniæ moribus quædam habet Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtorial. dict. defin.* 192. & Joachim. Beuſt *de Matrimon. cap.* 27. *& ſeq.* Baſil. Monner. *tract. de Matrimon. cap.*8. Et Andr. Lipsk. *Obſerv. in Polon. Regno Practicar. Centur.* 2. *obſerv.* 25. *num.* 4. Sed optime omnium & maxime ad rem pertinens hac in parte cavetur Iure Provinciali Ducatus ,, Pruſſiæ *lib.* 2. *art.* 4. 5. Primo inter præſentes, ſi conjuges ſeſe invicem deſeruerint, & à co-,, habitatione mutua diſceſſerint, unaque pars reconciliationi & cohabitationi locum dare velit, ,, altera autem malitioſe, & ſine juſta cauſa id facere recuſet, ut tum per decretum recuſanti co-,, habitatio injungatur; cui ſi contumaciter parere nolit, captis primum pignoribus, ſi locuples ,, vel poſſeſſionatus ſit, deinde carcere, aliiſque competentibus pœnis ad cohabitationem com-,, pellatur. Si nec hoc profecerit, parti innocenti proceſſus ordinarius permitti debet, quo ſi in ,, propoſito ſuo pertinaciter perſeveraverit, innoxio conjugi, & reconciliationis, cohabitatio-,, niſque cupido, ad alias nuptias procedendi poteſtas concedatur, & contumax extra Provinciam

,, relegetur. Inter abſentes autem ſi quis uxorem liberoſque ſuos invitos ſine honeſta cauſa deſe-
,, ruerit, ut iis longo tempore nihil denunciari fecerit, nec de reditu ſuo certiores reddiderit, aut
,, nullum vitæ ſubſidium exhibuerit, is edictis publicè affixis, aut palam ex ſuggeſtu in Eccleſia
,, promulgatis citetur, ut intra præfinitum tempus domum redeat, aut abſentiæ ſuæ juſtas & legi-
,, timas rationes reddat, quorum ſi nihil factum fuerit, provincia ei interdicitur, & deſertæ con-
,, jugi ad alia vota procedere conceditur, &c. Cujus hic exiſtit effectus notabilis: Ut ſi legitimum præceſſerit deſertionis judicium, & conjugium juſta citatione & promulgatione præcedente, per ſententiam fuerit diſſolutum, novum conjugium cum alio contractum, redeunte licet deſertore, minime rumpatur, & deſertor ex cauſa non neceſſaria aut probabili abſens, ſi ſolenniter citatus non comparuerit, ac Magiſtratus auctoritate & conſenſu perſona deſerta aliud inierit conjugium, licet rediens conjugem ſibi deſertam reſtitui petens, audiendus non ſit, ſed pœnis potius ſubjiciendus, & in exilium mittendus, quomodo in Foro Saxonico decretum quoque refert Carpzov. *d. Definit.* 192. *num.* 17. Quo facit text. in *l. Miles.* 11. *§. Mulier.* 12. *ff. ad leg. Jul. de Adult.* Quum alias ſi deſertor reverſus aliquam abſentiæ ſuæ cauſam alleget, nec prævio deſertionis proceſſu legitimo, aut publica deſertionis citatione præcedente, novæ nuptiæ fuerint contractæ, poſterius conjugium ſit reſcindendum, ejuſque uxor alterum maritum relinquere, & priori reverſo cohabitare cogetur, relictis liberis interim procreatis, quos pater ſibi retinere & abducere debet, *eod. Jure Provincial. Ducat. Pruſſ. d. lib.* 2. *art.* 5. *§.* 4. 5. Qua in re licet in Belgio nihil certi conſtitutum ſit, eodem aut non diſſimili modo procedendum eſſe, ſummæ rationis eſt. Eodemque fere modo à Magiſtratu Lugdenſi poſt tertiam & quartam denunciationem matrimonium inter præſentes diſſolutum inter **Jan Cornelisz. van Oudshoorn Lyscher** / contra **Catharinam Schaak** deſertricem, eique ut alteram uxorem duceret conceſſum eſt 2. *Octob.* 1662.

Hactenus de perſona deſerta, ſed & an deſerens ad ſecundas cum alio nuptias admittatur? ita 14 videtur ſub eadem limitatione, qua & adultero eas permitti ſupra diximus; ſcilicet eo caſu, quo jam deſerta prius ad ſecundas nuptias tranſilierit, quum alias ſi & uſque dum perſona deſerta cœlibem egerit vitam, atque aliqua reconciliationis ſpes ſuperfuerit, ipſum matrimonii vinculum diſſolutum dici minime poſſit. Quo caſu etiam durare adhuc communionem honorum, eamque pro dimidia deſertæ acquiri à Supremo Hiſpalenſi Siviliæ ſenatu judicatum refert Gomez. Leonius *deciſion. Hiſpalenſ.* 1. caſu quo aliquis poſt longam deſertionem cum alia peregre uxoris loco habita, ultra quindecim ducatorum millia patrimonium adauxiſſet, dimidia eorum pars priori conjugi fuit addicta.

Porro quum matrimonium per malitioſam deſertionem, etiam quoad vinculum conjugale ſol- 15 vatur, conſequens etiam eſt, ut deſertor malitioſus à ſucceſſione conjugis repellatur, eique omnia ea quæ alioquin ex Statuto, conſuetudine, pactiſve dotalibus competiiſſent, denegentur: quum ea cauſa quæ ſufficit ad matrimonii ſolutionem, etiam ſufficiat ad introducendam dotis & portionis ſtatutariæ amiſſionem. Ut per Bart. *ad l. ſi hoſtibus.* 1 t. *§. ſi vir.* t. *in pr. verſ. quaſi culpa ff. Soluto Matrimonio*, recte notat Berlich. *part* 3. *concluſ.* 36. *num.* 14. Et præterea omni ſtatuto, aut pacto dotali, quæ ſuperſtiti conjugi portionem bonorum deferunt, tacita ineſt conditio: ſi conjunx ſuum faciat officium & fidem conjugalem ſervet: ut ex *conſtit. Electoral.* 16. *part.* 2. ob eam rationem Jure Saxonico receptum refert Petr. Heig. *part.* 2. *quaſt.* 33. *num.* 42. Quod à Scabinis Amſtelodamenſib. obſervatum in cauſa Marthiæ van Gerwen, & Arnoldæ van Eyck, ultimo Junii 1650. publicata, cui ob malitioſam uxoris deſertionem, vinculi conjugalis omnimoda ſeparatio, & ad novas nuptias tranſeundi poteſtas fuit conceſſa, eaque inſuper condemnata, ut deſerto reſtitueret omnia dona & lucra nuptialia ab eo accepta, cum refuſione dimidiæ partis expenſarum nuptialium, &c. Quod & ad heredes tranſit Jure Saxonico, *conſtit. Electoral.* 26. *part.* 3. his verbis, conjunx conjugem ſi malitioſe deſerat, vel gravi morbo decumbentem, ex eoque decedentem negligat, eaſque cauſas ſufficientes eſſe judex, cognito negotio, exiſtimaverit, ea quæ de bonis defuncti ſuperſtiti vel ex pacto dotali, vel ſtatuto, aut conſuetudine, vel jure debebantur, non illi, ſed heredibus defuncti, ſiquidem hi id petunt, adjudicabuntur, ad quam conſtitut. vide Dan. Moller.

Cod. *Divortio facto apud quem liberi manere vel educari debeant.*

Matrimonio vivis etiam conthoralibus diſſoluto, educatio liberorum ad utrumque parentem 16 pro cujuſque qualitate & facultatibus pertinet, *cap. quum haberet.* 5. *extr. de eo qui duxit in matrimon. quam poll. adulter.* Grot. *Introd. lib.* 3. *part.* 35. *num.* 20. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 18. *art.* 6. Surd. *De aliment. tit.* 1. *quaſt.* 14. *num.* 4. At cujus familiæ & curæ committantur? Judicis diſcretioni relinquitur, ſic ut plerumque patri maſculos, matri fœmellas, vel, etiam ſine differen-

ferentia ſexus, omnes aut patri aut matri educandos committant, per Gloſſ. *in l. unic. Cod. divort. fact.* Menoch. *De Arbitrar. Jud. caſu.* 168. quamvis cæteris paribus, mater potiorem educationis cauſam habeat, eo quod maternus amor cæteros omnes affectus vincat, & lex nulli magis quam matri pupillorum educationem credat, *l. 1. ff. ubi pupill. educari*, & crudele videatur infantem à viſceribus maternis avelli, & qui matribus liberorum educationem denegant, contra ipſam naturam pugnare videantur, quæ matri ad alendos liberos ubera dedit, & affectum menti maternæ impreſſit, qui cæteros omnes ſuperat, Maynard. *lib. 6. deciſ.* 50. Ant. Fab. *ad Cod. tit. Ubi pupill. educari.* Perez. *ad tit. Cod. eod.* Atque ita deciſum referunt Annæ. Robert. *Rer. Judicat. lib. 1. cap.* 9. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 18. *art.* 8. Sande *lib.* 2. *tit.* 8. *defin.* 1. Coren *conſil.* 5. & 17. D. xxvii. 11. *Ubi pupillus educari vel morari.* & Cod. v. 1. *De Alimentis pupillo præſtandis.*

17 Sequitur ſeparatio thori & menſæ à Pontificiis adinventa, quæ licet larga divortii appellatione contineatur, verum tamen divortium non eſt, quum eo ipſo conjugium minime ſolvatur, ſed tantum ſit temporalis diſceſſus, à thoro & menſa ſub ſpe reconciliationis, ipſo interim matrimonio durante; licet enim ſeparatim habitent vir & uxor, *l. nihil intereſt.* 15. *ff. De Action. Rer. Amotar.* Quod & inter conſulares viros contigiſſe legimus, *l. eum hic ſtatus.* 32. *§. ſi mulier* 13. *ff. De donat. inter Vir. & uxor.* attamen nuptiæ etiamnum durant ſi matrimonii honorem invicem habeant, *d. §. ſi mulier.* Nee verum eſt divortium quod ſit haud animo perpetuam conſtituendi diſſenſionem, *l. 3. ff. De divort.* Vid. Covarruv. *de Sponſalib. & matrimon. part.* 2. *cap.* 7. *§.* 5. *num.* 1. Neoſtad. *de pact. antenupt. obſ.* 8. *in not.* Sande *lib.* 2. *tit.* 6. *defin.* 1.

Quæ cum tantum ſit ſeparatio temporalis, ſub perpetua ſpe reconciliationis intentata, facilius admittitur quam divortium, & ut plurimum decernitur ob utriuſque vel alterutrius ſævitiam, ma-
18chinationem mortis, continuas rixas, & inſidias. Eaque eſt communis omnium Canoniſtarum opinio. Ut ſi propter nimiam ſævitiam, aut mores intolerabiles, alteri conjugum trepidanti, ſufficiens ſecuritas provideri non poſſit, quantum ad cohabitationem matrimonium diſſolvatur. text. eſt *in cap. literas, in fin. De Reſtitut. ſpoliator. cap. ex tranſmiſſa. eod & cap. 1. ut lite non conteſtata. ibi: verum quia dicebat mulier ſe virum habere ſuſpectum, junct. Gloſſ.* & DD. *ibid.* Quo ſolo jure in ejuſmodi cauſis utimur, teſte Duareno, *De divort.* & Gudelin. *De Jure Noviſſimo lib. 1. cap.* 10. *verſ. hæc ſufficiant.* Quæ porro ſint juſtæ ſævitiæ cauſæ, late tractat Zanch. *de matrimon. lib.* 10. *diſputat.* 18.

19 An ergo, quum ſeparatio menſæ & thori verum divortium non ſit, ipſum conjugii vinculum per eam diſſolvatur? Communiter DD. ſtatuunt, ſeparatione inter conjuges facta quoad thorum & menſam, maritum per eam ab onere matrimonii, & à præſtandis uxori alimentis non liberari. Ut late Proſp. Farnac. *prax. criminal. part.* 4. *tit.* 16. *quæſt.* 143. *num.* 136. Covarruv. *De matrimon. part.* 2. *cap.* 7. *§.* 5. *num.* 3. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 26. *definit.* 18. Quod tamen reſtringendum eſt ad eum caſum, quo ſeparatio facta eſt propter culpam mariti: nam ſi uxor propria ſua culpa abſit, alimenta à viro petere non valebit. Ut recte notat Ioachim. Beuſt *de Jure connubior. part.* 2. *cap.* 9. poſt Bald. *in l. quod in Uxorem* 13. *Cod. de negot. geſt.* Aut ſi in ipſa ſeparatione maritus uxori bona illata reſtituerit, aut alias uxor ex ipſa bonorum diviſione tantum perceperit, unde alimenta ſibi ipſi præſtare poſſit; quo caſu etiam non tenetur; quum præter alimenta uxori nihil debeatur, *l. 1. §. mulier autem* 19. *ff. De Ventr. in poſſ. mittend. l. 5. §. 3. ff. De Carbon. edict.* Quæ ſi non ſint aut non ſuffecerint, ad ſupplementum tantum eo caſu tenebitur; eo quod uxorem alere teneatur, quantumvis dotem nullam attulerit, *l. quod ſi nulla* 28. *ff. De Religioſ. & ſumpt. funer.* Vide Surd. *De aliment. tit.* 1. *quæſt.* 12. *num.* 11. Atque ita à Senat. ſuprem. *Conſiſtor. Eccleſiaſt. Elector. Saxon.* deciſum refert Carpzov. *lib.* 2. *Juriſprud. Conſiſtor. tit.* 12. *defin.* 214. & Defin. For. *part.* 3. *conſtit.* 26. *defin.* 15. 16.

20 Matrimonio vero per mortem diſſoluto, quomodo bonorum ſeparatio & diviſio facienda, videndum: Et quidem Iure Romano ſoluto matrimonio, dos profectitia quæ à patre, vel de bonis, vel de facto ejus profecta eſt, iterum ad patrem revertitur, *l. 4. ff. Soluto matrimon. dos quemadmod. pet.* ſic ut non donatum, ſed pro tempore commodatum videatur. Ut rectè Covarruv. *lib. 3. variar. reſolut. cap.* 19. *num.* 3. Gutierez *lib. 2. practicabil. quæſtion.* 125. *num.* 2. Niſi per pactum ad mulierem pervenire debeat, aut liberi exſtiterint qui in dotem ſuccedunt; ſive ficte & imaginarie, ut quidam volunt, qui eo caſu dotem marito tribuunt, ut ab eo in liberos tranſmittatur, (ita ſentiunt Weſenbec. *ad tit. ſolut. matrimon. num.* 5. Bronchorſt *centur.* 3. *aſſert.* 11. Anton. Fab. *lib. 1. conjecturar. cap.* 16. quod uſu receptum eſſe teſtatur Teſſaur. *deciſ.* 190. quomodo intelligenda eſt *l. ult. §. 1. ff. ut. legat. nomine*) ſive ſimpliciter, & ut juris, & hereditatis maternæ ſucceſſores: Quod & rationem habet, quum nepotes dotem datam conferre teneantur, ſi avo ſuccedere velint, *l.* 19. *Cod. De Collationib.* quod alioqui fruſtra diceretur: & moribus magis convenit, qui- D. xxiv. 3. *Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.* Cod. v. xiii. *De Rei Uxoriæ actione.*

I 2 bus

bus plane iniquum foret, dotem profectitiam, licet liberis exiſtentibus, iiſque excluſis, ad patrem reverti, taleque pactum ut naturali æquitati cootrarium vix ſubſiſteret.

Adventitia vero non aliter ad patrem revertitur, quam ſi eam ſibi reſtituti ſtipulatus ſit, *l. unic. §. 13. Cod. De Rei Uxor. act. l. ult. Cod. ſolut. matrimon.* Sed quum motibus noſtris, ex jure conſuetudinario omnia conthoralium bona per matrimonium fiant communia: niſi ſi quid alteri, per pacta antenuptialia ſtipulatum, aut ſibi proprium ſit retentum, jure dotium non venit id quod in matrimonium confertur, aut ſubinde provenit, nec ad patrem ejuſque heredes extra id quod pacto ſtipulatum, (de quo ſupra) quid revertitur, totumque patrimonium ſecundum pacta, ſi quæ ſint, aut alias dimidiatim ex æquo dividitur; & quo in ſtatu res uxoria in puncto diſſolutionis in ſtatu matrimonii reperitur, mulier quæ dotem ſibi ſalvam ſtipulata eſt recuperat, plenam fructibus ſi plena, vacuam ſi vacua: ſic ut illud ipſum quod de perceptis aut percipiendis fructibus ex *l. 6. & 7. ff. ſolut. matrim. inter* DD. diverſimode diſceptatur, uſui noo veniat, ita ut nec ſumptus aut impenſæ in res dotales factæ mulieri ejuſque heredibus reſtituuntur, ſed hoc totum quicquid ſit, quod maritus conſtante matrimonio, ſive nolente uxore, ſive bene ſive male io rem dotalem impenderit, ſocietati communi impenſum ferri debet, & communi conjugum damno cedit. Neoſtad. *De pact. antenupt. obſerv. 20. in fin.* niſi ſi quid utiliter impenſum & quatenus tempore ſoluti matrimonii eo ipſo res dotalis melior appareat. arg. *l. 58. ff. De legat. 1.* Quod *Statuto Antwerp.* expreſſe cautum legimus *tit. 41. art. 67.*

D. xxv. 1. De impenſis in res dotales factis.

E contra vero ſi dos, aut donatio nuptialis promiſſa, io matrimonium collata non fuerit, ſic ut ejuſdem fructus ſtante matrimonio percipi non potuerint, in ipſa diviſione & ſeparatione ratio ejus habetur, ita ut tota ejuſdem quantitas, cum uſuris & intereſſe in commune conferri debeat. Peck. *de Teſtam. conjug. lib. 2. cap. 4.* Grot. *Introd. lib. 2. cap. 12.* Neoſtad. *de pact. Antenupt. obſerv. 11. & 14.*

Cod. v. xv. Dote cauta non numerata.

Cap. XVI.
De Tutelis & Curis.

Summaria.

1. *Confunduntur Tutelæ, & Curæ nomina, præſertim in* Belgio, Gallia, *&* Germania.
2. *Tutela ſive Cura quid, & quotuplex ſit?*
3. *Legitima agnatorum ſive cognatorum tutela an, & quatenus uſitata? &* numero 14.
4. *Teſtamentaria tutela, quid ſit, quomodo, & à quibus conſtituatur?*
5. *Certæ rei vel cauſæ hodie tutor datur.*
6. *An & quatenus confirmari debeant* Belgii *&* Galliæ *moribus?*
7. *Quæ ſint teſtamentariæ tutelæ prærogativæ?*
8. *An & quando ſatiſdare cogantur?*
9. *Tutelæ dativæ an, & quando locus ſit?*
10. *Qui & quomodo petant tutores, & quis eligendi modus apud nos.*
11. *Qui inter has aliis præferantur, & quando Mater & Avia.*
12. *An etiamnum renuncient auth. Matri & Aviæ?*
13. *An & quomodo Mater etiam minorennis aliis præferatur? In* Belgio, Gallia, *&* Germania.
14. *Agnatorum tutelæ legitimæ etiamnum in* Germania *locus.*
15. *Item fiduciaria, cui ſimilis eſt ibidem Electorum minorennium tutela fratrum majorennium, ex Aurea Bulla* Carol. IV.
16. *Quam nec per patris teſtamentum auferri poſſe volunt.*
17. *Qui dari tutores non poſſint.*
18. *An pupilli debitores, aut creditores eorundem, idonei exiſtant tutores.*
19. *Quid moribus* Germaniæ, Galliæ *&* Belgii.
20. *An is qui rem communem habet cum pupillo recte tutor detur.*
21. *Quæ ſint juſtæ excuſationis à tutela ſuſcipienda cauſa, &* num. 25. *Et an liberorum numerus excuſet.*
22. *An & quatenus publica munera excuſent.*
23. *An pauper & inops?*
24. *An ignari litterarum?* Neg.
26. *Non excuſatur qui voluntarie ſemel ſuſcepit.*
27. *An recuſans tutor legatum ſibi relictum amittat.*
28. *Majoribus viginti quinque annis an & quibus curatores dentur.*

Inſtit. I. XIII. & D. XXVII. De Tutelis. & Inſtit. I. XXIII. De Curatoribus.

1 EX generali quadam ubique locorum recepta conſuetudine, tutela & cura ita cohærent; Ut tutor poſt pubertatem etiam curatoris officiuo uſque ad adultam pupillorum ætatem ſuſtineat, & tutela in curam tranſeat. Grot. *Introd. lib. 1. cap. 7. num. 1.* Chriſtin. *vol. 3. deciſ. 148. num. 14. & ad leg. Mechlin. tit. 19. art. 27.* Andr. Gail *lib. 3. obſervat. 96.* Montan. *de Tutel. cap. 37. num. 86.* Quod & apud Gallos ubique obtinere teſtatur Anton. Fab. *ad Cod. lib. 5. tit.*

tit. 29. *deſin.* 2. 3. Et in Germania ubique locorum uſitatum refert Carpzov. *deſin. Forenſ.*
part. 2. *conſtit.* 11. *deſin.* 10. ita, ut illi, qui ſemel legitime dati ſunt tutores, iidemque & curatores
permaneant, & rebus minorum præſint uſque ad legitimam eorum ætatem. Quod expreſſe etiam
cautum eſt jure Provinc. Ducat. Pruſſ. *lib.* 2. *art.* 8. quo ſancitur, quoſlibet adultos, etſi quar-
tum decimum annum impleverint, nihilominus ſub priorum tutorum ſuorum cura & poteſtate
remanere.

2 Tutela, ſive cura, eſt poteſtas tuendi eum qui ipſe ſe defendere nequit. *§. 1. Inſtit. de Tutel.*

Conſtituitur vel Teſtamento per ultimam voluntatem, vel per Magiſtratus dationem. Ter- Inſt. 1. xv.
tius enim tutelæ conſtituendæ modus qui ſine facto hominis per ſolam legem introducebatur, quæ D. xxvi. iv. & Cod.
legitima agnatorum aut cognatorum tutela dicitur, moribus vix obtinet, ſed vel alias legitimi & v. xxx. *De*
proximiores conſanguinei ubi per ultimam voluntatem ſuper tutela minorennium heredum diſpo- *legitimis Tutoribus.*
3 ſitum non eſt, tutores non ſunt, niſi per magiſtratum idonei cenſeantur & confirmentur, cui
rei pleriſque Hollandiæ locis, Magiſtratus pupillares quotannis conſtituuntur, qui ipſi ceſſante tu-
tela teſtamentaria rebus pupillaribus præſunt, adjuncta tantum proximorum, ſi idonei ſint, aut
alias etiam extraneorum ſub tutela dativa, Neoſtad. *ſupr. Cur. Deciſ.* 59. Chriſtin. *ad leg. Me-
chlin. tit.* 19. *art.* 3. *num.* 10. & *vol.* 3. *deciſ.* 147. *num.* 4. 5. Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 7. Groe-
neweg. *ad tit. Inſtit. de legitim. agnator. tit.* Quod & de Galliæ moribus quoque refert Rebuff.
ad Conſtitut. reg. de Sentent. Proviſion. art. 3. *Gloſſ.* 2. *num.* 3.

4 Teſtamentaria tutela eſt, cum pater liberis minorennibus, & in poteſtate ſua conſtitutis, juſto Inſtit. 1.
teſtamento tutores conſtituit, *§. 3. Inſtit. de Tutel. l.* 1. *ff. de Teſtam. tutel.* etiam Codicillis, ex xiv. D. xxvi. iii.
preſſe vel tacite in teſtamento confirmatis, *l.* 3. *ff. de Teſtam. tutel.* Mater vero non niſi in teſta- & Cod. v.
mento liberis heredibus inſtitutis tutorem dare poteſt. *l.* 4. *ff. de teſtam.* Utrum vero etiam ab xxviii.
inteſtato Codicillis nullo condito teſtamento tutor dari poſſit? Negant communiter DD. Schnei *De Teſtamentaria*
duin. *ad d. §.* 3. *Inſtit. de Tutel.* Quo tamen nihil frequentius eſt moribus noſtris, quibus inter *Tutela.*
teſtamenta & codicillos, quo ad ſolennitatem, vim, & effectum inſtrumenti, nulla aut plane
exigua ſit differentia: Adeo ut ad teſtamenti ſubſtantiam heredis inſtitutionem neceſſariam
non eſſe, ac codicillis directo dari aut adimi hereditatem communiter velint. Ut ſuo loco de-
monſtrabimus.

Pater quidem abſolute teſtamento tutorem dat, mater vero non niſi inſtituto, cum inquiſitio-
ne, & judicis confirmatione, *l.* 4. *ff. de Teſtam. tutel.* Extranei vero, heredibus minorennibus
inſtitutis, jure civili tutores non conſtituunt, ne certæ rei vel cauſæ, *l.* 12. *ff. de Teſtam. tutel.*
§. 4. *Inſtit. qui Teſtam. tutor. dari poſſ.* vel tutorem habenti tutor detur, *l.* 2. 4. *Cod. in quib.
cauſ. tutor. vel curator. habenti.* Niſi eo caſu quo extra ea pupilli nihil in bonis habent. *l.* 4. *ff. de
confirm. tutor. l.* 32. *verſ. Qui non Jure datus ff. de excuſat. tutor.* Neque eo caſu obſtat arg. quod
perſonæ non rei vel cauſæ tutor detur *l.* 14. *ff. de teſtam. tutel.* Quia non quidem univerſo pu-
pillorum patrimonio tutor datur alius quam qui ſimul perſonæ datur, ſecundum *d. l.* 14. certæ
rei tamen datur alius, *junct. l.* 15. *ff. eod.* ſuntque omnes pupilli tutores, ſed adminiſtratio diviſa
eſt, *ff. de divid. tutel.* Sed anne primus conſtitutus eo caſu removeri debeat, quum tutorem habenti
tutor non detur *d. l.* 2. 4. *Cod. in quib. cauſ. tut. vel curat.* Ita videtur.

Idem quoque Jus in cæteris parentibus ſervatur *Novell.* 117. *cap.* 1. *§.* 1. *junct. l.* 4. *ff. de te-
ſtam. tut. arg. verb. inſtituto.* Moribus vero noſtris tutelæ conſtitutionis Jus non tantum utriuſque
parentis commune eſt, ac alteruter pro ſua parte, heredibus ſuis, ſive ex teſtamento ſive ab inte-
ſtato ſuccedant, tutores ſuo jure conſtituit, *contra l.* 1. *ff. de Teſtam. tutel. l.* 40. *ff. de Adminiſtrat.*
5 *tutor. l.* 1. *Cod. quando mulier.* ſed & cujuſlibet extranei judicio tantum tribuitur, ut non tantum
rei quam reliquit adminiſtrandæ cauſa, curatorem aut diſpenſatorem, ſed & tutorem in cauſis, &
pro parte minorennium heredum conſtituere poſſit, *arg. l.* 21. *§.* 4. *ff. de excuſat. tutor.* & de- Cod. v.
beat; ni pro illa parte, & cauſa, hereditatem ſuam in tutelam dativam coincidere velit: contra xxxvi. *In*
d. §. 3. *&* 4. *Inſtit. qui Teſtam. tut. dar. poſſ.* Quibus certæ rei vel cauſæ tutor dari non poteſt, *quibus cauſ. tutor.*
niſi diffuſum ſit pupilli patrimonium, aut bona in diverſis provinciis ſita ſint. *l.* 12. *& ſeq. ff. de* *vel curat.*
Teſtam. tutel. Grot. *Introduct. lib.* 1. *cap.* 7. *in fin.* Quod & moribus Galliæ convenit, teſte *habent. tut.*
Argentr. *ad Conſuetud. Brittann. art.* 474. *Gloſſ.* 2. *& art.* 475. *Gloſſ.* 5. *num.* 4. Autumn. *con-* *vel curat. detur.*
fer. du droict, ad l. 4. *Cod. de teſtam. tutel.*

Quod ſi pater in Codicillis abſque teſtamento, vel non diſpoſitive, vel alias illegitime, cum D. xxvi.
qui jure tutor eſſe non poteſt, tutorem dederit, aut is qui teſtamento tutorem dare non poteſt, iii & C. v. xxix.
6 veluti mater, patronus, aut extraneus, tutorem ſcripſerit, is à Judice, ob præſumptionem optimi *De confirmando Tu-*
diſponentis conſilii, ſi pater eum dederit, citra inquiſitionem, ſi mater, aut alius extraneus, cum *tore vel Curatore.*

inquiſitione morum, probitatis, ac facultatum, confirmari debet, *l. 1. §. 1. 2. 3. l. 2. ff. de confirmand. tutor. §. ult. Inſtit. de tutel. l. 1. & 2. Cod. de confirm. tutor.*

Quod an moribus obtineat, fruſtra quæritur, quum apud nos ipſi quoque teſtamentarii tutores, coram Magiſtratu pupillari diſpoſitionem tutelatem exhibere, & pupilli proximioribus auditis, & ut plurimum præſentibus, tutelæ onus ſub fidelitatis juramento, ſecundum tenorem teſtamenti, in ſe recipere, & juſtam tutelæ deferendæ confirmationem petere debent. Quod ab ipſo jure civili non adeo differt, quo judici antequam tutori etiam teſtamentario decernat tutelam, inquirere jubetur, an utilis futura ſit pupillo, vel damnoſa, qui ſint mores & facultates tutoris, num morum ante celata vel ignorata emerſerit improbitas, aliaque multa quæ prudenti judici inquirenda veniunt, de quibus *in l. in confirmando*, 8. *ff. de confirmando tutore*: utilitas enim pupillorum præfertur Scripturæ teſtamenti, *l. utilitatem* 10. *ff. eod.* Joann. Gutierez *de tutel. & cura part. 1. cap. 3. num. 12.* quod Bartol. quoque *ad l. 5. ff. de legitim. tutor.* notat, ut licet legitima tutela deferatur ipſo jure, tamen à Magiſtratu nihilominus oporteat decerni. Ut in Hollandia fere ſonant rerum pupillarum conſtitutiones municipales, Grot. *Introd. lib. 1. cap. 7. verſ.* **Ten eynde.** Chriſtin. *vol 3. deciſ.* 146. *in fin.* Quod & Galliæ moribus convenire teſtatur Bugnon. *De legib. abrogat. l. 1. ſat.* 200. & *lib. 2. ſect.* 234. Autumn. *Confer. du Droict. ad. tit. ff. de Teſtam. tutel.* Imbert. *Enchirid. Jur. Gall. in verb. tutelles.*

Teſtamentariæ tutelæ prærogativa ſunt. I. Ut ad tempus, ex tempore, & ſub conditione dari 7
poſſit. *§. 3. Inſtit. Qui Teſtam tutor. dar. poſſ.* II. Quod omnibus aliis præferatur. *l. 11. ff. de te-*
ſtam. tut. Novell. 118. *cap.* 5. III. Quod non ſatiſdet tutor, nec in eum inquiratur, *pr. Inſtit. de*
Satiſdat. tutor. Quod tamen moribus arbitrarium videtur, quibus omnes omnino tutores ex in- 8
quiſitione à Judice dantur, aut confirmantur, ut ſupra diximus. Quo facit argumentum, quod
vel ipſo jure civili nonnunquam etiam evenire poſſit, ut tutor etiam à patre datus ad tutelam non
admittatur: veluti ſi minus perpenſo judicio, aut minorem 25. annis, vel eo tempore dederit,
quo tutor datus bonæ vitæ ac frugi eſſet, poſtmodo male converſari cœperit, vel alias poſt pa-
tris teſtatoris obitum facultatibus lapſus ſit, cum tempore teſtamenti dives eſſet, & ſimilibus.
Ut eſt text. in *d. l. 8. & l. 10. ff. de confirmand. tutor. & in l. 3. §. 3. ff. de adminiſtrat. & peric. tutor.*

Teſtamentarii tutores ſi duo aut plures ſunt, & unus eorum deceſſerit, in locum ejus qui deceſſit 9
alius conſtituitur, ceterum ſi nullus ſuperſit, legitima tutela ſuccedit, *l. 11. ff. de teſtam. tutel. §. ult.* Sed hoc moribus noſtris non convenit, quibus ſi ſemel, excluſâ legitimâ vel dativâ, ad teſtamentariam devoluta fuerit tutela, teſtamentaria manet, & in locum defuncti teſtamentarii tutoris alius ſurrogatur idoneus ab ordinario judice, qui æque teſtamentarius eſt, & manet. arg. *l. 9. §. 1. ff. de tut. & rat. diſtrah.*

Cod. v. xxxv. *De Tutor & Curatorib. datis.* & Inſt. I. xx. *De Attiliano tutore.* D. xxvi. vi & Cod. v. xxxi. *Qui petant tut. vel curat & ubi petantur.*

Ceſſante, aut non exiſtente tutela teſtamentaria, locus eſt dativæ, cui vel ipſa legitima includitur, quum eam non penitus reſpuant mores noſtri, nec in alio ab illa tutelæ diſtributione recedant, quam quod ſublata agnationis & cognationis differentia, per *Novell.* 118. *cap.* 4. & 5. legitima tutela etiamnum proximioribus conſanguineis deferatur, non ipſo jure, ut ſolet, ſed à Ma-
giſtratu pupillari in hunc fere modum: ut ſuperſtes conjugum, aut ſi ſuperſtes non ſit alius proxi-
mior conſanguineus, intra certum tempus, Magiſtratui pupillari defuncti mortem indicet, petat- 10
que pupillis de tutoribus in tempore proſpici; ex præſcripto tituli *ff. & Codic. Qui petant tutores vel curatores, & ubi petantur.* Non quidem ſub pœna privandæ & amittendæ ſucceſſionis *l. 2. & ult.* quæ inter alias legales, privantes aliquem jure ſuo, pœnas à moribus receſſit, ſed pœna aliqua pecuniaria, ſtatuto comprehenſa. Quo facto à Magiſtratu pupillari, convocatis aliis pupilli conſanguineis, duo ex illis tutores eliguntur, ex quibus ſeniores & proximiores, ſi, inquiſitione facta, idonei cenſeantur, aliis ſibi invicem præferuntur. Sin minus, duo alii his proxime ſuccedentes, ac ſic deinceps: adeo ut ſi inter eos nulli ſatis idonei repetiantur, extranei etiam ſubinde his præferantur. Horum unus quidem magis idoneus adminiſtrare ſolet tutelam, cæteris nomine quaſi tutoribus exiſtentibus, nobis Contutores, **Mede-voogden**/ quo facit text. *in l. 3. §. 6. ff. de Adminiſtrat. & peric. tutor.*

Cod. v. xxxv. *Quando mulier tutelæ officio fungi poteſt.*

Ita tamen ut Pater, Mater, Avus, aut Avia, ſi idonei ſint, omnibus aliis conſanguineis adjun- 11
ctis contutoribus uno vel duobus præferantur. tit. *Inſtit. De legitima parentum tutela.* Mater & Avia quidem, ſi & donec viduæ manſerint: *auth. Matri & Aviæ. Cod. quando mulier tutelæ officio* 3 mater enim ad ſecunda vota tranſiens, liberorum tutelam amittit, *authent. Sacramentum, Cod. eod.* quæ tamen novo ejus marito liberorum vitrico, à Magiſtratu pupillari, inquiſitione habita, ſubinde etiam defertur, quum hoc jure prohibitum non ſit, *l. 2. Cod. de interdict. matrimon. inter pupill.*

Cæte-

Cæterum Mater & Avia ut liberorum ſuorum tutrices ſint, Senatuſc. Vellejano, priuſquam admittantur, renunciare debent, *auth. Matri & Avia. Cod. quando mulier tutel. officio.* Sed hoc noſtris & Gallorum moribus non obtinet, niſi ubi hoc ſtatuta municipalia expreſſe requirunt. Ut in
12 Civitate Patria *Lugdunenſi Conſtitut. Municipal.* 100. *art.* 13. Et Rer. Pupillar. *Conſtit. Amſtelod. art.* 36. & ſimilib. Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 19. Buſius *ad l.* 1. *num.* 10. *ff. de legitim. tutor.* Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 149. *num.* 3. Bugnon. *de legib. abrogat. l.* 1. *ſat.* 194. *& l.* 2. *ſect.* 12. Autumn. *Confer. du droict. ad d. auth. Matri & Avia, Cod. quando mulier tutel. offic.* Imbert. Enchirid. Jur. Gall. *in verb. Tutelle.* Joann. Papon. *lib.* 15. *tit.* 15. *art.* 3.
13 Sed quid ſi mater ſit minorennis, an adhuc, ut legitima tutrix pupillorum ſuorum, aliis ſit præferenda? quæri poſſet: Quum tutores nulli ſint niſi majores 25. annis, *§.* 5. *Inſtit. Qui Teſtam. Tutor.* & progreſſu temporis ægre tandem matrem & aviam, repulſis cæteris, ad tutelam admiſerint legiſlatores. Quod quum mulieres in perpetua fuerint tutela, ut videre eſt in *fragment. Ulpian. tit.* 2. Ut & moribus noſtris antiquitus receptum teſtatur Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 4. *verb.* **Staat te letten:** deinde, ſuam in tutelam quum veniſſent, aliorum tamen tutelam non ſubirent, *l.* 1. *Cod. Quando mulier Tutel. offic. l.* 2. *ff. De Regul. Jur.* ne quidem teſtamento tutrices datæ, *l.* 26 *ff. De Teſtam. tutel.* poſtmodum Mater duntaxat & Avia admiſſæ ſint, ex ſpeciali privilegio, & exorato ad hoc Principis reſcripto, *l.* 2. *Cod. Quando mulier*, atque ea lege, ut & ſint perfectæ ætatis, & Senatuſconſulto renuncient. *Novell.* 118. *cap.* 5. Quaſi, quod rigor Iuris non permittit, illud amor & affectus maternus, qui cæteros vincit, *l.* 1. *ff. Ubi pupill. educari*, ſuppleat; Quem tanti valere, ut illud, quod ipſius quaſi naturæ defectu inſufficiens judicatur, adimplere poſſit, quis dicat? Quippe quod ſolus affectus maternus ad gubernandum pupillorum perſonas & bona non ſufficiat; ſed vel juxta vulgare:

Blanda matrum ſegnes facit indulgentia natos.

Qua ratione quidem, propter reverentiam maternam, & prærogativam illis indiſtincte conceſſam, *auth. matri & avia, Cod. quando mulier tutel. offic.* atque eo quod viduæ minorennes pro majorennibus habeantur, & ſui juris maneant, nec in poteſtatem patris revertantur, ut ſupra, *cap.* 9. *num.* 13. oſtendimus, eas vel minorennes ad tutelam liberorum ſuorum admitti, moribus quidem eſt receptum; ſed non aliter, quam ſi illi alii adſiſtentes unus vel plures, contutores, ſi ipſa gerere tutelam velit, adjungantur. Quod & Argentræo placet ad conſuetud. Brittann. *art.* 480. *Gloſſ.* 3. *num.* 1. *in fin.* & Saxoniæ moribus convenire teſtatur Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 11. *defin.* 12. Et de Jure Bavarico obtinere refert Johann. Franciſc. Balthaſar *pract. reſolut. tit.* 5. *reſolut.* 3. Atque ita in ſuprema Hollandiæ Curia deciſum 29. *Julii* 1651. in cauſa illuſtriſſimæ Viduæ *Principis d'Orange*, ſuper tutela atque adminiſtratione bonorum filii Guilhelmi ejus nominis Secundi, cui ipſa tutela quidem demandata: ſed propter ſuam minorennitatem tres quatuorve contutores ex proximioribus in ipſa adminiſtratione ſunt adjuncti. Quæ ſententia confirmatoria eſt, ſententiæ Curiæ Provincialis Holland. 31. *Maji* 1651.

Tutores conſtituti, nihil fere, niſi authoritate & conſenſu Magiſtratus pupillaris intercedente, gerunt, & quotannis coram eo adminiſtrationis ſuæ rationes reddere tenentur: ita ut Magiſtratus ipſe quaſi tutelam gerat, proximioribus, aut aliis ad id præſuppoſitis.

14 In Germania tamen etiamnum legitimæ tutelæ locus eſſe videtur ipſo Jure. Atque adeo agnati præferuntur cognatis de Jure Saxonico, eodem fere ordine quo moribus noſtris dativam ſublata agnatorum & cognatorum differentia, procedere diximus, ut ſemper ad proximiorem, & inter plures proximiores ad ſeniorem tutelæ onus ſpectet; & proximiore agnato adhuc minorenni exiſtente, agnato ſequenti deferatur tutela, qui interim adminiſtrat, donec proximior agnatus fiat major, manente etiam prærogativa matris, & aviæ viduis. Ut poſt Schneiduin. *ad pr. Inſtit. de legitim. agnator. tutel. num.* 12. *& ad tit. Inſtit. de fiduciar. tutel. num.* 6. *in fin. & ad tit. Inſtit. qui teſtam. tutor. dari poſſ.* Matth. Coler. Schultz, Modeſtin. Piſtor. & alios, refert Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 2. *Conſtit.* 11. *defin.* — *Inſtit. 1. XV. De legitima agnatorum Tutela.*

15 Sed & alia tutelæ legitimæ ſpecies ibidem percelebris & uſitata eſt, Electorum nempe, quæ fiduciaria dici poteſt, *arg. tit. Inſtit. De fiduciaria Tutela.* Quæ, ſi Elector quiſpiam deceſſerit, relictis heredibus maſculis, legitimis, minorennibus, adeoque ad Electoralem adminiſtrationem minus ſufficientibus, tunc defuncti frater ſenior, aut eo non exiſtente, agnatus proximior tutor & adminiſtrator eſſe jubentur; donec natu major ex illis ad legitimam Electoratus ſuſcipiendi ætatem, hoc eſt ad decimum octavum annum pervenerit. Aurea Bulla Caroli IV. Romanor. Imper. Norinbergæ ſancita, *Anno* 1356. *cap.* 7. *verſic. Ea tamen conditione, Ut ſi Principem, &c.* — *Inſtit. 1. XIX. De fiduciaria Tutela.*

16 Cui tutelæ electorali, per conſtitutionem Aureæ Bullæ introductæ, tantum tribuunt, ut ne qui-

quidem per Teſtamentum patris hoc jus auferri aut in alium tutorem tranferri poſſe quidam velint. Inter quos Goed. *ad l. 120. ff. De verb. Signific. num.* 3. quem ſequuntur Treutler. *vol.* 2. *diſputat.* 8. *theſ.* 5. *litt. A.* & poſt omnes Joachim. Scheplitz *ad conſuetud. Brandeburgenſ. part.* 3. *tit.* 7. Ubi rem illuſtriſſimo commonſtrat exemplo, *Johannis Caſimiri*, qui ſeu proximus agnatus, adminiſtrationem tutelæ Frederici quarti, Comitis Palatini, excluſis tutoribus Teſtamentariis, ex tenore d. Aureæ Bullæ Caroli IV. ſuſcepit, & ſuſtinuit; poſt Gothofred. vero diſſentit Paul. Buſ. *ad l.* 11. *ff. de Teſtam. tutel. num.* 4.

Cod. v. xxxiv. *Qui dare Tutores vel Curatores poſſint, & qui dari non poſſint.*

Tutelam adminiſtrare virile officium eſt, nec ad id fœminæ admittuntur, niſi mater aut avia,
l. 16. *& l. ult. ff. De tutel. l.* 1. *Cod. quando mulier tutel. officio.* Dari etiam Tutores non poſſunt 17
orti ex alia civitate, & qui in ea domicilium non habent, ubi dantur, aut juriſdictione ejus ſub-
jecti non ſunt. *l.* 5. *Cod. qui dare Tutor. vel Curator. poſſ. & qui dari non poſſint.* Uti nec credito-
res vel debitores pupilli, *l. creditorem, & auth. ſeqq. Cod. qui dare tutores poſſ & qui dari non poſ-* 18
ſint. Niſi ſint Teſtamentarii, quos defunctus creditorem vel debitorem ſcivit. DD. ibid. Montan. *de Tutel. cap.* 9. *num.* 67. *cum ſeqq.* Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 5. *tit.* 20. *defin.* 1. Sande *lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 1. Autumn. *Confer. du droict. ad d. auth. minoru.* Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *Conſtit.* 11. *defin.* 17. *in pr. junct. definit.* 19. *num.* 2. Gutierez *De Tutel. & Curat. part.* 1. *cap.* 20. *num.* 6. Aut Tutor ſit Pater aut avus, Sande *lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 2. Ne forſan debitor pupilli, chirographa, inſtrumenta, aut alias probationes ſubtrahat, vel ſi ſit creditor, pecuniæ ſolutæ apochas recipiat. *Novell.* 72. *cap.* 1. Adeoque ſi tutor creditor ſe creditorem diſſimulaverit, Jus crediti amittit, nec redhibitione, nec alia tempore adminiſtrationis ſolutione juvabitur, *d. auth. minor.* Joann. Gutierez *d. cap.* 20. *num.* 2.

Quod utrum moribus obtineat, videndum: In Germania quidem jus ſcriptum obtinere videtur, 19
ex iis quæ late tractat Carpzov. *definit. Forenſ. part.* 2. *Conſtit.* 11. *defin.* 17. 18. De Galliæ moribus DD. variant. Affirmant Papon. *lib.* 15. *tit.* 5. *art.* 2. Bugnon. *de legib. abrogat. l.* 1. *ſat.* 240. *& l.* 2. *ſect.* 88. Bouvot. *part.* 2. *in verb. Creancier tuteur.* Quod tamen in Parlamento Pariſienſi obſervari negat Loüet *litt. T. art.* 4.

Ad mores noſtros quod attinet, quum creditores & debitores minorum tutores eſſe nuſquam fere ſit interdictum: ſed pleriſque Statutis municipalibus arbitrio Judicis committatur, & pœnæ legales privantes aliquem Jure ſuo vix obtineant, conſequens eſt rigorem illum Juris, moribus noſtris non convenire, ſed & creditores pupillareſque minorum tutores ex inquiſitione dari, & manere, donec ut ſuſpecti removeantur. Quomodo à ſupremo Hollandiæ Senatu judicatum referunt.

Poteſt tamen dari tutor, aut curator, qui rem communem habet cum eo, cui tutor curatorve 20
datur. Quo caſu ſi inter Tutorem pupillumve judicio agendum ſit curator in locum ejus datur, quo interveniente judicium peragitur, & eo peracto curator eſſe deſinit, *§. fin. Inſtit. de authoritat. tutor. l.* 21. *Cod. de excuſat tutor.* niſi ſint plures tutores, quorum alter cum altero agere poteſt. *l.* 24. *ff. De teſtam. tutel.* Quod moribus noſtris frequens eſt.

Inſtit. D. & Cod. *De Excuſationibus Tutor. vel Curator.*

Onus tutelæ ſibi delatæ vel inviti ſubire coguntur tutores, *l.* 1. *ff. De adminiſtrat. tutor. l. ult. in pr. Cod. eod.* Quod de moribus noſtris teſtatur Grot. *Introduct. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 24. & Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 19. *art.* 6. *num.* 4. niſi juſtam excuſationis cauſam habeant, quæ plures in Jure enumerantur *tot. tit. Inſtit. D. & Cod. de Excuſat. Tutor. & Curat.* Hodie tamen rariores ſunt, & multorum civitatum conſtitutionibus Magiſtratus prudentiæ & arbitrio, ſecundum leges ex bono & æquo diſceptandæ relinquuntur. Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 22. Atque ita ſonant conſtitutiones rerum pupillar. Antwerp. *tit.* 43. *art.* 26. Mechlin. *tit.* 19. *art.* 6. Amſtelredam. *art.* 38. Lugdunenſ. *tit.* 100. *art.* 16. Roterodam. *art.* 11. Alcmar. & circumjacentium locorum, *tit.* 7. *art.* 17. Briel. *art.* 115.

Prima excuſationis cauſa erat multitudo liberorum, *pr. Inſtit. De Excuſat. tutor. l.* 2. *§.* 2. *ff.* 21
eod. De qua exſtat *tit. Cod. qui num. lib. ſe excuſ.* quam ex Papon. *lib.* 15. *tit.* 5. *art.* 11. & Charond. *lib.* 3. *Reſponſ.* 68. in Gallia obſervari refert Chriſtin. *ad leg. Mechlin. d. tit.* 19. *art.* 6. *num.* 5. & teſtatur Autumn. *Confer. du droict. in l.* 1. *Cod. qui numero liber.* Quæ etiam in Friſia obtinere videtur ex iis quæ tradit Sande *lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 8.

Secunda cauſa eſt trinum onus tutelæ vel curatelæ ſuſceptæ, *l.* 2. *§. ult. l.* 3. *& ſeq. ff. De Excuſat. tutor.*

Tertia excuſationis cauſa eſt adminiſtratio fiſci aut reipublicæ. *l. adminiſtrat.* 41. *ff. de* 22
excuſat. §. 1. 2. 3. *Inſtit. eod.* Quibus annumerantur Ordinarii Magiſtratus, Judices, Conſiliarii, aliique qui poteſtatem aliquam habent, prout in Friſia obtinere refert Johannes à Sande,

lib. 2.

lib. 2. tit. 9. deſin. 6. Sed Galliæ moribus convenire negat Autumn. *Confer. du droict. ad l. 6. §. 16. ff. de Excuſat.*

An Medici, Juriſconſulti, Philoſophi & reliqui artium liberalium magiſtri enumerati *in l. 6. ff. De excuſat. tutor.* hodie à tutela & cura excuſentur, inter DD. non convenit, qui moribus noſtris illa immunitate non gaudent, niſi in aliqua Academia publici Profeſſores ſint. Ut poſt alios Groeneweg. *de legib. abrogat. ad l. 6. Cod. de Profeſſorib. & l. 5. Cod. de Advocat. diverſ. judicior.* Vide quoque Joann. Gutierez *de tutel. part. 1. cap. 21. per tot.*

23 Inopia quidem, quemadmodum literarum ignorantia, neminem hodie à tutela excuſat: & quidem ſi tutor pauper, fidelis tamen & diligens ſit, non à tutela, ſed ab adminiſtratione rerum duntaxat propter ſupervenientem calamitatem removeri ſolet, Zyp. *Not. Jur. Belg. De tutorib. verſic. Non omnes*, niſi paupertas magna ſit & talis quæ aliquem injuncto oneri imparem facit. *l. 7. ff. de Excuſat. tutor.*

24 Sic & ille qui litteras ignorat ab adminiſtratione quidem excuſatur, ab ipſa vero tutela nequaquam: ſola enim ignorantia neminem à tutela excuſat, *l. 6. §. 19. ff. de excuſat. tutor.* Quo caſu illis alius adjungitur qui rerum adminiſtrationem in ſe ſuſcipit: ſic ut quotidie practicari videmus, Ruſticos in tutelam aliorum ruſticanorum pupillorum ſuſcipiendam compelli, etiamſi nec legere nec ſcribere valeant: qui ad inventarium & rationes conficiendas aliorum opera pupillorum ſumptibus utuntur.

25 Alii non adeo à tutelæ onere excuſantur, quam oppoſita exceptione & cauſa ab eadem repelluntur. Ut ſunt mulier *l. 16. & ult. ff. de tutel.* (excepta Matre, & Avia) mutus & ſurdus, *l. 1. §. ult. ff. eod. l. ult. ff. de legitim. tutorib.* cæcus, *l. 3. Cod. qui tutor. dare poſſ. l. unic. Cod. qui morb. ſe excuſ.* furioſus aut mente captus, *§. 2. Inſtit. de Teſtam. tutel. l. 11. ff. de tutel.* prodigus, *l. 12. ff. de tutorib. & curator. dat.* ſeptuagenarii ſenes, & minores 25. annis *§. 13. Inſtit. de excuſat. tutor. l. unic. Cod. Qui ætate ſe excuſant.*

26 A tutela nemo excuſatur, qui, quum habuerit legitimas ac juſtas excuſandi cauſas, voluntarie ipſam adminiſtrationem ſuſcepit, & adminiſtrare cœperit, quaſi quæ ab initio fuerit voluntatis, ſuſcepta & inchoata fiat neceſſitatis. *l. 2. Cod. ſi tutor. vel curator. falſ. alleg. excuſat. l. 17. §. 5. ff. de excuſat. l. 1. Cod. de his qui ſponte publica munera ſubeunt.* Gutierez *de tutel. part. 1. cap. 21. num. 35.* Wurmſer. *pract. lib. 1. tit. 38. obſerv. 6. 7.* Quod an moribus noſtris, quibus excuſationum cauſæ plane arbitrariæ, nulloque tempore circumſcriptæ ſunt, obtineat? dubium eſt.

27 Sed an tutor teſtamentarius recuſans tutelam, vel ab ea ſe excuſans, legatum ſibi in teſtamento relictum amittat? conſtitutum eſt, eum non ſolum legatis, ſed & omnibus aliis teſtamento relictis privari, *l. qui tutelam 28. ff. de Teſtam. tutel. & l. Neſennius 32. ff. de excuſat. tutor.* Niſi evidenter conſtet, quod ea teſtator alioqûin daturus fuiſſet, *l. ſed hæc 33. ff. eod.* vide Joann. Gutierez *de tutel. part. 1. cap. 22.* Quod licet de jure novo, nulla prorſus facta diſtinctione an teſtator reliquerit animo compenſandi, & alias fuiſſet relicturus vel non, procedere teſtatur Ludov. Roman. *Conſil. 235. num. 1.* Quem ſequitur Montan. *de Tutel. cap. 9. num. 28. & ſeq.* atque eam communem juris noviſſimi opininnem vocat Mynſinger. *Centur. 6. obſerv. 87.* Ut & expreſſe cautum *Cod. Juris Civil. Romano-Gallici* Henrici IV. *lib. 2. tit. 2. cap. 10. part. 4.* his verbis: *Nec quæritur an legatum ideo ei adſcriptum appareat, quod eidem filiorum tutelam injunxit: an alioquin daturus etiam ſine tutela.* Illud tamen moribus noſtris, quibus pœnæ legales privantes aliquem jure ſuo nuſquam receptæ aut in praxin deductæ ſunt, vix convenire putem: præſertim eo caſu quo non conſtiterit, legatario ideo relictum; quod & tutorem eundem teſtator eſſe voluerit.

28 Hactenus de his qui propter ætatem ſe defendere nequeunt. Sequitur de his qui animi vitio laborant, ut ſe ſuaque gubernare non poſſint. Hi duobus modis conſiderantur, alii qui externo, veluti ſunt ſurdi, muti, & qui perpetuo morbo laborant. *§. 3. Inſtit. de Curatorib.* Alii qui interno vitio laborant, qui ſcilicet judicii & mentis capacitate carent, ut ſunt, mente capti & furioſi. *§. 2. 3. Inſtit. eod.* Rurſum alii quibus ſua voluntate probæ vitæ diſpendio, bonorum ſuorum adminiſtratio interdicitur, ut ſunt prodigi, qui bona ſua diſſipando, & dilapidando profundunt, neque finem, neque modum ſervant in expendendis rebus ſuis. *l. 1. ff. de Curat. furioſ.* Quibus omnibus etiam viginti quinque annis majoribus Curatores dantur, muti ſurdi, mente capti, furioſi uſque dum ad ſanitatem redierint, prodigi donec probos ac ſanos mores receperint. *d. l. 1. ff. eod.* Quibus (nempe prodigis) quum eorundem vitium tam manifeſtum non ſit, non ut cæteris, à magiſtratu pupillari, ſed ex cauſæ cognitione ab Hollandiæ Curia, aut Ordinario Judice Curatores dantur, publica proclamatione, cum crediti interdicto, interpoſita, ut

D. xxvii. 10. Cod. v. lxx. Inſt. I. xxiii. *De Curatoribus furioſis, & aliis extra minores dandis.*

omnibus ac ſingulis innoteſcat. Neque ipſo jure, ut dict. l. 1. ff. de Curat. furioſ. ſed ſimili Judicis decreto, qui eis Curatores dedit, à poteſtate Curatorum ſolvuntur. Quomodo pleriſque Civitatum ſtatutis cautum, & omnium fere gentium moribus receptum eſt. Vide Statut. Pupillar. Leydenſia, art. 63. Brielæ, art. 136. Alkmaar, Edam, tit. 11. art. 4. Conſuetud. Antwerp. tit. 43. art. 90. Chriſtin. ad leg. Mechlin. tit. 19. art. 29. Rebuff. ad Conſtitut. Reg. Galliæ. de Sentent. Proviſion. art. 3. gloſſ. 4. num. 13. Argentr. ad Conſuetud. Brittan. art. 497. Anton. Faber ad Cod. lib. 5. tit. 38. deſin. unic. num. 5. Carpzov. deſin. Jur. Saxon. part. 3. conſtitut. 6. deſin. 10. num. 3.

CAP. XVII.

De Officio atque Adminiſtratione Tutorum.

SUMMARIA.

1. *Tutoris conſtituti officium eſt ut inventarium conficiat.*
2. *An & quatenus remitti poſſit?*
3. *Qui ſatiſdare cogantur?*
4. *Subſidiaria adverſus Magiſtratus actio an obtineat?* Affirm.
5. *Quis ex pluribus tutoribus adminiſtrationem habeat?*
6. *Apud quos, & quomodo pupilli educandi?*
7. *Quomodo bona adminiſtranda?* & num. 9.
8. *Prædia minorum, an, quando, & quomodo alienanda?*
9. *Pecunia otioſa an & quando uſuras præſtet tutor?*
10. *In quibus auctoritas tutoris neceſſaria, & quomodo interponenda?*
11. *Quando ex facto tutor, vel curator, minores agere aut convenire poſſint.*
12. *Quando pupillorum nomine tutores quid egiſſe intelligantur, & quid de prædiis aut aliis rebus ex pecunia pupillorum ſimpliciter emptis?*
13. *Quando tutor ſuo aut minorum nomine egiſſe aut contraxiſſe intelligatur?*
14. *Quomodo & quando ut ſuſpectus removendus?*
15. *Qui tutorem ſuſpectum poſtulare poſſint.*
16. *Pœna tutela male geſtæ.*
17. *Qui pro tutore geſſit an & quatenus teneatur?*

D. xxvi. vii. & Cod. v. xxvii. *De Adminiſtratione & periculo Tutorum & Curatorum.*

TUtor conſtitutus antequam adminiſtrationem ſuſcipiat, & pupillorum negociis ſeſe immi- 1
ſceat, inventarium bonorum ac rerum pupilli ſolenniter confici curabit, l. 7. ff. & l. 24. Cod.
de adminiſtrat. tutor. l. ult. §. 1. Cod. arbitrium tutelæ. Quod uſque adeo moribus procedit, ut 2
etiamſi teſtator inventarium fieri à tutore noluerit, nihilominus Judex juſta ex cauſa tutori inventarium conficiendum injungere poſſit, arg. l. 2. §. 44. ff. ad Senat. Tertull. junct. l. 10. ff. de confirmand. tutore. l. 5. §. 7. ff. de adminiſtrat. tutor. & ibi DD. Covarruv. var. reſolut. lib. 2. cap. 14. num. 4. Montan. de tutel. cap. 32. reg. 5. Neoſtad. Cur. Holland. deciſ. 20. Boët. ad Conſuetud. Bituric. §. 7. Cod. Jur. Civil. Romano-Gallic. lib. 2. tit. 2. cap. 13. Joann. Franciſc. Balthaſar Reſolut. Jur. Civil. & Bavar. tit. 5. reſolut. 4. num. 13.

Inſtit. I. xxiv. *De Satiſdatione Tutorum.*

Deinde ut pupillis undequaque cautum ſit, ſatiſdare coguntur tutores, vel curatores rem pu-
pilli ſalvam fore, pr. Inſtit. de ſatiſdat. tutor. datis fidejuſſoribus, l. 1. ff. qui ſatiſd. cog. Qua ſatiſ- 3
datione ſoli excuſantur Teſtamentarii & ex inquiſitione dati, d. pr. Inſtit. Sed quum omnia tutorum bona ipſo jure pro adminiſtratione obligata ſint, l. 20. Cod. de adminiſtrat. tutor. & ulterius gravari vix poſſint, tutores propter onus quod ſuſtinent: quibus accedit quod hodie omnes omnino tutores ex inquiſitione dentur, aut confirmentur: non adeo neceſſaria moribus noſtris, ſed plane arbitraria eſt illa ſatiſdatio, & eorum religioni & prudentiæ committitur, qui rebus pupillaribus præſunt, Grot. Introd. lib. 1. part. 9. num. 2. Sande lib. 2. tit. 9. deſin. 9. Rebuff. ad Conſtitut. Reg. de Sentent. Proviſ. art. 3. Gloſſ. 2. num. 8. Quod & Galliæ moribus convenit, quibus nonnullis Provinciis ſatiſdatio remittitur, ut in Normania, quod ibi ex inquiſitione tutores dentur: in aliis iterum licet ex inquiſitione dentur tutores, ſatiſdatio tamen exigitur, Chaſſan. ad Conſuetud. Burg. tit. de tut. Cod. Juris Civil. Romano-Gall. Henric. IV. lib. 2. tit. 2. cap. 11. in fin.

D. xxvii. viii. Cod. v. lxxv. *De Magiſtratibus conveniendis & heredibus eorum.*

Hinc eſt quod quidam ſibi perſuaſum habuerint ſubſidiariam actionem, qua Magiſtratus tene-
batur, propterea quod ſatiſdationem à tutoribus non exegerint, aut exegerint quidem, ſed non
ſatis idoneam, moribus noſtris ceſſare: niſi dolo malo hoc egiſſe convincantur, quo caſu de dolo 4
duntaxat actio competeret, Buſius ad tit. ff. de Magiſtratib. conven. Gothofred. & Autumn. Cod. eod.

eod. Chriſtin. *volum.* 3. *deciſ.* 181. *num.* 4. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de tutorib. in verb. Magiſtratus.* Vinn. §. *ult. Inſtit. de ſatiſdat. tutor.* quos citat & ſequitur Groeneweg. *de legib. abrogat.* Quod jus tamen cum nullibi mutatum certo reperiatur, nec de contraria conſuetudine adeo conſtet, de ejus abrogatione, ſeu verius diſſuetudine, certo cuiquam affirmare non auſim; ſic ut de Saxoniæ moribus contra eos qui de jure ſuo facilius diffident, defendit Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 11. *defin.* 41. ſed & hodie actionem ſubſidiariam excuſſis tutorum aut curatorum facultatibus in Magiſtratum dari putem, ſi modo culpa magiſtratui aliqua imputari poſſit, vel quod idoneos non dederit tutores, vel quod cautionem omnino non exegerit, *l.* 1. §. *ſi præſes & ſeq. ff. de Magiſtratib. conv.* Atque ita in Hollandiæ curia provinciali 23. Maji Anno 1646. deciſum intellexi in cauſa *Caſpari Buſſche* Impetrantis contra *Arnoldum Altena*, quæ cauſa quum per appellationem ad ſupremam Curiam eſſet devoluta, ibidem 30. *Maji* 1653. in iiſdem terminis quoque fuit confirmata. Et hoc probat Codex Juris Civilis Romano-Gallici Henrici IV. *lib.* 2. *cap.* 15. *part.* 3. *num.* 119. Unde conſtat deciſionem hujus dubii eſſe difficilem & arduam, ſic ut, quamvis hoc valde durum ſit, & ex inveterata omittendæ ſatiſdationis conſuetudine, ultra alia fundamenta quædam pro abrogato hoc juris articulo, militare videantur, & quo quo modo ſtringant, tamen meo judicio ſuadendum non eſt, ut quiſpiam omittendo ea quæ obſervari aliquo modo poſſunt, litem hanc ſuam faciat, præſertim ubi illa quæſtio acriter etiam agitata, in contradictorio judicio ſemel in contrarium fuerit deciſa. Ita quoque ſentit Petr. Heig, & poſt eum Georg. Schultzen *ad tit. Inſtit. de Satiſdat. Tutor.*

5 Si plures tutores aut curatores conſtituti ſint, & pater teſtamento neminem ex iis deſignarit qui gerat, quum ſingula melius expediri poſſint per unum, quam ſi per multos tutela ſpargatur, is tutelam adminiſtrabit, quem major pars elegit, aut ſi per magiſtratum dati ſint, is quem Prætor ſtatuerit, *l.* 3. §. 6. 7. *ff. de Adminiſtrat. & periculo tutor.* §. 1. *Inſtit. de Satiſdat. tutor.* Cæteri tutores non adminiſtrabunt, ſed ſunt velut honorarii obſervatores, & cuſtodes ejus qui gerit, à quo rationes ſingulares aſſidue exigunt, ſollicite curant & obſervant qualiter converſantur; cujus facultatibus excuſſis, etiam conveniri poſſunt, atque iis imputatur ſi adminiſtratorem ſuſpectum non fecerint, *l.* 3. §. 3. *ff. eod.* Quod moribus convenit.

Cod. v. xl. *Si ex pluribus tutoribus omnes vel unus.*

Verſatur adminiſtratio tutorum aut circa perſonas, aut circa res & bona pupillorum.

Circa perſonam curabit ea, quæ ad perſonam inſtruendam pertinent: ut pro facultatibus, & dignitate fiat educatio, mercedes præceptoribus præſtentur, *l.* 12. §. 3. *ff. de Adminiſtrat. tutor.* alimenta recte decernantur.

6 Educatio pupillorum nulli magis quam matri committenda, ſi non vitricum eis induxerit, *l.* 1. *Cod. Ubi pupilli educari*, vel alioqui cognatis, aliiſve in quos nulla cadit ſuſpicio, *l.* 1. §. 1. *l. pen. ff. eod.* Quod plane arbitrarium eſt. Circa quam materiam ex moribus noſtris hoc notandum: quod pontificiæ religionis tutoribus educatio pupillorum, quorum uterque vel ſaltem alteruter parentum reformatæ fuit religionis, non ſit committenda, *Edict. Ordin. General.* 30. *Auguſt.* 1641. Renovat. 14. *April.* 1649.

D. xxvii. 11. & *Cod.* v. xlix. *Ubi pupilli educari vel morari debeant.*

Circa rem aut bona pupillorum, requiritur, ut bene acquirantur, conſerventur, & bene ac prudenter expendantur.

7 Ad acquæſtum & bonorum conſervationem quod attinet, moroſi debitores ad ſolutiones interpellandi ſunt, *l.* 46. §. *fin. ff. de adminiſtrat. tutor.* qui ſi non ſolvant cogendi ad venditionem pignorum, *l.* 18. *Cod. eod.* Indefenſum pupillum relinquere non debent, contra eos, qui cum iis agunt, *l.* 28. *Cod. eod. l.* 2. *Cod. de his qui legit. perſ. ſtandi in judic. habent vel non.* nec ſolutionem aut judicium detractare, & ab iniquo judicio provocare, *l.* 1. *Cod. eod.* & generaliter adverſus ſe præſtare, quod adverſus alios præſtare debent, *l.* 9. §. 3. *ff. eod.* Mobilia denique bona omnia minorum publice vendere, *l.* 1. *Cod. de fid. & jure haſt. fiſc.* & redactam inde pecuniam in em-

8 ptionem prædiorum vel redituum collocare. Immobilia vero prædia ſive ruſtica ſive urbana, conſervare, quoad ejus fieri poteſt, nec diſtrahere; niſi æs alienum tantum ſit, ut ex rebus cæteris non poſſit exſolvi; quo caſu nec propria authoritate id exequi valet, ſed magiſtratus ejus loci, ubi prædium ſitum eſt, adiri debet, qui pro ſua religione æſtimabit, quæ poſſint alienari, obligarive debeant, *l.* 12. *& tot. tit. Cod. De præd. & aliis reb. minor. ſine decreto non alienand. l.* 5. *l.* 13. *ff. de Reb. eor. qui ſub tutel. vel cura ſunt.* Quod ſi autem æs alienum non interveniat, tutores tamen allegent expedire alia prædia vendi, alia comparari, aut iſtis carere, non audiendi ſunt. *l.* 5. §. 14. *l.* 13. *in pr. ff. De reb. eorum qui ſub tutel.* Joan. à Sande *lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 14. Quæ omnia procedunt niſi teſtator de diſtrahendo in teſtamento vel codicillis caverit. *l. ult. ff. de præd. & aliis reb. minor.*

D. xxvii. 9. *Rebus eorum qui ſub tutela vel cura ſunt ſine decreto non alienand.*

Cod. v. lxxi. *De prædiis & aliis rebus minorum.*

In expendendo vero tutor curabit, ut in tempore ſolvat, ne pupillus, in pœnam aut damnum 9
incidat, *l. 23. Cod. de Adminiſtr. tutor.* Et pecuniam quam accepit non temere otioſam relinquat, ſed in emptionem prædiorum, vel aliud lucrum conveniens collocet tantundem, quantum, deducto eo, quod morbo & neceſſitati inopinatæ, pro modulo facultatum, ſatis eſſe videtur, reliquum fuerit, *l. 24. Cod. eod.* Quod ni fecerit interjecto duorum aut trium menſium tempore, aut ſi alias pecuniam pupilli in ſuos uſus converterit, ipſemet uſuras præſtabit pro conſuetudine regionis aut provinciæ frequentes, *l. 7. §. 10. 11. l. 13. §. 1. & l. 25. ff. de Adminiſtrat. tutor. l. 2. Cod. de Uſur. pupill.* Nec refert utrum illud reſiduum ex ipſa ſorte, an ex uſuris & reditibus annuis ſuperſit, quo caſu etiam uſurarum exigi poſſunt, *d. l. 7. §. 12. ff. eod.* quomodo deciſum refert Neoſtad. *Suprem. Cur. Holland. deciſ. 51.* Sande *lib. 3. tit. 14. defin. 6.* vide Grot. *Introd. lib. 1. cap. 9. verſ.* **De penningen.** Quod per Univerſam Germaniam quoque obſervari poſt alios refert Carpzov. *defin. forenſ. part. 2. conſtit. 11. defin. 22.*

D. XXVI. VIII. & Cod. V. LIX. *De conſenſu & auctoritate Tutorum vel Curatorum.*

Auctoritas porro tutoris neceſſaria eſt pupillis in omnibus negociis, quibus ipſi promittunt, & 10
deteriorem ſuam conditionem facere poſſunt, ut, in obligationibus, mutuis, empti venditi, locati conducti, mandati, depoſiti, quibus pupilli ſine tutoris auctoritate obligari non poſſunt: niſi in quantum locupletiores facti, ipſi vero qui cum illis contrahunt obligantur, ſi contractum velit eſſe ratum pupillus; cum meliorem ſuam conditionem etiam ſine tutoris auctoritate facere poſſit, non deteriorem, *pr. Inſt. de auctoritat. tutor. l. 9. ff. eod. l. 11. ff. de Acquir. rer. dominio. §. 9. Inſtit. de Inutilib. Stipulat. §. ultim. Inſtit. Quib. alien. licet vel non, l. 28. ff. de pact. l. 14. §. 8. ff. de ſolutionib. l. 27. ff. de contrah. empt. l. 8. ff. de acq. hered.* Quod quidem jure civili ad tutelam impuberum reſtringitur: ſic ut alii minores, ſive curatores habeant ſive non, ſemper obligari poſſint ſine conſenſu curatorum, *l. 101. ff. de Verb. obligat. tot. tit. ff. de Minorib.* Sed quum Tutorum & Curatorum jura moribus noſtris confundantur, etiam minores ex ſuo facto conveniri minime poſſunt.

Et quidem in ipſo negocio præſens & pure auctoritatem ſuam interponere debebat tutor, poſt tempus vero, vel per epiſtolam, aut ſub conditione interpoſita ejus auctoritas nihil agebat, *§. 2. Inſtit. de auctoritate tutor. l. 8. ff. eod.* Sed quum moribus noſtris *arg. l. ult. Cod. ad Senatuſconſult. Macedon.* omnis ratihabitio retrotrahatur & confirmet ea quæ ab initio facta ſunt, adeoque principali mandato, & conſenſui adæquetur, quocunque modo, etiam ex intervallo tutoris auctoritas interpoſita, negocium à pupillo geſtum retro confirmat. Ut poſt Autumn. *ad l. 9. §. 5. ff. de auctoritat. tutor.* notat Groeneweg. *ad tit. Inſtit. de auctoritat. tutor.*

D. XXVI. IX. & Cod. V. XXXIX. *Quando ex facto Tutor. vel Curator. minores agere vel conveniri poſſint.*

Quæ auctoritas tanta eſt, ut non tantum ex ſuo facto, tutoris conſenſu interveniente; ſed ex 11
facto tutorum vel curatorum, minores agere vel conveniri poſſint, *tot. tit. ff. & Cod. quando ex facto tutor. vel Curator. minor. agere vel conveniri poſſint.*

Atque ita, licet jure communi res empta pecunia aliena ejus fiat qui eam ſuo nomine emit, *l. 5. §. plane 17. ff. de Tributor. act. l. 3. Cod. pro Socio. l. 4. Cod. commun. Utriuſque judic.* nec ei cujus pecunia eſt quicquam acquiratur, *l. 1. & l. pen. Cod. Si quis alteri vel ſibi. l. 6. Cod. de rei vindic.* 12
Sed contrahens vel aliquid acquirens proprio non alieno nomine contraxiſſe, & acquiſiviſſe præſumatur, ut late Menoch. *lib. 3. præſumpt. 46.* aliud tamen in tutore obtinet, qui ſi ex pecunia pupilli rem aliquam emerit, licet ſuo nomine emerit, (quod in dubio præſumitur, cum quilibet potius ſuo quam alieno nomine geſſiſſe cenſeatur, *l. 4. ff. de Solut. l. 126. §. 2. ff. de Verb. Oblig. l. 9. ff. de probat. l. 5. ff. quando ex fact. tutor. l. 47. §. 4. ff. de adminiſtrat. tutor.* Bart. *in l. 70 §. ſi centum. ff. de legat. 2.*) in commodum tamen & utilitatem pupilli emiſſe, adeoque pupillo acquiſiviſſe præſumitur, cui & dominium acquiritur, & rei vindicatio competit, *l. 2. ff. Quando ex fact. tutor. vel curat. l. 2. l. 8. §. 1. ff. de reb. eor. qui ſub tutel. vel cura. l. 3. Cod. Arbitrium tutel.* Salicet. *in l. ſi ut proponis. 8. Cod. de Rei vindicat.* Hartmann. Piſtor. *part. 1. quæſt. 7. num. 3. in Not. C.* propterea, quod ex officii neceſſitate tutori incumbat, pecuniam pupillarem in emptionem prædiorum collocare, *l. 5. ff. de adminiſtrat. tut.* nec otioſam relinquere, neque in proprios uſus convertere illi ſit permiſſum, *l. 46. §. tutor. 2. ff. eod.* Unde pro generali regula ponitur, quod quotieſcunque tutor aliquid facit, ad quod ratione officii tenetur, licet id ſuo nomine fecerit, cenſeatur tamen pupilli nomine feciſſe. Bart. *ad l. Titium. 47. §. altero. 6. ff. eod. n. 2.* Maſcard. *De probat. vol. 1. concluſ. 38. n. 2. 3.* Quo fundamento etiam Scabini Lipſienſes judicarunt e nomen, ſive debitum pro pecunia minoris conſtitutum, ad eundem pertinere; licet tutor ſemet ipſum in chirographo creditorem nominari curaſſet, nec ſolum præſumi, tutorem de pecunia pupilli ſolviſſe, ſed & mercantiam vel negocia patris continuantem, cenſeri nomine pupilli continuaſſe. Ut poſt Maſcard. *concluſ. 1393. num. 9. & num. 14.* & Gutierez, *tract. de tutel.*

&

& cura. part. 2. cap. 10. num. 9. refert & probat Carpzov. defin. forenſ. part. 2. conſtit. 11. defin. 38.

13 Quemadmodum è contrario, ſi tutor ratione officii ac tutelari nomine contraxerit, & ſe ſuaque bona obligaverit, proprio nomine non tenetur, nec in propriis ſuis bonis obligatur: quum ſubjectio pignoris, & bonorum obligatio interpretationem accipere debeat ex principali obligatione, l. 178. ff. de Regul. Jur. l. 23. §. item quacunque ff. de Rei Vindicat. Et clauſulæ acceſſoriæ ab eo ſumant interpretationem quod principaliter geſtum eſt, l. ult. §. final. ff. de Condict. indeb. Felin. in cap. licet. extra. de Offic. Orduar. Accedit quod in dubio tutor vel curator non proprio nomine, ſed nomine officii indemnitatem promiſiſſe, & ſe obligaſſe cenſetur, per ea quæ tradit Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 6. tit. 17. num. 6. arg. l. ult. ff. Quando ex facto tutor. & ibi Bart. & alii. Ubicunque enim fit mentio officii in aliquo inſtrumento, tunc aliquis non proprio nomine, ſed ratione officii contraxiſſe ac promiſiſſe cenſetur. Ut late Card. Tuſch. practicabil. concluſ. litt. P. concluſ. 824. niſi expreſſe egerint pro alieno & pupillari debito, id ſe proprio nomine facere, & ſe ipſos fidejuſſores conſtituere. Atque ita deciſum referunt, Anton. Fab. ad Cod. lib. 5. tit. 23. defin. 5. & Matth. Berlich. deciſion. Lipſenſ. 15.

Sic nec propter æs alienum pupilli, propria tutoris bona pignori capi poſſunt, l. 1. quando fiſcus vel privat. debitor. ſui debit. conven. poſſ. vel deb. eo quod tutelam non voluntarie, ſed ex neceſſitate muneris gerat, l. 22. ff. de inoffic. teſtam. l. 22. ff. de his qua ut indign. Quod ſatis oneroſum eſt, ac propterea damnoſum fieri non debet, l. 7. ff. teſtam. quemadmod. aper. l. 61. §. 5. ff. de furt. Quemadmodum nec condemnatus, tanquam tutor cogi poteſt ut judicati executionem in ſuis bonis patiatur, etiamſi proprio nomine fuerit obligatus, niſi & ipſe proprio nomine fuerit condemnatus. Montan. tract. de Tutel. cap. 31. effect. 6. num. 1. Atque ita à Sabaudiæ Senatu judicatum refert Anton. Fab. ad Cod. lib. 7. tit. 20. defin. 52. & lib. 5. tit. 23. defin. 5. Et à Suprema Hollandiæ Curia obſervatum teſtatur Jacob. Coren Rer. Judic. obſerv. 3.

14 Si quis non ex fide tutelam gerat, ut ſuſpectus removendus eſt, §. 5. Inſtit. de Suſpect. tutor. Ut, ſi quis fraudulenter & callide in rebus pupilli verſetur, l. ſi creditores 31. ff. de reb. auth. jud. poſſid. l. 5. Cod. de Suſpect. tutor. ſi facultatibus defectus ſit; adeo ut rem pupilli ſalvam fore non ſatis cautionis ſit. l. 5. ff. eod. ſi per contumaciam non gerat, aut alimenta pupillo non præſtet, l. 5. Cod. eod. §. 9. Inſtit. eod. l. 3. §. 14. ff. eod. propter inimicitias, cum pupillo, ejuſve parentibus contractas. l. 3. §. 12. ff. eod. Et generaliter, ſi quæ juſta cauſa judicem moverit, cur non debeat in tutela verſari l. 21. §. 5. ff. de tutorib. datis, l. 5. l. 8. ff. de Suſpect. tutorib. Quod moribus ſequimur, quibus ſimpliciter eum tutorem ſuſpectum putamus, qui quacunque ex cauſa talis eſt, ut ſuſpectus ſit. Debitor etiam creditorque pupilli tutor eſſe nequit, quin ei curator adjungatur. Novell. 74. cap. 2. teneturque ab initio indicare ſe pupilli eſſe debitorem, aut creditorem, aut ſi tacuerit qui pupilli creditor eſt, omni actione adverſus minorem cadet. d. Nov. 72. cap. 4. A quo communiter excipiunt eum qui teſtamento à teſtatore ſciente datus eſt. Ut tradit Montan. de tutel. cap. 6. num. 63. Rittershuſ. ad Novell. part. 8. cap. 4. num. 14. Atque ita deciſum referunt Anton. Fab. ad Cod. lib. 5. tit. 20. defin. 1. Guid. Pap. deciſ. 144. & poſt eos Joann. Sande lib. 2. tit. 9. defin. 1. Sed Hollandiæ Curia contrarium cenſuit. 17. Februar. 1615. In de ſaake van Jan Pieter Maartenſz. Imp. in caſ d'appel / contra Pieter Holle / gedaagd.

Inſtit. 1. xxvi. D. xxvi. x. & Cod. v. xliii. De Suſpectis Tutoribus vel Curatoribus.

15. Suſpectos poſtulare poſſunt omnes, quum ſit accuſatio quaſi publica: maxime tamen hi qui pupillis aliqua conſanguinitate ſunt conjuncti, l. 1. §. 6. 7. ff. de Suſpect. tutor. Suſpectos ab officio removere, iidem illi magiſtratus, qui tutores vel curatores creare debent; arg. l. 35. & l. 39. ff. de de Reg. Jur. Vinn. ad §. 1. Inſtit. de Suſpect. tutorib.

16 Suſpectus & remotus ob dolum fit infamis. §. 6. Inſtit. de Suſpect. tutor. modo judex ſuſpicionis aut remotionis cauſam decreto ſuo ſignificaverit l. 4. §. 1. & 2. ff. eod. ob culpam non utique, etiamſi lata ſit. d. §. 6. junct. l. 3. §. ult. ff. eod. eo quod lata culpa, quæ in quibuſdam doli nomine continetur, in tutore quidem prope ad fraudem accedere l. 7. §. 1. ff. eod. non tamen ipſa fraude laborare dicitur. Ut poſt Cujac. ad rubr. ff. de Excuſat. tutor. Buſius ad d. l. 3. §. ult. Quod de infamia remoti vix obtinere volunt: eo quod noſtris & aliorum moribus remotionis cauſæ decreto judicis exprimi non ſoleant. Ut poſt Vinn. ad §. 6. Inſtit. de Suſpect. tutor. Antumn. Confer. du droit, ad d. l. 4. ff. eod. & Tulden. notat Groeneweg. de legib. abrogat. ad d. §. 6. Inſtit. de Suſpect. Niſi quod Saxoniæ moribus etiamnum obtineat; Ubi Tutor, vel Curator, qui doloſe aut fraudulenter verſatur circa adminiſtrationem bonorum pupilli, vel adulti, & tribus

edictis legitime citatus, non compareat, diffamatur, & in poſterum ei omnium tutelarum adminiſtratio prohibetur. Ut ex Saxoniæ Conſtitut. refert Georg. Schultz *ad tit. de Suſpect. tutor. in fin.*

D. lib. XXVII. tit. V. Cod. lib. V tit. XIV. *De eo qui pro tutore vel curatore negotia geſſit.* Dig. lib. XXVII. tit. VI. Cod. V. XIV. *Quod falſo tutore geſtum eſſe dicetur.*

Si quis pro tutore negotia adminiſtraverit, quum tutor non eſſet, pro tutelæ actione tenetur *l. 1.* 17 *ff. De eo qui pro tutore.* ex adminiſtratione ſua ac ſi tutor fuiſſet *l. 1. Cod. eod.* non tantum propter ea quæ geſſit, quam quæ gerere neglexit. *d. l. 1. §. fin. ff. eod.* Et adverſus ea quæ falſo tutore geſta ſunt, datur in integrum reſtitutio *l. 1. §. fin. ff. Quod falſo tutor.* & agitur in id quod intereſt. *l. 7. §. 2. & 3. ff. eod.* Et ſi in judicio quaſi tutor agat, in qualibet judicii parte inſtar falſi procuratoris. *l. 24. Cod. de procur.* exceptione removetur, etiamſi probet ſuam intentionem. *l. 2. Cod. eod.* Quo pertinent hodierni mores & conſuetudines, quibus legitimos tutores ab uſu remotos, neque alios quam teſtamentarios & dativos admitti diximus ſupra.

CAP. XVIII.

Quibus modis Tutela finitur, de Rationibus reddendis, & tutelæ actione, directa & contraria.

SUMMARIA.

1. *Quando tutelæ rationes reddendæ.*
2. *Quæ ſolennitas, quomodo fiant, & quid inibi obſervandum.*
3. *Quibus modis tutela finitur.*
4. *Solvitur tutela morte, ſive civili ſive naturali.*
5. *Item tempore finito, ubi, qua ætate, & quomodo minores ſui juris fiant,* & num. 6.
6. *Qui majores ſub curatela maneant, aut conſtituantur.*
7. *Qui veniam ætatis impetrare poßint, & quomodo.*
8. *An impetratâ veniâ, permiſſum ſit illis immobilia alienare.*
9. *Per matrimonium tutela ſolvitur & minores ſui juris efficiuntur.*
10. *Quid à tutoribus finita tutela præſtandum.*
11. *An & quatenus tutor periculum nominum à ſe contractorum in ſe ſuſcipere cogatur?*
12. *An & quomodo à culpa excuſari poßit?*
13. *Inter plures tutores, qui & ex qua parte conveniantur?*
14. *Quibus gaudeant remediis ſi in ſolidum conveniantur.*
15. *Quomodo ſibi proſpiciunt, qui non geſſerunt.*
16. *Gerere tutelam quid ſit.*
17. *Quid ſi is qui geßit, non ſit ſolvendo?*
18. *Qui pro tutore geßit ad quid teneatur.*
19. *Quæ actiones dentur tutoribus adverſus eos quorum tutela geſta eſt.*
20. *An ſalarium aliquod petere poßint, & quid ea in re moribus obtineat.*

Dig. & Cod. *De Tutela & Rationibus diſtrahendis.*

NIſi finita eſſet tutela, tutelæ agi non poterat, *l. 4. ff. de tutela & rationib. diſtrah.* Sed moribus noſtris fere ſingulis annis tutelariæ adminiſtrationis rationes reddi debent magiſtratui pupillari, vel alias contutoribus honorariis, qui ad id plerumque tutoribus adminiſtrantibus adjungi ſolent. Quod primum receſſu Auguſt. Anni 1548. à Carolo V. cautum, poſtmodo moribus, & conſtitutionibus pupillaribus utrobique fere probatum eſt, & pro jure tenet. *arg. l. 16. §. 1. ff. de Tutel. & rat. diſtrah.* Buſ. *ad l. 19. ff. eod. & l. 1. §. ult. in fin. eod.* Grot. *Introduct. lib. 1. part. 9. num.* 18. Zypæ. *Notit. Jur. Belg. de Tutorib. verſ. tutor.* Conſuetud. Antwerp. *tit.* 40. *art.* 51. 52. Conſuetud. Provincial. Ultraject. *Rubr.* 31. *art.* 4. Quod & Jure Saxonico conſtitutum teſtatur Weſenbec. *ad tit. ff. de Tutel. & Ration. diſtrah. num.* 3. Joann. Schneiduin. *ad §. impuberes. Inſtit. De Attiliano Tutore. num.* 3. Et Jure Bavarico idem obtinere refert. Johann. Franciſc. Balthaſar *Reſolut. Juris civil. & Bavar. tit.* 5. *reſolut.* 8. *num.* 2. 1

Ut autem rationes rite fiant, in praxi communiter obtinet: ut quando primæ rationes redduntur, inſpiciatur inventarium ſolenniter confectum, an omnia data & accepta, & ſinguli pupilli reditus rationibus exprimantur, & cum inventario contentis conveniant: (qui facit *l. 1. & fin. Cod. De Tutel. & Ration. diſtrah.*) Inventarium enim eſt caput omnium rationum. Gutierez. *tract. de Tutel. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 50. Quo facto diſcutiendum eſt, quanti ſint reditus & bona pupilli: deinde examinandæ ſunt impenſæ, quas tutor deducendo repetit, an juſtæ ſint, & pupilli facultatibus conveniant. Gutierez. *d. l. loco, num.* 51. Quando vero ſecundæ & reliquæ redduntur ratio- 2

nes,

nes, ultimæ, ſeu proxime redditæ inſpiciuntur, ſumma calculi cum iis confertur, & ibidem mortificata, in poſteriores rationes tranſit, examinaturque porro quomodo rationes poſteriores cum proxime præcedentibus invicem cohæreant, ac conveniant. Quibus accedunt noviter inventa, poſt confectionem inventarii, aut rationes proxime redditas, ad aucta, quæ libro rationum fideliter annotare tutoris aut curatoris officio incumbit, *arg. l. 1. §. 3. ff. de tutel. & rat. diſtrah. l. ult. §. tali. Cod. De Curator. furioſ. & ibi* Gloſſ. & DD. Joann. Gutierez. *tract. de Tutel. & cura. 9. part. 3. cap. 1. num.* 54. Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. rubr. 6. §. 6. verb. deu rendre. num. 9.*

3 Sequitur nunc ut diſpiciamus quibus modis tutela finiatur, & quid finita prorſus tutela, in tutelæ & curæ rationibus ultimis à tutoribus ſit præſtandum.

4 Communes curæ vel tutelæ finiendæ modi ſunt, mors tutorum, aut pupillorum, ſive naturalis, ſive civilis, per quam libertas vel civitas amittitur. *§. 4. Inſtit. Quib. mod. tut. fin. l. 4. ff. de Tutel. & rat. diſtrah.* Ut quando minor religionem ingreditur, & ſtatum religioſum profitetur: quo caſu in poteſtatem Abbatis, vel Superioris tranſit & civitatem ac mundum amittit, adeoque civiliter mortuus eſſe cenſetur. Gloſſ. *in l. ſi ex cauſa. 9. §. Papinianus. 4. ff. de minorib. verb. cum ſtatum mutat.* Quod moribus noſtris, quibus ſervitus incognita, pro capitis diminutione eſt. Vide Schneiduin. *ad §. filiusfamilias, 4. Inſtit. Quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv. num. 7.*

Inſtit. 1. XXII *Quibus modis Tutela finiatur.* Cod. v. LX *Quando Tutor vel Curator eſſe deſinit.*

Sed quid de deportatis, relegatis & his qui civitatem amittunt? dicendum, quum illud nuſquam ſit mutatum, eo ipſo etiamnum tutelam finiri.

5 Specialis vero tutelæ finiendæ modus eſt tempus; ſic qui ad certum tempus teſtamento tutores conſtituti ſunt, finito eo tutelam deponunt *§. 5. Inſtit. Quib. mod. tutel. finit.* Et majorennes, confuſo tutelæ & curationis jure, legitimo majorennitatis anno completo ſui juris fiunt. Quorum ætas quæ, & quando reputetur legitima, mores variant: Sic ut fruſtra dubitetur: an præfixus terminus viginti quinque annorum ad obtinendam majorennitatem ſtatuto vel conſuetudine abbreviari queat, poſtquam variis locorum Statutis, ac conſuetudinibus minor ætas varie terminari invaluerit. Vide Cavalcan. *de Tutor. & curat. ſect. 1. num. 7.* Sfort. Odd. *de Reſtitut. in integr. part. 1. quaſt. 2. art. 6. num.* 44. De quibus quum ſub finem capitis 8. pro varietate cujuſque regionis abunde tractaverimus, ſuffecerit hic monuiſſe majorennitatem pleriſque taxari 25. anno completo, *arg. pr. Inſtit. De Curatorib.* præterquam Germanis, & Gallis quibuſdam, quibus vigeſimo, nonnullis etiam vigeſimo primo anno completo minores ſui juris ſunt, ut latius ibid. Quibus notanter addo, non tantum jus civile; ſed & omnes fere conſtitutiones municipales legitimam ætatem completam deſiderare, cum in aliis favoris cauſâ annus inchoatus pro completo haberi ſoleat, *l. 8. ff. de munerib. & honorib. l. 74. §. 1. ff. de Senat. Trebellian.* Cujus diverſitatis ratio redditur ab Ulpiano *in l. 1. §. 2. & l. 3. §. 3. ff. de minor. & l. 134. ff. de Verbor. ſignif.* Et à Philoſophis probatur, qui ſtatuunt ideo majorennium ætatem certo & determinato tempore circumſcribi, & de momento in momentum currere, quod ante probatam eam ætatem, ipſa quaſi natura neget, integris & cicumſpectis conſiliis quem uti poſſe. Ariſtot. 1. *Ethicor. in pr.* Magyr. 6. *Phyſiolog.* 5.

6 Qua de cauſa quum & ingenia quædam citius, & quædam tardius proficiant, (unde Statutorum diverſitates hac in parte profectæ) quædam leges municipales neminem, etiam legitima ætate completa, ſimpliciter à tutela vel cura dimittunt, ſed dimiſſionem fieri cauſa cognita, & auctoritate judicis interveniente, volunt Conſtitut. Municipal. Leydenſ. *art. 110. num. 61.* Conſtit. pupillar. Civitatis Roterodamenſ. *art. 39.* Quippe quod nulla alia ratione vel majoribus prodigis, & male feriatis tutores vel curatores dentur, quam quod ob lubricum animi judicium eos rebus ſuis præeſſe non expediat: *tot. tit. Digeſt. Cod. De curator. furioſ. & aliis extra minor.*
7 *dand.* Atque iterum illis quos honeſtas morum, mentiſque ſollertia commendat, ut rebus ſuis ſupereſſe commode poſſint, ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis vel minorennibus 18. annis legitimæ ætatis venia concedatur, ut res ſuas ſine curatoribus adminiſtrent, ſic ut petitio ejus quæ jure civili in maſculis poſt 20. & fœminis 18. annum demum admittebatur *l. 2. Cod. de bis qui veniam ætat. impetrav.* moribus noſtris, certis annis adſtricta non ſit: quippe qui ſcrupuloſam annorum probationem non requirant: Ita tamen ut nec hodie immobilia ſine decreto alienare illis ſit permiſſum, ut ſimilis ſit in ea parte, conditio minorum omnium, ſive petita ſit ætatis venia, ſive non *l. 3. Cod. eod.* Niſi hoc reſcripto ſpecialiter ſit conceſſum. Grot. *Introd. lib. 1. cap. 10. verſ.* **Ten derden.** Zypæ. *Not. Jur. Belg. tit. de in integr. reſtitut.* Chriſtin.

Cod. v. LXX. *De Curatore furioſo & extra minor. dand.* Cod. 11. XLV. *De his qui veniam ætatis impetr.*

ad

ad leg. Mechlin. tit. 19. *art.* 28. *num.* 1. 3. *& ſeq.* Mornac. *ad l. ult. Cod. de his qui legitim. perſ. ſtandi in judic. habent vel non.*

9 Solvitur etiam tutela, & minores ſui juris efficiuntur noſtris & vicinorum moribus, per matrimonium legitime contractum. Prout fere ſonant cujuſque civitatis rerum pupillarium ſtatuta. Dordracena *art.* 59. Harlemenſia *art.* 6. Amſtelodamenſia *art.* 24. Briel. *tit.* 10. *art.* 154. Alcmar. Edam, Monikendam, Purmerend. *tit.* 10. *art.* 5. Quod ſpeciali privilegio Alberti Bavatiæ Ducis Delfenſibus Anno 1389. conceſſo firmatur, & convenit cum conſuetudine Antwerpienſi *tit.* 43. *art.* 94. Mechlinienſi *tit.* 19. *art.* 27. Sylvæducenſi, *cap.* 23. *art.* 22. Gandavenſi *rubric.* 22. *art.* 10. Brugenſi *tit.* 18. *art.* 2. Sluſenſi *rubric.* 18. *art.* 15. *& rubric.* 19. *art.* 7. Friſiæ *art.* 9. Et in Gelria uſitatum probant Velaviæ ſtatuta *cap.* 29. *art.* 1. Idemque generali Franciæ, & Galliæ conſuetudine obtinere referunt Montan. *de tutel. cap.* 15. *num.* 18. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 149. Boër. *deciſ.* 114. *num.* 7. *& deciſ.* 197. Maſuer. *prax. tit. de dote & matrimon. num.* 17. Tiraquellus *in leg. Connub. gloſſ.* 1. *num.* 1. 3. 4. *gloſſ.* 3. *num.* 1.

Qui ad certam rem vel ad certum tempus tutor vel curator conſtitutus eſt, eo peracto, curator eſſe deſinit *§. ult. Inſtit. de auctorit. tutor. & §.* 5. *Inſtit. Quib. mod. Tutel. finitur.*

D xxvi. vii. & Cod. v. xxxviii. *De Adminiſtratione & periculo Tutorum vel Curatorum.*

10 Finita vero tutela, in tutelæ rationibus, tutoribus præſtanda veniunt, dolus & culpa, non ſolum lata, ſed & levis. *l.* 1. *ff. de Tutel. & rat. diſtrahend. l.* 22. 23. 25. *Cod. De Adminiſtrat. tutor. l.* 10. *ff. eod. l.* 3. *Cod. De Periculo tutor. vel curator.* Et primo quidem tenentur de eo quod reliquorum nomine in ratiociniis debetur. *l.* 19. *Cod. arbitrium tutelæ.* Item de iis quæ in Inventario ſunt deſcripta, vel deſcribi debuerunt. *l. tutor qui repertorium.* 7. *ff. de Adminiſtrat. & pericul. tutor.* & ibi Bart. Porro ſi pupilli quid amiſerint, vel cum poſſent, non acquiſiverint, damnum tutores præſtare tenentur. *l.* 7. *Cod. arbitrium tutelæ.* Veluti, propter debitum non exactum, *l.* 15. *ff. de Adminiſtrat. & pericul. tutor. l.* 18. *Cod. eod. l.* 2. *Cod. arbitrium tutelæ.* vel ſi non ſatis bonam conditionem elegerint in comparandis prædiis. *l.* 7. *§.* 2. *ff. de Adminiſtrat. tutel.* vel ſi nomina paternorum debitorum minus idonea eſſe cœperint *l.* 2. *Arbitrium tutel.* propter pecunias otioſas & in uſus tutoris vel curatoris converſas, *l.* 4. *§.* 2. *ff. de fide juſſor. & nominat.* & ſimilia. Caſus autem qui præcaveri non potuerunt à tutoribus non præſtantur. *l.* 3. 4. *Cod. de periculo tutor.* ſed ſufficit tutori bene & diligenter geſſiſſe, etſi eventum adverſum habuerit quod geſtum eſt. *l.* 3. *§.* 7. *ff. de contrar. tutel. & utili actione.* Nec ea etiam præſtat quæ propinquorum, ejus qui in tutela ſunt, conſilio geſta ſunt, eo quod omnis dolus abeſſe præſumatur in tutore qui præſentibus conſanguineis & amicis pupilli contraxit. Bald. *in l. Polla.* 2. *Cod. de his quibus ut indignis*, & ibi Caſtrenſ. & Jaſon *num.* 7. Hippol. de Marſil. *ſingular.* 417. Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 128. *num.* 2. *& ſeq.* Berlich. *part.* 2. *concluſ.* 12. *num.* 22.

11 Hinc quæri ſolet, an & quatenus tutor, vel curator periculum nominum, à ſe contractorum, ſuſtinere cogatur? & quidem ſi tutor probet tempore pecuniæ mutuæ datæ nomen fuiſſe idoneum, adeoque ſe debitam diligentiam in contrahendo præſtitiſſe, quo dato, ſi præter ipſius culpam caſu fortuito inidoneum fiat; (ut, ſi tutor pecuniam pupillarem crediderit Titio, qui omnium exiſtimatione idoneus habebatur, cuique alii etiam diligentes, & ſatis providi patresfamilias crediderant, hic Titius ex improviſo foro ceſſerit) tutor à periculo contracti nominis excuſatur, quod, velut infortunium fortuito obventum, pupillus in ſe recipere tenetur; eo quod tutori in hoc nomine contrahendo nihil imputari poſſit: quippe quod ei crediderit, cui diligens quiſque paterfamilias crediſiſſet. *l.* 37. *§.* 1. *ff. de negot. geſt. l.* 7. *Cod. arbitr. tutel. l.* 50. *ff. de Adminiſtrat. tutor. l.* 111. *ff. de condit. & demonſtrat.* Caſtrenſ. Cyn. & Alberic. *ad auth. noviſſime, Cod. de adminiſtrat. tutor.* Hartmann. Piſtor. *lib.* 1. *quæſt.* 49. *num.* 29. Valla *de reb. dub. tract.* 20. *num.* 24. Joann. Papon. *lib.* 15. *tit.* 5. *in appreud. arreſt.* 10. 15. Atque ita deciſum refert Joann. à Sande *Deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 13. Et in Hollandiæ curia ſæpiſſime judicatum memini. Ut & in Saxoniæ foro judicatum refert Carpzovius *Definit. Forenſ. part.* 2. *Conſtitut.* 11. *defin.* 24.

Quod ſi vero tutori quicquam imputari poſſit, quod vel latæ vel levis culpæ nomine veniat; ut quod in exigendis debitis debitam diligentiam non adhibuerit, aut ipſemet debitori obærato pecuniam pupilli mutuo dederit, periculum eorum nominum ad ipſum tutorem pertinebit. *l.* 2. *Cod. arbitrium tutel. l.* 16. *l.* 57. *l.* 39. *§.* 14. *ff. de adminiſtrat. tutor.*

tor. l. 18. Cod. eod. Secundum quam diſtinctionem quoque judicatum refert Carpzovius *Definit. Forenſ. part. 2. conſtit. 11. definit.* 25. De diligentia & negligentia tutorum & curatorum, & ad quid teneantur vid. Paul. Montan. *de Tutel. cap. 32. regul.* 9.

12 A quo periculo tamen excuſatur tutor, ſi pupillus major factus pecuniæ ſuæ à tutore mutuo datæ, & ſub uſuris elocatæ, uſuras ipſemet à debitore exegerit, quo ipſo nomen agnoſcit, & factum tutoris approbat, cui poſtea contravenire nequit, per ea quæ poſt Hartmann. Piſtor. *part. 1. quæſt. 49. num.* 30. refert idem Carpzov. *Definit. Forenſ. part. 2. conſtit. 11. defin.* 27. quo facit *l. 16. ff. de adminiſtrat. tutor. & l. 188. ff. de reg. jur. junct. l. 14. Cod. de fide inſtrumentor.*

13 Pluribus tutoribus conſtitutis in ſolidum tenentur omnes, *l. 2. Cod. de divid. tutel. l. 55. ff. de adminiſtrat. tutor.* Si tutela non ſit diviſa à teſtatore vel à Magiſtratu: nam ſi diviſa ſit, quiſque tenetur pro ſibi adſignata parte vel regione. *l. 39. §. 7. 8. ff. eod.* niſi neglexerit contutorem ſuſpectum poſtulare. *d. l. 3. Cod. de divid. tutel.* Quod quidem de diviſione à Judice vel teſtatore facta intelligendum: nam ſi ipſi eam inter ſe diviſerint, æque omnes in ſolidum tenentur. *d. l. 2. Cod. eod.* Cod. v. 21. *De dividendatutela, & pro qua parte quiſque tutorum conveniatur.*

14 Sed licet in ſolidum teneantur tutores, habent tamen remedia, ne in ſolidum & pro tota quantitate ſolvant, aut excutiantur.

Primum remedium eſt; ut ſi ſolverint actione ceſſa à pupillo adverſus collegas, quaſi utili actione negotiorum geſtorum, agere poſſint, ad conſequendam eam portionem, quam pro contutore ſolverant. *d. l. 2. in pr.*

Secundo, competit ipſis diviſionis exceptio, qua obtinent, ut & reliqui pro ſuis partibus conveniantur. *l. 1. §. 10. 11. ff. de tutel. & rat. diſtrab. l. fin. ff. rem pupilli ſalvam fore*, etiam tum, quum quid dolo communi factum eſt: & ex communi dolo conveniuntur. Gloſſ. *in l. 1. Cod. de tranſact. & ibi* Bart. *num.* 16. Boër. *deciſ.* 59. *num.* 3. Joann. Gutierez. *d. tract. de tutel. part. 1. cap. 15. num.* 20. quod remedium tutoribus non ſolum per modum exceptionis competit; ſed etiam officio judicis impetrare poſſunt, ut obligatio inter eos dividatur. Joann. Gutierez. *tract. de tutel. part. 1. cap. 15. num.* 18. & vel in ſolidum condemnati petere poſſunt, ut judicatum dividatur. Bart. *in l. Paulus* 43. *ff. de re judicat.* quem ibi ſequuntur Bald. Angel. Caſtrenſ. Alexand. & Jaſon. Vide quoque Boërii *deciſ.* 59.

15 Sed & excuſſionis beneficio utuntur, qui adminiſtrationem non habuerunt, ut primo loco conveniantur & excutiantur illi, qui geſſerunt. *l. ult. Cod. de divid. tutela. & l. ult. Cod. Si tutor vel curator non geſſerit. l. 3. §. 2. ff. de Adminiſtr. tutor.* Quod communiter obtinet Gutierez. *de tutel. part. 1. cap. 15. num.* 10. Valentin. Franc. *de fidejuſſorib. num.* 205. *& num* 226. Vincent. Caroc. *de Excuſſ. bonor. part. 2. quæſt. 1. num.* 24. Math. Berlich. *practicab. concluſ. part. 2. concluſ. 12. num.* 39. Cod. v. 2v. *Si Tutor vel Curator non geſſerit.*

16 Geſſiſſe autem videtur, non tantum is qui geſſit ipſe, ſed & is, qui vel alteri vel contutori gerendam mandaverit. *l. 55. §. 2. ff. de adminiſtratione tutorum.* Et qui quid omnino pupillare attigit, etiamſi modicum. *l. 5. §. 1. ff. eod.*

17 Si vero tutor qui adminiſtravit, non ſolvendo ſit, in reliquos contutores qui non adminiſtrarunt actio datur. *l. 2. in verb. cum alter eorum non ſolvendo effectus ſit. Cod. Si tutor. vel curat. non geſſ.* Quod ita intelligendum, ut ſufficiat, eum tempore tutelæ finitæ ſolvendo fuiſſe; ſi vero poſt finitam tutelam labatur facultatibus, reliqui nullum exinde ſuſtinebunt periculum. *l. 1. Cod. eod.*

18 Quæ omnia non tantum procedunt in tutore vel curatore ipſo: ſed etiam in eo qui pro tutore negotia gerit, & munere tutoris fungitur in re impuberis, ſive ſe putet tutorem, ſive ſciat non eſſe, fingit tamen eſſe. *l. 1. §. 1. ff. de eo qui pro tutore vel curatore negot. geſſit.* qui eandem fidem & diligentiam præſtat quam ipſe tutor præſtaret, *l. 4. ff. eod.* Ut latius ſupra *cap. 17. circa fin.*

19 Dantur & contrariæ tutelæ actiones, ipſis tutoribus aut curatoribus, adverſus eos quorum tutela aut cura geſta eſt. Ut indemnes ſerventur ratione adminiſtrationis ſuæ. *l. ult. Cod. de contrar. tutel.* Et refundantur non tantum impenſæ utiles, ſed & uſuræ præſtentur. *l. 3. §. 4. ff. eod.* quatenus compenſari non poſſunt. *d. l. ult. Cod. eod.* propriis enim ſumptibus res pupilli adminiſtrare non tenentur: ſed ſi quos ſumptus fecerit tutor, eos à pupillo repetit, ut & viarica, ſi ex officio neceſſe habet aliquo excurrere vel proficiſci. *l. 1. §. item ſumptus. ff. de Tutel. & rat. diſtrab. l. 33. §. ult. ff. de adminiſtrat. tutor. l. 3. Cod. eod. l. 3. §. ult. ff. de controv. tutel.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 5. tit. 36. defin. 1. num.* 2. Menoch. *de Arbitr. judic. caſ.* 173. D. xxvii. iv. & Cod. v. lviii. *De contraria tutela & utili actione.*

L Sala-

Salarium tamen petere non poteſt, quum operam gratuitam præſtet *l.* 38. *in fin. ff. de negot.* 20 *geſt.* Gloſſ. Bart. & Bald. *in l.* 1. *§. ult. ff. mandati. & in l. in eos.* 9. *ff. de tutel. l.* 1. *ff. de adminiſtrat tutor. l.* 1. *§.* 7. *ff. de Tutel. & ration. deſtrah.* Menoch. *de arbitar. judic. caſ.* 512. Quod tamen moribus arbitrarium eſſe teſtatur Carpzov. *defin. forenſ. part.* 2. *conſtit.* 11. *defin.* 40. *in fine*, poſt Anton. Fabrum. *d. defin.* 1. *num.* 3. Quod & moribus noſtris obtinet; quibus parentes, & proximiores quidem tutores conſtituti ſalarium non petunt: extraneis vero, ſi ejus ſint conditionis, ut manibus ſuis victum quærirent, aut alias ſalarium petierint, certum honorarium arbitrarie conſtitui, uſitatum eſt. *arg. d. l.* 33. *§. ult. ff. de adminiſtrat. tutor. junct. l.* 10. *§. idem Labeo ait, ff. mandati. & l.* 7. *ff. Teſtam. quemadmod. aper.* Quid quod & nobilium, aut alias majoris adminiſtrationis tutores, quæſtorem aliumve adminiſtratorem extraneum eligant, qui res & negocia pupillorum ſumptibus gerit, ut de Hollandiæ moribus teſtatur Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 9. *verſ.* **Voogden ſijn ſchuldig.** *in fin.* Quod tamen ipſorum tutorum periculo fieri videtur, ex eo quod geſſiſſe dicatur etiam is, qui tutelam aliis gerendam demandavit. *l.* 55. *§.* 2. *ff. de adminiſtrat. tutor.*

Poſt officium depoſitum omnes actiones omniaque jura, quæ tutor ex neceſſitate officii ſubiit, in pupillos vel adultos transferuntur. *l.* 1. *Cod. quando ex facto tutor. l.* 2. *ff. eod.* Nec in tutorem propterea datur judicati actio. *l.* 5. *ff. eod.* Ut fuſius ſuperiori capite notatum.

CEN

CENSURA FORENSIS
&c.

LIBER SECUNDUS.

Cap. I.

De Diviſione & Qualitate Rerum.

Summaria.

1. *Rerum appellatione quid veniat.*
2. *Objecti diſtributio, imbique* Vultejus *reprehenſus.*
3. *Rei, ratione ſua exiſtentia, diviſio & diſtinctio in corporales & incorporales, & qua ſint.*
4. *Subdiviſio in mobiles & immobiles, & qua ſint? An actiones, & jura, reditus annui, reditus publici & cenſuales, fructus à fundo ſeparati?*
5. *Rerum, ratione uſus, diſtributio, & diviſio in communes, univerſitatis, nullius, & ſingulorum.*
6. *Qua ſint communes.*
7. *An quadam res recte dicantur nullius quoad proprietatem.* neg.
8. *Qua ſint publica ſive univerſitatis.*
9. *Viarum qua ſint publica, privata, aut vicinales.*
10. *Qua ſint res nullius in bonis, ſive extra commercium.*
11. *Qua ſint res ſacra.*
12. *Qua ſint res religioſa.*
13. *Sepulchra qua & qualia fuerint olim.*
14. *Cujus proprietatis atque uſus apud nos ſint.*
15. *Qua ſint res eccleſiaſtica.*
16. *Jus vicariatus quid ſit, & quatenus in uſu, remiſſive.*
17. *Res ſancta qua ſint.*
18. *Qua ſint res nullius, qua alicujus fieri poſſunt.*

1 SEcundum juris objectum ſunt res.

Rerum appellatione cætera omnia intelliguntur, quæ perſonis opponi poſſunt, & de quibus dici non poteſt, quod ſint perſonæ.

Jura autem quæ circa res ſunt occupata, ſunt dominium, & obligatio. Circa quam tractationis methodum notandum, hallucinari eos qui obligationes quoque velut alterum juris caput, in quo jus perſonarum verſetur, ad perſonas, & primum juris objectum referri volunt: quos ſequitur Hermann. Vultejus *Juriſprud. Roman. lib. 1. cap. 26.* Quamvis enim, ut ibidem pro ſua ſententia ſupponit, non omnis obligationum ſubſtantia in eo conſiſtat, ut aliquod corpus noſtrum, vel ſervitutem aliquam noſtram faciat; ſed ut alium nobis obſtringat, ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præſtandum. *arg. l. 3. ff. de obligat. & action. l. 20. Cod. de pact.* non ideo magis obligationes ad perſonas referri poſſunt: quia jus perſonarum proprie conſiſtit in ſtatu & conditione hominum: per obligationem vero perſona perſonæ quidem adſtringitur, non ut perſonæ jus, ſive ſtatus ſpectetur, ſed ad quid faciendum, vel præſtandum, quod in ipſo rerum dominio conſiſtit. Rei enim appellatione & cauſæ & jura continentur: *l. 23. ff. de verb. ſignif.* quomodo etiam obligatio, tanquam in actione ad rem aliquam conſequendam conſiſtens, vendi, *tot. tit. ff. de hered. vel act. vend.* & legari poteſt. *§. 21. Inſtit. de legat.*

Inſtit. tt. 1. & D. 1. VIII. De rerum diviſione.

3 Diſtinguuntur res, vel ratione ſuæ naturæ & exiſtentiæ, vel ratione ipſius uſus.

Ratione ſuæ exiſtentiæ, res aliæ ſunt corporales, aliæ incorporales.

Corporales in jure vocantur quæ ſub tactum & viſum cadunt, ut ſunt domus, fundi, prædia, horrea, aurum, argentum, & res aliæ. *§. 1. Inſtit. de reb. corporal.*

Incorporales ſunt, quæ tangi, aut videri non poſſunt: ut ſunt ea, quæ in jure conſiſtunt, dominium, poſſeſſio, uſus, ſervitus, hereditas, obligatio, pignus. *§. 2. Inſtit. eod.* Non quod natura, & re vera non ſint, aut extra juris conſiderationem non ſubſiſtant; ſed quia à jure quodammodo exiſtentiam quaſi ſuam, & certam definitionem accipiant: quum alias in ejuſmodi juribus res etiam corporales contineantur. *d. §. 2. Inſtit. eod.* qui ſemper corpori alicui inhærent, à quo

Inſtit. tt. 11. De rebus corporalibus & incorporalibus.

tamen diverſam habent conſiderationem: quomodo uſus fructus, id eſt jus fruendi & percipiendi fructum rei, non ſunt ipſi fructus, neque obligationes, id eſt, illud jus quo nobis ſolvi aliquid, aut præſtari debet; ſed res in obligationem deductæ: ita hereditatis appellatione jus ſucceſſionis, non ſingulares res demonſtrantur. *l. 208. ff. de Verb. Signif.*

Corporales res iterum ſunt mobiles, aut immobiles.

Mobiles ſunt quæ moveri poſſunt, ſive ſe ipſas moveant, ut ſunt, animalia, pecudes. *l. 93. ff.* 4
de verb. Signific. ſive ab alio moveri poſſint, ut ſunt, enſis, lapis, vaſa, ornamenta, veſtis, & quælibet ſupellex domeſtica.

Immobiles, quæ moveri minime poſſunt, quibus ab interpretibus annumerari ſolent, non ſolum ea bona quæ ſua natura immobilia ſunt, & loco moveri non poſſunt, ut ſunt domus, prædia, villæ, granaria, agri, horti, prata, fluvii, aut rivi piſcoſi, lacus, piſcinæ, & ſimiles: ſed & penſiones, uſuræ, canones, & reditus annui, Jura feudalia, Emphyteuſes, & ſimilia, rebus immobilibus impoſita, una cum inſtrumentis & literariis documentis, ſuper ejuſmodi rebus & juribus confectis, quæ rebus immobilibus etiam accenſentur, & eodem jure cum immobilibus habentur: reliqua vero jura, & actiones, numerata pecunia, penſiones, uſuræ, nomina aut debita pecuniaria, quæ rebus immobilibus impoſita non ſunt, pro mobilibus habentur. Sic ut actio dicatur mobilis ſive immobilis ſecundum naturam rei quæ in ea continetur. Per ea quæ tradit Bart. *in l. ſi ſic legatum 75. §. fin. ff. de legat. 1. & in l. 93. ff. de Verb. Signif.* Chaſſan. *ad Conſuet. Burg. rubr. 4. §. 2. verſ. omnium nobilium. num.* 9. Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 11. num.* 9. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 9. art. 8. num. 16. & tit. 11. art. 25. num. 8. 9. tit. 16. art. 2. num. 14. & volum. 2. deciſ. 212. num. 15. & deciſ. 213. num.* 7. Coſtal. *ad l. 7. §. in peculio. ff. de peculio.* Menoch. *lib. 4. præſumpt. 54. num. 26. & præſumpt. 142. num.* 20. Alexand. Trentacinq. *var. reſolut. lib. 3. Rubr. de donat. reſolut. 3. num.* 14. Zigiſmund. Finkelthaus *pract. obſerv. 20. num.* 3. Tiraquell. *de retract. lig. §. 1. gloſſ.* 7.

Quod tamen cum diſtinctione accipiendum eſt de illis reditibus quæ ipſam rem immobilem ita repræſentant, ut ipſius pars ſint & in ipſo rerum immobilium fructu conſiſtant, veluti ſunt, Emphyteuſis, cenſus, & illi annui reditus qui ad retinendum vel conſequendum aliquod corpus immobile competunt. Pecuniarii vero reditus qui redimibiles ſunt à parte debitoris, ſola pecunia conſtituti, nobis **Loſ-renten** / licet pro iis pignus aliquod immobile conſtitutum ſit, & fundi ipſorum nomine obligati ſint, immobiles dici minime poſſunt, quia res corporales non ſunt, ſed res æſtimatæ, quibus, in ſecuritatem ejus quod debetur, accedit tantum nuda pignoris ſive hypothecæ perſecutio. Quæ tota in Jure & actione conſiſtit, non ut poſſideatur aut conſequatur res immobilis, ſed ut diſtrahatur, & ex nummis ex diſtractione provenientibus ſolvatur quod debetur, ſcilicet pecunia conſtituta, *l. 18. Cod. de pignorib. l. 17. ff. eod.* Quæ cum dominii cauſa nihil commune habent *l. 1. §. 4. ff. eod.* Pecunia enim abſque ullo dubio pro re mobili habetur *Novell. 22. cap. 45. §. 2.* Ut late Vincent. Caroc. *de Excuſſione bonor. part. 1. quæſt. 4. num.* 2. Matth. Coller. *de proceſſib. Execut. part. 1. cap. 3. num. 251. & ſeqq.* Berlich. *part. 3. concluſ. 33. num.* 5. 6. Et conſequenter actiones pro pecunia mutuo data, inter mobilia referri debent, & certi condictio quæ ex mutuo datur velut ad rem mobilem competentem, inter mobilia recenſenda eſt. Vid. Moller. *ad conſtit. Elect. Saxon. part. 3. conſtit. 23. num.* 1. Coller. *d. cap. 3. num. 250. & ſeqq.* Carpzov. *defin. forenſ. part. 3. conſtit. 23. defin. 8. num. 3. 4. & ſeqq.* Rauchbar. *lib. 1. quæſt. 33. num.* 13. Ut etiam recte notat Argentr. *ad conſuetud. Brittanu. art. 61. gloſſ. 1. num. 5. & art. 219. gloſſ.* 6. Charund. *lib. 7. reſponſ. cap.* 47. Franciſc. de Barry *tract. de Succeſſ. lib. 9. tit. 7. num.* 12. Neque placet Antonii Fabri *ad Cod. lib. 6. tit. 10. defin. 11. in not. num.* 7. addita diſtinctio inter reditus ad certum tempus duntaxat conſtitutos, quibus dominium transferri minime intelligitur. arg. *l. 1. ff. de Jure dot.* & inter illos qui certo pretio emuntur & conſtituuntur, quaſi in perpetuum emptos, qui licet à parte creditoris perpetui videantur, nihilo magis aliquod corpus, ſed certa tantum æſtimatio pecuniaria empta, dici poteſt, pro qua pignus ſive hypotheca conſtituta, quæ nec perpetua, ſed ad lubitum debitoris redimibilis eſt. Ut latius infra *cap. 17. num.* 7. Pro hac noſtra ſententia, ejuſmodi ſcilicet reditus mobilibus annumerari Suprema etiam Hollandiæ curia aliquoties cenſuit, 16. *Martii* 1661. In cauſa Wilhelmi Lauwer, contra heredes Nicolai Lauwer, & nuperrime 14. *Junii* 1664. **Inder ſaake van Maria van Santen / Wed. van Doctor Johan van Blenkvliet** / cum ſociis, contra **Adriane van Geeſdorp / Wed. van Dominicus van Blenkvliet.**

Ad eos reditus qui ipſam rem immobilem ita repræſentant ut ejus pars eſſe cenſeantur, & immobilibus annumerari debent, pertinent etiam feuda, quæ in ipſa immobilium poſſeſſione

conſi-

conſiſtunt. Item reditus ulli qui in feudum dantur, & immobilibus adhærent, vel ex iis debentur. Quum beneficia non dentur, niſi in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut iis quæ inter immobilia connumerantur, veluti, quum de Camera aut Cavena quid in feudum datur, quod non tam in ipſo reditu, quam in ipſa Camera, aut Cavena conſtitui videtur. *lib.* 2. *feud. cap.* 1. Neoſtad. *de feud. Holland. ſucceſſ. cap. fin. num.* 27. facit quod feuda cum reditibus cenſualibus & Emphyteuticis in executionum ordine non mobilibus accenſeantur, ſed poſt ipſa immobilia diſtrahantur *Inſtruct. Holland. Cur. art.* 180. **Ordonn. op 't ſtuk van de Juſtit.** *art.* 25.

Quæritur quid de reditibus publicis, his ſcilicet, qui ſuper provinciis, civitatibus, collegiis, noſocomiis, pagis vel talibus fixis, vel ſtabilibus corporibus conſtituti ſunt? Quidam putant eos immobilium ordini adſcribendos eſſe, quod reditus Eccleſiaſtici reſpectu habito ad executionem de Jure Romano immobilibus annumerentur *l.* 14. *in pr. verb. Res poſtremo immobiles. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Quod & moribus receptum eſſe ſcribit Perezius *ad tit. Cod. de rei uxor. act.* Sed hoc forte Brabantiæ & Flandriæ moribus convenit, ubi viget forum Eccleſiaſticum. Verum ſecundum Hollandiæ praxin, reditus provinciales, ſuper Civitatibus, pagis reliquiſque ſtabilibus collegiis conſtituti, æque ut alii pecuniari reditus pro mobilibus habendi ſunt, neque movet quod per nuperam Ordinum noſtrorum placiti promulgationem 20. *Septemb.* 1657. factam conſtitutum ſit, ut habita ratione collateralis & extraneæ ſuceeſſionis de iis æque ac aliis rebus immobilibus viceſima hereditatis pars fiſco ſolvatur. Quum nec hoc ipſam rerum naturam mutet, aut de mobili, rem immobilem faciat, non magis quam quadrageſimæ ſolutio in cujuſlibet hypothecæ conſtitutione ipſum reditum immobilem facit, qualem cenſum ipſis etiam rebus mobilibus imponi nihil vetat.

Mobilibus etiam annumerantur quilibet fructus à fundo ſeparati, uti ſunt quælibet ſata & plantata, à ſolo quotannis ſeparari ſolita *l. fin.* §. 2. *ff. de req. reu.* Vid. Speculat. *lib.* 2. *tit.* 3. *De fructibus. num.* 5. Mantic. *de conject. Ultim. Volunt. lib.* 9. *cap.* 3. *&* 5. Item ruta & cæſa è ſylvis cæduis, & lapidiciniis à fundo ſeparata. Quia ipſe ſylvarum & lapicidiniorum fructus in eo conſiſtit, qui quotannis renaſcitur *l. in rutis caſis.* 241. *ff. de Verb. ſignif.* & ſalva rerum ſubſtantia percipi poteſt *l.* 9. §. 1. *ff. de Uſufruct. l.* 7. §. 13. *ff. ſolut. Matrimon.* Arbores vero quæ pro arbuſtis plantantur ut ibi perpetuo maneant & annuos ſuos fructus reddant, quia à ſolo ſeparari ſalva rerum ſubſtantia non poſſunt *d. l.* 7. §. 13. ſed terræ coaluere, & pars fundi facti ſunt, ſolo cedunt & immobilium jure cenſentur. *arg. l.* 7. §. 12. 13. *ff. de acq. rer. dom. junct.* §. 31. *Inſt. de rer. diviſ.* Quod ad agros bituminoſos, è quorum glebis effoſſis lapides conficiuntur, nobis **Steenplaat-ſerg-aarde**/ & paludes ceſpitoſas quarum glebæ effoſſæ & ad ſolem exſiccata nobis ignem præbent, extendi poſſe non videtur, quod illa ſalva manente ſubſtantia percipi non poſſint, nec quotannis renaſcantur. De quibus infra *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 5.

5 Ratione ipſius uſus ſumma rerum diviſio hæc eſt, quod aliæ res ſint in patrimonio ſive dominio noſtro, aliæ extra patrimonium noſtrum habeantur, & nullius in bonis ſint.

Quæ in patrimonio ſive dominio ſunt, aliæ ſunt omnium hominum communes, aliæ alicujus gentis ſive populi, quæ prop. publicæ, quaſi populicæ dicuntur, aliæ alicujus civitatis vel corporis quæ dicuntur univerſitatis, aliæ ſingulorum propriæ. *pr. Inſtit. & l.* 1. *ff. de Rer. diviſ.*

6 Res communes ſunt præcipue, aër, & mare, quæ propter uſum communem, quem omnibus à natura debent, jure gentium dividi non potuerunt: Item aqua profluens, quæ ſive ex imbribus collecta, ſive è terræ venis perpetuum fluxum agit Conan. *comm. juris civ. lib.* 3. *cap.* 2. Quæ ex ipſa quaſi natura unicuique æqualiter attribuuntur & occupari poſſunt, quatenus uſus ille communis & promiſcuus non læditur: ſine aëris enim & aquæ uſu, nemo vivere aut reſpirare valet, & immenſitas maris jure gentium diviſa non eſt, nec dividi potuit. Grot. *De mar. lib. cap.* 5. Joann. Fab. *ad* §. 5. *Inſtit. De Rer. Diviſ.* ejuſque uſus liber eſt, & ad navigandum, & piſcandum omnibus ex æquo patet: ſic ut in mari piſcantem probibere nemini liceat. *l.* 13. §. 7. *verſ. conductori. ff. de Injur.* Ita etiam littorum uſus communis, atque publicus eſt ſicut ipſius maris. §. 5. *Inſtit. eod.* vid. Batav. Arcad. *pag.* 300. *& ſeqq.*

7 Proprietas vero earum rerum à quibuſdam nullius eſſe dicitur. *arg. d.* §. 5. *Inſtit. eod.* quæ ſi ab ipſo uſu diſtinguatur, recte quidem nullius eſſe dicitur: quatenus vero cum ipſo uſu à natura communi, & indiviſibili, conſolidatur, etiam communis erit; ſic ut illæ res longe aliter nullius eſſe dicantur, & multum differant ab his, quæ nullius ſunt; eo quod communi aut nulli uſui attributa ſunt; ut ſunt feræ beſtiæ, piſces, & aves: hæ enim ſi ab aliquo occupentur, in ejus proprietatem

tranſire poſſunt; illæ vero totius communis quaſi ſocietatis conſenſu, proprietati alicujus in per-
petuum ſunt exemptæ, propter uſum, qui quum ſit omnium, ab uno omnibus eripi minime po-
teſt. Quare, ſi quid harum rerum natura occupari poſſit, id eatenus occupanti cedit quatenus ea oc-
cupatione uſus communis non impeditur.

Flumina & portus publica ſunt, quoad proprietatem & uſum. *§. 2. Inſtit. de Rer. diviſ.* Sed jure
noviſſimo & gentium moribus inter regalia relata ſunt, *cap. 1. quæ ſint regalia in feud.* Sic ut na-
vigantibus per ea, Gabella imponi poſſit. Grot. *De jure belli lib. 2. cap. 3. num.* 14. & jus piſcan-
di, quod commune eſt omnium *§. 2. Inſtit. de Rer. Diviſ.* ſolius Principis ſit, & eorum quibus il-
lud jus à Principe eſt conceſſum. Grot. *Introd. lib. 2. part. 1. num.* 18. *& part.* 4. *num.* 19. & ibi
Groeneweg. *tract de Leg. Abrog.*

Riparum quidem uſus publicus eſt, ſicut ipſius fluminis; ſic ut naves ad eas applicare, funes 8
arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere liceat: ſed proprietas illorum eſt, quo-
rum prædiis adhærent. *§. 4. Inſtit. de Rer. Diviſ.*

Lacus autem, qui perpetuam habet aquam, ſtagnum, quod temporalem continet aquam
ibi ſtagnantem, quæ ut plurimum hyeme colligitur, ut foſſæ, aliaque receptacula aquæ manu
facta, publica eſſe poſſunt, & non publica. *l. unic. §. 3. & ſeq. ff. Ut in flumine pub. navig. lic.*

Quemadmodum & viarum, ut & foſſarum navigabilium, quædam publicæ ſunt, quædam pri- 9
vatæ, quædam vicinales. Publicas dicimus, quarum ſolum publicum eſt relictum, ac certis fini-
bus latitudinis eſt directum, ut ea publice iretur & commearetur, aut navigaretur, quas vias, ſive
foſſas regias, **ſ' Heeren Wegen / gemeene Wateringen / Vaarten /** appellamus. Viæ &
foſſæ privatæ ſunt, quas quiſque ſibi, & ſuo uſui ſervat, & quaſi proprias habet, ſuntque illæ vel
in ipſis agris, quibus impoſita eſt talis ſervitus, vel ad agros ducunt, in quos exitur de via regia,
diciturque via agraria, **Een Uytweg ofte Uytvaart.**

Vicinales viæ ſunt, quæ in vıis ſunt, vel quæ in vicos ducunt, & ex vicinorum collatione con-
ſtituuntur & reficiuntur.

Res extra patrimonium noſtrum, ſive nullius in bonis, iterum ſunt aliæ ita nullius, ut nec
fieri quidem alicujus poſſint; ſed plane extra commercium ſunt, aut ita nullius, ut alicujus etiam
fieri poſſint.

Extra commercium, ita ut plane nullius in bonis ſint, nec alicujus fieri poſſint, ſunt res ſacræ, 10
relligioſæ, & res ſanctæ.

Res ſacræ ſunt, quæ publica auctoritate Deo conſecratæ ſunt, ut ſunt templa, ædes ſacræ, 11
aliæque res divino cultui, diviniſque uſibus dicatæ. *l. 6. §. ſacra ff. De Rer. div. §. 8. Inſtit. eod.*

Res religioſæ, ſunt res, auctoritate alicujus privata religioni dicatæ, ut ſunt cœmeteria, 12
cenotaphia, & ſepulchra: religioſum enim locum unuſquiſque ſua voluntate facit, dum mor-
tuum infert in locum ſuum. *d. l. 6. §. 4. & 5. ff. de Rer. diviſ. & §. 9. Inſtit. eod. §. 7. & ſeqq.
Inſtit. de Rer. diviſ.*

Et quidem notandum hic, antiquos privata ſepulchra habuiſſe extra urbem in agro ſuo, eo quod 13
in urbe mortuos ſepelire vetitum fuerit *l. 3. §. divus. ff. de Sepulch. Violat.* Horum alia erant fa-
miliaria, quæ quis ſibi & familiæ ſuæ, alia hereditaria, quæ quis ſibi & heredibus ſuis conſtituebat,
vel quæ quis jure hereditario acquiſierat. *l. 5. 6. & 8. ff. De Religioſ. & Sumpt. funer.* Quæ
quidem extra alium uſum, extraque omne commercium & proprium quaſi patrimonium mane-
bant, *§. 7. & ſeqq. Inſt. de rer. diviſ.* ſed heredibus, cæteriſque ſucceſſoribus, qualeſcunque de-
mum fuerint, etiam invito altero mortuum inferre licebat, licet ex minima tantum parte heredes
exiſterent. *d. l. 6. ff. De Religioſ. & ſumpt. funer. §. 9. Inſtit. de rer. diviſ.*

Moribus autem ubique locorum invaluit, ut locis publicis, à magiſtratu ſepeliendis mortuis 14
deſtinatis, cœmeteriis fere, & ipſis etiam eccleſiis, ad ſepulturam utamur; Quæ loca Jure Cano-
nico, & apud Pontificios, etiamnum extra commercium eſſe videntur, quibus Jus Canonicum
ſepulchra habere venalia non permittit: ſed ratione terræ vel loci in quo defunctus ſepelitur quic-
quam exigere vetat. *cap. abolenda 13. extr. de Sepultur.* Niſi conſuetudine alicujus loci receptum
ſit, ut non tam aliquid exigatur, quam ex liberalitate ſponte offeratur. *Can. in Eccleſiaſtico 13.
quæſt. 2. cap. ad Apoſtolic. 42. extr. de Simon.* arg. ejus, quod quædam honeſte accipiantur, quæ
tamen inhoneſte petuntur. *l. 1. §. 5. in fin. extr. ff. de Extraord. cognit.* Sed inter Reformatos, pri-
vatum in ipſis etiam Eccleſiis ſepulchrum habere, quod & heredibus relinqui, & ad uſum etiam
ſepulturæ aliis vendi poteſt, nihil vetat, & ipſi Eccleſiæ permittitur in templo, vel Eccleſia, pro
loco ſepulchri aliquid petere, vel exigere: In tantum ut multæ civitates reperiantur, ubi vix locum
ſepulchri pro centum florenis emere queas: ſic ut ſepulchra noſtra extra quod ſolum ſepulturæ

cada-

cadaverum inſervire poſſint, extra commercium aut patrimonium noſtrum non ſint. Vid. Grot. *Introduct. lib. 2. part. 1. num. 24.*

15 His accedunt res Eccleſiaſticæ, quæ cultui divino melius conſervando, & rectius vacando,
atque adeo uſibus divinis deſtinatæ ſunt. Quarum iterum aliæ publicæ ſunt, quæ eadem & bona
Eccleſiaſtica plerumque, nonnunquam etiam Eccleſiæ patrimonium dicuntur, ut ſunt villæ,
prædia, paſcua & ſimilia; aliæ privatæ, quæ à quocunque privato, ſub onere piæ memoriæ, &
inſtitutione certarum vigiliarum, aliarumque piarum exercitationum, pro liberatione, & reſurre-
ctione animæ ſuæ defunctæ, familiæ ſuæ, heredibuſque proximioribus inter Pontificios utcunque
relinquuntur: fundatæ ut plurimum ſuper hac vel illa Eccleſiæ Capella, in qua, & à cujus Ca-
pellano dicta miniſteria, pro certa mercede illi eroganda, celebrari mandarunt: quarum quo-
que rerum commercium aut directum patrimonium non eſt, ſed ambulatoria tantum poſſeſ-
ſio, ex ſolenni collatione ejus, qui ſecundum tenorem inſtitutionis, tempore vacantis poſſeſſio-
16 nis, conferendi beneficii jus habet: Quod quum per vices eat, & ambulatorium ſit, jus vicaria-
tus communiter appellatur. Quæ inter Reformatos pro ſuperſtitioſis damnata ſunt, quibus bona
Eccleſiaſtica pro ſalariis miniſtrorum Eccleſiæ erogantur: reliqua vero privatorum bona benefi-
cialia ſingularium illarum præſtationum, in aliquem debite collata, ab ordinibus Hollandiæ, qui
hac in re Epiſcopi locum tenent, libera ab omni onere & præſtatione, poſſideri relinquuntur, &
confirmantur, quorum quidem tertiam partem fructuum per ordinationem Anni 1578. itidem
pro Salariis & ſuſtentationibus miniſtrorum Reformatæ Eccleſiæ erogandam damnaverant: qui
ut ab Eccleſiaſticorum bonorum quæſtori Ordinario annotentur, eique in eum finem fructus &
reditus eo ſpectantes notificentur, ipſi confirmationi ſub pœna caducitatis plerumque inſeritur.
Quod & per Ordinat. 12. Decemb. 1658. noviſſime renovatum, hactenus tamen executioni
mandari non potuit: ut latius ſuo loco.

17 Res ſanctæ ſunt, ab hominum injuria, ſanctione quaſi, munitæ. *l. 8. in pr. & l. 9. §. 3. ff. De Rer. diviſ.* ut ſunt muri, & portæ civitatum. *§. 10. Inſt. De Rer. diviſ. l. 1. ff eod. l. 2. ff. Ne quid in loco ſacro.* Sic ut nemini impune liceat muros, aut portas, admotis ſcalis, aut alia ratione tranſcendendo violare, aut inibi habitare, aut muris municipalibus quicquam conjungere aut ſupponere, ſine Principis permiſſu. *l. ult. ff. Ne quid in loco ſacro. l. 2. & ult. ne quid in loco publ.* Sed hodie non tantum Principis, verum etiam ſolo Magiſtratus municipalis permiſſu, muri, & portæ inhabitantur, iiſque quid imponi, aut inædificari poteſt. Neque muros, aut portas civitatum tranſcendentium pœna capitalis eſt, ſed arbitraria, puta relegationis, carceris, aut pecuniaria, Buſ. *ad l. ult. ff. De Rer. diviſ.* Zyp. *notit. jur. Belg. tit. De Jure fiſci.* Berlich. *deciſ. 70.*

18 Res ita nullius, ut per apprehenſionem alicujus fieri poſſint, iterum ſunt duplices, aliæ ita nullius, ut nec ullius unquam fuerint; quædam vero ita ſunt nullius, ut tamen antea alicujus fuerint, & poſtea eſſe deſierunt.

Nullius unquam fuerunt, volucres aëris, piſces maris, & feræ beſtiæ, quæ ſimulatque ab aliquo capta fuerint, illius eſſe incipiunt. *§. 12. Inſtit. de Rer. Diviſ. l. 1. §. fin. & ſeqq. ff. De Acq. rer. dom.*

Res ita nullius, ut alicujus antea fuerint, ſunt iterum aliæ res vacantes, aliæ pro derelictis habitæ.

Res vacantes ſunt quæ ipſo jure ſine ulla hominis voluntate poſſeſſorem & dominum habere deſierunt, ſive illud fiat re ipſa: ut ſi conſtiterit, quod verum poſſeſſorem, & dominum non habeant, ut ſunt theſauri, & res reconditæ, quarum, ob vetuſtatem, quando ſint reconditæ memoria nulla exſtat. *§. 39. Inſt. de Rer. deviſ. l. 31. §. theſaurus. l. 63. ff. De acq. rer. domin.* ſive illud jure fiat, per lapſum temporis, quo quis per vacuam poſſeſſionem, longo temporis intervallo intercedente, dominio excidit, *l. 37. §. 1. ff. De Uſucap.*

Res pro derelictis habitæ ſunt, quas dominus ea mente relinquit, ut eas in numero rerum ſuarum eſſe nolit. *l. 1. & 2. ff. Pro derelict. §. 46. Inſtit. de rer. diviſ.*

Cap. II.

De Acquirendo Rerum dominio.

Summaria.

1. *Juris acquirendi diſtributio in dominium & poſſeſsionem.*
2. *Dominum quid.*
3. *An alii ſint modi acquirendi dominii, ex jure civili, alii ex jure gentium.* Neg. *contra communes.*
4. *Quot ſint modi acquirendi dominii.*

D. xli. 1. De acquirendo rerum dominio.

OMnis actio in rem, ſive jus acquirendi, conſiſtit in dominio, vel in poſſeſſione: 1
Dominium eſt jus quo res proprietate noſtra eſt *l. 17. ff. ad leg. Aquil. & l. 16. §. 1. ff. de* 2
Uſu & habit. ſive illam poſſideam, ſive non: quum nuda & ſola proprietas etiam ſine uſu & poſſeſſione eſſe poſſit, atque iterum uſus, ſive poſſeſſio ſine proprietate: ſi quidem cauſa proprietatis cum cauſa poſſeſſionis nihil habeat commune. *l. 12. ff. de acq. vel amitt. poſſ.*

Rerum igitur quæ alicujus eſſe poſſunt, ſive jam ſint alicujus, ſive nullius, acquiſitio eſt ex ju- 3
re naturali, ſive gentium. Nam quod alii *arg. pr. Inſtit. De Uſucap.* alios eſſe modos acquirendi dominii juris gentium, alios juris civilis ſtatuant, ex mero Tribonianiſmo tralaticium eſt, & ad juris gentium principia referri etiam debet: Quod enim Uſucapio & Præſcriptio dicatur ex jure civili, eſt ex additamento juris civilis, quum ſui natura referatur ad juſtam rerum vacantium apprehenſionem, debito temporis intervallo corroboratam, cui jus civile quodammodo modum & terminum præſcripſit, quo pro derelictis & nullius in bonis habeantur, ſic ut etiam occupanti cedant: atque adeo ipſa determinatio ſit additamentum juris civilis, modus autem acquirendi dominium in ſe conſideratus, ſit & maneat juris gentium. Et ſic de donationibus, ſucceſſionibus, aliiſque quaſi traditionibus, quarum acquiſitiones, ſolius methodi & continuationis ignoratione, novo quaſi acquirendi modo ex jure civili adinvento, adſcribunt; de quibus omnibus affirmare auſim, nullam earum ſimpliciter & abſolute dici poſſe juris civilis; ſed ſecundum quid duntaxat: quatenus nimirum, non niſi ſub certo modo, & forma à jure civili adſcripta, permittuntur: cæterum ſi initium primitivum ſpectes, eſſe & manere ex jure gentium ſive naturali. Quo reſpexiſſe videtur Grot. *De jure belli lib. 2. cap. 8. num.* 5. Ubi falli recentiores juriſconſultos ſcribit, qui hæc ita putant naturalia, ut mutari nequeant: ſunt enim naturalia etiam non ſimpliciter, ſed pro certo rerum ſtatu, cui ipſum jus civile ſubinde modum imponit. Quod expreſſis etiam verbis notat idem Grot *Introduct. lib. 2. cap 5. in fin. verſ.* **Vele dingen die ſy ſtellen onder het Burger-regt / werden genoegſaam by alle Volken gebruykt / als giften ende verjaringen.** facit. *§. 41. Inſtit. de Rer. diviſ. in verb. Quod quanquam.*

Modi acquirendi dominii ad tria potiſſimum referuntur capita, ad occupationem, acceſſio- 4
nem & traditionem.

Cap. III.

De Rerum Occupatione ejuſque ſpeciebus.

Summaria.

1. *Occupatio quid.*
2. *Quotuplex.*
3. *Captivitas quid & quotuplex.*
4. *Capti in bello an & quomodo liberentur apud Chriſtianos.*
5. *Præda ab hoſtibus capta cui cedat, militibus an reipublicæ.* diſting.
6. *Venatio quid.*
7. *Manſuefacta animalia an & quatenus noſtra maneant.*
8. *Venationis ſpecies quæ, & de ferarum venatione, quarum ferarum, & quomodo procedat jure civili.*
9. *Quid de venandi jure receptum & moribus obtineat. &* n. 11.
10. *Aucupium quibus ſit permiſſum.*
11. *Venandi jura ignobilibus denegantur apud nos, & inter Regalia relata apud Germanos, Pruſſos & Ungaros.*
12. *Captura piſcium an & quatenus permiſſa.*
13. *Inventio rerum quæ nullius ſunt quomodo procedat.*
14. *Res pro derelicto habita quæ dicantur, & an iis naufragia, & levandæ navis cauſa abjecta annumerentur.*
15. *Naufragia an & quando fiſco cedant, & quid mo-*

moribus receptum, in Italia, Sicilia, Anglia, Hiſpania, Gallia, Belgio, Normannia, & Germania.

16. *Bona caſu deperdita an pro derelictis habita, & quid inventori incumbat.*

17. *Theſaurus inventus, cui cedat?*

18. *An & quatenus fiſco in iis jus ſit? In Gallia, Anglia, Hiſpania, Dania, Germania, Hollandia, & reliquo Belgio: Ubi & de Saxonia moribus.*

19. *Theſaurus in fundo feudali, Emphyteutico, aut fructuario inventus, cui cedat.*

20. *Ut res nullius inventori cedat, actualis occupatio requiritur.*

1 OCcupatio, eſt apprehenſio rei quæ nullius eſt & alicujus fieri poteſt: de qua dicitur quod naturali jure & creationis lege rationi inſitæ occupanti cedat. *l. 1. 3. ff. de acquir. rer. domin. §. 12. Inſtit. eod.* Cicero *lib. 1. de Offic. Geneſ.* 1. 9.

2 Eſtque iterum rerum animatarum, & dicitur captivitas, aut venatio; aut inanimatarum, diciturque inventio. Captivitas, eſt occupatio jure belli facta: quæ proprie dicitur prædatio bellica.

3 Eſtque vel rerum vel hominum: quæ enim ex hoſtibus capimus, ſtatim jure gentium noſtra fiunt, & liberi homines in bello capti, in ſervitutem noſtram deducuntur. *§. 17. Inſtit. de rer. diviſ. l. 5. §. ult. & l. 7. ff. de Acq. rer. domin.*

Sed quod ad perſonas hoſtium attinet, inter Chriſtianos generali conſuetudine eſt receptum,
4 ut capti in bello libertatem non amittant, ſed præſtita victori certa, pro cujuſque qualitate, pecuniæ redemptione, vulgo **Rantſoen gelt** / redeundi veniam impetrent, aut alias captivorum hinc inde mutua quaſi permutatione fiat liberatio. Georg. Schultz. *ad d. §. 17. Inſtit. de Rer. diviſ. litt. p.*

Res autem intellige de mobilibus, aut ſe moventibus, quum bona immobilia in patrimonium prioris domini maneant, & poſtliminio revertantur. Buſ. *ad d. l. 5. ff. de acq. rer. domin.* Grot. *de Jure Belli lib. 3. cap. 9. num. 13.*

5 Quibus accedit, quod nec de omnibus bonis mobilibus intelligantur: ſed de iis tantum, quæ quis in dimicatione ſingulari, & liberis excurſionibus capit, quæ fiunt ſingulorum capientium: ea vero quæ actu bellico, & in miniſterio publico capiunt milites, ipſo jure fiſco & toti reipublicæ cedunt. *l. pen. ff. ad leg. Jul. peculat.* cujus miniſterio funguntur: ſinguli enim reipublicæ perſonam ſuſtinent, cjuſque vice funguntur, & in eam ut & poſſeſſionem ſic & dominium transferunt. Quamvis & hæc communiter, ſalva tantum aliqua prædæ parte, quæ Principi, Præfecto urbis, & Capitaneo tribuitur, inter eos, qui in comitatu, & periculo fuerunt, diſtribuantur. Vide Grot. *de Jure Belli lib. 3. cap. 6. num.* 12. *& ſeq. & Introd. lib. 2. part. 4. num.* 31. Vinn. *ad d. §. 17. Inſtit. de Rer. diviſ.* Et quandoque iis omnis præda promittitur, ut eo reddantur alacriores. Baro *ad d. §.* 17. Georg. Toloſan. *Syntagm. lib. 10. cap.* 415.

6 Venatio eſt occupatio animalium, quorum natura fera eſt. *l. 1. ff. de acq. rer. domin. d. §. 12. Inſtit. de Rer. diviſ.* Manſueta enim animalia natura, vel arte, quocunque locorum venerint,
7 in dominio noſtro permanent, ut ſunt pavones, gallinæ, anſeres, columbæ, & reliqua animalia quæ ex conſuetudine abire, & redire ſolent, jure civili eo uſque noſtra permanent, donec revertendi animum depoſuerint, *l. 4. 5. ff. de acq. rer. domin. & §. 15. Inſtit. de rer. diviſ.* Sed moribus noſtra eſſe non deſinunt, neque occupantium fiunt, etiamſi cuſtodiam noſtram evaſerint, & revertendi animum & conſuetudinem deſeruerint. Quod præcipue ſervatur in accipitre, & falcone, teſte Joann. Fabr. & ſons pract. de Cour *ad d. §. 15. Inſtit. de Rer. diviſ.* Autumn. *Confer. du Droict. ad l. 5. ff. de acq. rer. domin.*

8 Species Venationis tres ſunt: Venatio in ſpecie ſic dicta, quæ eſt ferarum quadrupedum, piſcatio quæ piſcium aquatilium, & aucupium quod avium eſt.

Venatio ferarum jure naturali cuilibet eſt permiſſa, adeo ut non in ſuo ſolum, ſed etiam in alieno fundo permiſſu domini feras capere liceat. *d. §. 12. Inſtit. de rer. diviſ. l. 3. ff de acq. rer. dom.* nam ſi quis in fraudem, præjudicium, & injuriam alterius cum canibus, vel ſclopeto, in alieno ſolo venari voluerit, dominus fundi invitus pati non tenebitur, ſed prohibere eum poteſt ne ingrediatur. *d. §. 12. Inſtit. eod.*

Sed ſi quis feram aliquam venetur, & vulneret ita ut capi poſſit, neque tamen in poteſtatem ſuam ſtatim coërceat, nullum eo jus in ea quæſitum conſtat; ſed fera vulnerata à quovis alio occupati, & capi poteſt, eique qui ceperit acquiritur, quamvis ab alio ita percuſſa, aut vulnerata ſit, ut capi facile potuerit: aliud enim eſt perſecutio, aliud occupatio, & multa accidere poſſunt ut eam non capias. *§. 13. Inſtit. de Rer. diviſ.*

Porro feræ beſtiæ captæ, eo uſque capientium fiunt, & permanent, quamdiu detinentur, &

M custo-

cuſtodiuntur; ſimulac enim per fugam in naturalem libertatem ſe receperint, & cuſtodiam noſtram evaſerint, noſtra eſſe deſinunt. *d. §. 12. Inſtit. de Rer. diviſ.*

Quæ hactenus de Venatione ferarum dicta ſunt, ad aucupia, & piſcationes etiam ſuo modo referuntur, quum de his & ferarum venationibus idem ſit judicium. *l. 9. §. 5. ff. de Uſufruct.*

Sed quod ad mores, & ſtatuta attinet, inter DD. vix convenit, quorum alii exiſtimant, jura 9
venandi & piſcandi Principes ſibi vindicaſſe, atque inter Regalia eſſe relata; Alii vero venationes jure gentium eſſe liberas, & communes omnium hominum, nec à Principe ſubditis prohiberi poſſe acriter defendunt; Alii cum moderatione loci, temporis, & perſonarum, venationem à Principe prohiberi poſſe admittunt. Ut videre eſt apud Arniſæ. *De Iure Majeſtatis lib. ult. cap 4.* Heig. *part. 1. quæſt.* 15. Alphonſ. de Axevedo *ad Conſtit. Reg. Hiſpan. lib. 7. tit. 8. ad rubr. num. 6. & ſeqq.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 68. num. 11.* & alios. Nobis ſuffecerit: per generalem, omnium pœne locorum, conſuetudinem, Principes venandi jura ſibi, & nobilibus perſonis tribuere, nec alteri competere, quam his, quibus ea poteſtas à Principe eſt conceſſa: neque inter eos promiſcue omnibus omnis generis animalia venari permittatur, ſed & facultate venandi nobilibus idem ex generali conſuetudine conceſſa, non majorum ferarum, ſed minorum tantum venatio indulta cenſeatur. De Germaniæ moribus teſtatur Heig. *d. cap. 15. num.* 33. & poſt eum Carpzov. *Iuriſprud. Forenſ. part. 3. Conſtit. 32. defin.* 17. De Belgarum Merul. **Tractaet van de Wilderniſſen** / *lib. 2. tit. 2. cap. 1.* Grot. *Introd. lib. 1. cap. 14. & lib. 2. cap. 4.* Chriſtin. *vol. 5. deciſ.* 84. Gudelin. *de Iure Noviſſ. lib. 2. cap. 2.*

Aucupii etiam communis omnium prohibitio eſt, ſed non tanta: utpote nobilioris tantum no- 10
tæ avibus impoſita, ut ſunt perdices, ardeæ, phaſiani, grues, olores ſilveſtres, carbones aquatici, plateæ, mergi, & ſimiles, quarum aucupium nobilibus tantum eſt reſervatum. Grot. *Introd. lib. 2. tit. 4.* Et earum ſi quis forte aliquas ceperit, Saltuario reſtituere tenetur. Merul. **Van de Wildernisse** / *lib. 3. tit. 3. cap. 1.*

Nec conſuetudine tantum generali ignobilibus venandi jura nobis denegantur: ſed & diverſis 11
Placitis, atque Statutis ſancitum eſt; ut ignobiles, ruſtici, aliique vulgaris conditionis homines, à venandis & captandis feris omnino abſtineant, & propterea ne ſclopetos quidem, aut bombardas, in publico, aut itineribus & viis circa vireta aut ſaltuaria geſtent, ſub pœna amittendæ bombardæ & decem Carolinorum pœna Saltuario ejuſdemque adſeſſoribus perſolvenda. *Ordinat. Venator. Ordin. Zeland. 24. Martii 1594. art. 1.* Et *Noviſſ. Holland. Ordinat. Venator. ſub Guilhelmo Gubernatore edit. 7. Maji 1648. art. 33.* Hollandiæ mores deſcribit Grot. *lib. 2. Introduct. cap. 4.* De vicinis Regionibus idem teſtantibus Chriſtin. *vol. 5. deciſ.* 84. Gudelin. *De Iure Noviſſimo lib. 2. cap. 2. verſ. Plane.* & Zyp. *Notit. Iur. Belg. De Iure fiſci, verſ. Feræ.* Quod & Germaniæ moribus convenit; quibus Venatio inter regalia hodie refertur, nec privato, in ſuo etiam territorio, venari licet, ſi non conceſſionem ſpecialem probaverit; teſte Carpzov. *defin. Forenſ. part. 3. conſtit. 32. defin. 17. & part. 2. conſt. 3. defin. 25. num. 3.* quem vide, & DD. ibi alleg. Confer jus Provinciale Ducatus Pruſſiæ, *lib. 3. tit. 1. art. 2. §. 3.* Et Uladiſlai Hungariæ Regis Decret. v. *Anni* 1504. *art.* 17.

Captura piſcium in mari prohibita non eſt, ſed omnium communis, & libera remanſit, cum 12
ipſo dominio maris & littorum, *l. 1. ff. De acquir. rer. dom.* Fluminum vero aliarumque aquarum publicarum piſcinæ (ut ſupra diximus) inter regalia Principis relatæ ſunt, nec alicui permiſſæ: niſi his quibus illud jus ſpeciali conceſſione indultum eſt, ſola hami piſcatione excepta. *Brab. & Flandr. Ordinat.* Philippi Hiſpan. Reg. *ultim. Iul. 1627. & Hollandia Ordin. 13. Martii 1648. art. 20. 21.* Sic ut, quod in flumine publico cuivis piſcari licuerit, *§. 2. Inſtit. de Rer. diviſ.* id multis jam ſeculis in totum exoleverit, & ut plurimum piſcationes fluminis publici, aut Magiſtratus loci, per quem flumen decurrit, aut accolæ fluminis ſibi vindicent. Georg. Schultz. *ad tit. Inſtit. de Rer. diviſ. litt. B.*

Inventio eſt rerum (ut diximus) inanimatarum, quæ nullius ſunt, & propterea inventori cedunt, 13
ſive nullius unquam fuerunt, ut ſunt lapilli, & gemmæ, quæ in littore maris inveniuntur, *§. 18. Inſtit. de Rer. diviſ.* ſive quæ quum alicujus quidem fuerunt, eſſe jam deſierunt, ut ſunt res pro derelictis habitæ. *§. 46. Inſtit. de Rer. diviſ. & l. 5. ff. pro Derelicto*, ſive quæ alicujus quidem fuerunt, ſed cujus jam ſint, non conſtat, ut eſt theſaurus, cujus depoſitionis memoria nulla exſtat. *§. 39. Inſtit. de Rer. diviſ.*

Res pro derelictis habitæ ſunt, quas Dominus, ea mente abjecit ut eas in numero rerum ſua- 14
rum amplius eſſe noluerit. *d. §. 46.* Quo in numero non ſunt res, quæ in tempeſtate levandæ navis cauſa ejiciuntur, quæ pro derelictis non habentur, ſed dominorum permanent. *§. 47. Inſtit. eod.*

cod. l. 9. §. ult. ff. de Acquirend. Rer. Domin. l. 8. ff. de leg. Rhod. de jact. Ut nec alia bona naufraga. *l. 1. Cod. de Nauſrag. & l. ult. ff. De Incend. Ruin. & Nauſragio. auth. Navigia, Cod. de*
15 *furt.* Quod leges ab initio in Hollandia non fuerunt receptæ, quibus ad exemplum conſuetudinum Siciliæ, Angliæ, Italiæ, Galliæ & Hiſpaniæ (de quibus teſtantur Argentræus *ad Conſuetud. Britan. art. 56. gloſſ. 1. num. 45.* Rebuff. *ad Conſtit. Reg. proœm. gloſſ. 5. num. 74.* Selden. *mare clauſ. lib. 1. cap. 7.*) bona tempeſtate ejecta, naufragio perdita, & in littore inventa, inter regalia conferebantur, & fiſco cedebant: Donec occaſione Hanſeaticæ navis, circa Scheveningæ Pagi littora, Anno 1443. naufragæ, primo introductum & cautum fuerit: ut ejuſmodi bona per inquiſitorem, & quæſtorem publicum, etiam poſt annum & diem (id eſt ſex ſeptimanas) vero eorum domino ſerventur, & deductis impenſis, & ſumptibus, ſervandorum cauſa collatis, reſtituantur: exceptis eorum bonis, qui oriundi ubi Hollandorum bona naufraga contraria conſuetudine etiamnum fiſco cedunt. Hac de re variæ exſtant Ordinationes, & Placit. Quas ordine citat Groeneweg. *ad Grot. Introd. lib. 2. tit. 4. num. 33.* Idem fere lege municipali Normannorum cautum: qua ejuſmodi bona etiam à fundi patronalis dominis iis aſſervantur, qui eas intra annum aſſeruerint. *leg. Nov. municipal. Normann. art. 584. & 588.* Et in imperio Germanico ex præſcripto Caroli V. *Conſtit. Criminal. art. 218.* contrariæ conſuetudines, omni juri & æquitati repugnantes, damnantur, teſte Andr. Gail *lib. 1. obſerv. 18. num. 6.* quas multis etiam rationibus improbant Bodin. *De Repub. lib. 1. cap. 10. circa fin.* Grot. *de Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 7. num. 1.* Leſſ. *de Juſtit. & Jure lib. 2. cap. 14. num. 49. 50.* Arniſæus *de Jure Majeſt. lib. 3. cap. 6. num. 19.* Vide porro Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib. 5. cap. 10.* Chriſtin. *vol. 5. deciſ. 64.* Zypæ. *Notit. Jur. Belg. tit. de Jure fiſci, in verb. bona Nauſrga.* J. Heemskerck *Batav. Arcad. pag. mihi 447. & Noviſſ. edit. pag. 288.*

16 Cæterum bona, quæ de rheda currente ceciderunt, aut alia occaſione deperdita, in viis publicis, aut privatis inventa, domino ſemper ſunt reſtituenda: cui abſque culpa & voluntate res ſua auferri non debet: quo caſu moribus invaluit, ut is qui res alienas invenit, facta ab initio hujus rei denunciatione per præconem publicum in foro, vel cæmiterio, aut alias etiam per miniſtrum Eccleſiæ, ex ſuggeſtu publico, incolis loci ubi degit, innoteſcat, & domino repetenti, eamque ſuam eſſe probanti, accepto præmiolo pro inventione, reſtituat: Quod ſi ita per præconium indicaverit, & verus dominus non ſupervenerit, ne tum quidem inventori cedunt: ſed fiſco potius, aut pauperibus applicandæ veniunt, non inventori qui illas caſu fortuito, & ſine labore invenit, *per auth. omnes peregrini, Cod. Commun. de Succeſſione*: Quamvis inventores ut plurimum, præſertim ſi inopes ſint, eas præſertim ſi exiguæ ſint, retineant. Quod ex ſtatutis Saxoniæ ibidem quoque obſervari teſtatur Georg. Schultz. *ad tit. Inſtit. de Rer. diviſ. §. 46. Litter. V.*

17 Pro derelictis etiam habentur jure Romano agri ſteriles, & prædia deſerta, quæ quilibet auctoritate propria invadere, & eorum poſt bienniì lapſum, & dominium, & poſſeſſionem acquirere poteſt: intra biennium vero, ſi verus dominus ad jus ſuum ea revocare voluerit: in expenſarum & meliorationum reſtitutionem tenetur. *l. 8. Cod. de omni agro deſerto.* Hodie autem alterius agros deſertos nemini propria auctoritate invadere licet, Zypæ. *Notit. Jur. Belg. De Jure Emphyteut. in fin.* Bugnion. *De legib. abrogat. lib. 1. ſat. 231.* ubi eam legem in uſu eſſe negat, ac propterea nec ipſos fructus, etiam poſt lapſum biennii ſuos facit. Loyſeau *du deguerpiſſ. lib. 6. cap. 11. num. 9. & ſeqq.* Quæ tamen pro cenſibus, atque tributis anteacti temporis, ſubhaſtari & vendi poſſunt: ſecundum *l. 5. §. ult. Cod. de Cenſib. & l. 7. ff. De publican.* *Cod. xi. lviii. De omni agro deſerto.*

Exceptis tamen belli invaſionibus, aliiſque extraordinariis calamitatibus, quibus obvenientibus, ſi agrorum domini programmate admoniti, ut in ſubhaſtationibus ejuſmodi fieri conſuevit, præſto ſint, & propter belli invaſionem, præſentemque calamitatem ſeſe agris colendis impares profiteantur, eos jure ſuo privari, eſſet iniquum. Ut recte Loyſeau *d. cap. 11. num. 12. 13. per l. 1. Cod. de Nauſrag.* Atque ita, quum Philippus II. ingruente tota ditionum vaſtitate, & immenſa annonæ caritate, Anno 1587. quibuſvis facultatem tribueret, agros deſertos occupandi, ſerendi, colendi, atque habendi, illam clauſulam addidit: donec ſumptus reſtituerentur: quo ipſo dominos jure dominii non privavit, ſed refuſis meliorationum expenſis, agros ſuos recuperandi, liberum ipſis arbitrium reſervavit, Zyd. *Notit. Iur. Belg. De Iure Emphytent. in fin.* Secundum quam diſtinctionem etiam intelligenda eſſe ea, quæ circa obſervationem *d. legis 8. Cod. de omni agro deſerto.* nimis generaliter atque indiſtincte affirmat Chriſtin. *volum. 5. deciſ. 93. num. 7.* recte monet Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. l. 8. Cod. de omni agr. deſert.*

Theſaurum quem quis in ſuo loco, ſive data ad hoc opera, ſive nihil tale cogitans invenit, totum ſibi acquirit; ejus quem quis in alieno loco non data ad hoc opera, dimidium loci domino

debet, alterumque tantum retinet: ſi quis data ad hoc opera, theſarum invenit, nihil ex inde conſequitur, ſed totum loci domino, ſi locus ſit privatus, ſin vero publicus ſit, fiſco cedit. *§. 39. Inſtit. de Rer. Diviſ. l. 63. ff. De acq. rer. dom.* Sed quid ſi quis in ſolo meo ad hoc conductus, colendi agri cauſa humum fodiens, aut operam ſuam locans, aliud agendo aurum defoſſum inveniat? ad fundi dominum pertinere videtur, cujus miniſterio fungitur, & cui acquirit is qui operam ſuam elocavit, *§. 5. verb. excepto eo, Inſtit. per quas perſonas*: Theſauri enim poſſeſſio acquiritur ſolo actu naturali, & corporali apprenhenſione, in quo placet nos uti etiam miniſterio alieno. *l. 53. ff. De acquir. rer. domin. l. 18. ff. De acq. poſſeſſ.*

Moribus autem quorundam locorum, theſauros quocunque loco inventos, Principes in totum 18
ſibi vindicare ſcribunt Doctores: illudque jus commune, & quaſi gentium ubique obtinere volunt. Quod de Germania, Gallia, Anglia, Hiſpania, & Dania teſtatur Grot. *de Jure Belli lib. 2. cap. 8. num. 7.* Vide etiam Peregrin. *de Jure fiſci lib. 4. cap. 2.* Covarruv. *in releƈt. cap. peccatum. De Reg. Jur. in 6. part. 3. §. 2.* Qua de re tamen mores, & res judicatæ variant, ut videre eſt apud Chriſtin. *vol. 5. deciſ. 16. 17.* Eguinar. Baro *ad tit. Inſtit. de Rer. diviſ part. poſt.* Papon. *lib. 13. tit. 7. arreſt* 1. Gregor. Tholoſan. *Syntagm. lib. 3. cap. 11. num.* 6. Et de Holland. moribus idem Grot. *Introd. lib. 2. cap.* 4. Sic ut opinioni iſti ſtare non auſim: Niſi de his qui certis conſtitutionibus & ſtatutis nituntur: ſed in dubio contra fiſcum facile reſponderim; jus ſcriptum debere attendi, nec ad fiſcum pertinere. Quod de Hollandiæ moribus ſatis expeditum eſt: Quippe quibus in facto quidem, fiſci patroni contendere ſolebant, theſauros quocunque loco inventos (ad exemplum aliarum regionum) ad fiſcum pertinere. Aliis vero contra inferentibus: hac in parte ſequendam eſſe nobis conſtitutionem Juris Romani: propterea quod neque quicquam de eo cautum reperiatur, neque doceri poſſit, Romani Juris vigorem hac in parte diſſuetudine, uſuve contrario, enervatum eſſe. Quibus obſtantibus in demonſtrando jure ſuo, hactenus defecerunt actores fiſci: & exigui lucri tranſactionem, dubio cauſarum eventui, aliquoties prætulerunt. Vide Vinn. *ad d. §. 39. Inſtit. de Rer. diviſ.* & poſt eum Groeneweg. *de leg. abrog. ibid.* Quod & de Saxoniæ moribus idem ſentit Georg. Schultz *ad tit. Inſtit. de Rer. diviſ. dict. §. 39. litter. T.* Qui, (quanquam ſecundum nonnullos, ex conſuetudine quorundam locorum, fiſcus theſaurum, etiam in inventoris loco proprio repertum, ſibi vindicare ſoleat) eam tamen conſuetudinem univerſalem negat, proinde non videatur per illam abrogata, vetus de Theſauro invento conſtitutio. Hactenus ille, quem ſequitur Benedict. Carpzov. qui in foro Saxonico hac in parte diſpoſitioni Juris Communis omnino ſtandum eſſe defendit & deciſum refert *part. 2. Conſt. 53. defin. 4. & 5.*

Quum de Theſauro in alieno loco reperto, etiam hic actum ſit; Quæritur, quid ſit dicendum 19
de fundo feudali, Emphyteutico, aut alio fructurio? Et quidem jure feudali, Theſaurus in fundo feudali inventus, ſive ab ipſo Vaſallo, ſive à tertio, inter dominum feudi & inventorem dividendus eſſe videtur quibuſdam interpretibus. *arg. §. fin. De inveſtitura, de re alien. lib. 2. & tit. unic. in quibus cauſ. feud. amitt.* Sed contrarium (ſcilicet quod theſaurus ab ipſo Vaſallo inventus totus ipſi acquiratur, ab alio vero, dimidiotenus) in praxi eſt receptum, eo quod Vaſallus non tantum feudi uſumfructum, ſed & dominium utile habeat, teſte Joann. Schneiduin. *ad d. §. 39. Inſtit. de Rer. diviſ.* & Joann. Harprecht. *ibid. num.* 7. Atque idem obtinet in fundo emphyteutico, propter eandem rationem. Schneiduinus & Haprecht. *d. loco.* At Theſaurus, in fundo fructuario inventus, ad fructuarium non pertinet, ſed ad proprietarium: eo quod fundi fructuarii dominium abſolute ad proprietarium pertineat, nec theſaurus ſit fructus fundi, nec naturalis, nec civilis. *l. 7. §. ſi fundum. in fin. ff. ſolut. matrimon.* & proprius locus in jure noſtro etiam intelligitur de eo in quo alius uſumfructum habet, *arg. pr. Inſtit. de hered. inſtit.* Quomodo in foro Saxonico deciſum refert Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part. 2. conſtit. 53. defin.* 6. Quibus poſitis: de locatis, aliiſque rebus noſtris ab alio poſſeſſis, facilis eſt reſponſio.

Sed & illud, circa res nullius, ut inventori cedant, notandum: ut non ſufficiat prædictas res 20
conſpexiſſe; ſed & actualis occupatio, & apprehenſio requiratur: ſic ut duorum, rem talem ſimul conſpicientium, is præferatur, qui prius eam occupat. *l. 1. §. 1. ff. de acq. poſſ.* Quod tamen in praxi, cum hoc temperamento accipitur: niſi quis ſimul viderit, & proteſtatus fuerit vulgo, myn deel / quia ſi ſolus fuiſſet, forte ſolus occupaſſet. Atque ita deciſum refert Horat. Rovat. *deciſ. Lucenſ.* 23. Vide quoque Grot. *de Jure Belli lib. 2. cap. 8. num. 3. in fin.*

Cap. IV.

De Acceſſione Naturali, Fœtu, Alluvione, Inſula, & Alveo.

Summaria.

1. *Acceſſio quid & quotuplex.*
2. *Fœtus quid.*
3. *Regula : partus ſequitur ventrem, an & quatenus procedat.*
4. Thomas Hobbes *Philoſophus reprehenſus.*
5. *Alluvio quid, & quando aut quomodo per alluvionem nobis acquiratur.*
6. *Inſula in mari nata cujus in bonis ſit.*
7. *Inſula fluviatica quid.*
8. *Cui cedat?*
9. *Alveus quid, & ad quem pertineat.*
10. *Collatio* §. 23. Inſt. de Rer. diviſ. *cum* l. 7. §. 5. in fin. ff. de acquir. rer. domin.
11. *Alveus per inundationem perruptus cujus eſſe intelligatur.*
12. *Quod circa alluviones moribus receptum :* diſt.
13. *Quo uſque ſe jus alluvionis extendat communiter, in* Gelria, *&* agro Putteno.
14. *Ripam fluminis, quatenus quis munire poſſit.*
15. *Acceſſiones & incrementa in Imperiis & Juriſdictionibus, cui cedant, & quomodo diſtinguenda.*
16. *Arcifinia, & limitata Imperia quæ ſint, & quomodo diſtinguenda.*
17. *Alluviones & incrementa feudalia utrumne domino, an vaſallo cedant : &* num. 18.
18. *Quid ea in re in territoriorum feudalium dominus obtineat in Hollandia.*
19. *Quid in feudis agrorum privatorum.*
20. *Quid in Emphyteuſi, & fundo fructuario.*
21. *Quid de Alveo derelicto moribus obtineat.*
22. *Quid circa inundationes.*

1 Acceſſio eſt acquirendi dominii modus, quo res noſtra eſſe dicitur, propterea quod rei, quæ noſtra eſt, accedat.

Eſtque alia ſimplex, alia mixta. Acceſſio ſimplex eſt quæ ſimpliciter & ex ipſa rei exiſtentia & qualitate rei noſtræ accedit, eſtque iterum alia naturalis, alia artificialis.

Naturalis eſt, quando operante natura, ſine hominum labore & induſtria, rebus noſtris aliquid accedit; cujus ſpecies ſunt, fœtus, alluvio, inſula in flumine nata, & alveus.

2 Fœtus, eſt procreatio animalium noſtrorum: quæ enim ex animalibus dominio noſtro ſubjectis, nata ſunt, eodem jure nobis acquiruntur. §. 19. *Inſtit. de rer. diviſ.* §. 37. *Inſtit. eod. l.* 2. *l.* 6. *ff. de acq. rer. domin.* Ut ſunt, agni, hædi, vituli, equuli, & ſuculi. *d.* §. 37. Quibus addunt partum ancillæ, quem jure dominii ad dominum pertinere volunt communiter. Quod quamvis moribus vix obtineat, quibus omnis pœne ſervitus exolevit, illud tamen admoneri velim, eam regulam, qua dicitur
3 partum ventrem ſequi, non eſſe univerſaliter veram, nec cum naturali jure convenire, niſi quatenus pater incertus eſt; at ſi probabili ratione de eo conſtet, cur non partus æque ad eum pertineat? nihil poteſt afferri. Ut recte notat Grot. *De Jure Belli lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 18. Quare ſi ipſum jus naturale ſpectemus, patri, matrique communes liberi ſunt: ut recte Seneca *de Beneficiis* 7. 12. eaque ratione, cum jure naturæ minime pugnare, mores & inſtituta Wiſigothorum, notanter refert, & probat idem Grot. *d. tract. de Jure Belli lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 29. Quibus ex ſervo & ancilla diverſorum nati, inter dominos dividuntur, & ſi unus ſit filius eum habet ſervi dominus, ancillæ domino pretium dimidium perſolvens; cui proxime accedit interpretamentum juris civilis, quo liberi etiam patris ut dignioris conditionem ſequuntur, non matris, *l.* 19. *ff. de Stat. homin.*

4 Quicquid contradicat magni nominis Philoſophus Anglus, Thomas Hobbes, in *element. ſuis Philoſoph. de Cive cap.* 9. Ubi dominium & poteſtatem patriam in liberos à generatione oriri negat, adeoque ipſam in liberos noſtros poteſtatem ad matrem pertinere contendat ipſa natura; ad patrem vero, non niſi pacto vel lege civili: cujus opinionis tamen rationem nullam video, quæ me à receptiori opinione, & praxi, quæ dominium, & poteſtatem in liberos patri genitori, ut ſexui primario agenti, validiori, & firmiori, etiam à natura defert, ſeducere queat, quod irreprobabiliter defendit, vir doctiſſimi & acutiſſimi ingenii Hugo Grot. ubi ſupra *de Jure Belli*, quem omnino vide & *ibi notat.*

5 Alluvio, eſt incrementum latens, quo aliquid agro noſtro, ita paulatim adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum, quoquo temporis momento adjiciatur: Quod nobis, aut rei noſtræ acquiritur: propterea quod à nullo vindicari poſſit; quia unde veniat neſcitur. §. 20. *Inſt. de Rer. diviſ. tit. Cod.* VII. XLI. *de alluvionib. & paludibus, & paſcuis ad alium ſtatum tranſlatis.*

l. 7. §. 1. ff. de acq. rer. domin. Sed quæ vi fluminis, non latenter, ex alieno, prædiis noſtris adjiciuntur, nobis non acquiruntur; niſi coaluerint, arboreſque adductæ radices egerint. *§. 21. Inſti. eod. & d. l. 7. §. 1. ff. de Acq. rer. dom.* Quod omnino reſtringendum, ad ea prædia, quæ oon alium finem ea parte habent, quam naturalem, & ipſi flumini conterminum; prædia enim certis limitibus circumſepta alluvionem non habent. *l. 16. ff. de Acq. rer. dom. l. 1. §. 6. ff. De Fluminib.* quæ ſimilia ſunt illis, quæ certa menſura comprehenduntur, quorum poſſeſſores, ultra aſſignatum modum, nihil poſſidere poſſunt, ac proinde nec jus alluvionis habent. *D: XLIII. tit. XX. de rivis.* Conan. *Commentar. Jur. Civil. lib. 3. cap. 5.* Grot. *d. tract. de Jure belli lib. 2. cap. 8. num. 12.*

D. XLIII. tit. XII. De Fluminibus.

Inſula in mari nata, quod raro accidit, nullius in bonis eſt, & occupanti conceditur. *§. 22. Inſtit. de Rer. diviſ. l. 7. §. 3. ff. De Acquir. rer. domin.* 6

De Inſula fluviatica major difficultas eſt, eſtque incrementum, in medio fluminis, ſeorſim, & 7
ſeparatim ab ipſis agris confinibus, natum. Quod frequenter accidit: quum enim flumina limoſa ſint, teſte Plinio *Nat. Hiſtor. lib. 2. cap. 85.* & multis ſubinde locis vadoſa, ſæpe accidit, ut limus, quem ſecum trahunt, & alia limo illita, vado hæreſcaot, & adglutinentur: quibus paulatim auctis, locus ille alvei tandem ſupra flumen emineat, inſulamque efficiat. Hæc ſi mediam 8
partem fluminis teneat, communis eſt eorum, qui ab utraque parte fluminis, prope ripam prædia poſſident, pro modo latitudinis cujuſque prædii, quæ prope ripam ſit: ſi alteri proximior ſit, eorum eſt tantum, qui ab ea parte prædia prope ripam poſſidènt. *d. §. 22. Inſtit. de rer. div. l. 7. §. 3. ff. De Acq. rer. dom.*

Alveus, eſt vallis aut foſſa ſive receptaculum fluminis, per quod fluvius labitur, dum intra ri- 9
pas percurrit: Et quidem ſi uno latere perruperit flumen, eoque derelicto, alia parte novo rivo fluere cœperit, prior iſte alveus quoque eorum eſt, qui prope ripam prædia poſſident: Si poſt aliquod tempus ad priorem alveum redierit flumen, rurſus oovus iſte alveus ſtricto jure eorum eſt, qui prope ripam prædia poſſident. *§. 23. Inſtit. de rer. diviſ.*

Sed vix eſt ut id obtineat, inquit Gajus. *l. 7. §. 5. in fin. ff. De acq. rer. domin.* Cujus facti 10
rationes variæ traduntur à DD. ibid. Quorum textuum quidam antinomiam ſtatuunt. Alii ut eam effugiant, diſtinguendum eſſe arbitrantur inter alveum, qui aliquamdiu agrum vi & impetu fluminis occupavit, & deinde conſimili pœne impetu quo advenerat receſſit, de quo intelligi volunt *§. 23. Inſtit. de rer. diviſ.* & inter occupationem talem, quæ pro inuodatione potius ſit habenda, quæque ſolida alvei mutatione, nec cum impetu aut vi fluminis, ſed paulatim deſerta via receſſit: atque eo ſenſu accipi debere quod Gajus, *d. l. 7. §. 5. De acq. rer. domin.* perhibet, vix eſſe ut obtineat. Vide Vinn. *ad d. §. 23. Inſtit. De Rer. diviſ.* Buſ. *ad l. 38. ff. De Acq. rer. domin.* Nobis, ut ut ſit, æquius & benignius videtur, ut novus alveus iterum derelictus, ad priorem dominum pertinere dicatur.

Si circumluvio inſulam, aut inundatio quendam alveum fecerit, hæc fundi ſpeciem non mutat, 11
atque ita ſi uno latere flumen perruperit, & alia parte novo rivo fluere cœperit, iſque novus rivus inferius iterum in veterem ſe converterit; ager, qui à duobus rivis comprehenſus in formam inſulæ redactus eſt, eorum manet, quorum ante fuit, nec dominos priores mutat *§. 22. in fin. Inſtit. de Rer. diviſ.* Similiter ſi flumen, imbribus, vel nivibus, vel alia ratione auctum, per ruptos aggeres, aut alio modo per inundationem, in vicinos campos, ita ſe effuderit, ut nec ripas nec alveum ſuum mutet, eo ipſo fundi proprietas non amittitur: ſed recedente aqua, ejus manet, cujus ante inundationem fuit. *§. 24. Inſtit. de Rer. diviſ. l. 7. §. 6. ff. de Acq. Rer. domin.*

Quid moribus harum, vicinarumque Regionum, de alluvionibus Juris ſit, propter conſuetudinum, & rerum judicatarum diverſitatem, quibuſdam dubium videtur. Quorum alii contendunt, alluviones, ut ſequelas & appendices fluminum, eſſe ſolius fiſci, arg. *Placit. 22. Maji* 12
1559. Alii contra negant. Ut videre eſt apud Grot. *Introd. lib. 1. cap. 9. verſ.* **in Holland.** Qua in re diſtinguendum oobis videtur, inter inſulas in flumine ſeorſim, & ſeparatim ab agris confinibus natas: quas quidem ejuſdem juris eſſe cum ipſis fluminibus certum eſt. *l. 1. §. 7. ff. De Fluminib.* ac proinde quum flumina publica Principis dominio adſcripta interque regalia relata ſint (ut ſupra oſtendimus) conſequens etiam eſt, ejuſdem incrementa ad Principem ſive fiſcum pertinere, aut ad eos qui jure ſibi à Principe conceſſo gaudent: alias vero alluviones & agrorum adjacentium acceſſiooes, etiamnum nobis, aut rei noſtræ, juxta *d. §. 20. & 21. Inſtit. de Rer. diviſ.* acquiri, nihil vetat.

Atque ita interpretanda & diſtinguenda ſunt quæ legimus apud Grot. *Introd. lib. 2. cap. 9. & de Jure belli lib. 2. cap. 8.* Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 86. num. 7.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de jure fiſci, verſ. Res communes.* Perez. *ad Cod. tit. De Alluvion. num. 8.* cum illa tamen diſtinctione, quam

quam ſupra dedimus inter agros limitatos, aut certa menſura terminatos, & alios corporis nomine à nobis poſſeſſos. Eam enim, agros prope flumina poſſidentium, in hiſce regionibus eſſe diſtinctionem, palam eſt: Prius enim populus, ſive Princeps ejus nomine, non imperio tantum, ſed & dominio, terras occupavit, quæ in ſingulos poſtmodo ſunt diviſæ & diſtributæ. Grot. *de Jure Belli lib. 2. cap. 8. num. 9. in pr.* Quibus, & alluvionis jura conceſſa videntur, niſi palam, aut per terminorum reſtrictionem fiſco fuerunt reſervata. Quod & mores etiamnum ſervant, quibus in agris ſub certo termino, & menſura primitus aſſignatis, jura alluvionis Principi reſervata intelliguntur, juxta *l. 1. §. 6. ff. De Fluminib. & l. 16. ff. De acq. rer. Domin.* At ſi indiſtincte agri eo jure quo antea erant occupati, aut ad flumen uſque, aut alias ſub corporis nomine aſſignati fuerint, etiam jus alluvionis ad eos competere, judicatum fuit de agris ad Moſam & Iſalam ſitis. Teſte Grot. *de Iure Belli lib. 2. cap. 8. num. 12.*

13 Qui jus aluvionis habent, eo uſque jura ſua extendunt, ut etiam eo nomine cenſendum ſit id, quod, interjecta licet planicie, aquis quodammodo ſuperfuſum proximis prædiis cohæret, nec ita diſcretum eſt, ut majori temporis parte navigio tranſiri ſoleat. *arg. l. pen. §. 2. ff. De acquir. rer. domin.* Quod in Gelria, prædiis, addita occupatione, accedit, quatenus plauſtro onerato adiri poteſt, in agro Putteno, eo uſque, quo pedes gladium exſertum tenens, id pertingere poteſt, teſte eod. Grot. *d. cap. 8. num. 14. & Introd. lib. 2. cap. 9. num. 17.* Vinn. *ad §. 22. Inſtit. de Rer. diviſ. num. 7.*

14 Qui jus alluvionis habent, licet naturalem fluminis alveum, ejuſque curſum alio avertere nequeant, ripam ſuam munire poſſunt, ne quid ei per aluvionem abſtrahatur: quo ipſo fluminis rabidum curſum, prominenti fundi loco avertant, ſimulque incrementum alio loco inferiori alluens juvent, *arg. l. 1. Cod. alluvion.* dummodo illud fiat ſine incommodo navigationis, & accolarum, *l. 1. §. 6. 7. ff. ne quid in loco publico. & l. 1. ff. De Ripa muniend.* Grot. *introd. lib. 2. cap. 9. verſ.* **Dit regt.** D. tit. xv. De Ripa munienda.

15 Quæ de agris privatis dicta ſunt, etiam locum habent in imperiis, & juriſdictionibus. Ut, ſi flumen duorum Magiſtratuum territorium interluat, & dividat; utrique eorum in ſuo latere uſque ad mediam fluminis partem juriſdictio competit, atque adeo inſulæ, alluvionis, & alvei in flumine nati, juriſdictio illi cedit, qui prope ripam proximiora prædia poſſidet, & quicquid flumen parti alteri adjecit, ſub ejus imperio eſt, cui eſt adjectum: quia eo animo populus uterque imperium occupaſſe primitus creditur, ut flumen ſui mediate eos dirimeret, tanquam naturalis terminus, ut ex Tacito, Diodoro, & Xenophonte probat Grot. *de Iure belli lib. 2. cap. 3. §. 16.*

Niſi quoque Juriſdictio limitata, aut imperium certis finibus ſit circumſcriptum, quo caſu quoque alluvionis, aut inſulæ jura, Principi reſervata eſſe dicendum eſt: juxta diſtinctionem agrorum privatorum ſupra allatam; eo quod imperii hac in parte paris juris, eſſe cum agris priva-
16 tis certum ſit: hoc adhibito diſcrimine, quod imperia in re dubia credenda ſint arcifinia, nec à parte fluminis alium finem quam naturalem, id eſt flumen ipſum habere, quia id territorii naturæ quam maxime convenit; ſed agri privati, magis eſt ut arcifinii non dicantur, ſed aut limitati, aut certa menſura terminati: quum privatarum poſſeſſionum convenientius ſit, Grot. *de Iure Belli lib. 2. cap. 3. num. 17. in fin. & cap. 8. num. 12.* Secundum quam diſtinctionem etiam judicandum, ut, ſi quoties flumen curſum mutaverit, in imperiis limitatis, & diviſim aſſignatis, etiam flumen curſum mutet, nihil de territorio mutari, & ſi quid alluvio adjecit, occupantium imperio accedere: in arcifiniis vero imperiis, flumen paulatim curſu mutato, mutat & territorii fines, & quicquid flumen parti alteri adjecit, ſub ejus imperio eſt cui eſt adjectum. Ut latius etiam Grot. *d. tract. lib. 2. cap. 3. num. 16. 17.*

17 Sed quid in feudis circa alluviones juris ſit inter Vaſallum, ejuſque dominum, videndum eſt. Et quidem in imperiis & juriſdictionibus feudalibus, ſola imperii conceſſione, fluvialia incrementa non includi apertum eſſe ſcribit Grot. *d. tract. lib. 2. cap. 8. num. 15.* niſi cum illo definito imperio ſimul acceperint agrorum univerſitatem, aut alias ipſis flumen ipſum aut juriſdictio data ſit: quo caſu Vaſallo idem jus cenſetur datum quod populi aut Principis fuit.

18 Quo fundamento Territorium feudalium domini in Hollandia, Zelandiaque, Anno 1557. & 1560. territoriis ſuis alluvionum jura competere, licet in inveſtitura expreſſum non ſit, contra fiſcum obtinuerunt: adeoque Borealis Schaldæ quæſtori in mandatis dato, ut omnia alluvionum incrementa, à territoriorum feudalium dominis, ſuæ ſtationis occupata, fiſco applicaret, eorumque tributa cæteraque emolumenta bono publico exigeret, poſt eorundem oppoſitionem, adhibito Curiæ Hollandiæ conſilio Anno 1561. judicatum fuit: ad dictos territoriorum domi-

nos

nos & Vaſallos alluvionum & incrementorum jura quoque pertinere: modo & illa in ipſins feudi
inveſtitura recognoſcantur, eorumque ratione laudemia, cæteraque honoraria jura, in recogni-
tionem dominii directi, de novo perſolvantur. Quo etiam Grot. *de Jure Belli lib. a. cap.* 8.
num 15. reſpexiſſe videtur: ubi in Zelandia Vaſallos, etiam qui de civilibus tantum judices dant
(ſcilicet illos quibus una cum imperio ſive juriſdictione ſimul agrorum univerſitas data eſt) pro
tota agrorum univerſitate tributum pendere, nec his de alluvionibus moveri controverſiam, re-
fert. facit *l.* 2. *Cod. de alluviomb. junct. l.* 3. *Cod. eod.*

Quibus, ex ſupra dictis addo, idem etiam eſſe dicendum, ſi in inveſtitura imperium di-
ctum fuerit ad flumen uſque pertingere, cui clauſulæ, alluvionis jus ineſſe ſupra quoque de
agris privatis diximus; quorum naturam circa occupationem, Imperia, & Juriſdictiones ſequi
certum eſt.

Sed quid de his, quorum inveſtitura nec hoc nec illud comprehenſum eſt? Dubium eſt, & qui-
dem hoc caſu pro Principe reſpondendum eſt: videtur enim jus alluvionis ſibi reſervaſſe, excepto,
quod quibuſdam aut mos regionis, aut longi temporis poſſeſſio contrarium indueat.

Si non imperium, ſed ager in feudum datus ſit, augmentum per alluvionem fundo feudali ad- 19
jectum, ſecundum agrorum naturam & differentiam (quam ſupra diximus) quoad utile dominium
Vaſallo, quoad directum vero domino feudi acquiratur per *DD. in cap. unic. §. 5. & ſeqq. Si de
Inveſtitura feudi controverſ. ſuer. lib. 1. tit. 4.*

Idem obtinet in fundo Emphyteutico per *Gloſſ. fin. & DD. in l. 1. Cod. de Jure Emphyteut.* & 20
in fundo fructuario, per text. in *l. 9. §. 4. de Uſufr.* Atque ita deciſum refert Carpzov. *defin. fo-
renſ. lib. 3. conſtit. 1. defin.* 17.

Quod de Alluvione, idem de alveo derelicto dicendum eſt moribus obtinere, ut hic quoque 21
cedat illis, qui proximiora prædia, ad flumen excurrentia prope ripam poſſident, juxta *l. 1. §. 7.
ff de fluminb. & §. 23. Inſt. de Rer. diviſ.* Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 9. verſ.* **Verdrooghde
Stroom-gronden** / ejuſdem juris cum flumine publico, Principi, aut populo, inter regalia re-
ſervantur. Grot. *de Jure Belli lib. a. cap. 8. num.* 13. Quod & cum Jure Saxonico convenire,
& in camera Imperiali comprobatum eſſe poſt Sixtin. *de Regalib. lib. 2. cap. 3. num. 33.* teſtatur
Georg. Schultz. *ad tit. Inſtit. de Rer. diviſ. lit. ff in fine.* Alveus autem novus iterum derelictus
ad dominum priorem pertinere videtur *arg. l. 7. §. 5. in fin ff. de Acq. rer. dom.* quod & æquius
& benignius eſſe, atque uſu obſervandum, ſi forte caſus contigerit, monent omnes. Vide Vinn.
ad d. §. 23. Inſtit. de Rer. diviſ. & DD. ad d. §. 5.

De Inundationibus vero, hoc jure utimur: ut ager per decem annos continuos merſus pro 22
derelicto habeatur: *arg. §. 21. Inſtit. de Rer. diviſ. in verb. longiore tempore, & pr. Inſtit. de Uſu-
cap.* niſi continuatæ poſſeſſionis aliqua extiterint ſigna, quæ ſi aliter nequeant, vel piſcando
retineri poſſe cenſentur, contra *l. 23. ff. Quib. Mod. Uſucap. amitt.* Vid. Grot. *Introduct. lib. a.
cap. 9. verſ.* **Hoewel.** *& de Jure Belli lib. 2. cap. 8. num.* 10. Et quæ de Meridionalis Hollan-
diæ inveterata conſuetudine teſtatur Jacob. van Oudenhoven *in ſua Meridionalis Hollandia de-
ſcriptione pag. mihi* 578. Atque inſuper, ſi nec per decem annos inundatio perduraverit, aut
adeo ipſi agri non penitus aquis merſi fuerint, ut aliquando accidit; & tamen publice interſit,
agros ſiccari, & novo aggere muniri: ſolent etiam Principes tempus præfigere, intra quod, vete-
res agrorum poſſeſſores ſiccare agros, & novo aggere munire debent, quibus ceſſantibus, mo-
nentur illi qui jus pignoris & hypothecæ in eos agros habent; deinde & illi, qui juriſdi-
ctionem & imperium ibi habent, qui ſi omnes in mora ſint, eo ipſo pro derelicto etiam
habentur agri, eorumque jus omne ad Principem defertur, qui aut ipſe agros ſiccat, aut
aliis ſiccandos, muniendoſque retenta parte, tradit. Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 9. num.* 10.
in fin. Vinn. *ad d. §. 24. Inſtit. de rer. diviſ.*

Cap. V.

De Acceſſione artificiali, ſpecificatione; confuſione, & commixtione.

Summaria.

1. *Specificatio quid, & quotuplex.* Et num. 4.
2. *Ad quem pertineat, diſting.*
3. Grotius *ſibi contrarius*, & Conanus *reprehenſi.*
4. *Confuſio quid, & quotuplex.*
5. *Ejuſdem generis ad quem pertineat.*
6. *Diverſi generis cui cedat.*
7. *Commixtio quid, & ejus ſpecies.*
8. *Quotuplex.*
9. *Commixta rei æſtimatio an & quomodo præſtanda, & quæ aut quotuplex ſit ineunda æſtimationis ratio.*
10. *Quid moribus obtineat in* Belgio, Gallia, Saxonia, & Ducatu Pruſſiæ.
11. *An ſcriptura chartæ recte cedat, & quid receptum.*

1 Acceſſio artificialis eſt, qua rebus noſtris, non tam ex ſui natura, quam ex humano labore, &
induſtria aliquid accedit: diciturque ſpecificatio, qua quis ex aliena materia novam ſpeciem
confert, ut, ſi quis ex alienis uvis, olivis, aut ſpicis, vinum, oleum, aut frumentum fecerit, ex
alieno auro, argento, vel ære vas aliquod fecerit, vel ex alieno vino & melle mulſum, ex alienis
medicamentis emplaſtrum vel collytium, ex aliena lana veſtimentum, vel ex alienis tabulis navem,
vel armarium, vel ſubellia fecerit; vel partim ex ſuo & partim ex alieno ejuſmodi aliquid confecerit:
Sabinus & Caſſius dominium ejus eſſe volebant, qui materiæ dominus eſt, Proculus &
Netva ejus, qui ſpeciem fecerit: Quod poſt longam altercarionem, cum temperamento eſt
2 receptum: Sic ut Sabinianorum ſententia verior obtinuerit, ſi ſpecies facta ad priorem ſuam
materiam reduci potuerit; ſi non potuerit, Proculi. *l. 7. §. 7. ff. De acq. rer. domin. & §. 25.
Inſtit. de Rer. diviſ.* Quo jure etiamnum utimur, magiſque naturale eſt: ut in hac quæſtione;
utrum ſpecificatio facta ſit, & res quæ antea alterius fuerit, per ſpecificationem dominii ſui
naturam mutaverit, atque ita quaſi nullius facto occupanti concedatur? ſemper inſpiciatur utrum
res extincta fuerit, nec ne; nam ſi manente materia, forma tantum externa mutetur, atque id
quod factum eſt ad priorem & eudem materiam reduci poſſit, ratio naturalis non patitur, ut
dicamus ipſam tem dominii ſui naturam mutaſſe? ſed potius vires & conditionem materiæ, ut
potentioris exiſtentiæ, ſequi. *per l. 24. ff. De acquir. rer. domin. & l. 78. §. illud fortaſſe, ff. De
legat.* 3. neque hæc proprie loquendo ſpecificatio dici poteſt: Si vero materia ipſa penitus, aut
in aliqua ſui natura mutata, aut conſumpta ſit, ſic ut ad priſtinam exiſtentiam & rudem formam
reverti non poſſit, nulla materiæ, quæ eſſe deſiit, aut prioris domini, qui ad hanc novam
ſpeciem nihil contulit, ratio haberi poteſt: *l. 27. §. 1. ff. De Acq. rer domin.* ſed novæ duntaxat
ſpeciei, cujuſque facto ea res in rerum natura eſſe cœpit. *l. 3. §. 21. ff. De Acq. poſſ.* eſtque hæc
proprie dicta ſpecificatio, quaſi nova facta ſpecies. Exempla ex uſu noſtro extendit Grot.
Introd. lib. 2. cap. 8. in pr. ſibi (ut videtur) contrarius in tract. ſuo de Jure belli *lib. 2. cap. 8.*
3 *num.* 19. Ubi Conani ſententia *lib. 3. Commentar. 6.* motus, ſpeciem novam indiſtincte inter
priorem dominum, & ſpecificatorem, ſicut confuſis materiis, pro rata ejus pretii, quod uniuſcujuſque
fuit, communicandam cenſet, ideoque hoc unum videri, pluſne ſit pretii in opere, an
in materia, & quod pluris ſit illud prævalentia ſua, quod minus eſt, ad ſe trahat. Cujus opinionis
tamen rationem nullam video, nedum aſſequor, cur, citra neceſſitatem, diſcordioſa aut coacta
communio inducatur, aut quomodo ex ſola pretii, operiſve conſideratione, de dominii jure &
diſcreta rerum proprietate judicetur: cujus hac in re ulterior conſideratio admitti non poteſt,
quam ut ratione ejus is, cui propter mutatam rei exiſtentiam dominium, aut proprietas aſſignatur,
alteri de reſtituendo pretio operis, aut materiæ ſuæ amiſſæ, boni viri arbitrio teneatur: ſic
ut is, qui eo modo rem aliquam acquirit, teneatur domino rei pretium reſtituere *arg. l. 14. ff. de
Cond. indeb.* ne ſc. cum alterius jactura locupletetur.

4 Hujus acceſſionis duo ſunt genera, confuſio, ſive commixtio, & conjunctio: quarum hæc ſolidorum, illa corporum liquidorum eſt.

5 Confuſio eſt, cum corpora liquida, aut liquefacta, ita miſcentur, & confunduntur, ut una ingrediatur alteram, & viciſſim alterius partem in ſe recipiat, unde exiſtit totius corporis, quod ex confuſione fit, conſolidatio.

Hæc eſt aut ejuſdem, aut diverſi generis. Alia iterum quæ, mutua dominorum voluntare & ſcientia, alia quæ fortuito, aut altero dominorum ignorante facta eſt.

Quarum illa, quæ ejuſdem generis, (veluti ſi vinum cum vino, oleum cum oleo confundatur) 6 quia novam ſpeciem non efficit, licet deduci non poſſit, pro rata cujuſque patris, aut materiæ quæ cujuſque ante confuſionem fuit, pro indiviſo, puta pro dimidio, aut tertio, communionem conſtituit: in quo & pretii ratio habetur, ſi unius pars melior aut precioſior fuit. *l. 3. §. ult. l. 4. l. 5. ff. De rei vindicat.* Hæc autem quæ dominorum voluntate facta eſt, inter eos communis ſit neceſſe eſt, quorum conſenſu, & voluntate materiæ confuſæ ſunt.

Sed hæc, ſive ex certa ſcientia, & voluntate dominorum, ſive fortuito caſu facta ſit, ad ſpecificationem proprie non pertinet: Hæc, quia eam communionem ipſa rerum confuſio non inducit, ſed mutua dominorum voluntas, res ſuas confundendo communicantium: illa, quia novam & diverſam à priore ſpeciem non efficit, quam omnino requiri ſupra diximus, quæ propterea perperam, & ad rem parum aut nihil pertinentia, à Triboniano *§. 27. Inſtit. de Rer. diviſ.* inſerta videntur.

Confuſio igitur liquidorum diverſi generis, fortuito aut alterutro dominorum invito, aut 7 ignorante facta (quæ ſolum huc pertinet, quia novam ſpeciem conſtituere videtur) jure ſpecificationis tota erit ejus, qui eam fecit, ſi res confuſæ deduci, & ſeparari non poſſint; ſi poſſint, ſuum cujuſque manebit, juxta diſtinctionem ſupra factam, *l. 5. §. 1. ff. de rei vindic. l. 12. §. 1. ff. de acq. rer. domin.*

Commixtio ſive conjunctio eſt, quum res ita commiſcentur, ſive conjunguntur, ut inter ſe mixtæ cohæreant, diſcreta tamen manente earem ſubſtantia, cujus ſpecies ſunt tot, quot modis res ſolidæ, ex materia aliena cum noſtra juncta ſpeciem novam conſtituunt, ſive ita res alienæ rebus noſtris junctæ cohæreant, ut ſint additamentum, aut ornamentum, rei noſtræ; ut ſi quis alienam purpuram veſtimento ſuo intexuerit, *§. 26. Inſtit. de Rer. diviſ. l. 7. §. 2. ff. ad exhib.* aut ſi pes aut manus jungatur ſtatuæ, anſa ſcypho, gemma includatur auro; *l. 23. §. 2. & 5. ff. de Rei vind. l. 26. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. l. 13. §. 15. ff. de Aur. arg. legat.* ſive ita, ut rebus quaſi baſibus innitantur, veluti quæ in ſolo noſtro ædificantur, plantantur, ſeruntur, & in chartis noſtris, aut tabulis ſcribuntur, aut pinguntur. De quibus *§. 29. 30. & ſeqq. Inſtit. de Rer. diviſ.*

Quæ etiam in duo genera diſtinguuntur, unum earum rerum quæ ſic aliis junguntur, ut junctæ nihil amplius habeant quam additamentum, aut ornamentum quod ſeparari & diduci poteſt, 8 ut eſt, pes ſtatuæ adjunctus, clavus purpuræ, ſegmentum, fimbria, lacinia, limbus aureus, veſtimento ornatus cauſa additus quæ quidem acceſſionis vice veſtimento cedunt; ſed quiſque dominorum portionem ſuam vindicare poteſt, ut ſuum cuique præſtetur. *§. 26. Inſtit. de Rer. diviſ. l. 7. §. 2. ff. ad exhibendum, l. 23. §. 5. ff. de Rei vind.* niſi ea ſine manifeſto ejus, qui adjunxit, damno ſeparari non poſſit, quo caſu pretium offerens bonæ fidei poſſeſſor audiri debet: Sed nec illa ſpecies, quæ acceſſionis vice duntaxat fungitur, proprie ad ſpecificationem pertinet, vix enim eſt ut novam ſpeciem conſtituat. Ut recte Arnold. Vinn. *ad §. 26. Inſt. de Rer. diviſ. verſ. acceſſionis vice*: contra Goed. *ad l. 14. ff. de Verb. Signific.*

Alterum earum eſt quæ ſic aliis junguntur ut in his tanquam in ſubjecto ſubſiſtant, ac ſine his eſſe non poſſint; ut ſunt alieno ſolo ædificata, plantata, ſata, alienis chartis, aut tabulis ſcripta, aut picta, & ſimilia, quæ proprie ad ſpecificationem pertinent, quum & quodammodo novam efficiant, & ad priorem materiam ſine ejus interitu diduci non poſſint.

Hæc, & quæcunque aliis juncta, ſive adjecta, acceſſionis loco cedunt, eaque, quamdiu cohærent, vindicare dominus non poteſt, ſed ad exhibendum ut ſeparentur, aut ſi ſeparari commode non poſſint, ad pretii refuſionem agere. *l. 6. & l. 7. §. 2. ff. ad exhibendum, & d. l. 23. §. 5. ff. de Rei vindic. l. 7. §. 10. ff. de Acquir. rer. domin.*

Sed quum de iis, quæ per conjunctionem rebus noſtris accedunt, deque earundem ſeparatione, vindicatione, aut de pretii, materiæ, aliiſque impenſis conſequendis, quæritur: non eadem 9 omnium eſt ratio; ſed alia ejus qui bona fide, dum ſuum putat, quid rebus ſuis, aut ſua alienis adjunxit, quod ſalvo ſubjecto ſeparari non poteſt; qui aut injuncta pretii reſtitutione totius rei dominium acquirit, aut ei, contra eum cui res aut materia ſua per acceſſionem cedit, juſta æſtimatione eſt conſultum.

Alia iterum eſt ejus, qui ſciens prudens aliena ſuis, aut ſua alienis conjunxit: quem proprietatem materiæ ſuæ quaſi propria voluntate & ſua culpa, amittere volunt, ſi alteri per acceſſionem cedat; ſin minus contra eum furti actionem, & condictionem furtivam dari, *§. 26. & §. 30. Inſtit. de Rer. diviſ.*

10 Quæ diſtinctio tamen moribus vix obtinet, quibus contra *d. §. 30. Inſtit. de Rer. diviſ.* is qui ſciens in alieno ſolo ædificavit, nec pretium materiæ, nec fabrorum mercedes amittit, ſed quaſcunque utiles impenſas, non modo per exceptionem retinere, verum etiam per actionem petere poteſt, Zypæ. *Notit. Jur. Belg. tit. de Rei vindicat. & acq. rer. domin.* Quod & Galliæ moribus ſuo modo obtinere teſtatur Groeneweg. *de leg. abrog. ad d. §. 30. Inſtit. de Rer. diviſ.* Quod & à jure civili haud eſſe alienum defendit Cyprian. Regner. *diſput. ad d. §. 30.* Jure Saxonico bonæ fidei poſſeſſorem, ædificia quæ pro utilitate prædii ædificavit, auferre poſſe, niſi proprietarius ad juſtam æſtimationem peritorum ea redimere velit, refert Georg. Schultz *ad d. §. 30. litt. bb.* Quod de ædificiis ligneis, quæ ſine magno incommodo rurſus tolli poſſunt, & diſſolvi, intelligi velim, quæ in iſtis regionibus frequentiora ſunt: Cæterum de iis ædificiis, quæ ex muro conſtant, nec facile tolli poſſunt, Jus ſcriptum obtinere, nemo eſt qui negat; Quemadmodum expreſſis verbis diſtinguit Jus Provinciale Pruſſiæ *lib. 3. tit. 1. art. 7. §. 4.*

11 Ut ædificata, plantæ, & ſata ſolo cedunt, *d. §. 30. & ſeqq. Inſtit. de Rer. diviſ.* ita etiam ſcriptura chartæ cedit, *§. 33. Inſtit. eod. l. 9. §. 1. ff. de Acq. rer. domin. l. 3. §. pen. ff. de exhib.* Quod utrum bene conſtitutum, fruſtra diſputat Hottomann. *eod.* quem ſequitur Cyprian. Regner. *ibid. & ad §. 27. Inſtit. eod.* Quamvis enim hoc durum ſit, lex ita ſcripta eſt *arg. l. 12. §. 1. ff. qui & à quibus manumiſſi.* Ut ut ſit, moribus illud jus mutatum eſt, & quemadmodum tabula picturæ, propter pretium, & artis excellentiam *§. 34. Inſtit. de Rer. diviſ.* ita etiam charta ſcripturæ cedit, eamque ſcriptura per prævalentiam ad ſe trahit, Grot. *Introd. lib. 2. cap. 8.* Georg. Schultz *ad d. §. 35. Inſtit. de Rer. diviſ. litt. ll.* Mynſinger. *eod.* Fons pract. des cours *eod.*

Cap. VI.

De Fructuum Perceptione.

Summaria.

1. *Fructuum perceptio quid.*
2. *Quando, & qui fructus nobis pro cultura, & cura cedant.*
3. *Quid moribus obtineat hic, in Gallia, & Saxonia.*
4. *An & quatenus inter titulum oneroſum aut lucrativum diſtinguendum ſit? Et quid uſu obtineat.*

Mixta acceſſio eſt, quæ induſtria & labore hominum, occaſione rei alienæ, bona fide poſ-
1 ſeſſæ, nobis acquiritur: quo in numero eſt fructuum perceptio. Sola enim perceptione, &
ſeparatione rei, nobis cedunt fructus rei alienæ, à nobis bona fide poſſeſſæ, pro cultura & cura:
2 *§. 35. Inſtit. de Rer. diviſ. l. 48. ff. de Acquir. rer. domin.* Nulla diſtinctione facta, cujus condi-
tionis fructus ſint, tam naturales, quam induſtriales: Ut ex generalitate textuum recte defendit
Arnold. Vinn. *ad d. §. 35. Inſtit. num. 7.*

3 Quod & uſus probat, teſte Rebuff. *ad conſtit. reg de fructib. art. 1.* Sande *lib. 5. tit. 15. defin. 1.* Joann. Schneiduin. *ad d. §. 35. num. 5.* quo non tantum fructus conſumptos, ſed etiam exſtantes, & nondum conſumptos, ante litis conteſtationem, ſuos facit bonæ fidei poſſeſſor, nec alios reſtituit, quam poſt judicium inchoatum perceptos. Quomodo ubique in judiciis uſu ſervari teſtatur Pinell. *ad l. 2. Cod. de Reſcind. vendit. part. 2. cap. 4. num. 60.* eoque reſtringi formam *l. 22. Cod. de Rei vindic.* Quod probat Tulden. *in not. ad prax.* Damhouder. *cap. 104. num. 13.* Sic ut bonæ fidei poſſeſſor, in perceptione fructuum per omnia ſimilis ſit fructuario. Ut recte de uſu & moribus noſtris teſtatur Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 6.*

Sed & Jure Saxonico, in fructibus induſtrialibus hoc peculiariter ſtatutum eſt, ut in his tantum culturæ ratio habeatur, ut modo ager ſit ſatus, & raſtris ſubactus, fructus inde provenientes, etiam nondum exſtantes, nedum perceptos exſtantes, ſuos faciat bonæ fidei poſſeſſor, & uſufructuarius, ſi poſt ſementem factam, & raſtris ſubactam deceſſerit, eos ad heredes tranſmittat, referente Georg. Schultz *ad d. §. 35. Inſtit. litt. nn.*

4 Nihil quoque intereſſe hac in re volunt interpretes, quo titulo quis poſſideat, oneroſo an lucrativo, eo quod is qui cauſa donationis rem accepit, à Juſtiniano *in d. §. 35.* cum emptore exæquetur. Quod, ſi ad uſum referamus, cum temperamento accipiendum eſſe arbitror; Ut is qui rem alienam bona fide ex titulo oneroſo, veluti, ex empto, poſſidet,

omnes omnino fructus non tantum conſumptos, ſed & adhuc exſtantes, & nondum conſumptos indiſtincte ſuos faciat, ſive iis locupletior factus ſit, ſive non: ut modo in praxi obtinere diximus.

Si vero ex titulo lucrativo quis rem alienam poſſideat, licet bona fide ſuam putaverit, eum fructus quidem ſuos facere pro cultura & cura, attamen ad reſtitutionem eorum teneri, quibus, & quatenus deductis omnibus impenſis, & meliorationibus, juſta compenſatione facta, ficret locupletior: quo facit text. *l. 48. ff. de Rei vindicat.* Ubi Papinianus ſuper prædio donato reſpondet: fructus perceptos, pro modo concurrentis quantitatis compenſari cum ſumptibus. Quod & ex jure naturæ eſſe notat Grot. *De Jure Belli lib. 2. cap. 8. num. 23.*

Quod tamen probe diſtinguendum eſt, ut tantum locum habeat in bonæ fidei poſſeſſore: cæterum malæ fidei poſſeſſor, non tantum fructus exſtantes; ſed etiam perceptos, coſque quos diligens paterfamilias percipere potuiſſet, cum ipſa re reſtituere tenetur, deductis ſolum impenſis neceſſariis. *d. §. 35. Inſtit. de Rer. diviſ. l. 22. Cod. de Rei vindic. l. 3. Cod. de condict. ex lege, junct. §. 2. Inſtit. de Officio Judicis. l. 62. §. 1. ff. de Rei vindicat. l. 12. ff. quod met. cauſ.*

Cap. VII.

De Acquirendi modo per traditionem.

Summaria.

1. *Traditio quid ſit.*
2. *Rerum mobilium traditio quomodo fiat.*
3. *Immobilium rerum traditio quæ.*
4. *Acquirendi dominii modus per traditionem in quibus à reliquis differat.*
5. *Ex cauſa emptionis quomodo & quando dominium tranſeat.*
6. *Fides de pretio emptori habita quando cenſeatur.* in Hollandia *remiſſive.*
7. *Rei immobilis vendita, permutata, & tradenda aut alienanda ſolemnitas in* Belgio, *&* Saxonia.

Ultimus acquirendi dominii modus eſt traditio, eſtque juſta dominii voluntate domini tranſlatio: Dominium enim rei alienæ, citra actualem traditionem, nudis & ſolis pactis non transfertur. *l. 40. Cod. de pact. l. 50. ff. de Rei vindicat.* quia nemo facto rem alterius acquirit, niſi poteſtati ſuæ ita ſubjiciatur, ut eam acquirere poſſit *arg. l. 1. §. 1. ff. de Acquir. poſſeſſ.* 1

Mobilium quidem de manu in manum tranſlatio eſt, vel vera & actualis, quæ naturalis datio appellatur *l. 8. ff. de pecul.* vel ficta, quæ commoditatis cauſa, per brevis manus fictionem fit, ut, ſi quis rem tibi commodavit, poſtea aut vendidit, aut donavit tibi: illa, eo ipſo quod tuam eſſe patiatur, ſtatim tibi acquiritur *§. 44. Inſt. de Rer. diviſ.* Quomodo etiam mercium in horreo depoſitarum dominium per ſolam clavium traditionem acquiritur. *§. 45. Inſtit. eod.* 2

Immobilium vero vacuæ & plenæ poſſeſſionis inductio requiritur *l. 8. Cod. de Action. empt. l. 47. ff. de Rei vind. l. 78. §. 1. ff. de Contrab. empt.* Ut late Vinn. *ad §. 40. Inſtit. de Rer. diviſ. num. 2.* Weſenb. *in parat. ff. de Contrab. empt. num. 13.* Mynſinger. *Cent. 1. obſerv. 53.* quæ itidem ficto modo, & ſymbolica quaſi traditione fieri conſuevit. *l. 1. §. 21. ff. de Acq. vel amitt. poſſeſſ.* exemplum eſt *in l. 18. §. 2. ff. eod.* 3

Differt hic dominii acquirendi modus à ſuperioribus, quod hic ſit rei noſtræ in alium tranſlatio ex cauſa, puta emptionis, permutationis, donationis, aut alterius: cui non ſufficit ſola rei apprehenſio, niſi & voluntate domini tradita & tranſlata ſit. *l. 31. ff. de acq. rer. domin.* Superiores autem acquirendi dominii modi earum rerum ſunt, quæ nullius ſunt, & per ſolam apprehenſionem alicujus fieri poſſunt, citra alterius injuriam. 4

Quoad traditionem ex cauſa emptionis, dominium non tranſit per ſolam traditionem, niſi quoque pretium rei emptæ venditori ſit ſolutum, vel alio modo ei ſatisfactum ſit, quouſque venditor rei ſuæ venditæ & traditæ dominus manet, & proprietatem retinet, niſi fidem emptoris fuerit ſecutus, quo ipſo ſtatim & per ſolam traditionem res emptori acquiritur, *§. 41. Inſtit. de Acquir. rer. dom. l. 19. ff. de Contrab. empt. l. 5. §. 18. ff de Tribut act.* Quod quum arbitrarium ſit, & in facto dubio ſæpe conſiſtat, quando ſc. emptoris fides ſecuta videatur: adeoque venditores rem nulla ſolutionis die adjecta venditam, & traditam etiam poſt longum tempus, in fraudem alio- 5

aliorum creditorum, ſæpe ſibi vindicent: eo quod in omnibus obligationibus, ubi dies non apponitur, præſenti die debeatur. *l. 14. ff. de Reg. Jur.* in dubio venditor fidem emptoris ſecutus non videtur: Arnold. Vinn. *ad d. §. 41. Inſtit. de rer. diviſ. num.* 3. multorum locorum ſtatutis in Hollandia nuperrime determinatum eſt certum tempus, ultra quod venditor rem venditam & citra pretii annumerationem traditam, rei vindicatione uti non poteſt: ſed per temporis lapſum, emptori pleniſſime fidem de pretio habuiſſe cenſetur. Ut latius infra *de Emptione & Venditione.*

6 Rei immobilis venditæ, permutatæ, aut alio quovis modo alienandæ, moribus noſtris, traditio fieri debet coram judice loci quo res ſita eſt, ſi allodialis ſit, aut curiæ paribus, ſi feudalis ſit. Carol. V. *edict.* 9. *Maji* 1529. Vid. Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 5. verſ.* **Maar ontilbaar goed.** Chriſtin. *vol. 1. deciſ.* 240. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de Rei vindicat.* Quibus in Hollandia *Placit. 22. Decemb.* 1598. noviſſime addita, quadrageſimæ pretii partis ærario publico, ſub nullitatis pœna, ſolvendæ neceſſitas. Vid. **Placc. van den** 40. **Penning.** Quod & cum Jure Saxonico convenit, quo abſque judiciali ceſſione, & reſignatione, ſive abdicatione, dominium quoque in emptorem tranſire nequit: per ea quæ tradit Georg. Schultz *ad d. §. 41. Inſtit.*
7 *de Rer. diviſ. litt. oo.* & Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 39. defin. ultim.* Exceptis alienationibus rerum, quæ titulo univerſali, puta hereditatis, legati, dotis, legalis communionis, aut familiæ erciſcundæ nomine nobis acquiruntur, in quibus ipſo jure, etiam abſque traditione dominium tranſit. Vid. Neoſtad. *ſupr. Holland. curia deciſ.* 8. Zyp. *Notit. Jur. Belg. d. loco.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ.* 362. Gutierez *lib. 2. practicabil. quaſt.* 118. *num.* 5.

Cap. VIII.

De Traditione ex cauſa Donationis, ejuſque Inſinuatione.

Summaria.

1. *Donatio traditionis neceſſitatem habet.*
2. *Donatio quid ſit.*
3. *Quotuplex.*
4. *Traditionis ex cauſa donationis ſolennitas.*
5. *Inſinuatio donationis majoris ſumma an & quatenus neceſſaria.*
6. *An & quatenus moribus obtineat*, in Hiſpania, Gallia, Germania, Ducatu Pruſſiæ *&* Belgio.
7. *Quid Juris* in Hollandia, *viciniſque Provinciis.*
8. *Inſinuatio donationis quomodo hodie fiat, & an coram Tabellione & duobus teſtibus?* Affirm. *&* num. 10.
9. *Quomodo intelligenda ſit clauſula*: geſtis, aut actis intervenientibus.
10. *Inſinuationes donationum majorum hodie coram Notario & duobus teſtibus fieri ſufficit.*
11. *Qua ſit vera aurei, ſive ſolidi Romani æſtimatio.*
12. *Conciliatio* l. 27. & 32. ff. *De Donationibus.*
13. *Interpretatio l. 2.* Cod. *De Veter. Numiſmat. poteſt.*
14. *Quantum valeat ære noſtro ſolidus, ſive aureus Romanus.*
15. *An & quatenus donatio omnium bonorum ſubſiſtat? præſentium ſcilicet: non futurorum, aut præſentium & futurorum.*
16. *An & quando infirmari aut revocari poſſit? per ſupervenientiam liberorum.*
17. *An remuneratoria aut reciproca.* Neg.
18. *An & quando per ingratitudinem? & an ob ſimiles vel graviores ingratitudinis cauſas, quam expreſſa in* l. ult. Cod. de revocand. donat. *Affirm. contra communes.*

1 SEd & ad exemplum venditionis, donatio voluntate domini facta, traditionis neceſſitatem in ſe habere videtur; ſic ut pacto, donationis cauſa facto, verbis in præſens conceptis (veluti; dono tibi centum aureos) eadem vis tribuatur, quam habet ſtipulatio, ut ex eo obligatio & actio naſcatur. *l. 35. §. ult. Cod. de donat. l. 6. Cod. de oblig. & act.* Inſtit. II. VII. Dig. XXXIX. V. Cod VIII. LV. *De Donationibus.*

2 Donatio eſt liberalis conceſſio rei, quæ nullo jure cogente in alium transfertur *l. 29. ff. de donat. l. 82. ff. de Reg. Jur.*

3 Alia eſt quæ mortis cauſa, *pr. Inſt. de Donat.* alia quæ inter vivos concipitur: quarum illa ultimis voluntatibus accedit, hæc acquirendi dominii, non modo; ſed cauſis annumeratur. *§. 40. Inſt. de Rer. diviſ.* Quatenus tamen traditioni ſubnixa eſt, etiam acquirendi dominii modus dici poteſt. *pr. Inſt. de Donat.*

Cod VIII. LV. De Donat. quæ ſub modo.

Alia iterum eſt, quæ ſimpliciter & abſolute, alia quæ ſub certa cauſa, modo, aut conditione fit.
l. 1. ff. de donat. l. 1. & tot. tit. Cod. de donat. quæ ſub mod. Quæ ſi ſub modo ſit facta, poteſt do-
nans, ſi non impleatur modus, rem vindicare à donatario, vel alio quovis poſſeſſore. *l. 1. Cod. de
donat. quæ ſub mod.* & recte revocatur, ſi conditio adjecta, non fuerit impleta. *l. fin. Cod. de re-
vocand. donat.* Quomodo, quod in ſpem matrimonii non ſecuti donatum fuerit, recte revocabitur.
arg. l. 1. §. 1. ff. de donat. §. 3. Inſtit. eod. Grot. *Introd. lib. 3. cap. 2. verſ.* 't Sunt geſchonken.
Mart. *Digeſt. Noviſſ. tom. 3. tit. Donatio propter nuptias, cap.* 8. quæ alias ſimpliciter, nec conditio-
naliter data, non revocaretur. Sub qua diſtinctione intellige, quæ habet Carpzov. *defin. Forenſ.
part. 3. conſtit. 19. defin. 13. 15.*

Donatio requirit acceptilationem ejus in quem donatio confertur *l. 10. l. 26. ff. de donat.* per 4
ſe aut per alios ſuo nomine *l. 4. ff. eod.* etiam inter abſentes per epiſtolam. *l. 10. ff. & l. 6. Cod.
eod.* ſufficitque moribus noſtris acceptilatio per notarium aliumve abſentis nomine facta. Jul.
Clar. *§. Donatio quæſt. 13. num. 1. cum ſeq.* Mantic. *de Ambig. convent. lib. 13. tit. 8. num.* 8.
Chriſtin. *vol. 1. deciſ.* 86. *num.* 7. 8. *& deciſ.* 185. *num.* 66. Joann. à Sande *lib. 5. tit. 1. defin. 1.*
Quæ ſimulac facta ſit, donatorem ad rei donatæ traditionem conſtringit. *l. 3. ff. de oblig. & act.
l. 6. Cod. eod.* junct. *l. 35. §. ult. Cod. de donat.*

Quod ad traditionis neceſſitatem: eadem mobilium, & immobilium circa traditionem & do- 5
minii tranſlationem diſtinctio eſt, quæ venditionis, permutationis, alteriuſve alienationis, quam
modo diximus; ſcilicet ut mobilium ſola & ſimplici domini donatoris traditione, & donatoris ac-
ceptilatione dominium acquiratur: immobilium vero, non niſi coram magiſtratu loci ubi res ſita.
Ut de Jure Saxonico etiam diſtinguit Benedict. Carpzov. *defin. forenſ. part. 2. conſtit. 12. defin. 19.
& Reſp. Jur. Elect. lib. 5. tit. 7. Reſp.* 57.

Hoc inſuper addito, ut nec donatio majoris pecuniæ ſummæ alteriuſve rei mobilis, per ſolam
traditionem domini donantis ſubſiſtat: niſi & illa actis publicis intervenientibus coram magiſtra-
tu, aut judice alicujus loci ordinario, ſolemniter inſinuetur. *§. 2. Inſtit. de Donationib. l. 27. l. 32.
Cod. de donat.* Ne ſcilicet quis re ſua abutatur, & omnis ſuſpicio fraudis, falſitatiſque tollatur,
falſiſque probationum modis occurratur. *d. ll.* Quod primo ad donationes uſque ad trecentos
ſolidos cumulatas. *l. 34. Cod. de donation.* poſtmodo ad quingentorum ſolidorum, ſive aureorum
ſummam coarctatum eſt, *l. pen. Cod. eod.* Ut illæ tantum, quæ eam ſummam excederent, pu-
blicis indigerent monumentis.

Non tota tamen donatio per inſinuationis omiſſionem vitiatur, ſed illud tantum quod ſuper-
fluum eſt, & legitimam ſummam quingentorum ſolidorum excedit. *d. l. 34. in pr. 35. §. 3.
in fin. Cod. de donat. l. 21. §. 1. ff. eod. Novell.* 162. *cap. 1. §. Illud etiam.* Quia in dividuis utile
per inutile vitiari non poteſt. *cap. Utile. 37. De Reg. Jur. in 6. l. 56. §. 1. in verb. Supervacua.*
ubi Gloſſ. *ff. de Verbor. obligat.* Vide Jul. Clar. *l. 3. ſententiar. §. donatio. quæſt.* 17. *num.* 2.
Andr. Gail *lib. 2. obſ. 5. num.* 8.

Quæ ſolennis inſinuatio, utrum moribus obtineat, & quid, quantumve ære noſtro valuerit 6
aureus Romanorum ſolidus? inter DD. vix convenit. In Hiſpania dictam inſinuationem etiam-
num obſervari teſtantur Gomez. *Variar. reſolut. tom. 2. cap. 4. num. 6.* & Gutierez *de Jurament.
part. 1. cap. 7. num. 1.* ibique exſtat conſtitutio Caroli V. à Philippo II. edicto perpetuo con-
firmata, qua perpetuo obſervari voluit donationes, ſummam 500. aureorum excedentes, inſi-
nuationis oneri ſubjacere, eamque fieri debere coram judice ſupremo loci, ubi res donatæ ſitæ
ſunt, vel degunt donantes. Perez. *ad Cod. de Donationib. num. 36. in fin.* Idem obtinet in Friſia,
ubi jus ſcriptum ſtrictius quam alibi ſervant, referente Joann. à Sande *lib. 5. tit. 1. defin. 3. in fin.*
In Gallia, omnes donationes rerum quæ non ſtatim de manu in manum tranſeunt, aut pecunia nu-
merata præſente ſolvuntur, indiſtincte quantæ & quales fuerint, coram judice ordinario actis
publicis inſinuari debent: quod niſi fiat, intra quatuor à donatione facta menſes, nulla ex iis actio,
aut obligatio competit. Georg. Tholoſ. *Syntagm. Jur. Univerſ. lib. 28. tit. 13. num. 17.* Bugnon.
de legib. abrogat. lib. 2. ſect. 171. & lib. 5. ſect. 53. Autumn. *ad l. 28. Cod. de donat.* Guidon.
Pap. *quæſt.* 325. *num.* 3. Et in Germania, Jure Saxonico donationes quingentorum aureorum
Ungaricorum, ſive ducatorum, extra judicium abſque inſinuatione, & confirmatione judicis, haud
recte donari tradit Carpzov. *Reſponſor. Jur. Electoral. lib. 5. tit. 7. Reſponſ.* 56. Joann. Schnei-
duin. *ad tit. Inſtit. de Donationib. num.* 41. Ubi, ita quotidie pronunciari teſtatur. Jure provincia-
li ducatus Pruſſiæ *lib. 4. tit. 14. art. 2. §. 5.* cavetur: ut ſi quis ultra quingentos florenos Polo-
nicos donaverit alicui, non valeat donatio: niſi coram judice una cum cauſa exercitæ liberalitatis
actis publicis inſinuetur. In Flandria, Brabantia, & reliqua Belgii parte, quæ regi Hiſpaniarum
paret,

paret, ſpectatur quantitas 300. aureorum, olim à jure præſcripta, & ſi eam res donata excedat, ſolummodo requiritur, ut coram Notario fiat, vel in ſcriptis propria manu ſignatis, aut coram aliis publicis perſonis, referente Anton. Perez. *ad Cod. lib. 8. tit. 54. num. 36.* Et Antwerpiæ conſuetudine *tit. 53. art. 4.* expreſſe cautum reperitur, ejuſmodi donationes, inter divites abſque ulla inſinuatione valere.

Quid porro de Hollandiæ, vicinarumque regionum moribus, quibus nulla lex, aut certa conſuetudo hac de re exſtat, ſit judicandum, altius nobis venit inquirendum. Quod Hollandiæ conſtitutionibus aut Statutis hac de re nihil cautum ſit, teſtatur Grot. *Introd. lib. 3. cap. 2. §.* **Maar om de overdadige** / *verb.* **Waar van ik in onſer Lands Wetten niet en vinde.** Qui quum tunc temporis quum illa ſcriberet, ſuper praxi, & uſu circa hanc rem noſtro, apud verſatiſſimos Curiæ noſtræ Advocatos inquireret, eoſque inter ſe minime convenire, ſed eorum alios Jus ſcriptum hac in parte ſequendum, alios vero mores ex diſſuetudine contrarios exiſtimantes, reprehenderet, (ut mihi pro certo relatum) judicium ſuum, quod utinam declaraſſet, etiam ſuſpendiſſe videtur vir prudentiſſimus. Groenewegen *de legib. abrogat. ad tit. Inſtit. de Donationib.* Inſinuationes donationum juſtam ſummam excedentium, moribus obſervandas putat: eo quod nulla certa lex, aut conſuetudo directe contraria inveniatur. *arg. l. 27. Cod. de Teſtam.* Unde Regula vulgaris: quod legibus patriis, aut contraria conſuetudine mutatum non eſt, id ſtare non prohibetur.

8 Sed ex his nondum liquet, quomodo iſtæ inſinuationes fieri debeant. Quicquid ſit, illud pro
certo affirmare auſim: ſecundum mores, & conſuetudines harum regionum, cum veteri donationum inſinuatione collatas, ejuſmodi donationes coram Notario, & duobus teſtibus rite fieri, & ſubſiſtere, nec ulteriorem inſinuationem deſiderari. Quo adducimus, quod & ipſo Jure Romano, circa, & poſt ioſinuationum tempora, publica inſtrumenta abſque ulla prælatione bifariam conficiebantur, aut apud acta, id eſt coram Judice Ordinario *l. 1. 2. Cod. de his qui in Eccleſ. manumitt. l. 2. Cod. de teſtam.* Bald. *in Rubric. Cod. de fide inſtrument.* aut coram Tabellione, ſive Notario publico: quod iterum in judicio, & judice ordinario loco teſtium ſubſcribente, aut extra judicium coram teſtibus fide dignis fiebat. *l. geſta 6. Cod. de Re Judicat.* Sub illa diſtinctione, ut actorum inſtrumenta alia per tabellionem non niſi coram Judice Ordinario, alia vero indiſtincte tam apud acta quam extra judicium confici potuerint, quo in numero, inter cætera, etiam Tabellionibus ſub pœna nullitatis prohibitum erat, donationum, dictam ſummam 500. aureorum excedentium, inſtrumenta publica conficere extra judicium, & abſque ſolenni inſinuatione, coram judice ordinario facienda, ſecundum *l. 32. Cod. de Donationib.* Nuſquam autem legitur, inſinuationes iſtarum donationum, privative apud acta inſinuari debuiſſe, ſic ut Tabellionibus earum inſtrumentis conficiendis penitus fuiſſet interdictum. Ita *in l. 34. Cod. eod.* dicitur: omnem donationem infra 300. ſolidos non indigere monumentis, id eſt publico inſtrumento. Quod
9 *in l. pen. §. ult. Cod. eod.* (Ubi eam quantitatem extendit Imperator ad 500. ſolidos) vocat: *geſtis intervenientibus*; & *in §. 2. Inſtit. de Donationib.* illudque idem refert: quod retro Principum diſpoſitiones inſinuari eas, *actis intervenientibus*, voluerint. Quomodo ab interpretibus promiſcue ſumitur, in acta referri, id eſt, litteris publicis conſignari, publico inſtrumento corroborari. Quo poſito, ſequitur: ut quum in tantum à Romani Juris obſervatione hac in parte receſſerimus,
10 ut Tabellionibus noſtris omnia publica inſtrumenta, coram duobus teſtibus conficere permittatur, proque publicis inſtrumentis, omni meliori modo confectis agnoſcantur: quicquid ab his ita rite perficitur, etiam donationes, licet dictam ſummam excedentes, coram Notario & duobus teſtibus efficaciter fieri. Sic ut judicialia inſtrumenta in Hollandia pœne in diſſuetudinem abierint, in Geldria, Brabantia, & Flandria, indifferenter ſumantur: exceptis formalibus judiciorum, & immobilium tranſlationibus.

Sed quanti valuerit ſolidus, ſive Aureus Romanus, & quantam ſummam quingenti eorum no-
11 ſtro ære conficerent, ne hoc quidem inter DD. convenit. Inter quos vide Budæum de Aſſe *lib. 3. & 5.* Hottomann. *De re nummaria, cap. de nummis aureis*, Covarruv. *de Collat. Veter. Numiſmat. cap. 3.* Bodin. *de Repub. lib. 6. cap. 3.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 39.* Wurmſer. *practic. tit. 50. obſerv. 11.* Tuſch. *practicabil. concluſ. vol. 5. concluſ. 348. litt. m. num. 11.* Salicet. & alios DD. *ad l. ultim. Cod. ſi cert. pet.* Chriſtin. *volum. 4. deciſ. 188. num. 22.* Quos ad concordiam vocari poſſe exiſtimo; ſi modo Principes legiſlatores, & tempora conſtitutionum bene diſtinguamus. Hunc ſolidum, pro Romano centum ſeſtertiorum aureo paſſim ſumi, communis eſt doctrina; Ut *in l. 5. §. 6. ff. de his qui effuder. vel dejecer. l. pen. & ultim. ff. de in jus vocando. l. 47. ff. de Manumiſſ. teſtament.* Ante Conſtantini Magni tempora, primo ex poſtulatione legis

Cyn-

Cynthiæ, de qua Tacit. *Annal.* IX. honorarii Advocatorum modus ad dena ſeſtertia coarctatus eſt.
Quo facit *l.* 1. *§.* 12. *in fin. ff. de Extraord. cognit.* Ubi eadem quantitas ad centum aureos taxa- 12
tur. Dena enim ſeſteria, ſunt decem millia ſeſtertium, id eſt decem millia numinorum ſeſter-
tiorum, quorum milleni iterum decem aureos adæquabant, qui decies multiplicati eoſdem cen-
tum aureos conſtituunt. Quomodo etiam in *l. Papia*, centum millia ſeſtertium, eadem ſunt
quæ centena ſeſteria: ut pro mille ſeſteriis, unus aureus computetur: ſeſtertium enim in geniti-
vo plurali tot millia in eadem ſumma veteribus includit; ita intellige *§. 2. & §. 3. Inſtit. de Suc-
ceſſ. libert.* & *l. 4. §. 11. Cod. de bonis libert.* Cujus alias cum *d. l. 1. §. 12. in fin. de Extraord. co-
gnit.* pugna eſt. Et in pœnis æſtimandis Imp. Juſtinianus in *l. 25. §. ult. ff. ad Syllan.* popularem
actionem quam Paulus 3. *Sentent.* centum millia ſeſtertiorum fuiſſe docet, ad centum aureos redi-
git. Deinde & reliquæ donationes uſque ad certum modum tantum valebant; quo reſpiciunt
l. 11. & l. 20. §. 1. l. 24. de Donationib. Unde quoque petenda eſt ratio conciliationis. *l. 27. &
l. 32. ff. eod.* Is modus erat ducentorem ſolidorum. *§. 2. Inſtit. & l. 17. Cod. de Donationib.* Quod
mutatum Conſtantii, Conſtantini Magni Patris tempore. *arg. l. 1. Cod. Theodoſ. de Sponſalib.*
Atque hoc primum tempore, pauciores erant ſolidi, ſive aurei nummi, graviores pondere; quo-
Cod. XI. 2. *De Veter. Numiſmat. poteſtate.* rum quaterni unciam, XLVIII. auri libram efficiebant. Quod à Conſtantino Magno mutatum,
qui ſolidorum aureorumque pondus in tantum imminuit, numerumque adauxit, ut eorum
LXXXIV. libram effecerint, quorum ſeptem, quatuor ſcrupulorum, ſingulas uncias conficerent.
l. 1. Cod. Theodoſ. de ponderat. Unde deſumpta eſt *l. 1. Cod. Juſtin. eod.* Poſt Conſtantinum
Magnum, Valentinianus ſenior ipſum libræ pondus imminuit, & externam aureæ monetæ æſti-
mationem, ſeu valorem impoſititium adauxit: Ut eorum LXXII. ejuſdem ponderis, auri libram
conficerent: eorumque ſex in unciam accepto fieri voluit. *l. 13. Cod. Theodoſ. De Suſceptorib.*
Unde deſumpta *l. 5. Cod. Juſtin. eod.* Quo ſenſu etiam interpretanda eſt *l. 2. Cod. de Veter. Nu-* 13
miſmat. poteſtate, verba ſunt: *pro imminutione, qua in æſtimatione ſolidi tractatur.* Circa quæ no-
tandum, imminutionem, & æſtimationem de diverſis dici, non de eodem: quod Interpretes fe-
re omnes in errorem induxit, qui opinati ſunt, in ſpecie hujus legis imminutam eſſe aurei æſtima-
tionem externam. Quod erroneum eſt; non enim, dicitur æſtimationem ſolidi imminutam,
verum imminutionem factam in æſtimatione ſolidi: qua LXXII. ſolidi tantundem præſtarent,
quantum antea LXXX.

Hic, ſi Juſtinianeum ſpectes, ex ſexta uncia auri parte conſtabat, unde & ſextula nominata,
qui duodecies multiplicati LXXII. nummos efficiunt, aſſem ſive libram adæquantes. Horum ite-
rum ſinguli quatuor erant obolorum, ſeu ſcrupulorum, quorum XXIV. in auri unciam adſcendunt,
rurſumque ſinguli in ſex ſiliquas dividuntur, quarum XXIV. ipſum iterum ſolidum, ſive ſextam
unciæ partem efficiunt. Qui ut cum centum ſeſtertiorum computatione conveniat, ſeſtertius,
non ex ſpecie, aut valore externo taxari debet pro duobus & dimidio, ut primo, aut pro quatuor
aſſibus, ut deinde valuiſſe conſtat: ſed ex pondere & valore interno, qui quum eſſet ſexcenteſima
unciæ auri pars minutiſſima, in argenteam aut æneam ſpeciem tranſlata videtur.

Hæc ſi bene diſtinguantur, quid ære noſtro valeat aureus Romanus, docebit hodierna medici- 14
nalis, cum numerali pondere collatio: eo quod illud immutatum, nec ab antiqua nummorum
penſione diſcrepare, communis ſit doctrina. Hujus ponderis duplex differentia eſt: prima qui-
dem in ipſarum unciarum ponderis gravitate, altera in numero. Numerus quidem unciarum
à XII. ad XVI. uncias pro libræ pondo excrevit: Rurſus gravitatis alteram circiter unciam in
XVI. decrevit. Quod ut exemplo demonſtretur: ponamus auri unciam ad æſtimationem aurei
noſtri ducatus XLIV. circiter florenis communibus, ut nunc fere valet, taxari: pro numeri diffe-
rentia, quæ eſt inter medicinale pondus, diminutione facta à XVI. ad XII. uncias, demendus eſt
triens, ſive quarta pars, manebuntque circiter XXXIII. floreni: quibus iterum adde duodecimam,
ſive decimam tertiam unciæ partem alteram, qua hodiernæ unciæ numerales ad XII. leviores
ſunt, habebis circiter florenos XXXVI. currentes, qui in ſex ſextulas, quos ſolidos ſive aureos di-
ximus, diviſi, ſex florenos communes, ſextam veteris unciæ partem conſtituentes efficiunt. Qui
ſi iterum in centum ſeſtertios dividantur, eorum ſinguli non conſtabunt duabus noſtris blancis, ſi-
ve ſeſquiſtufero: ſed potius adæquabunt illum nummum, qui antiquitus, **een Braeſ-penning /**
nominabatur, quorum quinque octavam, viginti dimidiam thaleri imperialis partem faciunt. Qui
convenit cum ſiclo argenteo Hebræorum viginti obolos conſtituente. Adeoque ſolidus, ſive au-
reus Romanus non erit aureus Anglicus: Ut Bodinus *de Republica lib. 6. cap. 3.* æſtimat: neque
Aureus Hungaricus, ut vulgo eſt receptum; neque duorum Franciæ ſcutatorum, ſive coronato-
rum, ut eum noſtro ære taxat Grot. *flor. ſparſ. ad Jus Juſtinianeum, tit. de Donationib. in verb. ad*
quin-

Digitized by Google

quingentos ſolidos, & poſt Mornac. Groeneweg. *de legib. abrogat. ad l.* 5. *Cod. de Suſceptorib.* Sed coincidet fere cum æſtimatione duorum aureorem Hollandicorum, vulgo, **een Goud-gulden/** aut potius cum ſcutato Gallico antiquo (cujus in feudis antiquis Hollandicis crebra mentio, vulgo, **een ouden Vrankrijkſen Schilt**) ſextuplo majore communi noſtro aureo, ſive ducato, æſtimationis circiter ſex florenorum communium. Quibus miſſis, ut ad deciſionis noſtræ praxin & uſum revertamur, illud nobis ſufficere in praxi eſt receptum, ſolidum ſive aureum Romanum fuiſſe communem, & Currentem nummum aureum majorem, centum Minoribus, ſive æneis, ſive argenteis adæquatum, eumque pro ratione temporum ſubinde auctum, & diminutum. Quo poſito, quum de jure conſtet, aucto, aut diminuto nummorum valore, etiam pretia rerum augeri, & minui, adeoque debitorem (niſi aliud fuerit actum) æſtimationem nummorum, quæ tempore ſolutionis eſt communis, præſtando liberari, ut fuſius infra *cap.* 18. *num.* 4. conſequens etiam eſt, moribus hac in re locorum conſuetudines inſpici debere: Ut recte monet Paul. Buſ. *ad l.* 21. *ff. de Donationib.* quum & nobis nummi aurei currentes, pro locorum varietate, æſtimatione ſua ſubinde varient: ideoque hodie pro quingentis ſolidis, ſive aureis Romanis, non male ſupponi putem, quingentos aureos ſive ducatos Hungaricos, qui nummi aurei nobis ſunt currentes, & communes, faciuntque juxta valorem modernum mille Thaleros imperiales, ſive bis mille & quingentos florenos Carolinos. Ut in Friſia judicatum refert Sande *lib.* 5. *tit.* 1. *defin.* 3. in Germania Carpzovius *Jur. Electoral. tit.* 7. *reſponſ.* 56. Quo pertinet, quod illi aurei nobis comparati ſint, ad centum minorem, ſive ſeſtertiorum communium adæquationem, quibus & Jure Romano conſtabat ſolidus, ſive aureus, majoris licet Paulo æſtimationis.

15 Sed & omnium bonorum donatio ſubſiſtit, *l.* 17. § 1. *ff. Quæ in fraud. cred. l.* 35. § 4. *Cod. de Donat.* Vide Broncborſt *Cent.* 3. *aſſert.* 71. præſentium ſcilicet; futurorum autem donatio, eo quod liberam teſtandi facultatem impediat, legibus improbatur: adeoque nulla eſt, ut ne quidem detracta futurorum mentione, ad præſentia referri poſſit: Vid. Fachin. *lib.* 6. *controv. cap.* 87. Mantic. *De tacit. & ambig. conv. lib.* 12. *tit.* 16. Ant. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 36. *defin.* 9. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 12. *defin.* 26. *& ſeq.* Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 2. *verſ.* **Schenkinge by levende:** Omnium bonorum donatio ſimpliciter facta, ad preſentia reſtringitur. Vid. Jul. Clar. *lib.* 4. *Sentent.* § *donatio. quæſt.* 19. Ant. Teſſaur. *deciſ.* 199.

Hoc tamen notandum, ut omnium, aut majoris partis bonorum donatio, ab aliquo, quum liberos nullos haberet, facta, per ſupervenientiam liberorum etiam infirmetur, quem, eo caſu hæc conditio tacite ipſi donationi ineſſe videatur, niſi liberi donatori agnaſcantur *l.* 8. *Cod. de revocand. donat. l.* 102. *ff. de cond. & demonſtrat. l.* 30. *Cod. de fideicommiſſis.* Vide Cardin. Tuſch *vol.* 2. *concluſ.* 712. *num.* 39. *cum. ſeq. litt.* D. Clar. *d.* § *Donatio. quæſt.* 22. *num.* 5. Fachin. *d. lib.* 3. *cap.* 88. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 38. *defin.* 2. Maynard. *lib.* 4. *deciſ.* 12. *& lib.* 6. *de-*
16 *ciſ.* 58. Charond. *lib.* 12. *reſponſ.* 57. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 340. *num.* 5. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 12. *defin.* 32. Neque reviviſcit donatio, ſi liberi ſupervenientes, vivo adhuc parente donatore, iterum obierint, *arg. l.* 114. § 13. *& l.* 77. *ff. ad Senat. Trebellian.* Vid. Fachin. *lib.* 3. *controv. cap.* 90. Tiraquell. *ad d. l.* 8. *Cod. de Donat. in Verb. ſuſceperit liberos. num.* 161. *& ſeq. &* 203. vide tamen Jul. Clar. *lib.* 4. *Sentent.* § *donatio. quæſt.* 23. *num.* 9.

17 Sed remuneratoria, aut reciproca donatio, licet omnium bonorum, hanc infirmationem non patitur; quum aliud ſit beneficium dare, aliud reddere. *l.* 25. § 11. *ff. de petit. hered. & l.* 1. § 33. *ff. depoſiti*: Neque proprie dicta ſit donatio, quæ, & quatenus remunerationis cauſam habet, *l.* 27. *ff. de donat.* vid. Jul. Clar. *d.* § *donatio quæſt.* 21. *num.* 4. Ant. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 38. *defin.* 3. Carpzov. *defin. part.* 2. *conſtit.* 12. *defin.* 34.

18 Deinde infirmatur donatio, ob nimiam donatarii ingratitudinem: ut ſi donatorem inopem alere, aut victum ſuppeditare recuſaverit, *l.* 10. *Cod. de revocand. donat.* atroces injurias intulerit, & ob ſimiles, vel graviores cauſas, quæ recenſentur in *d. l.* 10. *Cod. de revocand. donat.* quas porro arbitrio vel diſcretioni Judicis diſcutiendas relinqui volunt communiter DD. Gomez. *var. reſolut. tom.* 2. *cap.* 4. *num.* 14. Jul. Clar. *d.* § *donatio quæſt.* 21. *num.* 2. Menoch. *de arbitr. Judic. lib.* 2. *centur.* 2. *cap.* 130. Bachov. *ad Treutler. volum.* 2. *diſput.* 19. *theſ.* 7. *litt.* D. Reprehenſi tamen à Benedict. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 12. *defin.* 31.

Cap. IX.

De bonorum Poſſeſſionibus.

Summaria.

1. *An aliqua ſolennis bonorum poſſeſſio moribus obtineat?*
2. *Quomodo hereditas moribus acquiratur.*
3. *Immiſſio & , emiſſio in domum mortuariam, quid & quando habeat locum apud nos.*
4. *Proviſionale decretum, ſive recredentia quid, & quando habeat locum.*

Inſt. 3. 11. 2. Digeſt. xxvii. 1. & Cod. xvi. xi. *De bonorum poſſeſſionibus.*

UNiverſalium rerum acquiſitio, ut quæ ex ſucceſſione, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato 1
provenit, per bonorum poſſeſſionem ex edicto Prætoris defertur, *tot. tit. ff. Cod. & Inſtit. de bonorum poſſeſſ.* Sed hoc moribus ipſo jure continere videtur, per continuationem, quaſi, ſic ut poſſeſſionis bonorum, ſive hereditatis, ex edicto Prætoris delatæ, in hiſce regionibus nullus ſit uſus, ſed omnes illi, aut ex teſtamento, aut ab inteſtato aliis ſuccedunt, per ipſam bonorum hereditariorum apprehenſionem, aut immiſſionem, omneſque heredes appellantur, & in univerſum jus defuncti ſuccedunt: *arg. l. 24. ff. de Verb. Signific. §. 1. Inſtit. de hered. qualit. & differ. l. 59. 62. ff. de Reg. Jur.* adeoque hereditas, ſimulac per mortem defuncti fuerit devoluta, ad heredis heredem tranſmittitur; neque fideicommiſſum corruit, aut ad ſubſtitutos tranſmitti deſinit, propterea quod fideicommiſſarius poſſeſſionem ejus non habuerit. *arg. l. 19. Cod. de Jure deliberandi:* Quemadmodum etiam de legatis in diem prolatis, fuſius tractatum vide infra *lib. 3. cap.* 8. Aditio tamen, ſive declaratio heredum velle ſe heredes eſſe neceſſaria eſt, propterea quod ſuos heredes non agnoſcamus, ut recte notat Vinn. *ad pr. Inſtit. de hered. qualit. & differ.* in quibus ſolis aditio non erat neceſſaria. *l. 14. ff. de ſuis & legitim. hered. l. unic. §. 5. Cod. de Cad. toll.* Niſi quod in Gallia & quibuſdam Belgii regionibus, ut in Brabantia & Flandria, mortuus ſaiſit, id eſt ſuccedit vivum ipſo jure in linea directa. Vid. Argentr. *ad Conſuetud. Brittan. art.* 509. Tiraquell. *tract. le mort ſaiſit le vif.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ.* 170. *num.* 2. Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib. 2. cap.* 18. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. unde liberi.* & quæ latius infra *lib. 3. cap.* 10.

Quæ ipſa hereditatis ſuſceptio ex omnibus per univerſitatem acquiſitionibus Jure Romano 2
cognitis, ſola apud nos in uſu eſt: nulli enim bonorum poſſeſſores, ſed heredes omnes ſunt, & appellantur, eodemque modo omnibus hereditas acquiritur: adeoque & ipſa poſſeſſio defuncti, in perſona heredis ſtatim poſt ejus mortem, per actualem immiſſionem, ſive aditionem, retrotracta, ſine ulla interruptione continuatur, contra *l. 52. ff. de Acquir. vel omitt. hered.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. unde liberi, verſ. Succeſſio.* Gudelin. *de Jure Noviſſimo lib. 2. cap. 18. verſ. pen.* Adeò ut nec moribus noſtris legitimus, aut teſtamentarius heres per judicem in poſſeſſionem inducatur, ſed ipſe ſponte ſua hereditatem adire poſſit, & poſſeſſor intelligatur, ſine alia bonorum apprehenſione. Perez. *ad Cod. de Edict. Divi Adrian. toll.*

Cod. vi. xxxiii. *De Edicto Divi Adriani tollendo, & quemadmod. ſcript. heres in poſſ. mitt.*

Præterquam quod quorundam locorum ſtatutis, quando inter plures extraneos de hereditatis, ſive ſucceſſionis delatæ Jure quæſtio eſt, ſuper poſſeſſoris litis, per immiſſionem & emiſſio- 3
nem partium, in vacuam bonorum hereditatis poſſeſſionem, per Prætorem factam, ſummarie diſcrepari ſoleat: Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 55. in fin.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. Rubr. de cauſa poſſeſſion. & propriet. verſ. edicto porro, & ſeq.* quod quomodo fiat, quove pacto ea in cauſa procedatur, cujuſque fere regionis, aut civitatis ſtatuta certum modum præſcribunt, vide Statut. Civit. Leidenſ. *art.* 185. Veteraquin. *art.* 133. Conſtit. Velav. *ejuſque ora. cap.* 8. Statut. Daventr. *part. 2. tit.* 5. Civitat. Arnhem. *de modo procedendi, art.* 26. Reformat. Ducat. Zutphan. *tit. 3. §. 1.* Tranſiſulan. *part. 1. tit.* 8.

Quem procedendi modum & in aliis cauſis, quotidiana Curiarum praxis introduxit, quaſi præ- 4
paratorium poſſeſſorii principalis vel plenarii, quo ſummarie, abſque tela judicii, qualitercunque inſpecta facti veritate definitur, quis poſthac in pleno poſſeſſorio actoris, quis rei partes ſuſtinere debeat, eo potiſſimum fine, ne lite in longius tempus protracta, contendentes utrimque ad arma veniant, eoque pax publica turbari contingat. *arg. l. 13. §. 3. l. 14. ff. de Uſufruct.* Menoch. *de retinend. poſſ. remed. ult.* Andr. Gail *lib. 1. obſerv. 7. num.* 5.

Vocatur hoc remedium à Germanis & Belgis, *proviſionale decretum*, ſive fiduciaria poſſeſſio:

ſeſſio: à Galls, *caſus novitatis*, & *recredentia*: ab Hiſpanis, *Interim*: quod antiquitus, *Vindiciarum lis*, teſte Covarruv. *pract. quaſt. cap.* 17. *num.* 1. Andr. Gail *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. Menoch. *d. loco.* Quæ, (quum fuſius de ſingulis, de ordine ac modo procedendi, ſi Deus volet, tractare propoſuerimus) hic obiter attigiſſe ſuffecerit.

Cap. X.

De Acquirenda vel amittenda Poſſeſſione, Uſucapionibus & Præſcriptionibus.

Summaria.

1. *Quid ſit poſſeſſio, & quotuplex.*
2. *Quomodo acquiratur.*
3. *Quomodo amittatur, & retineatur.*
4. *Cujus ſit effectus poſſeſſio per annum & diem continuata.*
5. *Qualiter quis rem poſſeſſam tueri poſſit.*
6. *An & quando dominium inferat, & 8.*
7. *Uſucapio quid ſit, an & quomodo à præſcriptione diſtinguatur.*
8. *Continuata poſſeſſio an & quando in verum dominium tranſeat.*
9. *Uſucapio an cum æquitate & Jure naturali pugnet.* Neg.
10. *Quæ ſint juſta uſucapionis requiſita, Jure civili, Canonico, & moribus.*
11. *Quæ & qualis hodie obtineat præſcriptio, & quanto tempore introducatur*, in Belgio, Gallia, Bavaria, Saxonia *&* Ducatu Culmenſi, Pruſſia.
12. *Quæ & qualis ſit præſcriptio anni & dierum, an & quatenus* Hollandiæ *moribus conveniat.*
13. *Interpretatio ſtatuti civitatis* Leidenſis, *&* Delphenſis.
14. *Quænam ab ordinaria hodierna, longiſſimi temporis triginta, vel trientis ſeculi præſcriptione, excipiantur.*
15. *Non comprehendit injuriarum, adulterii, ſeparationis bonorum, criminum publicorum & mulctarum civilium præſcriptiones certo minori tempore circumſcriptas.*
16. *Idem de iis quæ certis longioribus ſpatiis terminantur.*
17. *Nominum, ſive obligationum, perſonalium & pecuniarum obligationum, præſcriptio quæ ſi Jure civili, & moribus recepta.*
18. *Quid Juris in ſalariis advocatorum, medicorum, mercedum operariorum, & mercium minutatim divenditarum* in Belgio *&* Gallia.
19. *Actioni hypothecariæ an & quando præſcribatur, & quid circa reditum fundi ab altero per pactus* 40. *annis ſolutum, an fundum liberet:*
20. *Extincta per præſcriptionem ſorte, extinguuntur etiam uſuræ.*
21. *An & quatenus annuus canon ex emphytheuſi, aut ſimilis annua præſtatio ex ſe ipſo ſubſiſtens, præſcribatur.*
22. *Quæ meræ facultatis ſunt præſcribi nunquam poſſunt.*

1 POſſeſſio eſt uſus ſive detentio rei, animo eam ſibi habendi. Alia eſt Naturalis, quæ eſt ipſius corporis realis detentio. *l.* 1. *in pr. ff. de Acquir. vel amitt. poſſ.* Alia Civilis quæ in ſolo detinendi animo conſiſtit. Quæ utcunque concurrunt: nam ubi civilis poſſeſſio eſt, naturalem ſubeſ-
2 ſe oportet, cui à lege datur auctoritas: acquiritur enim poſſeſſio corpore & animo, neque per ſe animo, neque per ſe corpore. *d. l.* 3. *§.* 1. *ff. eod.* *D. xli. tit. ii & Cod. vii. xxxii. De Acquirend. vel amittend. poſſ.*

Genera poſſeſſionum communiter enumerantur tot, quot ſunt cauſæ acquirendi ejus, quod non eſt noſtrum: veluti, pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro herede, pro ſuo: quemadmodum in iis quæ cœlo, mari, & terra capimus, vel quæ, ut in rerum natura eſſent, effecimus. Sed ſi rem penitus inſpiciamus, unum potius dicendum eſt eſſe genus poſſeſſionis, ſpecies diverſas. *arg. d. l.* 3. *§. genera.* 21. *ff de Acquir. vel amitt. poſſ.*

Rerum corporalium directa poſſeſſio eſt, ſive mobilium, ſive immobilium *d. l.* 3. *& l.* 13. 15. *& l.* 47. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſ.* Incorporalium vero, (ut ſunt jura, ſervitutes, &c.) indirecta, & quaſi poſſeſſio. *l.* 4. *§.* 29. *ff. de Uſurpat. & Uſucap.* Gothofred. *ad leg.* 43. *§.* 1. *ff. de Acquir. rer. domin.* Acquiritur poſſeſſio animo & corpore ſimul. *l.* 3. *§.* 1. *ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* ita tamen ut quod deſit naturali & actuali poſſeſſioni animus impleat *d. l.* 1. *§.* 3. *ff. eod.*

3 Amittitur ex voluntate noſtra, animo & corpore ſimul *l.* 8. *ff. eod.* vel animo tantum *l.* 3. *§.* 6. *ff. de acq. poſſ.* aut etiam citra voluntatem; ut ſi conditio ipſius rei mutetur. *l.* 30. *§.* 1. 4. *ff. eod.* aut ſi quis poſſeſſionem noſtram per vim aut dolum in ſe traſtulerit. *d. l.* 3. *§.* 13. 18. *l.* 15. *l.* 47.

ff. de Acq. vel amitt. poſſ. l. 4. §. 22. l. 5. l. 15. ff. de Uſucapion. Quemadmodum amittitur, ita etiam, vel ſolo animo, retinetur, *l. 3. §. 10. 11. ff. eod.*

Qui primus eſt poſſeſſionis effectus, quo is qui rem aliquam poſſidet, non cogatur titulum 4
ſuæ poſſeſſionis allegare *l. 11. ff. de petit. heredit. l. final. ff. de Rei vindic.* nec aliter probare Jus ſuum, *l. 16. l. 24. Cod. de Probat.* eamque ſuam poſſeſſionem retinet, donec alius de meliori ſuo jure docuerit *l. 1. Cod. unde vi. l. 7. §. 3. ff. quod vi aut clam. l. 3. ff. de Juſtit. & Jure.* Grot. *Introd. lib. 2. part. 2. poſt. num.* 9. Nec refert utrum quis bonæ, an malæ fidei fuerit poſſeſſor: quum nuda poſſeſſio ab onere probandi Juris vel dominii titulum relevet. *l. fin. Cod. de Rei vindic. §. 4. Inſt. de Interd. verſic. commodum.* Siquidem poſſeſſor. pro ſe habet Juris præſumptionem, nec probare cogitur rem ad ſe pertinere: ſed petitori incumbit neceſſitas probandi rem ſuam eſſe *l. circa 14. ff. de Probat.* qui ſi in probatione ſua ceſſaverit, res poſſeſſa apud poſſeſſorem remanet, licet ipſe nihil probaverit. *d. §. 4. Inſtit. de Interdict. l. 2. Cod. de Probat. & l. 4. Cod. de Edendo.* Menoch. *lib. 6. præſumpt. 69. num.* 5. quod locum habet tam in quaſi poſſeſſore rei incorporalis, quam in directo rei corporalis poſſeſſore. Schneiduin. *ad §. 2. Inſt. de Actionib. num.* 54. Cæpoll. *de Servitut. cap.* 20.

Atque adeo quilibet poſſeſſor contra omnem, qui clam aut vi poſſeſſionem ſuam turbare cona- 5
tur, ſe ipſum, & rem tenentem, etiam oſtendendo, impune defendere poteſt, atque inſuper poſſeſſionem ſuam turbatam, aut vi amiſſam perſequi, & recuperare: *l. 6. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. poſſ.* dummodo id in continenti, & ſine poſſeſſionis interruptione fiat: quod etiam poſt multos dies fieri intelligitur, interim, dum vim paſſus amicos, & adjutores quærit, arma congregat; ſi non prætermiſerit diligentiam ad recuperandum. Nec hic metuenda pœna *l. 7. Cod. unde vi.*

Secundus poſſeſſionis effectus eſt, ut dominium ex poſſeſſione ſequatur, *arg. l. 20. Cod. de* 6
pact. l. 2. §. final. ff. pro herede. Et primo quidem bonæ fidei poſſeſſor, eo ipſo quod poſſidet, fructuum ex re poſſeſſa perceptorum dominium ſibi acquirit. *§. 35. Inſtit. de Rer. diviſion. l. 48.*
ff. de Acquirend. rer. domin. De quo acquiſitionis genere ſupra egimus. Deinde per Uſucapio- 7
nem ipſius etiam rei dominium acquirit: quæ eſt adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. *l. 3. ff. de Uſurpat. & Uſucap.* quæ ſi ſit rerum incorporalium, præſcriptio dicitur, ſi corporalium Uſucapio. *l. 43. §. 1. ff. de Acquirend. rer. domin. l. 4. §. 27. & l. 25. ff. de Uſucap.* quamvis hæc vocabula ut plurimum confundantur.

Inſtit. II. VI. Dig. XLI. III. & Cod. VII. XXX. *De Uſucapionibus.*

Poſſeſſio itaque bonæ fidei, non vi, clam, nec precario, per juſtum temporis lapſum continua- 8
ta, in verum & juſtum rei poſſeſſæ dominium tranſit, quod jure, & ex conſcientiæ fide, unicui-
que retinere licet, nec cum æquitate aut jure naturali pugnat: bono enim publico introducta eſt, 9
ne quarundam rerum dominia in incerto ſint, & tandem litium finis ſit. *l. 1. ff. de Uſucap. & l. ultim. ff. pro ſuo.* Vide Vaſq. *Illuſt. controverſ. cap. 52. num.* 1. Balb. *de præſcription. part. 2. cap.* 5. & Covarruv. *in cap. Poſſeſſor. de Reg. Jur. in 6. part. 3. §. 2.* Leſſius *de Juſtit. & Iure, lib. 2. cap. 6. dubit.* 17.

Ad hanc Uſucapionem duo potiſſimum requiruntur; Juſtus titulus, & ad transferendum dominium habilis: *l. 24. Cod. de rei vind.* veluti ex empto, donato, &c. in eoque bona fides, *pr. Inſtit. de Uſucap. §. 4. Inſtit. per quas perſon.* nec vi, nec clam, nec precario intenta poſſeſſio *l. 1. Cod. de Servit. & aqua. l. 1. Cod. Uti poſſidetis,* & continuata per ſtatutum tempus. Traditio enim ex legitima cauſa ſeu titulo inducit poſſeſſionem, poſſeſſio continuata Uſucapionem & dominium. *pr. Inſtit. de Uſucap. §. 35. Inſt. de rer. diviſ. l. 20. in fin. ff. de acq. rer. domin. l. 1. §. 1. ff. de acq. poſſeſſ. l. 3. ff. de Uſurpat. & Uſucap.*

Jure quidem civili, ſufficit initio adfuiſſe bonam fidem, non obſtante mala fide ſuperveniente. 10
l. 20. l. 31. ff. de Uſucap. junct. §. pen. Inſtit. eod. l. 2. §. 19. ff. pro emptore. Verum Jure Canonico, omni tempore, uſque ad completam Uſucapionem, bona fides requiritur, adeoque mala fides, quocunque tempore ante perfectam præſcriptionem ſuperveniens, eandem interrumpit. *cap. final. extra de præſcript. cap. Poſſeſſor. 2. de Regul. Jur. in 6.* Cujus Juris diſpoſitionem crebriori DD. calculo probari uſuque obſervari non ſolum in terris Eccleſiæ, ſed etiam Imperii contra Coller. *de Proceſſib. Execut. part. 1. cap. 3. num. 105. & ad cap. fin. extra de præſcript.* variis Cameræ Imperialis deciſionibus probant Schneiduin. *ad princip. Inſtit. de uſucapionib. num.* 17. Mynſinger. *Centur. 4. obſerv. 6. num.* 4. & poſt eos Georg. Schultz *ad d. tit. Inſtit. de Uſucap. litt. b.*

Quod utrum & moribus noſtris obtineat, dubium non eſt; eo quod vel ad id tempus Uſucapionis conſummatio indiſtincte relata ſit, quo vel ipſo Jure Romano malæ fidei poſſeſſor præſcri-

ptio-

ptionis exceptione ſe tueri poterat. *l. 3. 4. Cod. de præſcript. 30. vel. 40. annor. auth. malæ fidei, Cod. de præſcript. long. temp.*

Abrogata enim trienniali, qua res mobiles, *§. 1. Inſtit. de Uſucap. l. unic. de Uſucap. transform.* Quadriennali, qua bona vacantia & res à fiſco aut Cæſare alienatæ à privato acquiruntur. *l. 1. §. 2. ff. de Jure fiſci. §. ult. Inſtit. de Uſucap. tot. tit. Cod. de Quadrienn. præſcript.* decennali, qua res immobiles, & incorporales inter præſentes, & vicennali inter abſentes, præſcribuntur Jure Romano, *d. §. 1. Inſt. & l. 7. Cod. Quibus non objicit. longi tempor. præſcript.* & remota prorſus omni diſtinctione præſcriptionis, longiſſimi temporis 30. annorum inter præſentes, & 40. inter abſentes, qua omnes res tam mobiles, quam immobiles ſine ullo titulo uſucapiebantur (ut ſunt res furtivæ, vi poſſeſſæ, &c.) cæteriſque perſonalibus actionibus præſcribebatur, atque omnia reliqua jura tollebantur. *l. 3. 4. 7. Cod. de præſcript. longiſſ. tempor.* Sublataque quadraginta annorum, qua res Eccleſiaſtica immobilis, *auth. quas actiones, Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* & res ad civitates, aut alias univerſitates ſpectantes; *Novell. 131. cap. 6.* aliaque centum annorum, qua gaudebat Eccleſia Romana. *d. auth. quas actiones. Novell. 9.* Quæ ipſo etiam jure Romano in 40. annorum præſcriptionem eſt tranſlata per *Novell. 111.* quæ correctoria eſt *Novell. 9.* confirmata per *d. Novell. 131. cap. 6.* De qua præſcriprione vid. Cujac. *de diverſ. temp. præſcript. cap. 31. & 34. &* Rittershuſ. in *Expoſit. Novell. part. 2. cap. 1.* Et derogata immemorialis poſſeſſionis præſcriptione, qua acquirebantur res, quæ alioqui uſucapi non poterant, ut ſunt regalia, Jus cudendi monetas, habendi armamentaria publica. *l. 3. 4. ff. de Aqua quotid. & æſtiv. l. ult. ff. eod.*

Cod. vii. xxxiii. De præſcriptione longi temporis 10. vel 20. annorum. Cod. vii. xxix. De præſcript. 30. vel 40. annor.

11 Moribus noſtris, una eademque in rebus omnibus obtinet præſcriptio, eaque longiſſimi temporis, qua, abſque ulla mobilium, aut immobilium, corporalium, aut incorporalium diſtinctione, omnium rerum jus & dominium acquiri præſcriptione tertiæ centum annorum partis volunt. Grot. *Introd. lib. 2. part. 7. num. 35.* Rodelant *Curiæ Traject. deciſ. 47. num. 6.* Goris *adverſ. miſcell. tract. 3. part. 1. cap. 9. num. 12.* Quæ ab aliis tamen rectius diſtinguitur inter res mobiles, quibus triginta annorum præſcriptionem ſufficere putant, eaque in parte mores à jure civili non receſſiſſe perhibent, & inter res immobiles, quas centum annorum trientem requirere volunt. Quod & de Hollandiæ moribus contra Grot. *d. loco*, obtinere putat Groeneweg. *de legib. abrogat. ad Rubric. Cod. de præſcript. 30. annorum.* A qua generali tamen præſcriptionis conſuetudine recedunt Zelandiæ Statuta, quibus immobilia viginti inter præſentes, & triginta annis inter abſentes præſcribuntur. **Keuren van Zeeland** / *cap. 2. art. 2.* Et conſuetudines agri Vornani, ubi 30. annorum uſucapio ſufficit, etiam immobilium. **Keuren van Voorn** / *art. 56.*

De abrogata uſucapione mobilium, & longi temporis, decem vel viginti annorum præſcriptione teſtantur Zypæ. *Notit. Jur. Belg.* Imbert. Enchirid. Juris Galliæ, *in verb. Uſucap. & Inſt. lib. 1. cap. 35. num. 7.* Boër. *ad conſuetud. Biturig. tit. 3. §. 7.* Chaſſan. *ad conſuetud. Burg. Rubric. 13. §. 8.* Conſuetud. Mechlin. *tit. 20. art. 1.* Et ibi Chriſtin. Conſuetud. Antwerp. *tit. 61. art. 1.*

Jure Statutario Ducatus Bavariæ, res immobiles emptionis titulo comparatæ, quinque annis inter præſentes, & decem annis inter abſentes præſcribuntur, in reliquis Jus ſcriptum obtinet, teſte Johanne Balthaſar. *Reſol. Juris Civil. & Bavarici tit. 9. reſolut. 1. num. 16.*

Saxones & Culmenſes duas etiamnum præſcriptionum ſpecies agnoſcunt, una eſt mobilium, quæ annalis tantum eſt, & aliquot dierum (id eſt ſex ſeptimanarum, **Jaar en dag** / ut vulgo dicitur) quam triennali præſcriptioni ſurrogatam eſſe ſcribit Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 3. defin. 6. num. 4.* & Matth. Berlich. *Concluſ. practicabil. part. 2. concluſ. 7. num. 12.* Altera immobilium & incorporalium, quæ triginta & uno annis, & aliquot diebus adimpletur, quibus res immobiles, & omnia jura incorporalia indiſtincte præſcribuntur, nullo inter præſentes, & abſentes diſcrimine habito. Vide Weſenb. *parat. ff. ad tit. de Uſucap. num. 7.* Georg. Schultz *ad tit. Inſtit. eod. litt. l.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. cap. 4. defin. 8.* Jus Provincial. Ducat. Pruſſiæ *lib. 3. tit. 4. art. 1. §. 2.*

Quam minoris temporis præſcriptionem (anni ſcilicet & dierum) quibuſdam Hollandiæ civitatum ſtatutis, & privilegiis convenire putat Groenewegen *de leg. abrogat. ad Rubric. Cod. de*
12 *præſcriptione 30. vel 40. annorum.* Quibus cavetur ut is qui bona fide juſto titulo auctore prætore rem immobilem per annum & diem poſſederit, poſſeſſione tutus & ab omni evictione liberatus ſit, quorum varia exempla recenſentur ab Hug. Grotio *Introd. lib. 2. cap. 7. verſic.* **Want in de Hand-veſten** / &c. Quæ quidem, meo judicio, intelligenda ſunt, aut de ſimplici poſſeſſionis initio, qua quis ſe tueri poteſt, donec alius de meliori ſuo jure docuerit, ut poſt Grot. *Introduct. lib. 2. part. 2. poſt num. 9. ex l. 1. Cod. unde vi. & l. 7. §. 3. ff. quod vi aut clam*, in

principio hujus capitis oſtendimus. Quomodo interpretandum mihi videtur ſtatutum civi- 13
tatis Leidenſ. *art.* 103. Ubi de poſſeſſione ſimplici agitur; aut de decreto judiciali, publica proclamatione per præconem aut apparitorem præmiſſa, quod aliquem juſto titulo intercedente, non tantum in poſſeſſione, ſed in pleno, & ab omni evictione libero dominio conſtituit, ut ſuo loco docebimus: Quo ſenſu quoque vetera illa civitatum privilegia, & ſtatuta interpretanda cenſet idem Grot. *Introd. d. lib.* 2. *cap.* 7. *ibid. in fin.* Quod ex ipſis privilegii Delphenſis hac in re conceſſi verbis colligendum teſtatur idem Groeneweg. *in Notis ad* Grot. *d. loco, num.* 33. Quod vero ad ſtatutum Civitatis Leidenſis attinet, quum ibi proſpectum videtur, ne ædificia Urbis deformentur, aut diruantur, ſed in ſuo ſtatu maneant, etiam de pleno dominio intelligi poteſt, in verbis **ſal 't ſelve behouden ſonder daar uyt gewonnen te werden** / reſervato tantum jure vicini pro reſtitutione ejus quod ſua intereſt, nemo enim cum alterius jactura locupletari poteſt. *l.* 14. *ff. de cond. indebiti.* nec quis damnum ſentire debet per alterius lucrum *l.* 6. *§.* 2. *ff. de Jure dot.* ac ſibi ipſi imputare debet, quod à vicino fundi ſui partem muro ſeparatam per annum & diem poſſidere paſſus fuerit, ſimili modo, ac is qui alicui precario quid parieti inædificare conceſſit, quod poſtea non niſi cum majoris partis detrimento amoliri poteſt, qui donandi aut ſervitutis conſtituendæ cauſa illud conceſſiſſe videtur, neque ad amovendum agere poteſt, per ea quæ latius infra *cap.* 14. *num.* 6.

Verum illud notandum eſt, huc non pertinere præſcriptiones illas temporarias, quæ certis 14
temporum ſpatiis circumſcriptæ ſunt, quas ſuis antiquis ſpatiis relinquendas eſſe, praxis hodierna etiamnum obſervat. Ut ſunt annales injuriarum præſcriptiones. *l.* 5. *Cod. de Injur.* quinquennale criminis adulterii ſpacium, *l.* 5. *Cod. ad leg. Jul. de Adulter.* biennales de dolo actiones, 15
l. final. Cod. de dolo malo, quadriennales reſtitutionum *l. ult. Cod. de tempor. in integr. reſtit.* querelarum inofficioſi teſtamenti, *l.* 8. *§. final. ff. de inofficioſ. teſt.* & ſeparationis inſtituendæ quinquennales. *l.* 1. *§.* 13. *ff. de ſeparationib.* ſimileſque temporariæ actiones, quæ moribus etiamnum obtinent, neque uſſibi mutatæ leguntur.

Idem dicendum de vicennali omnium criminum præſcriptione *l.* 12. *Cod. ad leg. Cornel. de Falſ. cap. quum venerabilis, de Except.* circa quam nihil etiam jure noſtro immutatum reperitur, Joann. à Sande *lib.* 5. *tit.* 9. *defin.* 2. Anton. Matth. *de Criminib. lib.* 48. *tit.* 20. *cap.* 4. *num.* 14.

De Saxonum moribus vide Georg. Schultz *ad tit. Inſtit. de Uſucap. litt. L. in fin.* Carpzov. *part.* 2. *conſtit.* 3. *defin.* 4.

Sed & Septentrionalis Hollandiæ incolis, à Margareta Hollandiæ duce anno 1346. ſpeciali privilegio eſt indultum: ut omnia crimina, excepta ſicariorum, incendii publici, & furti pœna, per unius anni & dierum (id eſt ſex ſeptimanarum) lapſum circumſcribantur.

Quibus adde jura fiſci, quæ viginti annorum ſpacio præſcribuntur, *l.* 2. 3. 4. *ff. de requir. vel abſent. l.* 13. *ff. de diverſ. & temp. act. l.* 1. *ff. de Jure fiſci.* Exceptis etiam iis cauſis, in quibus minora tempora ſpecialiter conſtituta ſunt: *dd. legib.* ut ſunt bona vacantia, quæ quatuor annis præſcribuntur *l.* 10. *ff. de diverſ. tempor. act.* & commiſſa quæ quinquennio excluduntur *l.* 2. *Cod. de vectig & commiſſ.* Quæ mutata nuſquam inveni. Contra Boër. *deciſ. Burdigal.* 264. *num.* 21. Aym. Cravett. *de Antiquitat. tempor. num.* 35.

Secundum Hollandiæ tributorum communium conſtitutiones, pœnæ pecuniariæ aliæque mulctæ civiles, non per quinquennii ut *in l.* 2. *Cod. de Vectigalib. & Commiſſ.* ſed unius anni curſum præſcribuntur, **Placc. van de Generale Gemeene Middelen** / 4. Septemb. 1603. Vide Ant. Matth. *de Crimin. lib.* 48. *tit.* 2. *cap ult. in fin.* Quare à moribus & uſu minime alienam cenſeri quadriennii præſcriptionem earum rerum, quas quis quum alienæ eſſent, à fiſco emit, *tot. tit. Cod. de quadrienn. præſcript. §. ult. Inſtit. de uſucap.* recte meo judicio Groeneweg. *ad d. §. ult. Inſtit.* contra Perez. Vinn. Zypæ. Chriſtin. alioſque, defendit.

Nec aliter judicandum de præſcriptionibus, quæ ſpatiis longioribus à Jure civili terminantur: 16
Ut ſunt, præſcriptiones quadraginta annorum adverſus Eccleſiam aut pia loca, *Novell.* 111. & *Novell.* 131. *cap.* 6. & quæ de immemoriali & centenaria præſcriptione, in cauſis exceptis de Jure civili conſtituta diximus. Ut bene animadvertit Petr. Heig. *part.* 1. *quæſt.* 16. *num.* 43. Matth. Coler. *ad cap. de quarta. num.* 87. *extra de præſcript.*

Sic ut omnino diſtinguendum ſit inter præſcriptiones regulares, quarum non niſi duas ſpecies in uſu eſſe diximus, & ſpeciales, jure communi, ex cauſa quadam peculiari, in caſibus ſpecialibus inductas: quas moribus eſſe ſublatas nemo dixerit. Hanc diſtinctionem in foro Saxonico poſt Heig. Coler. & Schultz. obtinere refert Carpzov. *part.* 2. *defin. forenſ. conſtit.* 3. *defin.* 4.

Quæ

Quæ quum ita ſint, ut à communi præſcriptionis regula excipiantur, commode hic etiam quæritur, quid ſit dicendum, de actionibus, obligationibus, & præſtationibus perſonalibus aut realibus. Et quidem in obligationibus pecuniariis, quæ nomina vulgo dicuntur, jure communi ex curſu 10. vel 20. annorum Remiſſionis titulus præſumitur, ut tradunt DD. *ad l.* 28. *Cod. de*
17 *pact. & ad l. 6. ff. de uſuris*, atque ita ab Hollandiæ Curia quandoquidem judicatum referunt: pecuniariæ obligationis inſtrumentum, ex quo viginti annorum ſpatio nulla fuerit facta petitio, præſcriptione annullatum eſſe: verum quum dicta DD. opinio de præſcripta inſtrumentorum remiſſione non alia quam communi & ordinaria præſcriptionis lege nitatur, quam penitus abrogatam docuimus, neque hoc ſpeciali aliquo jure cautum reperiatur, malim etiam hæc & ſimilia ad triginta annorum præſcriptionem referri.

Inter quæ & illud de aliis creditis communibus in Friſia ex Regia Ordinatione 4. *Octob.* 1511. teſte Joann. à Sande *deciſ. Friſicar. lib.* 5. *tit.* 6. *definit.* 2. Et in Gallia teſte Joann.
18 Papon *lib.* 6. *tit.* 12. *Art.* 8. Ut ſalaria Advocatorum, Procuratorum, Actuariorum, Medicorum, Chirurgorum, Aromatopolarum, Tabellionum, mercedes operariorum, famulorum, pretia mercium minutatim divenditarum credita, Cauponum, & ſimilia, intra biennium ab operis & ſervitiis præſtitis, vel mercibus creditis judicialiter ſint exigenda, quo tempore elapſo nulla amplius actio, vel juris perſecutio ſupereſt; niſi creditor à debitore ſuo ſcripturam vel ſyngrapham in debiti fidem receperit: Quod & à Carolo V. iiſdem pene verbis, pro generali Belgii regionum obſervatione conſtitutum, *edict. Octob.* 1540. *art.* 10. His verbis: **Dat alle ſupposten Arbeiders/Dienſt-boden ende Koop-luyden haar ſalaris ende agterweſen ſullen moeten eyſchen binnen twee Jaaren: ten ware datter obligatie van waar/ alſdan ſalmen den principalen moeten convenieren binnen den tijd van tien jaaren/ ofte den erfſgenaam van den debiteur binnen den tijd van twee jaaren naa't overlijden van den ſelven t'ſijner kenniſſe gekomen is/ofte ſullen anders gehouden werden voor betaalt.** Ejuſdemque interpretatione 14. *Februar.* 1549. renovatum quidem, ſed per diſſuetudinem denuo abrogatum videtur; præterquam iis locis ubi ſpecialiter tale quid ſtatuto, aut lege cautum reperitur. Pro cujus obſervatione tamen conſuluiſſe videtur Jacob. Coren *Conſil.* 16. *in fin.* Ubi Galliæ reges illud ad ſex menſes contraxiſſe refert, ex Rebuff. *ad conſtit. reg. tract. de Mercator. minutat. vend. gloſſ.* 16. 17. *& ſeqq.* De qua Galliæ conſtitutione tractat etiam Imbert. *Inſtit. forenſ. lib.* 1. *cap.* 34. Maynard. *deciſ. Tholoſan. cap.* 87. Ludov. *ad conſuetud. Pariſienſ. art.* 125. *& ſeqq.*

19 Actioni autem hypothecariæ ab extraneo poſſeſſore triginta annis præſcribitur: ab ipſo vero debitore vel ejus herede quadraginta annis. *l.* 2. *l.* 7. *Cod. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor. l.* 1. *§.* 1. *Cod. de Annal. except.* Cui ex praxi quotidiana additur caſus, quo aliquis fundum vendidit pro libero, nulla hypothecarii reditus ei impoſiti facta mentione, qui ne deluitione moleſtetur, ab emptore, interim annuatim creditori ipſos reditus ſolvit, ignorante fundi emptore ejuſdemque bonæ fidei poſſeſſore, quâ quæſtione coram Hollandiæ curia propoſitâ aliquoties fuit deciſum, pacificum fundi poſſeſſorem qui quadraginta annorum ſpatio de reditu, ſuper eo conſtituto non eſt interpellatus, tanti temporis præſcriptione tutum eſſe, referente Neoſtadio *deciſ. Cur. Holland. deciſ.* 8. Nec dubium habere videtur. Sed major difficultas eſt, ſi inter debitoris heredes erciſcundæ familiæ judicio actum ſit, ut alter fundum poſſideret, alter vero ejuſdem fundi annuos reditus perſolveret, qui, quum per 40. annos eos ſolviſſet, bonis ceſſit, quo tum creditor alterum heredem fundi poſſeſſorem pro ſolvendis annuis reditibus fundi impoſitis convenit, qui per tantum tempus ſe fundum abſque ullo onere pacifice poſſediſſe reſpondit, quo per præſcriptionem tutus eſſe debeat: Hollandiæ Curia, diverſitatis conſideratione habita, qua debitorum, eorumve heredum pactionibus, creditorum petitio nec tolli nec mutari poſſit, *l.* 25. *Cod. de pact.* eo caſu hypothecariam actionem præſcriptione non eſſe ſublatam: ſed eam ſalvam atque integram remanſiſſe judicavit. 28. *Octobr.* 1608. Quod procedit ſi ignorantiæ habeat cauſam creditor, cæterum ſi ſciens præſtationem per tantum tempus à novo iſto ſolutioni adjecto acceperit, aliud videtur dicendum, per ea quæ tradit Balb. *de præſcript.* 4. *part.* 4. *princip. quæſt.* 11. *num.* 7.

20 Extincta ſorte, extinguuntur etiam uſuræ, ſic ut debitor qui à ſortis ſolutione per præſcriptionem liberatur, etiam quoad uſuras, & fructus eodem jure gaudeat. *l.* 26. *Cod. de Uſuris. l.* 7. *§. ult. Cod. de præſcript.* 30. *vel.* 40. *annor.*

21 Quod quidem reſtringendum, ad ipſas uſuras pecuniæ, & acceſſiones annuas: cæterum quod annuatim ex ipſo contractu emptionis ſub onere retrovendendi, percipitur nobis, **Pagten metten honde/** aut quod in dominii recognitionem annuatim ſolvitur: veluti emphyteuſis, aliæque

que præſtationes ex ſe ipſo ſubſiſtentes, uſura non ſunt; ſed fructus ipſius rei, nec acceſſio aliqua ad ſortem, ſed ſors ipſa, ſive merx & res empta, ut recte notat Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 7. num. 6.* quales præſtationes ſingulæ ſeorſim de anno in annum debentur, nec antequam dies ſolutionis venit, in rerum natura eſſe intelliguntur, ſingulæ per ſe ſubſiſtunt, & tot ſunt obligationes, quot ſunt anni. *l. 4. ff. de ann. legat.* ac proinde nec ſimultanee præſcribi poſſunt, ab exordio ipſius obligationis, ſed ab initio cujuſque anni. *d. l. 7. §. ult. Cod. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* Sic ut ipſum Jus in totum per præſcriptionem tolli non poſſit in futurum, & de præteritis tot ſint præſcriptiones, quot ſunt anni. Quomodo deciſum teſtantur Gail *lib. 2. obſerv. 73. num. 1.* Carpzov. *definit. Forenſ. part. 2. conſtit. 2. definit. 1.* Maynard. *deciſ. Tholoſ. lib. 6. deciſ. 34. in fin.* Johann. à Sande *lib. 5. tit. 6. defin. 1.* ubi DD. Atque ita quoque in Hollandiæ Curia judicatum eſt 10. *Maji 1613.* in cauſa *Adriani Molenyſer*, & *Appolonia Oorts.* Niſi per tempus immemoriale à ſolutione ceſſatum ſit, quo ipſo penſitationis Jus præſcribi poſſe verius eſt: prout quoque judicatum referunt Anton. Fab. *ad Cod. lib. 7. tit. 13 definit. 19.* & Guid. Papon *deciſ. 46. num. 2.* & Hollandiæ Curia cenſuit 22. *Martii 1641.* in cauſa *Caroli de Koninck*, & *Marini Jacobi.* Vide quoque Wurmſeri *pract. tit. 45. obſerv. 5.* Aut ſi interpellatus ut ſolvat, recuſaverit debitor: à quo tempore etiam totum penſionum jus præſcribi poſſe volunt. Balb. *de præſcription. quart. part. quart. princip. quæſt. 11. num. 3. & ibi DD.*

Sed & aliæ inſuper actiones & præſtationes exiſtunt, quæ nullo caſu, ne quidem per imme- 22
morialis temporis lapſum, præſcribi poſſunt, ut ſunt quæ in mera facultate conſiſtunt, ac proinde nulla præſcriptione tolli poſſunt, *l. 2. ff. de via publica & ibi DD.* Vid. Bald. *de præſcript. 4. part. 5. princip.* veluti Jus offerendi, reluendi & retrovendendi. *l. 10. Cod. de pignor. act. & l. 12. §. final. ff. quibus mod. pign. vel hypoth.* Vide Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 18. num. 4. 5.* Berlich. *part. 2. Concluſ. practicab. 2. num. 80. & ſeqq.* Ejuſdem naturæ eſſe videtur Jus pignoris luendi. Gail *d. loco*, ubi Bernard. Greven *num. 2.* Anton. Fab. *ad Cod. tit. de luitione pignoris definit. 19.* Papon. 12. *Arreſt. tit. 3. art. 12.* Quod & Gelriæ Statutis municipalibus expreſſe cautum legimus. Reform. Stat. Velav. *tit. 25. §. 8.* Reform. Zutph. *tit. 12. §. 3.* Stat. Ruremund. *part. 3. tit. 4. §. 2. art. 6.* Ut & Conſtit. Antwerp. *tit. 61. §. 6.* Item præſtatio laudemiorum bonorum feudalium, quæ nullo unquam tempore etiam præſcribi poteſt: ut ſi vel intra centum annos fundus non fuerit alienatus, propterea tamen emphyteuta, factâ poſtea tranſlatione à laudemii præſtatione ſe liberare nequeat, quomodo in foro Saxonico pronunciatum refert Carpzov. *definit. Forenſ. part. 2. conſtit. 2. defin. 2.*

CAP. XL

De Rei Vindicatione.

SUMMARIA.

1. *Actio ad exhibendum quid ſit, & quando competat.*
2. *Actio de Tabulis exhibendis & an quando competat.*
3. *Rei vindicatio quid ſit, & quando competat.*
4. *An & quando emptori & bona fidei poſſeſſori, à vindicante rem ſuam, pretium reſtitui debeat.*
5. *Quid vindicanti rem, ut ſuam, præſtare incumbat.*
6. *Quid juris de fructibus à bona fidei poſſeſſore perceptis, aut percipiendis, exſtantibus aut conſumptis, an & quatenus una cum ipſa re reſtitui debeant.*
7. *Mala fidei poſſeſſor omnes reſtituit.*
8. *An aliqua ſit differentia inter bona & mala fidei poſſeſſorem quoad impenſarum deductionem.*

D. x. iv. Cod. iii. xlii. *Ad exhibendum.*

UT præſcriptio turbetur & impediatur, contra poſſeſſores, ſive detentores rei noſtræ, aut 1
quam putamus eſſe noſtram, primo competit actio ad exhibendum: quæ eſt præparatoria litis inchoandæ, ut (ſi equus, aliudve animal, ſcyphus, poculum, aut ſimile quid mihi ſurreptum, aut, alio modo dominio, aut poſſeſſioni meæ excidit) præambula illa actione præmiſſa, deliberet quis utrum rei vindicatione agere, & rem ſuam eſſe contendere velit. *tot. tit. ff. & Cod. ad exhibendum*, quo jure etiamnum utimur.

D. lib. xliii. v. & Cod. viii. vii. *De Tabulis exhibendis.*

Huc pertinet interdictum de Tabulis exhibendis, quo agitur ut tabulæ Teſtamenti vel alterius 2
ultimæ voluntatis exhibeantur & earum fiat copia, ab omnibus quibus quid relictum eſt ſive per inſtitutionem ſive per ſubſtitutionem, non tantum heredibus ſed & legatariis *l. 2. §. 4. l. 3. §. 8.*

§. 8. l. 10. ff. de Tab. exhib. adverſus eum qui eas detinet, eaſve dolo habere deſiit & negat ſe
debere aut poſſe exhibere *l. 1. §. 1. ff. eod.* Quibus ſubtractis, aut dolo ſublatis per modum ju-
risjurandi in litem contra ſubtrahentem de contentis inſtrumento, unius teſtimonio aut juramento
partis ſtatur, per eâ quæ Bald. & DD. ad *l. ſi de poſſeſſione 20. Cod. de probat.* Abbas Panormitan.
in cap. accepimus extra. de fide inſtrument. num. 5. Anton. Gabriel. *commun. opin. lib. 1. num. 44.*
limitat. 24. Martin. Cala *de articulandi & probandi modo §. 2. gloſſ. unic. num.* 105. 225. 1594.
& 1595.

3 Alias ſi de re noſtra certiſſimus, directa rei vindicatione eam perſequimur, qua coram judice
experimur, ut nobis acquiratur reſtitutio rei noſtræ ab alio poſſeſſæ: *l. 13. ff. quod metus cauſa,*
& l. 23. ff. de Rei vindicat. etiam ab eo qui eam bona fide emit *l. 16. Cod. de Evict.* & juſtum
pretium pro ea perſolvit; quod non recuperat. *l. 2. Cod. de furtis, & l. 23. Cod. de Rei vindicat.*
ſed ejus cauſâ ei contra venditorem regreſſus eſt. *l. 11. §. 2. ff. de actionib. empt.* proque eo juſta
4 cautione proſpici poteſt. *l. pen. §. ult. ff. de periculo & commodo rei vend.* Niſi qui rem in pu-
blico emptorio, ignorans rem eſſe alienam bona fide emerit, nec à venditore reſtitutionem con-
ſequi poſſit: quo caſu commerciorum favore introductum eſt; ut ei à vindicatore pretium reſti-
tuatur. Coſtal. *ad l. 36. ff. de cond. indeb.* Moſſ. *de contract. rubr. De empt. vend. verſ. de reb.*
qua emi & vendi poſſ. num. 31. Nicol. vander Hoog *Sing. 100.* Vall. *de reb. dub. tract. 20.*
num. 21. circa fin. Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 3. verſic.* **Uytgenomen.** Zyp. *Notit. Jur. Belgic.*
de Rei vindicat. verſic. Jure, Zelandiæ Statut. conſuetudinar. cap. 3. art. 23. Chriſtin. *ad leg. Me-*
chlin. tit. 2. art. 2. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. Roman. Saxon. part. 4. conſtit. 39. defin. 5. 6. 7.*
Mart. *digeſt. noviſſ. tom. 2. tit. furtum, cap. 1. 2. 3.*

Hac actione petuntur omnes res, tam mobiles quam immobiles. *l. 1. ff. de Rei vindic.* modo
corporeæ ſint. *§. 1. Inſtit. de Action.*

Dig. vi. i. Cod. iii. xxxii. De Rei vindicatione.

5 In rem agentem dicere oportet, quid, quale, quantum ſit id, quod vindicat. Ut, ſi res mo-
bilis ſit, ejus qualitas, & quantitas exprimatur. *l. 6. ff. de Rei vindic.* ſi immobilis, nomen ejus,
quo loci ſit, & circumfinia deſcribere debet *d. l. 6. §. fin. ff. eod.* Eſt & actio in rem utilis prætoria,
ab auctore ſuo *Publicio* prætore Urbano *Publiciana in rem actio* dicta, quæ ad exemplum rei vin-
dicationis datur ei qui à non domino bona fide, & ex juſta cauſa rem accepit, quam necdum uſu-
cepit, adeoque nondum domino, ſed qui propter bonam fidem in dominii acquirendi cauſa do-
minus eſſe fingitur, adverſus quemvis poſſeſſorem non dominum ad rem quam amiſit recuperan-
dam cum omni cauſa. *l. 1. 2. 3. l. pen. & ult. ff. de Public. in rem act.* Cujus actionis nomen,
ſublatis undique actionum Romanarum formulis, in diſſuetudinem abiiſſe poſt Autumnum no-
tat Groeneweg. *ad d. tit. de Publician. in rem actione.* Neque alterius quam directæ vindicatio-
nis pro vero domino ad rem ſuam recuperandam, uſum eſſe putat: quod tamen, remotis licet
actionum ſolennibus, uſque adeo verum non eſt, quin ejus adhuc ſupereſſe poſſit uſus, ejuſque in-
ſtituendæ utilitas.

D. lib. vi. tit. ii. De Publiciana in rem actione.

6 Condemnationem rei principalis, condemnatio fructuum ſequitur *l. 35. ff. de Rei vindicat.*
l. 1. Cod. Si mul. ſec. nupſ. quos quidem uſque ad litiſconteſtationem perceptos bonæ fidei poſ-
ſeſſor ſibi retinet, pro cultura & cura *l. 48. ff. de Acquir. rer. dominio. l. 22. Cod. de Rei vindicat.*
proque impenſis & meliorationibus neceſſariis, & utilibus: (voluptuarias enim impenſas nemo
repetit. *l. domum. 5. Cod. de Rei vindicat.*) Quæ ſi majores ſint quam ut fructibus perceptis com-
penſari queant, in totum repetere poteſt deducta fructuum perceptorum compenſatione. *l. 31.*
ff. de petit. hered. d. l. 48. ff. de Rei vindicat. l. 11. ff. de Noxalib. act. l. ſi fundum. 12. ff. de in rem
verſ. De quibus latius Joann. à Sande *lib. 3. tit. 15. defin. 2. 3. 4. & DD. ibi alleg.*

7 Malæ fidei poſſeſſor omnes omnino fructus non modo perceptos, ſed & eos quos percipere
potuiſſet, reſtituere tenetur. *l. 3. Cod. de Condict. ex lege. l. 62. §. 1. ff. de Rei vindicat. l. 5. Cod.*
eod. deductis ſolum impenſis neceſſariis, & utilibus, *l. 38. ff. de hered. petit.* De quibus diſpu-
tant interpretes, quoad utiles impenſas inter bonæ, & malæ fidei poſſeſſores differentiam ſta-
8 tuentes. Quæ quum ſtricta juris ratione ita ſuo modo poſſit defendi: benignius tamen receptum
eſt, ut officio judicis, etiam in malæ fidei poſſeſſore utilium impenſarum ratio habeatur *arg. d.*
l. 38. ff. de hered. petit. De quo eleganter Cujacius *lib. 1. obſerv. 10.* Adeoque ſtricta quidem
ratione inter bonæ & malæ fidei poſſeſſorem in ratione deducendarum impenſarum differentiam
eſſe: benigniori tamen æquitatis reſpectu id non attendi. Vide Mornac. & Autumn. *d. l. 22.*
Cod. de rei vindic. & poſt eos Groeneweg. *tract. de legib. abrogat. ibid.*

P Cap.

Cap. XII.

Per quas perſonas cuique acquiratur & quibus alienare licet vel non?

Summaria.

1. *Per quas perſonas nobis acquiratur.*
2. *Per eos qui in poteſtate noſtra ſunt: præter liberos, intelliguntur hodie famuli noſtri, qui quod ex jure & operis ſuis conſequuntur, nobis acquirunt.*
3. *Quatenus pro eorundem facto obligemur.*
4. *Liberi noſtri an & quatenus nobis acquirant.*
5. *Ex delictis liberorum an & quatenus teneantur parentes.*
6. *Qui veniant procuratorum nomine, & quatenus ex eorundem facto obligemur.*
7. *Qui alienare non poßint.*
8. *Fœmina & mulieres nuptæ an & quomodo contrahant.*
9. *Inſolventia inſimulati & Banco-ruptores alienando nihil agunt, ſed eorum bonis curator datur.*
10. *An & quando de fuga ſuſpecti, ante curatoris immißionem, vigilantibus creditoribus recte ſolvant. & quid moribus obtineat circa capti pignoris, & ceßionis ſive tranſporti dationem, à ſuſpecto proxime ante fugam factam?*
11. *Actio revocatoria intra quod tempus inſtitui debeat.*
12. *An & quatenus obæratus debitor acquirendo lucro renunciare poßit, & quid de hereditate, & legitima in bonis parentum.*
13. *An creditori, cui in diem debetur, ante diem ſolutio fieri poßit in fraudem aliorum creditorum.*

Inſt. II. IX. & Cod. IV. XXVII. Per quas perſonas nobis acquiratur dominium.

ACquiritur oobis non ſolum per noſmet ipſos, ſed etiam per eos, quos in poteſtate noſtra 1
habemus: *tot. tit. Inſtit. & Cod. per quas perſonas.* item per procuratores noſtros. *l. per procuratorem.* 8. *Cod. de Acquir. poſſ. §. ex his. Inſtit. per quas perſon. & ibi DD.* Qua in parte communis poſſeſſionis & proprietatis cauſa eſt: quum quoad acquirendum, poſſeſſionis & proprietatis cauſa æquiparetur *l. 1. §. 7. ff. de Acquirend. poſſeſſ.*

Per eos quos in poteſtate oostra habemus, præter liberos noſtros, non intelligimus ſervos 2
proptie dictos: (quos, his & pleriſque Europæ Regionibus, penitus incognitos ſupra diximus)
ſed famulos, & miniſtros liberos homines, qui nobis operis ſuis inſerviunt, qui oon omnia nobis
acquirunt: ſed id duntaxat, quod ex jure eorum, operiſve quas nobis præſtant conſequuntur: &
nec eorum facto, quod extra miniſterium eſt, ulterius quam pro mercede debita obligamur. Grot. 3
Introd. lib. 3. cap. 38. num. 9.

Quod & de liberis noſtris, quos in poteſtate habemus, idem eſt dicendum: qui nec omnia no- 4
bis acquiruot; ſed id ſolum, quod ex ſua opera, & ioduſtria provenit, ut ſupra de patria poteſtate
quoque notavimus. Prout idem de Galliæ generali recepta conſuetudine teſtatur Georg. Tholoſan. *Syntagmat. Juris Univerſi lib. 11. cap. 8. num. 21.* & de Belgiæ moribus Gudelin. *de Jure Novißim. lib. 1. cap. 13. verſ. quid morib.* Everhard. *Conſil. 92. num. 2.* Et porro, ſi filius ſua opera & induſtria rem patris multum auxerit, ejus quoque habenda eſt ratio in erciſcunda patris hereditate, adhibitis arbitris, qui quantum præcipuum filius ex eo lucro reportare debeat, arbitrentur. De quo vide Gutier. *de Jure confirm. part. 1. cap. 5. 6.* Gomez. *ad l. Tauri 29. num. 24.* Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. rubr. 6. §. 2. Gloſſ. (ne) num. 7.* Georg. Tholoſan. *d. loco. num. 22.* Sande *lib. 2. tit. 7. defin. 3. & DD. ibid. allegat.* Grot. *Introduct. lib. 1. part. 6. num. 3.*
Conſuetud. Antwerp. *tit. 36. art. 7.* Sic & nec ex delictis liberorum parentes teneri conſtat. *arg.* 5
l. 26. ff. de pœnis: quo pertinent Conſuetud. Antwerp. *tit. 36. num. 17.* & Mechlin. *tit. 9. art. 14.* Sed liberi delinquentes, aut in pœnam aut mulctam incidentes, ſi peculium non habeant uode ſatisfiat, & parentes pro iis ſolvere recuſaverint, in corporalem, puta fuſtigationis, ad ergaſtulum, panis & aquæ addictioois, aut ſimilis reſolvitur. per text. *in l. final. ff. de in jus vocando, l. 1. §. final. ff. de pœnis. l. 7. §. 3. ff. de Juriſdict. l. 6. in fin. Cod. de Sepulch. violat.* Vide Schneiduin. *ad tit. Inſtitut. de obligat. quæ quaſi ex delict. §. ſi filiusfamil. num. 2.* Perez. *ad tit. Cod. de proſcript. num. 12.*

Per procuratores, hic etiam intelligimus negotiorum geſtores, inſtitores, & ſimiles manda- 6
tarios, per quos pleno jure acquirimus, & eorum facto tenemur. *tot. tit. Inſtit. quod cum eo qui in alien. poteſtat.* De quibus fuſius infra *lib. 4. cap. 3.*

Quem-

Quemadmodum per procuratorem acquiri, ita etiam adimi, & amitti nobis rei noſtræ dominium, & poſſeſſio poteſt: nihil enim intereſt, utrum ipſe dominus tradat alicui rem ſuam, an voluntate ejus alius. *§. 42. Inſtit. de Rer. diviſ.*

7 Sed nec omnibus alienandi, & res ſuas in alium transferendi poteſtas eſt: Quomodo propter prohibitam perſonarum qualitatem, furioſi, mente capti, pupilli, minores, & prodigi, quibus bonis publica auctoritate interdictum eſt, res ſuas non niſi per tutores aut curatores ſuos in alium transferre queunt. *§. 2. & §. final. Inſtit. per quas perſonas l. 1. Cod. de Curat. furioſ.*

Inſt. Quibus alienare licet vel non?

8 Hiſce nobis anumerantur omnes fœminæ, & mulieres nuptæ, quæ maritorum ſuorum poteſtati ita ſubjiciuntur, ut nec ſuo nomine extra conſenſum & auctoritatem illorum valide contrahere, neque res ſuas alienando in alium conferre poſſint: exceptis palam negotiantibus, in his, quæ negotia ſua concernunt. Ut latius videre eſt apud Grot. *Introduct. lib. 1. cap. 5. verſic.* Hier tegens. Joann. à Sande *lib. 2. tit. 4. definit.* 4. Gudelin. *de Jure Noviſſimo lib. 1. cap. 7.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 9. *art.* 10. Quibus adde & ea quæ latius ſupra: *De maribus & fœminis eorumque juris differentia lib. 1. cap. 7.*

9 Ita & illi, quibus, de fuga ſuſpectis, deſiderante creditore, alienatione bonorum interdictum eſt. *l. 8. ff. de Pollicitat.* aut hi, qui inſolventiæ inſimulati, bonis ſuis cedunt, aut fuga ſibi conſulunt, quos *Banco-ruptores* vulgo vocant, bona ſua alienando, aut in alium transferendo nihil agunt. Quorum bonis curator datur, qui omnia ad opus Jus habentis adminiſtrat, & gerit, *l. 1. §. 1. l. 2. in pr. & l. fin. ff. de Curator. bon. dand.* eaque, quæ in fraudem creditorum alienata ſunt, reſtitui curat. *tot. tit. ff. Quæ in fraudem creditor. alienata ſunt, ut reſtituantur.* Quod & mores ubique ſervant.

D. XLII. VIII. *De Curatore bonis dando.*

10 Jure communi qui ante bonorum poſſeſſionem, & Curatoris immiſſionem, debitum ſuum recipiendo vigilavit, & ſuam conditionem meliorem fecit, licet ſciverit bona non eſſe ſolvendo, ſecurus eſt, nec de reſtituendo tenetur. *l. 6. §. 6. 7. & l. 24. ff. de his quæ in fraud. creditor.*

D. XLII. IX. & Cod. VII. LXXV. *De his quæ in fraudem creditorum alienata ſunt, ut reſtituantur.*

Quod tamen reſtringendum eſt ad pecuniam numeratam: veluti, ſi quis debitorem ſuum donec in bonis eſt, licet vel momento prius antequam illi curator datus eſt, reprehenderit, & ab eo debitam pecuniam receperit, quamvis ſciens prudenſve eum ſolvendo non eſſe, juxta *d. l. 6. §. 7. ff. quæ in fraudem creditor.* imo ſi vel in fuga ipſum interceperit; quod ſæpiſſime contingere vidi. Cæterum ſi capto pignore, aut alia bonorum ceſſione facta, (vulgo tranſporto) ſibi conſulere voluerit: reliquis creditoribus actione Pauliana tenetur, de reſtituendo eo, quod in eorum fraudem geſtum eſt. *§. 6. Inſtit. de actionib. l. 10. §. 13. & l. 22. ff. Quæ in fraudem creditor.* Quæ leges quidem impravata quaſi mercatorum quorundam conſuetudine, confundi quodammodo videntur: ſic ut & ab Hollandiæ Curia ante annos aliquot, ejuſmodi ceſſiones fuerint probatæ: ſed quorundam locorum Statutis nuperrime prudentiſſime contra eſt proviſum: Ut per Statuta Amſtelodamenſia ultimi Septembr. 1644. Leidenſia 21. Martii 1650. (relata in noviſſima Statutorum editione *art.* 138.) Delphenſia 16. Maji 1652. Et Goudanæ Civitatis ab Hollandiæ Ordinib. comprobata 8. *Decemb.* 1659. ejuſdem, aut non diſſimilis argumenti, & tenoris.

In cæteris, quicquid alii ſentiant, ego tamen à Jure Romano hac in parte recedere non auſim. Quod & Friſiorum mores expreſſe probant, quibus, creditorem tempore poſteriorem, qui ſciens debitorem non eſſe ſolvendo, (ſecus ſi neſciverit) pro privato debiti inſtrumento, ſibi à debitore inſtrumentum publicum confici curaverat, prioribus creditoribus, privato etiam inſtrumento ſubnixis, actione Pauliana teneri, deciſum eſt, teſte Joann. à Sande *lib. 3. tit. 13. defin.* 1. Ubi & ab ea ſententia in judicando non poſſe recedi aſſerit.

11 Actio revocandi bona à debitore fraudulenter alienata, intra annum utilem inſtitui debet. *per l. 1. & l. 10. in pr. ff. Quæ in fraudem creditor.* Quod tamen fallit in actionibus, ſeu juribus incorporalibus, ut ſi debitor in creditorum fraudem, alteri ſuo debitori ſuum debitum remiſerit, quo caſu creditoribus ad revocandam eam liberationem, datur tantum tempus, quantum actio illa debitoris duraſſet. *l. 10. §. 23. ff. eod.* Item in alienationibus ex cauſa lucrativa factis: veluti in donationibus, pro quibus revocandis perpetua competit actio; triginta ſcilicet annorum, aut tertiæ ſeculi partis. *per d. l. 10. §. 24. ff. eod.* Quomodo in utroque caſu in foro Saxonico practicari refert Carpzov. *definit. forenſ. part. 2. conſtit. 3. definit.* 20.

12 Sed an lucro acquirendo obæratus debitor in præjudicium creditorum renunciare poſſit, quæritur, nec ob id Paulianæ locus ſit? veluti ſi filius hereditatem paternam repudiaverit, aut ſi maritus lucro dotis renunciaverit, & ſimilia: vix enim fieri poteſt, ut renunciatio hæc non ſit doloſa, aut in fraudem creditorum facta: nihilominus tamen ejuſmodi renunciationes, etiam in præjudi-

cium creditorum ſubſiſtere mores noſtri probant: propterea quod creditores fraudari non intelligantur, ſi quid non acquiratur à debitore; ſed quum quid de bonis diminuitur: *l.6. ff. de his quæ in fraud. creditor. l. 119. l. 134. ff. de Reg. Jur.* Ex quo nec prætoris edictum obſtabit, quo minus debitor in præjudicium creditorum legatum ſibi relictum repudiare queat. Ut late Decius *conſil.* 260. quem pro Saxoniæ Judicato Dan. Moller. ſequitur Carpzov. *definit. forenſ. part. 3. conſtit. 23. definit.* 21. Vide etiam Fachin. *Controverſ. lib. 13. cap.* 46. Joann. à Sande *lib. 3. tit. 13. definit. ultim.* Molin. *ad conſuetud. Pariſ. §. 1. Gloſſ. 3. num.* 11. 12. 13. 14. Qui non tantum filium hereditati paternæ, ſed & legitimæ in præjudicium creditorum renunciare poſſe ſtatuunt. Sed in Gallia, territorio Mechlinienſi, & nonnullis aliis locis, ubi hereditas in linea recta ipſo jure citra aditionem tranſmittitur, juxta vulgare ac tritum, *le mort ſaiſit le vif*, hereditatis dominium ipſo jure acquiſitum, in fraudem creditorum repudiando amitti nequit, teſte Chriſtineo *ad l. Mechlin. tit. ult. art.* 6. 7. Charond. Mornac. Autumno, aliiſque relatis, à Groenew. *de legib. abrogat. ad l. 6. ff. quæ in fraud. creditor. & ad l. 14. ff de ſuis & legit.*

Similiter quæritur an creditori, cui in diem debetur, in fraudem aliorum quibus pure debetur, 13
præſenti die, per debitam Uſurarum reductionem recte ſolvatur, neque reſtitutioni locus ſit? Quo caſu huic edicto locum eſſe, quæque ſoluta ſunt velut in fraudem creditorum accepta reſtitui debere quidam putant *arg. l.10. §.12. & l.17. ff. Quæ in fraud. credit.* Sed qui textus, ut & tota hæc materia, an quid in fraudem creditorum factum eſſe dicatur, reſtringenda ſunt ad ea quæ poſt miſſionem in poſſeſſionem bonorum creditoris facta fuerunt ſecundum *l. 6. §. 7. l. 9. ff. eod.* & paſſim Cujac. *parat. ff. eod.* quum alias quod in diem debetur, ante diem etiam invito creditori ſolvere permittant *l. 38. §. 16. l. 50. l. 41. §. 1. l. 137. §. 2. ff. de Verb. oblig. l. 70. ff. de Solut.* Et moribus noſtris nihil frequentius ſit, quam ut debita in diem prolata, deductis uſuris pro ratione dilati temporis computandis in præſentem ſortem reducantur, ſive repræſententur, vulgo, **by reductie**/ quod inter Mercatores **rabat** / vocari ſolet.

CAP. XIII.

De Dominio, & in quibus conſiſtat.

SUMMARIA.

1. *Dominium quid.*
2. *Aliud ſerviens, aliud liberum.*
3. *Aliud plenum, aliud minus plenum, conſtituens directum, & utile.*
4. *Aliud rerum ſingularium, aliud univerſalium an recte dicatur?*

HActenus de acquirendi dominii modis: ſequitur ut de ipſo dominio, & in quibus conſiſtat, deſpiciamus.

Dominium ante definivimus eſſe, Jus quo res proprietate noſtra eſt; *per l. 17. ff. ad leg. Aquil.* 1
& l. 16. §. 1. ff. de Uſu & habitat. Proprietas autem, eſt jus de rebus noſtris pro lubitu diſponendi, (quo quilibet de rebus ſuis juſtus moderator atque arbiter recte dicitur. *l. 21. Cod. mandat.*) niſi quatenus vi aut jure prohibeatur.

Unde dominium aliud eſt liberum, aliud ſerviens. Quamvis longe alio ſignificatu, quo 2
perſonæ in diſputatione de ſtatu hominum domino ſuo ſervire dicuntur; res enim ſervire dicitur, non quæ domino ſuo, ſed quæ alteri quam domino ſervit, cogiturque pati, ut alius exinde quædam commoda percipiat, quo ipſo domino ſuo non omnia officia ſua præſtare poteſt. Libera eſt, quæ ſoli domino omnia præſtat. Quo facit *l. 90. ff. de Verb. Signific.*

Hoc iterum dicitur aliud plenum, quod cum uſu rei eſt conjunctum, aliud minus plenum, 3
quod in nuda proprietate conſiſtit, ab ipſo uſu ſeparatum: conſtituitque dominium directum, quod habet proprietatis dominus, & utile, quod habet ille, qui utitur, fruitur: Ut in Uſufructu, Emphyteuſi, feudo, &c.

Dominium iterum aliud eſt rerum ſingularium, (de quibus earumque dominii acquirendi 4
modis hactenus) aliud rerum univerſalium, quo eodem jure per univerſitatem & una acquiſitione, nobis acquiruntur omnia alicujus bona, res omnes, & jus univerſum alterius, non ſeparatim res ſingulæ: ut, quæ per teſtamentarias, & hereditarias ſucceſſiones nobis deferuntur. Verum illa diſtributio non tam dominii eſt, quam ipſius modi acquirendi: ut in quibus non minus ſpectetur modus ipſe, & cauſa acquirendi, quam acquiſitionis univerſitas: modi enim ipſi acqui-

rendi

rendi ſoli univerſales ſunt natura ſua, tituli ſingulares, & comparati duntaxat ad acquirendum res ſingulas: adeoque res ipſæ contentæ ſingulares ſunt. Quid? quod rerum ſingularium acquiſitiones, ut ſunt legata & fideicommiſſa, rebus univerſalibus intermiſceantur: quæ tamen non minus ad prius iſtud genus pertinent, quam Uſucapiones, & donationes: & viciſſim legari univerſitas poſſit, *l. 36. §. 2. ff. de legat. 1.* & donari, *l. ſi unquam. Cod. de reb. donat.* & vendi. *tot. tit. ff. de Hereditat. vend.*

Nos ut ut ſit, remota hac in parte ſcrupuloſa methodi ſubtilitate, præſcriptum ab Imperatore vulgarem, & rebus ipſis accommodatum ordinem ſimplici tractationis noſtræ diſcurſu ſequemur. De quibus hæc admonuiſſe ſuffecerit.

Cap. XIV.

De Servitutibus Prædiorum tam Ruſticorum quam Urbanorum.

Summaria.

1. *Servitus quid, & quotuplex.*
2. *An recte alia prædialis, alia perſonalis?* Neg.
3. *An Uſusfructus recte dicatur ſervitus?* Diſting.
4. *Servitus prædialis quomodo & quando conſtituatur.*
5. *An ſimpliciter conceſſum, ſervitutis conſtituendæ, aut donandi animo conceſſum videatur.*
6. *Precario conceſſum an & quando pœnitendo revocare, aut prohibere poſſimus?* Diſt.
7. *Si quis duorum ædificiorum ſibi invicem conjunctorum poſſeſſionem nactus, an mutuæ ſervitutes, per hoc ita conſolidentur, & deberi deſinant, ut poſtea iiſdem ſimpliciter venditis libera dici poſſint?* Neg. *cum diſtinctione.*
8. Grotius *interpretatus.*
9. *Quomodo intelligenda clauſula:* **Gelijk als het getimmert ende gemaackt ſtaat / gehuyſt ende bewoont werd** / *& an illa ſervitutem aliquam conſtituat.* Neg.
10. *Servitus quomodo utenda, ſi nullus modus adjectus.*
11. *Prædium in ſervitutibus aliud eſt dominans, aliud ſerviens.*
12. *Servitus prædiorum alia Urbanorum, alia Ruſticorum eſt.*
13. *Quomodo differant.*
14. *Urbanorum prædiorum ſervitutis ſpecies.*
15. *Oneris ferendi ſervitus quæ ſit.*
16. *Paries conterminus dimidiatim impoſitus communis ſit, & pro eo præſumitur.*
17. *Parietum uſus & ſumptus communis, nec feneſtris, aut foraminibus infringendi.*
18. *Tigni immittendi, & oneris ferendi ſervitus quæ ſit.*
19. *Suggrundiorum quæ ſit.*
20. *Stillicidii quæ, aut quotuplex ſit.*
21. *Qui Stillicidium debet, quid præſtare debeat.*
22. *Aquæ ductus ſervitus quæ ſit, quomodo præſtetur, & quomodo ab aquæ ductu prædiorum ruſticorum diſtinguatur.*
23. *Cloacæ jus quid ſit, & cujus ſumptibus tueatur & reparetur.*
24. *Servitus luminum quæ ſit, & quo modo à Servitute ne luminibus officiatur, differat.*
25. *Servitus proſpectus quæ ſit, aut quomodo à ſervitute luminum, aut ne luminibus officiatur, differat.*
26. *Feneſtras aperiendi ſervitus quæ ſit.*
27. *Altius non tollendi quæ ſit, an differat à ſervitute ne luminibus officiatur.*
28. *Ruſticorum prædiorum ſervitutum ſpecies quæ ſint.*
29. *Iter quid ſit, & an equo, curru, vel rheda vehi poſſit.*
30. *Quomodo mores diſtinguant.*
31. *Actus quid ſit.*
32. *Via quæ ſit.*
33. *Itineris, viæ, aut actus jure quomodo quis uti debeat.*
34. *Via publica aditus & reditus per vicina prædia cui & quomodo competat.*
35. *Viæ & itineris latitudo.*
36. *Quorum in anguſtis viis itineribuſque, aut pontem tranſcendentium, peditum, equitum aut curruum alter alteri cedat.*
37. *Aquæ hauſtus ſervitus qualis ſit in prædiis ruſticis.*
38. *Pecoris ad aquam appulſus.*
39. *Aquæ hauſtus in prædiis urbanis qualis præſtatio.*
40. *Aquæ ductus prædialis qualis ſit.*
41. *Jus navigandi per alterius, aut cum pluribus communem foſſam habentibus, quale ſit.*
42. *Quid præſtare debeat qui actus, itineris, aquæ hauſtus, aquæ ductus, aut foſſæ navigabilis ſervitutem debet.*
43. *Quibus modis ſervitus amittatur.*

44. *Quomodo per confuſionem?*
45. *Per renunciationem?*
46. *Admiſſione ejus, quod contra ſervitutis naturam?*
47. *Quando, & quomodo interitu rei ſervientis aut dominantis.*
48. *Quomodo ceſſante jure conſtituentis.*
49. *Quando non utentium negligentia.*

SErvitus, eſt jus in re aliena conſtitutum, quo dominus, quod alteri commodum ſit, aliquid pati in ſuo, aut non facere cogitur. *l. 26. ff. de Servitutib. Urbanor. præd.* 1

Inſtit. II. III. Dig. VIII. I. & Cod. III. XXXIV. *De Servitutibus.*

Hæc ab interpretibus alia realis dicitur, ſive prædialis, qua alicui prædium alienum ſervit, de qua hic proprie agitur; alia perſonalis, qua res aliena reſpectu perſonæ alicujus ſervit, cui adhæret, & cum qua extinguitur: Ut eſt Uſusfructus, uſus, habitatio. Quæ diſtinctio (extra eam qua perſona perſonæ ſervit, de qua ſupra *De Statu hominum*) eſſentialis non eſt: eo quod perſonalis illa rem ipſam æque afficiet, neque aliter circa rem ſubjectam ſeſe habeat ac ulla prædialis. Quam alii ita diſtinguunt, ut illa ſit immobilium tantum, *§. 3. Inſtit. de Servitut.* hæc tam mobilium quam immobilium, ſervitus ſit. Quæ differentia, quamvis vera ſit *per text. in §. 2. Inſtit. de Uſufruct. l. 28. l. 41. ff. eod.* non ideo magis Uſumfructum ſervitutis ſpeciem conſtituit. 2

Sic ut Uſusfructus proprie non ſit ſervitus: ſed aliquid præter ipſam ſervitutem ei inſit, ut quo 3
dominii quadam ſimilitudine, ipſa re uti frui poſſimus, tanquam noſtra, ſalva ſolum ejus ſubſtantia. *l. 1. ff. de Uſufruct. pr. Inſt. eod.* Quomodo Uſusfructus etiam pars dominii eſt *in l. 4. ff. eod. & l. 126. §. 1. ff. de Verbor. oblig.* & in emphyteuſi vocatur dominium utile: quod de ſervitutibus nemo dixerit. Quum tamen deficiente ipſa proprietate, dominium non ſit, & in eo quod non omnia nobis facere liceat, ſervitutis quædam ſimilitudo ineſſe videatur, quæ nec perſonalis, nec mere realis dici poteſt, quamvis de utroque aliquid participet: conſequens eſt, ut mixtam ſervitutem conſtituamus, atque ita Uſusfructus dicatur perſonalis ſervitus, quatenus à re perſonæ debetur l. 1. *ff. de Servitut.* quia nimirum perſonæ adhæret, & cum ea extinguitur. *§. 3. Inſtit. de Uſufruct. l. pen. Cod. eod. l. 3. §. fin. ff. quib. mod. Uſufruct. amitt.* quatenus vero in ipſa re conſiſtit, *d. l. 1. ff. de Uſufruct.* & tanquam jus reale vindicatur, *l. 5. in pr. ff. ſi Uſufruct. pet.* realis recte dicatur. Ut notat Cyn. *Rubr. Cod. de Uſufruct.*

Conſtituitur ſervitus, prædialis ſcilicet, vel pacto, *§. fin. Inſt. de Servit. l. fin. ff. eod. l. 1. §.* 4
fin. ff. de Servit. præd. ruſtic. vel Uſucapione, ſive præſcriptione, *l. 10. ff. ſi Servit. vindic. l. 2. Cod. de Servit. l. fin. Cod. de præſc. long. temp. & l. pen. §. 1. in fin. Cod. de præſcript. 30. vel 40. annor.* tertiæ centeſimæ partis, aliis 30. annorum ſecundum diſtinctionem ſupra de Uſucapionibus factam: remota corporalium Uſucapionis, & incorporalium præſcriptionis diſtinctione, quam ex collat. l. 14. *ff. de Servitut. cum l. 10. ff. ſi Servitut. vind.* communiter faciunt DD. de qua vide Fachin. *Controv. lib. 13. cap. 83.* Bronchorſt. *Centur. 1. aſſert. 92. 93. & Centur. 2. aſſert. 7.* rejecta etiam diſtinctione, inter ſervitutes cauſam continuam habentes, & inter eas, quarum uſus non eſt perpetuus, aut continuus: adeo ut ſi tanto tempore quiete fuerim in quaſi poſſeſſione ſervitutis alicujus in tuo prædio, abſque ulla diſtinctione dicar juſta præſcriptione ſervitutem eam acquiſiviſſe. Prout de Hollandiæ moribus teſtatur Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 36.* & de Saxoniæ moribus idem refert Carpzov. *defin. forenſ. part. 2. conſtit. 4. defin. 8. poſt alios ibid. allegat.*

Exceptis iis quæ meræ facultatis ſunt, in quibus ſolum tempus introducendæ ſervitutis modus non eſt: ſed præcedens hominis hoc agentis, & adverſarii obtemperantis, factum requiritur. Neoſtad. *Supr. Cur. deciſ. 98.* Aut iis quæ vi aut clam occupata, *l. 1. ff. quod vi aut clam.* aut precario conceſſa ſunt. *tot. tit. ff. de Precario.* Quod quidem ſi id expreſſe actum ſit, extra dubium eſt.

Cæterum ſi ſimpliciter quid conceſſum ſit, ſervitutis conſtituendæ cauſa, & donandi animo 5
conceſſum quidam volunt, ex Gloſſ. *in l. ſi Precar. 12. §. 1. ff. de Precar.* Quod tamen reſtringi rectius voluit, *Angel.* ad ſervitutis conſtitutæ remiſſionem, & liberationem: veluti, ſi conceſſi ut aliquid faceres in tuo, in quo per ſervitutem impoſitam illud facere non poteras, eo caſu animo donandi, & remittendæ ſervitutis illud conceſſiſſe videar: Cæterum quando in meo aliquid ſimpliciter fieri concedo, non utique videor illud donandi aut ſervitutis conſtituendæ animo conceſſiſſe, ſed precario: vulgo **Tot wederſeggens toe**/ *arg. l. cum de indebito. 25. ff. de Probat.* niſi forte per temporis lapſum in ſervitutem tranſierit.

Hinc quæritur ſi quid precario, aut ſimpliciter conceſſerim, an, & quando pœnitendo illud 6
iterum prohibere poſſim? Quod cum in facto mihi eſſet propoſitum, memini me diſtinguendo reſpondiſſe: Ut, ſi quando quid conceſſi, quod de ſui natura non eſt perpetuum, ſed temporale,

&

& ſine damno illius cui conceſſeram facile derelinqui, & removeri poteſt, occupantem ad derelinquendum & removendum compellere poſſim, quandocunque nihil placuerit: *arg. l. 1. ff. de precario.* abunde enim ſufficit, ſi cui vel in paucis amici favore conſulatur. *l. 20. Cod. de Negot. geſt.* niſi ſine aliqua cauſa mea, cum damno illius cui conceſſeram removere velim: quo caſu quoque obſtaret doli exceptio, ut recte notat Abb. *in cap. fin. extra de Precario:* Quando vero tale aliquid eſt conceſſum, quod de ſui natura non eſt ad tempus, ſed perpetuum, ut, ſi vicino meo conceſſerim parietem in meo facere, vel tignum parieti meo injungere quo tectum ſuſtentetur: quamvis precarium & gratis conceſſerim, attamen cogere illum non poſſum, ut removeat, & deſtituat. Quo caſu illa precaria conceſſio donandi animo, & ſervitutis conſtituendæ cauſa facta eſſe intelligatur: Sic ut ſecundum ſubjectam materiam conceſſio facta intelligatur. *arg. l. 4. ff. locati.* Quam diſtinctionem eleganter, & variis facti ſpeciebus poſt alios probat Barthol. Cæpoll. *tract. de Servitutib. Urbanor. præd. cap. 79. num. 6. 7.*

7 Servitus prædio debetur prædii alieni, nunquam ſui proprii: res enim propria domino ſuo ſervire non poteſt, *l. 26. ff. de Servitutib. Urban. prædior.* Hinc eſt, quod ſi quis duorum ædificiorum, ſibi invicem conjunctorum poſſeſſionem nanciſcatur, quorum unum alteri ſervitutem debebat, per combinationem quidem ipſum ſervitutis jus conſolidatur, & quodammodo ſervire deſinit: *l. 1. ff. quemadmod. Servit. amitt. l. 10. ff. comm. præd. l. 18. ff. de Servitutib.* Cæterum ſi poſtea eadem ædificia iterum ſeparatim vene aut ſimpliciter, nulla libertatis aut remiſſionis mentione facta, unumquodque eorum veteres ſuas ſervitutes, tam activas, quam paſſivas recuperat, & retinet. *arg. l. 9. ff. commun. prædior. l. 18. ff. de Servitutib. & l. 2. §. 19. ff. de Hered. vend.* contra *l. 30. ff. de Servitut. Urbanor. præd.* Grot. *Introd. lib. 2. cap. 36. verſ.* **Soo wanneer.**

8 Cujus verba tamen probe ſunt diſtinguenda, ut ad ipſas ſervitutes jam ante conſtitutas referantur: non vero ad id, quod interim, & durante combinatione ad ſui commodum pro uſu ſuo conficâ dominus curaverat. In tantum, ut ſi alterutrum vendiderit, cum expreſſa clauſula; **Gelijk als**
9 **het getimmert ende gemaakt ſtaat / gebruykt ende bewoont werd /** &c. id eſt, in ſua forma, qua ædificatum utitur fruitur, cum omni cauſa: Illa clauſula nullam ſervitutem novam conſtituit, nec active, nec paſſive, ſed longitudinem tantum, latitudinem, & denominationem ipſius corporis ſignificat: qua nihil quod ad ipſum ædificium ſpectat, excipere ſe velle venditoe declarat, quod alias nominatim excipere tenetur, ut *in text. l. 10. ff. commun. præd.* Cæterum ſi eo ipſo ſervitus deſignaretur, tam paſſiva, quam activa, iiſdem verbis eodemque ſenſu ſubintelligi, relatorum par ratio deſideraret, quo ipſo emptor de ædificio nunquam altius tollendo, aut aliter, quam quo modo ædificatum erat, reficiendo, etiam teneretur: quod nemo dixerit. Sic ut ſervitus non niſi nominatim & expreſſis verbis conſtituatur: quemadmodum in eadem facti ſpecie, ſuper interpretatione dictæ clauſulæ, ſæpius judicatum memini. facit *l. 17. §. 3. ff. de Servitutib. Urban. præd.*

10 Servituti modus adjici & imponi poteſt: *l. 2. §. 2. l. 4. §. 2. ff. de Servit.* qui ſi non ſit adjectus, civiliter & boni viri arbitratu minore fundi ſervientis detrimento, utenda eſt. *l. 9. ff. de Servitut.*

11 Servitutis vocabulum ſumitur & active, & paſſive, quomodo ſervitus alia dicitur dominans, alia ſerviens; debetur enim prædio dominanti à prædio ſerviente, ſive patiente. *l. 3. ff. commun. prædior.*

12 Diſtinctione prædiorum etiam Servitutes diſtinguuntur in urbanas, & ruſticas, non tam ex loco, quam ex uſu & materia. *l. 198. ff. de V. Sign. l. ſi prædium. 16. Cod. de Præd. & al. reb. minor. juncta l. 2. ff. de Servitut. Ruſticor. præd.* Uſus enim prædiorum alius Urbanus eſt, hoc eſt habitandi cauſam reſpiciens, alius Ruſticus, qui non habitandi, ſed fructuum conſervandorum, aut aliarum rerum cauſa, extra habitandi uſum conſtitutus eſt. *Dig. VIII. 11. De Servitutib. Urbanorum prædiorum.*

13 Differunt inter ſe ſubjecto: quod omnes ſervitutes ruſticæ in agendo, aut patiendo; Urbanæ autem, non tantum in agendo & patiendo, ſed & in non faciendo quid in ſuo conſiſtant, veluti ne vicinus ædes ſuas altius tollat, ne luminibus officiat, & *l. 15. §. ſervitutum. 1. ff. de Servitut. l. 6. §. etiam. ff. ſi Servit. vind. l. 1. in fin. ff. de Aq. pluv.* Unde etiam Servitutes confeſſoriæ, aut negatoriæ communiter appellantur. *§. 2. Inſtit. de Actionib.*

Deinde etiam uſu differunt: quo ruſtici prædii ſervitus natura ſua intermiſſionem habet, urbani prædii, uſum poſſeſſionemque continuam. *l. 14. ff. Servitut. & l. 18. ff. de Servit. Urbanor. prædior.*

14 Urbanorum prædiorum ſervitutis ſpecies ſunt, oneris ferendi, tigni immittendi, ſtillicidii, aquæductus, cloacæ, foraminis, luminum, proſpectus, altius non tollendi, & ne luminibus offícia-

ficiatur, & ſimiles; *§. 1. Inſtit. de Servitut. & l. 2. ff de Servitut. Urbanor. prædior.*

15 Oneris ferendi ſervitus eſt, ut paries, ſeu columna aliena onus neceſſarium ædium ferat, aut ut parieti, aut columnæ alterius inædificetur. *l. 1. §. fin. l. 33. ff. de Servitut. Urbanor. prædior.* Ipſo jure enim nemo alterius parieti, imo vel nec communi parieti; niſi pro parte dimidia, inædificare poteſt. De quo late Menoch. *De præſumpt. lib. 6. præſumpt. 73. num. 23. uſque ad fin.* plura de Servitutibus oneris ferendi, vide apud Cæpoll. *de Servitut. Urbanor. prædior. cap. 37. & cap. 58.*

16 Parietes ipſis vicinorum conterminis ſive limitibus dimidiatim impoſiti communes fiunt, *arg. §. 31. Inſtit. de Rer. diviſ. in fin.* proque iis præſumitur; niſi proprietas probetur. Quod quomodo fiat, vide Menoch. *lib. 6. præſumpt. 73. num. 10. & ſeqq.* Bart. Cæpoll. *de Servitut. Urban. prædior. cap. 40. num. 11. & ſeq.* Et hoc jure utimur in communi dividundo, ut omnium ſeparationum intermedia ſint communia; niſi propria alicujus probentur, contra *l. 9. Cod. de ædific. privat.* ubi Groeneweg. *& l. ult. ff. finium Regundor.* ubi Buſ.

17 Parietum, ut & aliarum rerum communium, uſus etiam atque ſumptus communis eſt. *l. 11. ff. commun. divid.* vide Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 14. art. 12.* Qui tamen aut oneri ferendo, aut ſimplici ſeparationi inſervire debet; ut nec feneſtris, aut aliis foraminibus extra communem conſenſum infringi poſſint, *l. 40. ff. de Servitut. præd. Urban.* nec aliquid iis apponi quo ullo modo imbecilliores reddi poſſent. *l. 13. l. 19. ff. eod.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. d. tit. 14. art. 14. 15.* Conſuetud. Antwerp. *cap. 62. art. 32.* Cæpoll. *de Servitut. Urbanor. prædior. cap. 36. in fin.*

Jure tamen Normanno armaria, feneſtræve, ac ſuggrundia in muro ſeu pariete conſtructa, ſi totum murum penetrent, atque è lapide quadrato ſint; ſimiliter tigna immiſſa, murum parietemque ejus eſſe demonſtrant, qui ex parte ædes ſolumve habet, niſi utrimque eæ res appareant, quæ parietem eſſe communem indicant. lege Municipal. Normann. *verſ. 611. & 619.* Quod & pro communi jure ubique obtinere putem, per ea quæ tradunt Menoch. *d. lib. 6. præſumpt. 73. num. 10.* & Cæpoll. *de Servit. Urban. præd. cap. 40. num. 11. & num. 13.*

18 Tigni jungendi, ſive immittendi ſervitus huic vicina eſt, qua licet domino ædium, cui illa debetur, tignum ſeu trabem in parietem alienum immittere, ut in eo requieſcat. *l. 20. ff. de Servitut. Urbanor. prædior.* Cui & oneris ferendi ſervitus ut plurimum ineſſe videtur: plerumque enim tignum ſeu trabes immittitur, ut ſuper eo ædificetur, aut quid in meo ſuſtentetur: quamvis ſubtili magis jure diſtinguantur illæ ſervitutes. de quo vide Cæpoll. *de Servitut. Urbanor. prædior. d. cap. 37. num. 7.*

19 Eſt & alia huic vicina ſervitus, quæ ſuggrundiorum dicitur, qua licet alicui tectum ædium ſuarum extendere ſupra alterius aream, ad protegendas ab injuria pluviæ ædes, quæ protegendi ſervitus eſt, atque ejuſcemodi tecti partes prominentes ſuggrundæ ſive ſuggrundia dicuntur. *l. 242. §. inter. ff. de Verb. Signific.* & Rubric. *De damno infecto, & ſuggrund.*

20 Stillicidii ſervitus duplex eſt, ſcilicet ſtillicidii immittendi, ut liceat id, unde & per quod pluvia ſtillat, immittere in tectum, aut locum alterius, licet in eum non cadat: aut quæ ſtillicidii ſervitus ſimpliciter dicitur, qua mihi jus eſt, ut à tectis meis pluvia guttatim decidat in tuam aream. *l. 2. ff. de Servitut. Urbanor. prædior.* Conan. *Commentar. Jur. Civil. lib. 4. cap. 10. arg. l. ult. ff. quod vi aut clam.* Quod nobis diſtinguitur per verba, **Drop / ofte drop-vang.**

21 Qui alicui ſtillicidium debet, ſpatium certum interjectum relinquere tenetur, quod in ædificando in ſuo occupare non poteſt, quo commode alterius ſtillicidium excipiatur. Vide Grot. *Introd. lib. 1. cap. 34. poſt. num. 14.* Cæpoll. *de Servitutib. Urbanor. præd. cap. 41. num. 2.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 14. art. 36.* Facit *l. 20. §. ult. ff. de Servitut. Urbanor. præd.*

22 Aquæductus, eſt jus quo quis aquam ſuam per locum vicini ejicere, & derivare poteſt, viciniuſque eam foramine aut canali aliove modo per ædes ſuas deducere tenetur. Conan. *Commentar. lib. 4. cap. 9. arg. l. 28. ff de Servitut. Urbanor. præd.* Quod de aqua munda, pluviali, aut naturalem cauſam habente intelligendum: Ut de generali Belgii conſuetudine teſtatur Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 14. art. 24. & art. 49.* teneturque is qui talem ſervitutem habet, in emiſſario illius foraminis aut canalis ferreum raſtrum, aut ſimile quid conſtituere, quo caveat ne illac ſordes exeant, aut ullum genus ſordium deducatur. Quod expreſſe cautum Conſuetud. Civit. Antwerp. *tit. 62. art. 52.* De moribus Pariſienſium vide Choppin. *lib. 1. tit. 4. num. 9.* Et hoc modo diſtinguitur hæc ſervitus ab aquæductu prædiorum Ruſticorum, de quo *in l. 9. ff. de Servitut. Ruſticor.* qui fluminis aut aquæ perennis eſt.

23 Cloacæ jus eſt, quo licet ſordes & immunditias in, aut per alterius ædes derivare: *l. 7. ff. de*

Servi-

Servitutib. quo pertinet latrinarum, aliarumque ſordium exoneratio. Quæ ſi alicui ſoli competat, is ſolus cloacam illam expurgare & reparare debet, *arg. l. 1. ff. de Cloac.* ſi vero, ut plurimum, cum alio communis ſit illa exoneratio, communi ſumptu bonis canalibus ruebitur, eaque oblimata & oppleta communibus expenſis purgabitur: niſi eorum quis ſolus oppletionis cauſam dederit, qui eo caſu ſolus impendia purgationis ſuſtinebit. Quo jure communiter utimur, teſte etiam Chriſtin. *ad leg. Mechlin. d. tit. 14. art. 22. 23.* Vide etiam Conſuet. Antwerp. *d. tit. 62. art. 58. 59.*

24 Servitus luminum eſt, qua lumen percipere ex alieno ſolo poſſum, quod excipere tenetur vicinus, nec mihi ab eo obſtrui poteſt. Quam ſequitur ſervitus, ne luminibus officiatur, quæ plus continet quam luminum ſervitus: ut qua vicinus prohibetur altius ædificare, aut aliquid collocare in ſuo, quo lumina ædificiorum meorum minuantur, atque aliquo modo obſcurentur: quum in ſervitute luminum ſufficiat lumen videri quomodocunque, *l. 4. ff. de Servitut. Urbanor. præd. junct. l. 17. ff. eod.* Ut in facti ſpecie præter omnes eleganter diſtinguit Cæpoll. *de Servitut. Urbanor. cap. 36. num. 2. junct. cap. 35.*

25 Eodemque modo diſtinguitur Servitus, ne luminibus officiatur, ab ea qua proſpectui noſtro officere prohibetur; quæ plus etiam continet: luminibus enim qui officere prohibetur, nihilominus poteſt ædificare aliquid, per quod ſol auferatur prædio dominanti, dummodo lumen eo ipſo non obſcuretur. *d. l. 4. & l. inter ſervitutes. 15. ff de Servitut. Urban.* niſi forte ipſe ſol prædio dominanti neceſſarius ſit: ut, ſi ſine ſole locus inhabitari non poſſit, vel lumen ſit conceſſum gratia alicujus artificii, quod in eo fiebat, & fieri non poterat ſine copia ſolis: ut recte etiam Cæpoll. *d. cap. 36. num. 7.* Secus in ſervitute ne proſpectui officiatur: quæ non ſolum continet aſpectum luminis, ex loco ſuperiori, ut cœlum videri poſſit: ſed etiam ab inferiori: ut, per feneſtras terram inſpiciendi, non impediendo proſpectum ad inferiora, vel de longinquo: qua quis ſemper tenetur conſpectum in eadem ſpecie liberum præſtare, quæ erat tempore conſtituendæ ſervitutis. *d. l. inter ſervitut. in pr. & ſeq. ff. de Servitut. Urbanor. præd.* & ibi DD. Quam differentiam etiam notat Cæpoll. *d. tract. cap. 33. num. 2.*

26 Feneſtras aperiendi ſervitus ſuper vicini ſolo, etiam ſervitutem luminum in ſe continet: ſimplex tamen feneſtras, aut lumina aperiendi patientia, abſque alio adminiculo ſervitutem non conſtituit. Gloſſ. *in l. 5. ff. de Servitut. Urbanor. & in l. 1. Cod. de Servitutib. arg. l. final. ff. de Itinere actuque privato.* Neoſtad. *ſupr. Cur. deciſ. 98.*

27 A Servitute ne luminibus officiatur, diſtinguitur, altius non tollendi ſervitus: qua ſcilicet cavetur, ne quis ædes ſuas altius tollat. Ut *in l. 1. ff. de Servitut. Urbanor. §. aquæ, Inſtit. de actionib. l. altius. 8. & l. 9. Cod. de Servitut.* Quamvis ut plurimum conjungantur, & plerumque ſervitus altius non tollendi conſtituta ſit, ne per hoc luminibus officiatur. Vide Cæpoll. *de Servitut. Urbanor. cap. 27. num. 3.*

28 Servitutum prædiorum ruſticorum ſpecies ſunt iter, actus, via, aquæductus, aquæhauſtus, pecoris ad aquam appulſus, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, & ſimiles. *§. 2. Inſtit. de Servitut. l. 1. ff. de Servitut. Ruſticor. præd.* Dig. VIII. tit. III. De Servitutib. Ruſticorum prædiorum.

Iter eſt jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, vel vehiculum. *pr. Inſtit. de Servitut. & l. 1. ff. de Servitut. Ruſticor. præd.* vide Varron. *de lingua Latin. lib. 4. & de re Ruſtica lib. 1. cap. 2.*

29 Ex quo quæritur, an is qui ſervitutem itineris habet, non tantum pedes ire; ſed an etiam equo, vel curru vehi poſſit? Qua in re, quamvis veteres Juriſconſulti diſtinguant: ut & eques & curru vel rheda per itineris locum aut fundum tranſire poſſit, ſi ipſe equum, vel currum adſcendat; ſi vero duceret equum, vel jumentum ante, vel poſt ſe, non poſſit: per ea quæ tradit Cæpoll. *de Servitut. Ruſticor. præd. cap. 1. num. 4.*

30 Mores tamen repugnare videntur, quibus, ſeparata ſervitus eſt eundi, & equo vel curru vehendi, quæ ut plurimum manifeſtiſſimis verbis, & utendi genere diſtingui ſolet, ut recte etiam animadvertit. Grot. *Introd. lib. 2. cap. 35. in pr.* Ubi probe diſtinguit inter eam itineris ſervitutem, quæ nobis **Een Voet-pad** / & eam quæ dicitur, **Een Ry-pad.** Quæ ut plurimum etiam latitudinis ſpatio differunt. Sic ut illa qua pedes itur, quatuor tantum ſit pedum, hæc autem octo ut plurimum pedum ſpatio terminetur. *arg. l. 8. ff. de Servitut. Ruſticor. præd.*

31 Actus eſt jus pecudes, vehiculum, vel jumentum, agendi. *d. l. 1. ff. de Servitut. Ruſticor.* Qui actum habet, habet etiam iter, quia ſine itinere actus agi non poteſt. *d. l. 1. §. actus. ff. de Servitut. Ruſticor. præd. pr. Inſtit. de Servitut. prædiorum.* Vide Cæpoll. *de Servitut. Ruſtic. præd. cap. 2. num. 1. 2.*

Hujus ſervitutis latitudo in jure non exprimitur: ſed ſi de ea nihil ſit actum, judicis arbitrio ſtatuitur. *l. 13. §. 2. ff. de Servitut. Ruſticor. præd.*

Via eſt jus eundi & vehendi per fundum alterius, continetque & actum & iter. *d. l. 1. ff. eod.* 32

His illud commune eſt, ut qui aliquod harum ſervitutum jus habet, civiliter eo uti teneatur, 33
& minore fundi ſervientis detrimento: *l. 9. ff. de Servit.* Ut, ſi cui ſimpliciter viæ, aut itineris ſervitus conſtituta ſit, totus quidem fundus pro qualibet ſui parte ſervire cenſeatur. *l. 21. ff. de Servitut. Ruſticor. prædior.* ſic ut ei qui prædium habet dominans liceat ire, agere, vehere, per quamcunque prædii ſervientis partem velit. *d. l. 9.* Sed ne tamen cum damno alterius in infinitum vagetur, ſolet ei certum loci ſpatium aſſignari, quo ſervitute ſua utatur: quod ſi factum non ſit, boni viri arbitratu determinari ſolet, ut ea prædii parte ſervitute ſua utatur, qua ipſi ſit commodum, nec prædio ſervienti incommodum, aut certe non tantum, quantum fortaſſe in alia. *d. l. 9. ff. de Servitut. l. 13. §. 1. l. 22. ff. de Servitut. Ruſticor. præd.* Quod ita conſtitutum apud Mechlinienſes. *leg. municip. tit. 14. art. 50.* atque ibi Chriſtin. *num. 5.* ubi illud non ſolum diſpoſitioni Juris communis; ſed pœne omnium Statutorum & conſuetudinum Belgii aliorumque locorum conforme aſſerit. Qua autem parte prædii quis ſemel ſervitute uti cœpit, eadem etiam utetur poſtea, nec amplius ejus mutandæ habebit poteſtatem. *d. l. 9. ff. de Servitutib.* Vid. Bart. Cæpoll. *de Servit. Ruſtic. præd. cap. 1. num. 7.* Et qualiter fundi ſervientis & dominantis dominus ſervientis fundo uti poſſit, & ad quid dominus fundi ſervientis teneatur vid. eundem Cæpoll. *d. loco num. 15.*

Viæ publicæ omnibus communes ſunt quoad uſum, *l. 2. ff de Via publ. & itin.* eiſque quibus 34
eundi, ac redeundi neceſſitas eſt: hinc neceſſarius ad eas aditus & reditus, precario concedi debet, quo per prædia viciniora quam proxime, & quo minimo damno fieri poſſit, ad eas eatur, & redeatur, nobis, **Een nood-weg / ofte ly-weg / ter naaſter laage ende minſter ſchaade:** qua quis uti poteſt, ut pecora ſua ligata, per viciniora prædia, in agros ſuos paſcuos ducat, & reducat, ut meſſis tempore per ea fructus ſuos colligat, ut funus ducat, & ſimilia: quo facit text. *in l. 12. ff. de Relligioſ. & ſumpt. funer. l. 1. §. fin. ff. de Via Publica & Itiner. l. 23. §. fin. ff de Servit. ruſticor. præd. l. 81. §. 5. ff. de legat. 1.* Joann. Papon. *Arreſt. lib. 1. arreſt. 3.* Coſtal. *ad l. 10. ff. de Servitut. Urbanor præd. & ad l. 16. ff. de Servitut. Præd. Ruſticor.* Maynard. *lib. deciſ. Tholoſan. 59. num. 3.* Boër. *quæſt. 322.* De Hollandiæ moribus vide Grot. *Introduct. lib. 2. tit. 35. verſ.* **Nood-weg.** *Statut.* Rhenoland. *art. 145.* Delff-land. *art. 212.* Schielandiæ. *art. 146.* Cæpoll. *de Servit. Ruſt. præd cap. 1. num. 45.* Quod in Brabantia conſuetudinarium faciunt *Conſuetud.* Antwerp. *cap. 62. art. 83. & Conſuetud.* Mechlin. *tit. 14. art. 51.* & ibi Chriſtin.

Qui viam precariam patitur à vicino ſuo agros ſuos foſſa ſeparare, omnemque aditum continuum ſecludere minime prohibetur; dummodo de neceſſitate debite interpellatus, recludat cooperiatque. Ut notat Zyp. *Notit. Jur. Belg. de Viis public. in princ.*

Viæ latitudo jure definita eſt, ut in porrecto ſit pedum octo, in anfracto, ſexdecim. *l. 8 ff.* 35
de Servitutib. prædior. Ruſticor. Cæterarum ſervitutum ſpatium certo definitum non eſt, adeoque ſi inter partes expreſſum non ſit, arbitrio boni viri determinatur *l. 13. §. 2. ff. eod. l. 6. in fin. ff. quemadmod. ſervit. amitt.* Quod & moribus fere obtinet. Quibus itineris ſervitus, cujus latitudo jure definita non eſt, ut plurimum trium aut quatuor pedum taxatur, viæ autem latitudo, ut minimum etiam eſt octo pedum. juxta *d. l. 8. ff. de Servitut. præd. Ruſticor.* aut ſi illa plurium communis futura ſit, duodecim pedum ſpatio determinatur, qua currus obvii ſibi invicem cedere poſſint. Quod & cum Jure Saxonico convenit, teſte Georg. Schultz *ad tit. Inſtit. de Servitutib. litt. C. D.* Ubi ita expreſſe ſtatutum refert.

Sed quum plurimis in locis etiam viæ publicæ adeo arctæ ſint, ut currus directe ſe invicem 36
pertranſire vix poſſint, niſi alteruter aut retrocedat, aut in tranſverſum, uterque aut alteruter eorum ad extrema viæ deflectat, eodem Jure Saxonico modum præſcribi refert idem Georg. Schultz *d. loco.* qui noſtris quoque moribus convenit. Quibus juxta dictum Saxoniæ ſtatutum quoque minores majoribus, pedites equitantibus, equitantes rurſum currum agentibus, & inter hos vacui oneratis cedunt: per pontem tranſituri, qui prior cum clamore aſcendit, ab altero exſpectari debet, qui interim eo ſe in tranſverſum recipere tenetur, quo commode prior cum clamore adſcendens pertranſire queat: aut ſi viæ receptaculum adeo anguſtum ſit, ut alter obviantium currum ſuum retro ducere teneatur, ejus etiam conditio potior eſt, qui prior viam ingreſſus eſt. Quibus adde quod cæteris paribus hi qui proximiores ſunt, unde exierunt, his, qui remotiores, juxta viæ medietatem inter locum à quo & ad quem tranſierint, cedere etiam nobis communiter debeant. Quæ communiter ita ab aurigis obſervantur, ut qui extra eum modum, & commu-

munem uſum damnum aliquod intulerit, non tantum ad damnum & intereſſe reſarciendum teneatur, ſed & vehementiſſimis nonnunquam altercationibus, litibus, & jurgiis uſque ad vulnera & cædem incurrat. De curruum duorum concurſu inter viarum anguſta, & quem retrocedere oporteat, ſcripſit Nicol. vander Hoogh. *Singular. Juris* 21.

37 Aquæ hauſtus, eſt jus aquam hauriendi ex rivo aut puteo alterius. *l.* 2. *§.* 1. *ff. de Servitut. prædior. Ruſticor.* Sed & hæc prædiorum Vrbanorum ſervitus eſſe poteſt; quibus putei & ciſternæ, ut plurimum inter plures, communes ſunt, & variis ſubinde inſerviunt. Quo pertinet quod is qui tale Jus habet, pro ſua parte de refectione & reparatione putei vel ciſternæ teneatur. *l.* 6. *§.* 2. *ff. Servit. vindic. Nam in omnibus.*

38 Huic quam proxime accedit, pecoris ad aquam appulſus, quæ proprie ruſticorum prædiorum ſervitus eſt, qua quis pecus ſuum per fundum alterius ducere poteſt ad aquam, hoc eſt ad flumen, vel etiam ad fontem privatum, ut ex eo bibat. *l.* 1. *§.* 1. *ff. de Servitut. præd. Ruſticor.* dummodo hoc ligarò, & quam minima prædii ſervientis noxa fiat. *arg. l.* 9. *ff. de Servit.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 14. *art.* 50.

His etiam iter & actus continetur: *l.* 3. *§.* 3. *ff. de Servitut. Ruſticor.* nam cui ſervitus aliqua debetur, debentur ea omnia ſine quibus ſervitus illa percipi non poteſt. *l.* 11. *§.* 1. *ff. Commun. prædior.*

39 Quocirca de Servitute aquæ hauſtus in Prædio Vrbano notandum, ut ſi puteus ſit communis, & area, in qua eſt puteus, ſervitutem itineris, aquæ hauſtus cauſa debeat, areæ domino eam muro circumdare non prohibeatur: ita tamen ut oſtium in eo collocetur, cujus aperiendi vicinus, cui ſervitus debetur, quum lubebit, facultatem habeat. Quo Jure utimur. Quod & Jure Normanno expreſſe ſtatutum *leg. municip.* Normann. *verſ.* 622. Idemque in viis privatis Ruſticorum ſervitutum ſuo modo obtinere teſtatur Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de viis public. in pr.*

40 Aquæ ductus, eſt jus aquæ ducendæ per fundum alienum. *l.* 1. *l.* 2. *§.* 2. *ff. de Servitut. Ruſticor. præd.* Quod fieri ſolet vel canalibus, vel foſſa ducta, ex aqua publica vel privata. Ex aqua publica quidem cuivis aquam ducere licet, niſi quatenus lege aut ſtatuto eſt prohibitum, aut aqua illa in uſu publico non eſt. *l.* 2. *ff. de Fluminib. l.* 17. *ff. de Servitut. Ruſticor. præd. l.* 10. *§. final. ff. de aqua & aquapluv.* Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 35. *verſ.* **Upt Heere Wateringen.** & late Cæpoll. *de Servitut. Ruſtic. præd. cap.* 4.

41 Ad ſervitutes prædiorum Ruſticorum pertinet etiam jus navigandi per alterius, aut cum pluri-
bus communem foſſam navigabilem, vulgo **Een Vaertſloot** / quæ etiam quoad profunditatem;
& latitudinem communibus utentium ſumptibus, ad hoc ut navigabilis maneat, conſervari & re-
42 fici debet. *arg. d. l.* 6. *§.* 2. *ff. ſi Servitut. vindicet.* qui enim ſervitutem itineris, actus, aquæhau-
ſtus, aquæductus, foſſæ navigabilis, aut ſimilem debet, nihil aliud præſtare tenetur ei cui
eam debet, quam pati eum ire, agere, aquam haurire, viam aperire, aut ſternere; foſſam pur-
gare non tenetur. *arg. l.* 20. *ff. de Servitut. pluv. arcend.* Conan. *lib.* 4. *Comment. Jur. Civil.*
cap. 7.

Cæteræ ſervitutes cujuſmodi ſint, per ſe ſatis liquet.

43 Servitutum amittendarum modi varii ſunt.
I. Per confuſionem, & acquiſitionem dominii rei, quæ ſervitutem debet: ut, ſi fiam domi- *D. VIII.*
nus prædii prædio meo ſervitutem debentis, aut quum prædium meum ſerviret alii, dominus *VI. Quemadmod. Ser-*
44 fiam prædii dominantis, quibus modis ſervitus confundi dicitur. *l.* 1. *ff. Quemadmod. Servit. amit-* *vit. amit-*
tunt. Res enim propria ſuo domino ſervitutem nullam debere poteſt, *l.* 26. *ff. de Servit. præd.* *tunt.*
Vrbanor. l. 10. *ff. commun. prædior.*

45 II. Renunciatione domini ſervitutem remittentis, *arg. l.* 6. *ff. de Servitut. §.* 40. *Inſtit. de Rer. diviſ.* nihil enim tam naturale eſt, quam unumquodque eodem modo diſſolvi, quo colligatum eſt. *l.* 35. *ff. de Reg. Jur.*

46 III. Admiſſione ejus quod contra ſervitutis naturam eſt, veluti, ſi quis permittat aream illam ædificio obſtrui, per quam itineris ſervitutem habuit. *l.* 8. *ff. quemadmod. ſervitut. amitt.* Si enim is, qui prohibere poterat, quum novum opus fieri non ignoraret, hoc prætermiſit, damnum tantummodo ei ſarciri debet: ſed minime cogere poteſt, ut priſtinæ formæ res reſtituatur. *arg. l.* 28. *ff. commun. dividund. junct. l.* 13. *§.* 7. *ff. de Damn. infect.* Bart. *ad l. qua dotis.* 33. *circa fin. ff. ſolut. matrimon.*

47 IV. Interitu rei dominantis, aut ſervientis *l.* 14. *§.* 1. *ff. quemadmod. ſervitut. amitt. §.* 3. *Inſtit. de Servitutib.* Servitutes enim hæ non niſi inter duo prædia conſiſtunt; ideoque prædiorum nominantur. Nam ſi perſonæ forte ejuſdem generis ſervitus debeatur, ut in *l.* 4. *& l.* 37. *ff.*

de Servitut. Ruſticor. prædior. prædiorum ſervitus non eſt. *l.* 2. *§.* 2. *ff. ſi Servitut. vind.* Quod tamen reſtringendum eſt ad eum caſum, quo totus ſervitutis locus intereat, & mutetur, ſic ut reſtitui amplius non poſſit: Reſtituta enim re ipſa ſervitus quaſi reviviſcit, modo non tantum temporis intercedat quo ipſa ſervitus non utendo amitti poſſet: ita ſublato ædificio cui debetur ſtillicidii immittendi ſervitus, & poſtea reædificato, & reſtituto, priſtina ſervitus redit: quoniam res eadem eſt, propter aream quæ manſit, etſi forma ædificii mutata fuerit. *l.* 20. *§.* 2. *ff. de Servitutib. Vrbanor.* Et porro ſi ipſe locus per quem via, iter, aut actus debebatur, non in totum perierit, ſed impetu fluminis aliquamdiu occupatus fuerit, intra tempus tamen quod ad amittendam ſervitutem requiritur, reſtitutus fuerit, aut ſi fons è quo aquæ hauriendæ ſervitutem quis habuit, pro tempore exaruerit, poſtea vero ex eodem fonte iterum aqua fluere cœperit, ſervitus quoque in priſtinum ſtatum reſtituitur. *l.* 14. *ff. quemadmod. ſervit. amit. junct. l.* 35. *ff. de Servit. ruſtic. præd.* facit etiam *l.* 23. *&* 24. *ff. Quemadmod. Vſusfruct. amitt.* Qua diſtinctione facile ad concordiam vocantur DD. illi, inter quos non convenit, utrum rei ſive prædii ſervientis interitu, ſervitutes etiam illi impoſitæ intereant, è quibus vide Weſenbec. *in parat. ff. quemadmod. ſervit. amittat. num.* 4. & Rheinard. Bachov. ad Treutler. *vol.* 1. *diſput.* 17. *theſ.* 16. *litt.* C. Affirm. contra Donell. *lib.* 11. *Comment. cap. ult. in fin.* & Treutler. *d. loco.* Quos ita conciliare malim, quam cum aliis perperam reſpondere deciſionem dictæ legis 14. *ff. quemadmod. ſervitut. amitt.* non ex jure; ſed utilitatis cauſa conſtitutam eſſe.

V. Amittitur ſervitus, ceſſante jure conſtituentis. *arg. l.* 31. *ff. de Pignorib. junct. l.* 11. *§.* 1. 48
ff. quemadmod. ſervit. amitt. reſoluto enim jure dantis, ſolvitur etiam jus accipientis, *arg. l.* 105.
ff. de Condit. & demonſtrat. & nemo plus juris in alium transferre poteſt quam ipſe habet. *l.* 120.
ff. de Reg. Jur.

Ultimus Servitutis amittendæ modus eſt, non utentium negligentia, per tertiam centum an- 49
norum partem præſcripta, *l.* 7. *Cod. de præſcript.* 30. *annor. l.* 13. *l.* 14. *Cod. Servitut. l.* 7. *ff. quemadmod. ſervit. amitt.* ſive omnino nulla, ſive alia ſervitute fuerit uſus, *l.* 17. *ff. eod.* Quæ quomodo accidat, ex iis quæ ſupra de Vſucapionibus notata ſunt, ſatis fiet apertum.

CAP. XV.

De Uſufructu, Uſu, Habitatione, & Superficie.

SUMMARIA.

1. *Uſus rei ſpecies.*
2. *Uſus, alius plenus, alius minus plenus.*
3. *Vſusfructus definitio, ejuſque interpretatio.*
4. *Fructuum nomine quid veniat.*
5. *An & quomodo Metallifodinæ, lapidicinia, paludes ceſpituoſæ, & bituminoſa (nobis* **Steenplaatſers-aarde**) *in fructu ſint.*
6. *An & quando Vſufructuarius cautionem præſtare, inventariumque conficere etiam contra teſtatoris voluntatem teneatur.*
7. *An & qualis ſit Vſusfructus rerum quæ uſu conſumuntur.*
8. *Quomodo Vſufructuarius uti debeat, & quid circa uſum rei præſtare debeat, Jure Civili; & quid moribus ſit receptum.*
9. *Sylvam caduam aliaſve arbores quomodo ſuccidere poſſit Vſufructuarius.*
10. *Quæ & qualia onera rebus impoſita Vſufructuarius præſtare teneatur.*
11. *Vſus rei quid ſit.*
12. *Habitatio, ſive jus habitationis quid ſit.*
13. *Quomodo inter ſe ab uſufructu differant.*
14. *Vſusfructus, Vſus, & habitatio, an alteri locari, vendi, donari, gratis concedi & pignori dari poßit.* Diſting.
15. *Quibus modis conſtituitur Vſusfructus, uſus, & habitatio.*
16. *Quando Vſusfructus aut proprietas, legata cenſeatur, ex diverſis facti ſpeciebus, diverſimode intelligendum, & quomodo.*
17. *Alienandi poteſtas proprietatem inducit.*
18. *Alienandi poteſtate pro urgenti neceßitate, aut alimentis conceſſa, non niſi boni viri arbitrium importat, non etiam proprietatem.*
19. *An & hodie patri Vſusfructus in liberorum bonis acquiratur? Remißiv.* Neg.
20. *Quibus modis finitur Vſusfructus: quando & quomodo morte Vſufructuarii, & quid de fructibus pendentibus.*
21. *Uſufructu duobus aut pluribus legato, an, quando, aut quomodo deficientium portiones reliquis accreſcant.*
22. *Vſusfructus, Civitati, Eccleſiæ, aliiſque piis locis relictus, centum annis durat.*
23. *Quomodo rei interitu finiatur Uſusfructus.*
24. *Quomodo per ceßionem, aut conſolidationem.*

25. *An*

25. *An & quatenus Uſusfructus per ceſſionem extraneo factus extinguatur?* Neg. *cum diſtinctione, contra communes.*
26. *Quomodo Uſusfructus per longum tempus non utendo amittatur.*
27. *Superficiei tractatio etiam ad Uſusfructum, ſive ſervitutis materiam pertinet, & quare.*
28. *Superficies quid ſit, & cujus effectus.*
29. *Quomodo conſtituatur.*
30. *Quomodo amittatur.*

1 USus, ſive dominii utilis, ſpecies duæ ſunt, alia quæ perſonæ debetur, eique adhæret, & cum ea interit: ut ſunt Uſusfructus: Uſus in ſpecie dictus, & habitatio, quarum uſusfructus & uſus etiam rerum mobilium ſunt. Alia mere realis, quæ ſolum in re immobili conſiſtit, nec cum perſona extinguitur, ſed ad heredes tranſit: ut ſunt, emphyteuſis, feudum, de quibus ordine. Et
2 primo de Uſufructu, uſu, & habitatione notandum, quod quemadmodum dominium, ita & uſus à quo dominium utile dicitur, alius ſit plenus, alius minus plenus.

Inſtit. II. IV. Dig. VII. I. de Cod. III. XXXIII. De Uſufruct. & quemadmodum quis utatur fruatur.

Uſus plenus eſt, ad quem omnes omnino rei commoditates pertinent, quæcunque illæ ſunt, ut, in Uſufructu.

Minus plenus eſt, qui tantum ad neceſſitatem pertinet, ut eſt, Uſus in ſpecie ſic dictus.

3 Uſusfructus definitur, Jus aliena re utendi fruendi, ſalva rei ſubſtantia. *l. 1. ff. de Uſufruct. pr. Inſtit. eod.*

Dicitur aliena re utendi, &c. quamvis enim uſus plenus dominii quædam ſpecies ſit *l. 4. ff. de Uſufruct. & ibi DD.* conſuetudine tamen invaluit, ut is dominus ſive proprietarius vocetur, cui caducitatis jus eſt, *l. 1. verb. rei domino, Cod. de Jure emphyteutico.*

Jus utendi fruendi, eſt facultas, ſive poteſtas percipiendi omnem utilitatem, omne commodum, omnes denique fructus, quicunque etiam illi ſint, & ex re uſumfructum debenre percipi poſſint. *l. 7. & ſeqq. ff. de Uſufruct.* ſic ut fructuum nomine non tantum veniant fructus ex ipſa
4 re, ſua natura provenientes; ut, gramen, fœnum, fœtus animalium *§. 37. Inſtit. de Rer. diviſ.* aut mediante labore & induſtria hominum producti, ut ſunt, frumentorum & ſatorum genera. *l. 9. ff. de Uſufruct. l. 48. ff. de Acquir. rer. dom.* ſed & illi qui ſolo hominum facto quæruntur, ut ſunt, ædium locationes: *l. 7. §. 1. ff. de Uſufruct. l. 62. ff. de Rei vindicat.* quibus annumerantur etiam penſiones annuæ, & reditus vitalitii. Ut ab Hollandiæ ſuprema Curia judicatum refert Coren *obſerv. rer. judicatar. 7. ubi num. 16.* & ex Joann. del Caſtill. Soto Major. *tract. de Uſufruct. cap. 36. num. 35. cap. 38. num. 29. & DD.* ab eo allegat. etiam concludit: ut, ſi univerſitati bonorum annexum ſit jus patronatus, Uſufructuario etiam jus præſentandi competat. vide quoque Sarmient. *Select. quæſt. lib. 3. cap. 10.* Adeoque fructuum nomine contineantur omnes rei utilitates, obventiones, reditus, commoda atque emolumenta, quo quo modo percipienda, licet proprie fructuum loco aut vice non reputentur. *l. 7. ff. de Uſufruct.* Schneiduin. *ad §. conſtituitur. 2. Inſtit. de Vſufruct. num. 5.*

Sed quid de Metallifodinis, lapidiciniis, & paludibus ceſpituoſis dicendum ſit, quæri poſſet?
5 Quorum perpetua hæc diſtinctio uſu recepta: Uſufructuarium quidem omnium bonorum, etiam uti frui metallifodinis, & lapidiciniis, ſi in iis metallorum, & lapidum materia renaſcatur quotannis, ut, in locis mineralibus, ubi talis proventus pro unico & vero rei fructu eſt, qui ſalva rei ſubſtantia percipi poteſt. *l. 9. §. 1. ff. de Vſufruct. l. 7. §. 13. ff. Solut. matrim.* Sed ſi materia illa non renaſcatur, verus Vſusfructus in iis non eſt, quum ſalva rei ſubſtantia percipi non poſſint: *d. l. 7. §. 13. ff. Solut. matrim. & ibi* Petr. Barboſ. Ant. Fab. *lib. 1. conjectur. cap. 8.* Cujac. *lib. 15. obſerv. 21.* Barboſa *ad l. divortio. 8. §. ſi vir in fundo. ff. Solut. matrimonio.* Et noviſſime Joann. Caſtill. Soto Major. *de Vſufruct. quotidian. controv. lib. 1. cap. 37. num. 1. & ſeq.* & maxime *num. 9.* Mornac. *ad l. 7. ff. de Vſufruct.* Samient. *ſelect. quæſt. lib. 3. cap. 10.* Niſi ad hoc ut pecuniæ ex iſtis proventibus perceptæ uſumfructum habeat Vſufructuarius, eam fœnori exponere, & quotannis ejus uſuras percipere poſſit, dummodo ipſam ſortem proprietario reſtituat. Vt per DD. allegat. quibus adde Berlich. *practicabil. quæſt. part. 3. concluſ. 35. num. 21. 22. 23.* Quod nobis in agris bituminoſis, è quorum glebis effoſſis lapides conficiuntur, (vulgo **Steenplaatſers aarde**) & paludibus ceſpituoſis, quarum glebæ effoſſæ ad ſolem ſiccatæ ignem præbent, (vulgo **Veenen**) venit, quæ quum magnam ſimilitudinem habeant cum iis metallifodinis, quæ non renaſcuntur, præſertim eo caſu, quo fertiliorem fructum ferre non poſſunt, ut plurimum, etiam eorum uſumfructum in iis conſiſtere judicatum & receptum eſt eatenus, ut Vſufructarius ex iis glebas effodere poſſit, ſi pretium earum finito uſufructu reſtituat, proque æſtimatione earum debite caveat. Atque ita deciſum refert Joann. à Sande *lib. 5. tit. 3. defin. 2.*

Dicitur utendi fruendi ſalva rei ſubſtantia; id eſt boni viri arbitrio. *l. 9. ff. de Uſufruct. quem-*

Dig. VII. 1. Uſufructuarius quemadmodum caveat.

admod. cav. quemadmodum bonus paterfamilias ea uſurus fuiſſet, ne quid rei incommodet, vel
male utatur, vel in alium uſum quam in quem comparata eſt. *l. 15. & l. 19. ff. de Uſufruct.* Ita
ut proprietatis cauſam deteriorem facere *l. 13. §. 4.* nec ſervitutem imponere poſſit. *l. 15.*
§. 7. ff. eod. Quod ut præſtet, & ut rem finito uſufructu reſtituat, cautionem præſtare debet.
l. 4. Cod. de Uſufruct. l. 1. & l. final. ff. Uſufructuar. quemadmod. cav. Quæ cautio illi ne quidem 6
voluntate teſtatoris remitti poteſt. *l. 1. & l. 2. Cod. de Uſufruct.* qua non obſtante, Uſufructua-
rius pro intereſſe proprietarii cautionem præſtare, rerumque in Uſufructu contentarum inven-
tarium conficere compellitur. Quod in praxi ubique eſt receptum. Neoſtad. *Cur. Holland. de-
ciſ. 20. & ſupr. Cur. deciſ. 33. & 91.* Jul. Clar. *§. teſtamentum. quæſt. 66. in fin.* Gail *lib. 2. ob-
ſerv. 145.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 9. art. 13. num. 3. 4.* Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 39.*
circa princip. Carpzov. *defin. forenſ. part. 3. conſtit. 13. defin. 12.*

D. VII. V. De Uſufructu earum rerum quæ uſu conſumuntur.

Et quidem *ſalva rei ſubſtantia.* Quod de vero Uſufructu, earum ſcilicet rerum quæ uſu non
conſumuntur, intelligendum eſt, ut eadem res quam in uſufructu accepit Vſusfructuarius, reſti-
tuatur. *l. 1. ff. de Uſufruct.*

Cæterum Vſus quaſi Vſumfructum introduxit earum etiam rerum, quæ uſu conſumuntur: ut 7
ſunt, pecunia numerata, oleum, vinum, frumentum, in quo Vſufructus genere, cautio nunquam
debet omitti, ut quæ ſuccedat loco ſubſtantiæ rei, quæ alias per ſe utendo conſumeretur, qua ca-
vetur tantum de eadem re in genere, (ſi pecunia numerata ſit, quæ functionem in ſuo genere
recipit) aut alias de æſtimatione ejus poſt Vſufructuarii mortem reſtituendæ. *l. 1. 2. & l. 7. ff.*
de Uſufruct. ear. rer. quæ uſu conſum. §. 2. Inſtit. de Uſufruct. ubi nota quod vox *conſumi* duplici
ſenſu accipienda ſit, pro iis quæ aut uſu tolluntur, ut ſunt, oleum, vinum, frumentum &c. aut
quæ minuuntur, ut ſunt veſtimenta *d. §. 2. per text. in l. 1. ff. de Vſufruct. ear. rer. quæ uſu conſum.*
vel minuuntur. Contra Vinn. *ad d. §. 2. Inſtit. de Vſufruct.* ad verb. *veſtimenta.* Vide Andr.
Gail *lib. 2. obſervat. 46. num. 2.* Grot. *Introduct. lib. 2. tit. 39. verſ.* **Nogtans heeft de Ge-
woonte.** Mantic. *de Conjectur. ultim. voluntat. lib. 9. tit. 6. num. 1.* Veſtium tamen & ſupel-
lectilis alia ratio eſt, quas licet finito uſufructu heres ſalvas reſtitui ſtipulatus fuerit: attamen non
obligari promiſſorem, ſi eas ſine dolo malo attritas reddiderit, ex Pomponio Vlpianus ſcribit.
l. 9. §. 3. ff. Vſufruct. quemadmod. cav. An Vſufructuarius ante cautionem præſtitam fructus ſuos
faciat? Communis olim erat opinio, ipſam cautionem eſſe de ſubſtantia Vſusfructus, ac propterea
Vſufructuarium non facere fructus ſuos ante præſtitam cautionem: Sed quum cautio tantum ſpe-
ctet ſecuritatem proprietatis, & conſervationem Juris heredis, minime vero reſpectu Juris uten-
di & fruendi inventa, quo etiam abuti poteſt Vſufructuarius. Affirmantium opinio ut verior
uſu recepta eſt. quo facit *arg. l. 5. §. 1. ff. de Vſufruct. ear. rer. junct. l. 7. ff. Vſufructuarius
quemadmod. cav.* ſecundum ea quæ poſt Pinell. *de bon. matern. part. 2. l. 1. Cod. eod. num. 78.*
& Borguin. Cavalcan. *de Vſufructu mulieri relicto. num. 89.* late tractat Joann. Caſtillo Soto
Major *de Vſufructu lib. 1. cap. 16.* atque ita Provincialis Hollandiæ curia cenſuit. **In de ſaake
van Jakop van Lodeſtein ſoo hy procedeert Impetrant**/contra **Simon Maartenſz.
Dong.** *pronunciat. 16. Januar. 1612.* Contra Andr. Gail *lib. 2. obſerv. cap. 46. num. 6.* Neo-
ſtad. *deciſ. Suprem. Cur. Holland. 33. circa fin.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 3. tit. 23. defin. 3.* per-
peram diſtinguentes utrum bona, an mala fide poſſederit Vſufructuarius. diſtingue tamen utrum
alicui pecuniæ Vſufructus legatus ſit quam ego poſſideo, utrum vero pecuniæ ſub Vſuris eloca-
tæ, cujus reditus quidem ante cautionem præſtitam ipſi Vſufructuario denegandus non eſt, ſed
in ſortem imputari poteſt ſecundum *l. 24. ff. de Vſu & Vſufruct. & reditu legato.* quam non bene
intellexiſſe videntur alii.

Vſufructuarius igitur jure ſuo uti debet, ut recte colat, & ut tanquam bonus paterfamilias rem
fructuariam tueatur. *§. 38. Inſtit. de Rer. diviſ. l. 44. & l. 65. ff. de Vſufruct.* ut ea quæ vitii ali- 8
quid contraxerunt, & à priori integritate receſſerunt, ſarciat, & reparet, animalia ægrota cu-
ret, gregem ex fœtu suppleat, *l. 13. §. 2. l. 18. l. 45. l. 65. l. 68. in fin. ff. de Vſufruct.* Vt ædes
ſartas, tectas, & ea quæ ad perceptionem fructuum, & temporaneam rei conſervationem ſpe-
ctant, ſuis ſumptibus præſtet. *l. 7. §. 2. 3. ff. eod.* ſed novum opus, aut tale quid quod raro ac-
cidit, & extra communem uſum eſt, emergens, aut ea quæ ob perpetuam rei fructuariæ conſer-
vationem fiunt, quorum impenſæ grandes eſſe ſolent, ad proprietarium pertinent, & ab eo repeti
poſſunt. *d. l. 7. §. 2. 3. ff. de Vſufruct. l. 27. §. 3. ff. eod. junct. l. 20. ff. de damno infecto.*

Ita etiam in praxi eſt receptum. De moribus noſtris teſtatur Grot. *Introd. lib. 2. cap. 39. num. 8.
& ibi allegata à* Groeneweg. Atque ita juxta diſpoſitionem *d. l. 7. ff. de Vſufruct.* in Poloniæ Cu-
ria Regali in cauſa Nicolai Witkowski Conſul. Cracovienſ. cum tutoribus liberorum Joann.

Baptiſ-

Baptiſtæ Rovexla deciſum refert Andr. Lipsleius *practic. obſerv. cent. 2. obſerv. 17. num. 13.* Impenſas ſtructurarum, quæ ad conſervationem bonorum pertinent Uſufructuarium præſtare debere, eas vero quæ ad reſtaurandas ruinas, erogatæ fuerant, ex hereditate deducendas.

9 Sylvam cæduam Uſufructuarius ſuccidere poteſt, quoties rami, virgulta vel arbuſta mediocri quantitate ſunt renata, *l. 9. §. final. ff. de Uſufruct.* dummodo ita cædatur, ut ſucciſa iterum ex ſtirpibus ſive radicibus renaſci poſſit. *l. 30. ff. de Verb. Signific.* (nobis **Stoofſ oirboir.**) Cæterum ſi ſylva non ſit cædua, aut quæ ut cædua à domino habita non eſt, ut ſunt arbores grandes, quæ ad ornatum umbramve præſtandam pertinent, item arbores frugiferæ, ab Uſufructuario cædi non poſſunt; licet materiam ad villæ refectionem ex iis ſuccidere permittatur. *l. 10. 11. ff. de Uſufruct.* Si autem ex ſylva non cædua arbores evulſæ, vel per tempeſtatem ejectæ, aut alias demortuæ fuerint, ad uſufructuarium quidem pertinent, ſi novas earundem loco ſubſtituat. *l. 18. ff. eod.* Vide Grot. *d. loco* Conſuetud. Antwerp. *cap. 48. art. 3. 4.* & Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 15. art. 1. 2.*

10 Porro Uſufructuarius, vectigalia, tributa, decimas & ſimilia onera quæ ex ipſa re præſtari debent, agnoſcere debet. *l. 7. §. 2. ff. de Vſufruct. l. 28. ff. de Vſu & Vſufruct. legat.* Menoch. *Conſil. 330. num. 1. lib. 4.* Aodr. Gail *lib. 2. obſerv. 146.* niſi io ipſa conſtitutione Uſusfructus aliter placuerit, *l. 52. ff. de Vſufruct.* aut ad perpetuam rei cauſam ſpectent. *l. 27. §. 3. ff. eod.* quas quidem ut rei fructuariæ poſſeſſor refundere debet, finito tamen Uſufructu, ejuſdem heredes ante reſtitutionem deducunt. *d. l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. l. 62. ff. de Uſufruct.* Quomodo etiam de viceſima hereditatis parte, heredibus extraneis, & collateralibus, ut tributum ab Hollandiæ Ordinibus impoſita **Ordonn. van den 40. ende 20. penn.** *art. 6.* expreſſe cautum legimus his verbis: **Soo wanneer yemant de lijf-togte van eenige onroerende goederen gemaakt is / ende op een ander (den overleden van de ſijde beſtaande / ofte vreemt weſende) den eygendom / ſal in ſulken gevalle de gene die de ſelve goederen in lijf-togte ontfangt / denſelven twintigſten penning gehouden weſen te betalen / behoudelijk dat ſijne erffgenomen van den proprietaris / voor de overleveringe van dien / reſtitutie van de betaalde penningen ſal werden gedaan.** Id eſt: Si alteri Uſusfructus rerum immobilium legatus ſit, altero vero (qui teſtatori extraneus eſt, eumve collaterali linea contingit) proprietas relicta fuerit, Vſufructuarius quidem dictam viceſimam hereditatis luere tenetur: reſervata illi, ejuſque heredibus ſolutæ ejuſdem viceſimæ reſtitutione, ante traditionem rerum deducenda.

11 Vſus in ſpecie ita dictus, eſt uſus rei ad neceſſitatem, ſalva etiam rei ſubſtantia. *§. 1. Inſtit. de Uſu & habitat.*

12 Tertia ſpecies eſt jus habitationis, id eſt uſus ædium alienarum: quæ tamen ædium uſumfructum imitari potius videtur, quam ut proprium aliquod Jus conſtituat, *l. 13. Cod. de Uſufruct.* Vnde etiam *in §. 5. Inſtit. de Uſa & habitat.* quaſi proprium aliquod Jus dicitur, non quod revera ſit.

13 Differunt Vſusfructus & uſus, ut majus & minus: plus enim in uſufructu eſt quam in uſu. Vſus tantum neceſſitatis eſt, quo nec egeat nec abundet Vſuarius: Vſusfructus ad omnes omnino rei fructus & commoditates pertinet, quæcunque etiam illæ ſint, quibus Vſufructuarius non tantum ad abundantiam utitur, *§. 1. Inſt. de Uſu & habit.* ſed & ad abuſum, ſalva modo ipſius rei ſubſtantia: ipſorum enim fructuum Vſufructuarius noo eſt, ſed verus dominus, ſic ut eo caſu res ipſa in uſufructu eſſe dicatur, noo in abuſu, fructus in abuſu, non in uſufructu.

14 Unde & alia differentia cognoſcitur, ſcilicet, quod Vſufructuarius, quum fructuum pleno jure dominus ſit, jus ſuum alteri locare, *l. 38. ff. de Uſufruct. l. 29. in pr. ff. Quibus mod. Uſus vel Vſufr. amitt. l. 66. in fin. ff. de Jure dotium.* vendere, *l. 12. §. 2. l. 35. §. 1. l. 38. & ſeq. l. 66. ff. de Vſufruct.* donare, *l. 12. §. 2. ff. de Vſufruct. §. 1. Inſt. de Vſu & habitat.* & gratis concedere poſſit. *l. 72. ff. de Reg. Jur. l. ult. ff. de Vſuris*, retento ſolum jure quod perſonæ ejus inhæret, *l. 66. ff. de Jure dot.* Vt & is cui jus habitationis competit. *§. 5. Inſtit. de Vſu & habitat. in fin.* Is autem qui alicujus rei nudum habet uſum, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut ipſemet utatur ad uſum quotidianum. *§. 1. Inſtit. eod. l. 12. §. 1. eod. de Vſu & habitat.*

Quod ita intelligendum, ut non tam ipſum jus utendi fruendi, quam perceptio commoditatis in alium tranſeat: ipſe enim uſusfructus cedi nequit: *d. l. 66. ff. de Jure dot. l. 57. §. 1. ff. ſolut. matrimon.* exercitium autem, ſeu jus perceptionis, quod in utendo fruendo conſiſtit, recte transfertur *l. 12. §. 2. ff. de de Uſafruct. l. 38. l. 67. ff. eod.* perinde ac quilibet creditor, actionem, quam habet, vendere & mandare alteri poteſt, de quo vide Bachov. *ad Treutler. vol. 1. diſput. 16.*

theſ.

theſ. 10. *litt. A. B.* ubi illa latius explicat. Vid. Garſ. *de expenſis cap.* 10. *num.* 27. Chriſtin.
ad leg. Mechlin. tit. 15. *art.* 6. *num.* 7. *& art.* 7. *num.* 3. *& vol.* 1. *deciſ.* 129. Conſuetud. Ant-
werp. *tit.* 48. *num.* 9. Unde etiam recte infertur, adverſus Uſufructuarium executionem fieri
poſſe quoad fructuum commoditatem, quamdiu Uſufructuarius vivit. *per l.* 60. *§.* 1. *ff. de Uſu-
fruct.* De quo Matth. Colet. *de Proceſſ. Executiv. part.* 2. *cap.* 3. *num* 266. *&* 270. & Berlich.
part. 1. *concluſ.* 80. *num.* 26. & poſt eos Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part.* 1. *conſtit.* 32. *defin.* 21.
ubi ita in Scabinatu Lipſienſi judicatum teſtatur. Qua ut plurimum teſtatores obæratis ſuis
heredibus conſulere volentes, uſumfructum bonorum ſuorum iis tantum relinquunt, proprieta-
tem eorundem liberis reſervantes, quem addita prohibitionis clauſula, ab omni ære anteriori,
executioniſque modo liberum expreſſe volunt: aut alias etiam ipſorum bonorum reditus annuos à
tertio, cui ipſius voluntatis executio demandatur, non niſi in eorundem victum & amictum ero-
gandos quotannis conſtituunt.

Quibus modis Uſusfructus, iiſdemque illis Uſus atque habitatio conſtituitur, & finitur. *pr. In-* 15
ſtit. de Uſu & habitat. Ut plurimum pactionibus & ſtipulationibus, aut per ultimas voluntates,
§. 1. *Inſtit. de Uſufruct. tot. tit. ff. de Uſufruct. legat.* Item per præſcriptionem trientis ſeculi, qui
velut communis & generalis acquirendi modus eſt.

Sed quum in praxi circa Ultimarum voluntatum diſpoſitiones frequens occurrat dubium, u- 16
trum alicui ſolus Uſusfructus fuerit relictus, an vero talis Uſusfructus cui aliqua proprietatis ſpecies
adjuncta ſit: & circa naturam hujus diſpoſitionis valde laborent interpretes; ut videre eſt ex Co-
varruv. *variar. reſolut. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 5. Menoch. *de præſumpt. lib.* 4. *præſumpt.* 141. & Joann.
del Caſtillo Sot. Major. *tract. de Uſufruct. cap.* 8. *num.* 23. *& ſeq.* obiter hic notandum eſt, ſim-
plicem Uſumfructum non eſſe niſi proprietas apud alium conſiſtat: DD. *ad l. extran.* 11. *Cod. de
hered. Inſt. & ad l. filius à patre.* 28. *ff. de lib. & poſthum.* & hinc ex verbis generalibus Uſumfructum
denotantibus, ut, ſi legetur fundus ad utendum fruendum, niſi porro de ipſa proprietate ſeor-
ſim diſponatur, non tam uſumfructum quam ipſam proprietatem legatam cenſeri. *per l. ult. ff. de
Uſufruct. ear. rer. quæ uſu conſum. l.* 31. *§.* 1. *ff. de donat. l.* 15. *ff. de auro & arg. legat. l.* 4. *ff. de
aliment. vel cibar. legat. & ibi.* Bart. Vide quoque Mantic. *de conject. Ultimar. voluntat. lib.* 9.
tit. 2. *num.* 29. Hartmann. Piſtor. *practicar. obſerv.* 114. Andr. Gail *lib.* 2. *obſ.* 143. *num.* 7.
Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib.* 5. *tit.* 1. *defin.* 2. niſi ex voluntatis conjectura, aliiſque circumſtan-
tiis aliud appareat: Ut, ſi forte alicui quid legatum ſit: ad utendum fruendum, quoad vixerit, vel
tempore vitæ ſuæ; quæ conditio nudum uſumfructum conſtituit, adjecta temporis vel conditio-
nis exiſtentia. *l.* 5. *l.* 12. *verſ. Sin autem. Cod. de Uſufruct.* quo facit *l.* 34. *§.* 4. *ff. de legat.* 2.
& l. 38. *§.* 3. *ff. de legat.* 3. Vt recte etiam contra Hartmann. Piſtor. *d. loco.* diſtinguit Bened.
Carpzov. *Definit. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 13. *defin.* 9. *num.* 7.

Porro ſi uſufructui legato adjecta ſit alienandi poteſtas, proprietas etiam legata videtur, ſi 17
modo abſoluta ſit. Vt late Jacob. Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 133. *num.* 4. Mantic. *de Conjectur.
Ultimar. volunt. l.* 9. *tit.* 5. *num.* 14. quum abſoluta alienandi facultas non niſi proprietario com-
petat. Quomodo etiam deciſum refert idem Carpzov. *dict. conſtit.* 13. *defin.* 11. facit etiam
l. Proculus. 19. *ff. de Uſufruct.* Vbi adjecta conditio, quæ non niſi à proprietario impleri poteſt,
proprietatis legatum inducit, cenſeturque introductum fideicommiſſum, ad reſtituenda ea tan-
tum, quæ non alienata exſtiterint. *per l.* 54. *ff. ad Senatuſconſ. Trebellian.* ubi textus ſtatuit here-
dem, aut legatarium, quibus res eo modo relicta eſt, libere, & pro lubitu alienare poſſe: ſi modo
quarta pars pro heredibus reſervetur: juxta *auth. contra quam rogatus. Cod. eod.*

Cæterum ſi illa alienandi poteſtas abſoluta non ſit (veluti, ſi conjugi omnium bonorum Vſum- 18
fructum leget, adjecta clauſula, ut urgente neceſſitate, bonorum legatorum alienatio, & conſum-
ptio ei ſit permiſſa, reliquumque quod ex iis ſupererit heredibus prædefuncti cedat) hujuſmodi
legatum boni viri tantum arbitrium importat, extra quod pro ſimplici Vſufructu reputatur.
Vt poſt Guidon. Pap. *deciſ.* 352. in Hollandiæ Curia judicatum refert Neoſtad. *Cur. Holland.
deciſ.* 20. Quod in conſulendo ſecutus, aliquoties coram judice obtinui.

Sed & alius conſtituendi Vſusfructus modus à lege defertur: Vt patri, in bonis adventitiis filii- 19
fam. *pr. Inſtit. per quas perſon. nob. acquir. l.* 1. *l.* 2. *l.* 6. *in pr. Cod. de bon. quæ liber.* Qui cum ex
ſingulari Romanorum in liberos poteſtate proveniat (quam moribus noſtris ea in parte abrogatam
diximus ſupra *lib.* 1. *cap.* 9.) nullius hic etiam uſus eſt: niſi in hiſce regionibus, ubi jus ſcriptum
hac in parte etiamnum viget. De quibus ſupra etiam *d. loco.*

Dig. vii. iv. Quibus mod. Uſusfructus vel uſus amittit.

Finitur Vſusfructus I. morte Vſufructuarii *l.* 3. *§. fin. ff. Quib. mod. Uſufruct. amitt.* Quod 20
ſtricte intelligendum eſt, ſic ut fructus adhuc pendentes, needum percepti, non ad fructuarii he-
redes,

redes, ſed ad proprietarium pertinere intelligantur: *§. 36. Inſtit. de Rer. diviſ. l. 25. §. 1. ff. de Uſur.* Excepto quod ædium aliarumque rerum locatarum penſiones, pro rato temporis dividantur. Si non integro locationum aut perceptionum tempore conſtiterit Uſusfructus. *l. 26. ff. de Uſufruct. l. 36. ff. eod.* Cæterum ſi integro anno, aut toto perceptionis tempore Uſusfructus duraverit, licet tardius, (ut communiter apud nos agrorum penſiones) inferantur, aut cedant, integræ penſiones fructuarii heredibus debentur: *per l. 58. ff. eod.* Qui textus niſi ita diſtinguantur, quibuſdam pugnare videntur.

Sed quid de Uſuris & pecunia fænebri dicendum? Quidam putant, ex eo quod Uſuræ fructuum vicem obtineant, nec à fructibus ſeparari debeant. *l. 34. ff. de Uſur.* ad inſtar fructuum ſatorum aut plantarum, eas non niſi poſt ceſſionis terminum, quo ſolutæ & perceptæ fuerint, aut vivo teſtatore percipi potuerint, uſufructuario, ejuſve heredibus competere, nec pro rato temporis dividi eas poſſe. Sed verius diſtinguendum eſt, inter fructus dividuos, & individuos, qui per ſe dividi non poſſunt, ut ſunt ſatorum, & plantarum fructus, qui per ſui naturam niſi maturi, percipi, nec cedere, proindeque nec dividi poſſunt, juxta *§. 36. Inſtit. de rer. diviſ. & l. 25. §. 1. in fin. ff. de Uſur.* Secus in fructibus dividuis, ut in ædium, aliarumque rerum locatarum penſionibus *d. l. 26. junct. l. 36. ff. de Uſufruct. l. 5. §. 4. ff. ſi Uſu fruct. petat. l. 9. §. 1. verſ. ſed an. ff. locati. l. 32. §. 7. ff. de Uſufruct. legat.* Vide Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 38. verſ.* **De lyf-togt.** Johann. Caſtill. Soto Major *De Uſufruct. cap. 77.* Quibus & pecuniæ fænebris Uſuras adjungi, nihil eſt quod vetat, ut quæ nihil aliud ſunt, quam pecuniæ locationes pro uſu, certa mercede conſtituta. Eſt enim uſura uſus rei: atque Uſufructuarius poteſt aut ipſemet uſum, ſive fructum rei percipere, aut alii locare, perindeque eſt, ac ſi ipſe re locata uſus fuiſſet *l. 12. §. 2. ff. de Uſufruct. l. 38. ff eod. l. 8. ff. de reb. auth. Jud. poſſid. l. 11. §. 2. ff. de Pignorib.* Atqui ſi ipſemet ipſa pecunia locata fuiſſet uſus, inque uſus ſuos convertiſſet, proculdubio pro rato temporis eædem uſuræ, id eſt uſus rei pertinuiſſent: quare ergo non, ſi eandem pecuniam alteri utendam pro certa mercede dederit, quæ non tantum per ſe dividua eſt, nec annuatim, ſed ut Jure Romano per ſingulos menſes in annum computatos, pro rato temporis ſolvi, & deberi eſt receptum. Quod miror à nemine hactenus obſervatum: Neque obſtat *d. l. 34. ff de Uſur.* Quæ ſi inſcriptionem conferas cum *l. 25. 27. 29. ff. De hered. petit.* de ſpeciali caſu hereditatis petitionis agit, quo caſu malæ fidei poſſeſſor tam Uſuras quam fructus reſtituere debet, eoque ſenſu lex dicit, Uſuras enim fructuum vicem obtinere, nec à fructibus ſeparari, quod ſcilicet etiam in fructu ſint, non autem ut in omnibus & per omnia fructuum jure ſtet; quod ipſa etiam verba, fructuum vicem obtinere, ſatis innuunt.

21 Quod ſi duobus vel pluribus Uſusfructus legatus ſit, ſi ſeparatim ſint relictæ partes, ſingulis ſuæ partes debebuntur, & deficientium portiones ad proprietarium pertinebunt. *l. 1. ff. de Uſufruct. accreſcend. junct. §. fin. Inſtit. de Uſufruct.* & ſi non ſpecialiter partis mentio facta ſit, æquis partibus debebitur. At ſi duobus conjunctim legatus ſit Uſusfructus, mors ultimo decedentis ſpectanda eſt: propterea quod eo caſu deficientis, vel deficientium portiones aliis accreſcant. *l. 1. §. 3. & l. 3. in pr. ff. de Uſufruct. accreſc.* Quot autem modis conjunctio fiat ad titulum de legatis latius tractabimus.

D. VII. II. De Uſufructu accreſcendo.

22 Civitati vero vel municipibus uſusfructus relictus, centum annis durat; qui finis vitæ hominis longævi eſt. *l. 56. ff. de Uſufruct. l. 8. de Uſufruct. legat.* Quod etiam in Uſufructu, Eccleſiis, Noſocomiis, aliiſque locis piis, relicto admiſſum eſt. *arg. l. 23. in pr. & §. 1. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.*

23 II. Finitur Vſusfructus, ipſius rei interitu. *3. Inſtit. de Uſufruct.* Eſt enim Vſusfructus jus in corpore, quo ſublato, & ipſum jus tollitur, *l. 2. ff quib. mod. Uſufruct. vel Vſus amitt. pr. Inſtit. de Vſufruct.* Nec ſolum totius rei interitu, ſed etiam partis, in qua Vſusfructus erat conſtitutus. Hinc ſi ædes perierint, ne quidem Vſusfructus areæ debebitur: quia non areæ, ſed ædium Vſusfructus eſt relictus. *l. 1. §. 3. l. 10. ff. eod.* modo ipſa deſierit eſſe id quod antea fuit, & priſtina rei facies ita ſit mutata, ut in aliam ſpeciem & nomen tranſierit, *l. 5. §. pen. l. 13. ff. Quib. mod. Vſusfruct. vel Vſus amitt. l. 36. ff. de Vſufruct.* Nam ſi priorem rei ſpeciem mutatio non prorſus tollat, Vſusfructus manet, *l. 8. & ſeqq. ff. quib. mod. Vſusfruct. vel Vſus amitt. l. 51. ff. de Vſufruct.* Vide quoque Grot. *Introduct. lib. 2. part. 38. verſ.* **Ten tweeden door Ondergank.**

24 III. Per ceſſionem aut conſolidationem: ut ſi proprietario ſit ceſſus Vſusfructus, vel Vſufructuario obvenerit proprietas. *§. 3. Inſtit. de Vſufructu:* nam quum in una eademque perſona Vſusfructus, & propietas concurrunt, jus utendi fruendi ſeparatim intelligi non poteſt, *l. 5. in pr. ff. ſi Vſufruct. pet.*

Quod quidem de ceſſione ipſi proprietario facta intelligendum: nam ſi extraneo facta fuerit ceſſio, ipſum jus non alteratur, neque immutatur Vſusfructus, qui eſt in Vſufructuario, nec novus conſtituitur in perſona ejus cui ceditur: ſed eſt idem qui eſt in alienante. Ut recte poſt Scipion. Gentil. Joann. à Sande, *de Action. Ceſsione, cap. 5. num.* 35. contra Donell. *lib.* 11. *Commentar. cap.* 19. & Cujac. *ad §. finitur. Inſtit. de Vſufruct.* aliosque DD. qui Vſumfructum per ceſſionem extraneo factum plane extingui, & ad proprietatem reverti exiſtimant. Quorum25 ſententia tamen in praxi nuſquam eſt recepta: ſed è contra apud omnes pro communi regula invaluit: Jus ceſſum quatenus in ceſſionarium non transfertur, aut transferri non poteſt, apud cedentem remanere *per l.* 20. *ff. ex quib. cauſ. major. & l.* 17. *§.* 1. *ff. de Acq. poſſeſſ & l.* 38. *§.* 1. *ff. de Solut.* Sic ut Uſusfructus ceſſione extraneo facta, non tam ipſum jus Uſusfructus, quam fructuum perceptionis commoditas tranſlata videatur. *arg. l.* 38. *ff de Uſufruct. facit l.* 13. *ff. famil. erciſc. l.* 57. *ff. ſolut. matrim.* Ut recte etiam diſtinguit Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 39. *§.* 3. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 15. *art.* 6. *num.* 7. *& art.* 7. *num.* 3. *& vol.* 1. *deciſ.* 129. Vide etiam Garſ. *de Expenſ. cap.* 10. *num.* 27. Niſi tamen ceſſio contra legis prohibitionem malitioſe fuerit facta: quæ adeo nulla eſt, ut eo ipſo cedens omni ſuo jure cadat: *arg. l.* 1. *Cod. de ſepulchro violato. l. cum qui* 18. *Cod. ad leg. Jul. de adulter. & l. quid ergo.* 13. *§. cum autem.* 4. *ff. de his qui infam. notant.* Quo ſenſu à ſuprema Hollandiæ Curia judicatum eſt: patrem, eundemque tutorem & Vſufructuarium quarundam liberorum ſuorum ædium, Uſusfructus ſui jure cecidiſſe, eumque ipſo vivo cum ipſa proprietate conſolidatum: propterea quod eaſce ædes creditoribus ſuis, tanquam proprias obligaverit, inque executionem datas abſque luitione diſtrahi paſſus fuerit, quas poſtea ab emptoribus vindicatas dictis liberis pleno Jure reſtituendas Senatus cenſuit. **In de ſaake van Timan Lucaſz.** cum ſociis, **Voogden over de kinderen van Pobzandt Jacobſz. Bock/ Impetranten van Reformatie /** contra **Willem Dirxſz / ende Huybert Appelman /** 22. Decemb. 1605. Quæ ſententia in reviſione fuit confirmata 23. *Febr.* 1608. Quod probe diſtinguendum: quum alias Uſumfructum per ceſſionem extraneo factam extingui, aut ad proprietatem reverti, generaliter verum non ſit, quare & huic diſtinctioni dictam deciſionem notanter adſtringere volui, quod ea ipſa à nonnullis aut per juris ignorantiam, aut ſane per imprudentiam generali nimium ſenſu prolata, me ipſum juxta alios, fateor, in manifeſtum errorem aliquando ſeduxerit. Hanc quæſtionem ex profeſſo tractat Pinell. *ad l.* 1. *Cod. de bonis matern. part.* 3. *num.* 38. *&* 39. quem vide.

IV. Amittitur Vſusfructus non utendo per longum tempus. Ut ſi intra ſeculi trientem per 26 ſe nec per alium eo utatur. *l.* 2. *l.* 25. *ff. Quib. mod. Uſusfruct. vel Vſus amitt.*

D. XLIII. XVIII. *De Superficiebus.*

Commode huic titulo ſubjicitur de Superficiebus tractatio, quæ ad cenſuum redituumve 27 materiam quibuſdam ſpectare videtur: propterea quod pro ſuperficiei jure annuatim etiam quid ſolvi ſoleat. Quod quum de ejus eſſentia non ſit, nec adeo perpetuum, quid & ſine penſione conſtitui poſſit & ſoleat, ſervitutibus realibus potius vel quaſi, adeoque ipſi uſui vel habitationi eam putavi annectendam. Si enim habeam ſuperficiem in ſolo tuo, illud tuum ſolum recte dicitur ſervire meæ ſuperficiei, in quantum ædificium meum ſuſtinere tenetur. text. eſt *in l.* 86. *§. ult. ff. de legat.* 1.

Superficies eſt Jus ædificium in fundo alterius habendi, *l.* 2. *ff. de Superficieb. l.* 18. *§.* 4. *ff. de* 28 *damno infecto.* Eſtque Jus dominio ſimile, quo alicui competit ædificium in alterius fundo ſtruere, ſtructum retinere, uſuque poſſidere, donec fundi dominus æſtimationis pretium, aut quanti convenerit, ſolvendo ſibi ſuoque fundo approprier. *l.* 38. *ff. de Rei vindicat.* pro quo jure ipſi Superficiario tanquam ædificii domino actio in rem conceditur. *l.* 1. *§.* 6. *ff. de Superficieb. l.* 3. *§.* 3. *ff de oper. nov. nunciat.* & jus ſuum alteri concedere, atque alienare quocunque titulo, ſine cujuſquam licentia. *l.* 1. *§.* 2. *ff. de Superficieb.* Rebuff. *ad Reg. conſtitut. Galliæ tom.* 2. *Rubr. de conſtitut. redit. art.* 1. *gloſſ.* 17. *num.* 16. & ſervitutem ſuperficiei imponere licet *arg. l.* 3. *ff. de Servitutib.* durante ſcilicet ſuperficie, qua finita, finitur etiam ſervitus: ut ſupra de Vſusfructus ſervitute diximus. vide Cæpoll. *tract. de Servitut. Vrbanor. præd. cap.* 14. *num.* 4.

Conſtituitur ſuperficies, aut per venditionem, ſtipulatione interpoſita, aut per gratuitam 29 conceſſionem: quæ ſubintelligi videtur, quando dominus ſciens patienſque in fundo ſuo ædificium ſtruere alterum permittit. Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 46. *Verſic.* **Dit regt /** ut plurimum inter fundi dominum, & colonum conductorem fieri conſuevit, quod etiam innuere videtur *d. l.* 2. *ff. de Superficieb.*

Amittitur, ipſius ædificii interitu, & ſuperficie deſtructa: ſic ut domo combuſta, aut molendino 30 funditus deſtructo, ſuperficiarius reædificare non poſſit. *arg. l.* 34. *in fin. ff. de Vſusfruct.* Bald. *ad Rubric.*

bric. ff. de Superficieb. poſt princip. Jaſon *ad l. in Provinciali* 3. §. *ſi ego.* 3. *ff. de oper. nov. nunciat.* & alii quos citat Alvar. Valaſc. *de Iure Emphyteutico quaſt.* 33. *num.* 4. Caducam tamen reſtaurare, & ejus vitiis ſubvenire poteſt: niſi forte in ſuperficie ſola patientia & ſcientia domini conſtituta, ipſe dominus de novo opere non faciendo nunciet, aut interpellet; quæ denunciatio tantum operatur, ut non liceat tali ſuperficiario interpellato poſtea caducam reſtaurare, aut vitiis ſubvenire. Ut in ſimili recte notat Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 14. *art.* 45. *num.* 4.

Cap. XVI.

De Emphyteuſi.

Summaria.

1. *Emphyteuſeos definitio, ejuſque explicatio.*
2. *Quid Iuris Emphyteuta in emphyteuſi habeat.*
3. *An pignorare, vendere, aliove modo in alium transferre poſſit.* Affirm. *ſub certa forma legibus præſcripta.*
4. *Quæ ſit alienandæ aut transferendæ emphyteuſeos forma, ejuſque requiſita Iure Civili.*
5. *Quid moribus ea in re receptum in* Belgio, Gallia, Saxonia, *& alibi.*
6. *Iuris Emphyteuſeos origo.*
7. *Quomodo Emphyteuta re emphyteutica uti, & quid inibi præſtare teneatur.*
8. *Rei Emphyteuticæ meliorationes ad quem pertineant.*
9. *Præſtatio annui Canonis quatenus de eſſentia emphyteuſeos ſit, ejuſque ceſſationis pœna qua.*
10. *An propter ceſſationem annui Canonis dominus ſua auctoritate colonum expellere poſſit, aut res emphyteutica ipſo jure in commiſſum cadat?* Neg.
11. *An per celerem ſatisfactionem purgari ceſſationis mora poſſit?* Affirm. *quod mores probant.*
12. *An & quatenus caducitatis pœna obtineat in* Hollandia, Gallia.
13. *Bona emphyteutica hodie fere ad inſtar patrimonialium redacta probantur.*
14. *An per diviſionem rei emphyteuticæ, ipſa annui Canonis præſtatio dividatur?* Neg.
15. *Quo pacto in diviſionibus aut ſeparationibus rerum emphyteuticarum ſibi conſulatur, moribus.*
16. *Quid in ſucceſſionum inter plures heredes diviſione Iuris circa res emphyteuticas, & quis eorum emphyteutæ perſonam ſuſtineat.*
17. *An ob ſterilitatem, inundationem, aliudve damnum annuus Canon tolli, aut minui poſſit?* Diſting.
18. *An domo incendio, ruina, aut alio infortunio diruta, emphyteuticus Canon tollatur, aut minuatur.* Neg. *cum diſtinctione.*
19. *An ita conſtitui poſſit, ut etiam re emphyteutica funditus perempta, nihilominus penſio ſolvatur.*
20. *Propter ſterilitatem nulla penſitationis remiſſio.*
21. *Niſi per hoſtium invaſionem ita occupata, ut coli prorſus non potuerit.*
22. *Quibus modis conſtituitur emphyteuſis.*
23. *An ad ſubſtantiam ejus ſcriptura neceſſaria? De Iure:* Neg. *Quod* Hollandiæ, *viciniſque moribus* Affirm.
24. *Amittitur Jus Emphyteuticum conſolidatione.*
25. *Præſcriptione an & quomodo amittatur.*
26. *Extinguitur etiam Canone non ſoluto per triennium: Quod tamen moribus improbatur.*
27. *Emphyteuta Canonem & hodie ſuis ſumptibus ad domum domini portare quotannis debet, qui poſt triennium duplicatur.*
28. *Generalis Juris emphyteuſeos conſtitutio moribus pro ſpeciali eſt.*
29. *Amittitur ipſius rei interitu.*

VArii generis & naturæ reditus apud nos ſunt ipſam rem afficientes, inter quos præcipui quidem ſunt, Emphyteuſis, feudum, aliique reditus cenſuales, & jus decimarum

Emphyteuſis eſt. jus hereditarium prædio alieno utendi fruendi, ſub onere meliorationis, & præſtandi annui Canonis, in recognitionem directi dominii. *l.* 1. *&* 2. *ff. ſi ager vectigal.* Dig. vi. xxx. *Si ager vectigalis.* & Cod. iv. lxvi. *De Jure Emphyteutico.*

1 *l.* 1. *Cod. de Iure Emphyteut.*

Dicitur *Ius hereditarium.*] Quod per mortem Emphyteutæ non extinguatur: ſed perpetuum ſit, & ad heredes tranſeat. §. 3. *Inſtit. de locat. cond. l.* 1. *ff. ſi ager vectig. & l.* 3. *Cod. de fund. patrimon. novell.* 7. *cap.* 1. niſi ad certum tempus, aut ſub certa conditione conſtitutum ſit. Quamvis enim Emphyteuſis natura ſua ſit perpetua *d.* §. 3. attamen ad certum tempus, conſtitui poteſt, *l. fin. ſi ager vectig.* aut ſub certa conditione: veluti, ut poſt temporis lapſum, aut ſucceſſione unius in alterum nova inveſtitura peti debeat. *arg. cap.* 1. *extra. de Precario.* Quod in Univerſitatum collegiis uſui eſſe ſolet. vid. Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 40. *verſ.* **'t Gebeurt ook wel** / *& ſeq.*

Prædio alieno, &c.] Ut ſi rei immobilis, proprie quidem fundi; ſed uſus cauſa etiam ædium
quæ in fundo ſunt. *l.* 25. *§.* 26. *ff. de damno infect. auth. ſi quas. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* atque ita
prædii tam urbani quam ruſtici.

Utendi fruendi] Sic ut fructus omnes indiſtincte ſuos faciat, & pleno jure lucretur. *l.* 1. *& tot.* 2
tit. ff. ſi ager vectigal & §. 3. *Inſtit. de locat. cond.* quamvis enim non rei emphyteuticæ, ipſius
tamen Juris dominus eſt. *l.* 1. *& ult. ff. ſi ager vectig.* Unde etiam vocatur dominium utile: &
(quum rem afficiat, & ſecundum communem ſuam naturam perpetuum ſit, *d. §.* 3. *Inſt. de loc. con-
duct.*) utilem rei vindicationem habet, ſi caſu aliquo poſſeſſione ejus vel quaſi excidat. *l.* 1. *§. ult.
ff. ſi ager vectig.* & jus utendi fruendi ſibi vindicat, *d. l.* 1. *§.* 1. *ff. ſi ager vectig.* omniaque commo-
da & emolumenta prædii lucratur, *l.* 9. *§.* 3. *l.* 13. *§.* 5. *ff. de Uſufruct.*

Poteſt etiam Jus ſuum oppignorare, *l.* 16. *§. ult. ff. de Pignorat. act. l. ult. ff. de Vſuris.* Ser- 3
vitutem rei Emphyteuticæ imponere. *arg. l.* 1. *§. ult. ff. de Superficieb.* Ut ſaltem ex bono & æquo
tam diu ſubſiſtat, quamdiu duratura eſt emphyteuſis. *l.* 4. *ff. de Servitutib.* Ut ſi quando ipſe ager
Emphyteuticarius in commiſſum cadat, aut alio modo ad dominum revertatur, tale jus conſtitu-
tum etiam evaneſcat, *l.* 31. *in fin. ff. de Pignorib. & Hypothec.* Vide Jul. Clar. *lib* 4. *ſentent. §.
emphyteuſis. quaſt.* 21. Aurel. Corbul. *tract. de Jure Emphyt. cap.* 14. *limitat.* 29. Carpzov. *defin.
forenſ. part.* 2. *conſtit.* 38. *defin.* 14. Quemadmodum & jus ſuum vendere, donare, permutare,
aliove quovis titulo in alium transferre poteſt, *§.* 3. *Inſtit. de locat. & conduct. l.* 1. *ff. ſi ager vectig.*
& per ultimam voluntatem, titulo legati vel fidei commiſſi, de eo diſponere, *l.* 71. *§. ult. ff. de
legat.* 1. & ad heredes ſuos ſive teſtamentarios, ſive ab inteſtato proximos, tranſmittere, alia-
que omnia facere quæ ipſis dominis ſunt conceſſa, dummodo certam & legibus præſcriptam for-
mam obſervet: quæ talis eſt: Ut ſi vendere Jus ſuum Emphyteuta, aut creditori in ſolutum dare, 4
aliove modo in alium tranaferre velit, domino de pretio certiorem faciat, eique emendi præro-
gativam offerat, qui ſi emere noluerit, aut intra duos menſes voluntatem ſuam declarare ceſſave-
rit, emphyteutæ jam tum prius liberum eſt abſolute cum emptore, aut creditore contrahere,
etiam invito domino, modo quinquageſima pretii pars honorarii atque laudemii loco ei à novo
emphyteuta perſolvatur: juxta præſcriptum *l.* 3. *Cod. de Iure Emphyteut.* Quod ſi rem alienave-
rit emphyteuta irrequiſito domino, jure ſuo cadit, ac domino directo liberum eſt rem quaſi com-
miſſam revocare, nullo etiam pretio emptori reſtituto, *d. l.* 3. & ibi Sichard. Salycet. & alii DD.
Cod. de Iure Emphyteut. In donatione autem; permutatione, legato, alioque tranſlationis titulo
juſtum pretium non recipiente, ſola quinquageſima juſtæ rei æſtimationis pars pro ſuſceptione
novi emphyteutæ offerenda ſufficit, *d. l.* 3. *in fin. Cod. de Iure Emphyteut. junct. l.* 71. *§. ult. ff.
de legat.* 1. *& l.* 219. *ff. de Verbor. Signific.*

Sed moribus noſtris Emphyteutæ fundum emphyteuticum irrequiſito domino non tantum op- 5
pignorare, ſed & vendere, permutare, aliove quovis titulo efficaciter alienare libere permiſſum eſt.
Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 59. ſalvo ei tantum intra annum à tempore ſcientiæ jure retractus.
Neoſtad. *Suprem. Cur. Holland. deciſ.* 39. *Conſuetudin.* Rhenoland. *art.* 40 Chriſtin. *vol.* 3. *de-
ciſ.* 122. Vide etiam Tiraquell. *de Retract. lign. §.* 21. *num.* 3. 4. aut ſi non retrahat duplici Ca-
none, recognitionem dominii laudemii loco, exſolvendo. Quod etiam in quolibet Juris here-
ditarii ſucceſſore obtinet, Grot. *Introd. lib.* 2. *part.* 40. *num.* 12. addita etiam vini amphora,
pro debitæ tranſlationis jure honorario, vulgo **Verboeckten.** Quod & Juri Saxonico convenit,
quo privationem Emphyteuſeos ob fundi alienationem irrequiſito domino factam ceſſare teſtatur
Carpzov. *Iuriſprudent. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 38. *defin.* 13. Et aliorum moribus ſuo modo obti-
net: Ut idem fere in Gallia obtinere teſtantur Mornac. & Autumn. *Confer. du droict, ad d. l.* 3.
Cod. de Iure Emphyteutico: ſic ut nuſquam fere quinquageſima pretii ſive æſtimationis pars, alia-
que privationis pœna, *d.* l. 3. *Cod de Iure Emphyteutico*, comprehenſa obtineat.

Sub onere meliorationis.] Quippe quod originem traxiſſe videtur contractus Emphyteuticus 6
ab incultis & ſterilibus agris, qui quod colonum non reperirent, propter ſumptus quos in eorun-
dem cultura & cura fieri neceſſe erat, ad longiſſimum tempus, & tandem in perpetuum locari
cœperunt, ut colerentur & conſerverentur, pro modica penſione in directi dominii memoriam an-
nuatim exſolvenda: quanquam etiam poſtea agri cultiſſimi & fertiſſimi eadem conditione locari
cœperint: Sic ut pro melioratione Emphyteuta fundum colere, boni viri arbitrio domum in em- 7
phyteuſin acceptam reficere ſuis ſumptibus teneatur, *auth. Hoc jus porrectum: auth. Si quas ruinas,
Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Guidon. Pap. *quaſt.* 354. Specular. *ad Rubr. de Iure Emphyteut.*
Onera porro omnia & incommoda ſuſtinere, item tributa & collectas aliaſque publicas penſita-
tiones ſolvere tenetur: eo quod illa prædiorum poſſeſſores onerent, *l.* 7. *ff. de public. & vectigal.*

junct.

junct. l. 15. §. 1. ff. qui ſatiſdare cog. Vide Aleat. Valaſc. *tract. de Jure Emphyteut. quæſt. 17.* & Donell. *Comm. Jur. Civil. lib. 9. cap.* 14. Jul. Clar. *lib. 4. Sententiar. quæſt. 46. in addit.* Damna inſuper, ſi quæ forte obvenerint, ex quibus non ipſa rei penitus lædatur ſubſtantia, ſuis partibus adſcribere obſtrictus eſt; *l. 1. in fin. Cod. de Jure Emphyteut.* Rem denique emphyteuticam deteriorem efficere nullo modo ei permittitur. *auth. qui rem. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Ideoque nec arbores fructiferas concidere, Jul. Clar. *§. emphyteuſ. quæſt. 26. num. 2.* Carpzov. *definit. forenſ. part. 2. conſtit. 38. defin. 24.* aut alio quovis modo ſubſtantiam rei emphyteuticæ minuere poteſt. DD. *ad d. l. 1. Cod. de Jure Emphyteut.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 129.*

8 Quæ tamen meliorationes, & ſi quæ per induſtriam emphyteutæ aut aliunde commoda obtigerint, quibus rei ſubſtantia augeatur, ad emphyteutam pertinent: Speculat. *Rubric. de Jure Emphyteut. num. 136.* nec ei licitando auferri poſſunt. *l. quicunque. 2. Cod. de fund patrimonialib.*

9 *Et præſtandi annui Canonis.*] Præſtatio annui Canonis eſt contractus emphyteutici pars eſſentialis, & reſervati dominii argumentum. Quo non ſoluto intra biennium emphyteuſis eccleſiaſtica, & intra triennium civilis amittitur, & jure caducitatis ad dominum revertitur. Jure Civili
10 *l. 2. Cod. de Jure Emphyteut. Novell. 7. cap. 3. §. 2. 3.* Qui tamen Emphyteutam propterea non niſi legitime per ſententiam declaratoriam, judicis auctoritate interveniente, fundo expellere poteſt. *per l. non eſt ſingulis. 176. de Reg. Iur. l. 7. Cod. unde vi.* Jul. Clar. *d. §. emphyteuſ. quæſt. 11.* Sichard. *ad l. 2. Cod. de Iure emphyteut. num. 16.* Anton. Mornac. *ad eand. leg. 2.* Rebuff. *ad conſtit. Reg. in præfat. gloſſ. 5. num. 64.* Chriſtin. *vol. 3. deciſ. 120. num. 2.* Coren *Obſerv. 5.* Grot. *Introd. lib. 2. cap. 40. verſic.* **Ten vierden door wanbetalinge** / *circa fin.*

11 Sed hæc ceſſationis mora per celerem ſatisfactionem domino ultro oblatam, aut alias ante latam ſententiam, beneficio reſtitutionis in integrum, facillime purgari, eoque à caducitatis pœna excuſari poteſt emphyteuta. *arg. cap. ult extr. de locat. l. ult. ff. de recept. arbitr. l. 8. §. 7. quis cautionibus. l. 105. ff. de Solution.* Jul. Clar. *d. §. quæſt. 10.* Quo Iure in Hollandia utimur, teſte Grot. *d. loco.* & Coren *Obſerv. 22.* Quicquid poſt alios contra ſentiat Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 157.*

12 Quin etiam quod hiſce aliiſque regionibus in odium pœnalium ſtipulationum fere ſit receptum, ut duplici Canonum ceſſantium præſtatione & quaſi redemptione, vulgo **Dan een dubbel verſuym** / ab omni prorſus caducitatis pœna liberetur emphyteuta. Quomodo à Suprema Hollandiæ Curia judicatum: **Inde ſaake van Mr. Dirck van Leeuwen** contra **de Poſſeſſeurs van ſeekere Landen gelegen inde Oorp.** 22. Decemb. 1623. Vide quoque Coren *Obſerv. 22.* Quod & in Gallia obtinet, ubi caducitatis pœna quoque locum non habet, niſi nominatim in ſtipulationem ſit deducta, teſte Autumn. *ad d. l. 2. Cod. de Iure Emphyteut.* Et de Iure Saxonico idem teſtatur Weſenbec. *paratit. ff. ſi ager. vectigal. in fin.* Carpzov. *definit. part. 2. conſtit. 38. defin. 13.* & Georg. Schultz *ad tit. Inſtit. de locat. & cond. litt. A.*

13 Unde etiam hodie bona Emphyteutica per omnia fere ad inſtar bonorum patrimonialium eſſe redacta ſcribunt idem Carpzov. *defin. forenſ. part. 2. conſtit. 25. defin 7. num. 8.* Anton. Faber *ad Cod. lib. 4. tit. 42. defin. 8. num. 1.* Charond. *lib. 11. reſponſ. 20.* & Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. tit. Des fiefs. §. En choſes.*

Sed quum præſtatio annui Canonis ſit de eſſentia ipſius emphyteuſeos, quæritur, quid ſi emphyteuta partem aliquam fundi emphyteutici diviſim vendat aut alio modo alienet, an per hoc ipſe
14 etiam annuus Canon pro rata dividatur? Et quidem quum Canon ille totam rem emphyteuticam pro indiviſo haud dubie afficiat; conſequens eſt, ut licet Emphyteuta partem fundi emphyteutici cum ſuo onere, pro rato partis ſuæ vendiderit: domino tamen libera electio competat, adverſus quem fundi poſſeſſorem, etiam diviſim & pro parte tantum poſſidentem velit pro integro Canone in ſolidum agere, ſic ut diviſionis beneficium poſſeſſori nihil proſit. *arg. l. 2. Cod. ſi unus ex plurib. heredib. debitor. Conſuetudin.* Rhenoland. *art. 41.* Grot. *Introd. lib. 2. cap. 40. verſic.* **Maer indien.** Ut in annui reditus conſtitutione, & ſic in caſu fortiori ab Holland. Curia quoque judicatum refert Neoſtad. *deciſ. 4.*

15 Hinc communiter in diviſionibus & ſeparationibus fundorum, quibus ejuſmodi hypothecarii reditus, aliæve præſtationes annuæ impoſitæ ſunt, in ipſius reditus, aut præſtationis pro rato facta diviſione mentio fieri ſolet, totius nexus ipſi fundo, ſingulisve ejus partibus pro indiviſo & in ſolidum impoſiti. Ut ſi quando creditor integrum debitum ab ejus partis poſſeſſore pro indiviſo exigere velit, illud ſalva reſtitutionis & indemnitatis cauſa pati cogatur. Quod his verbis vul-

go includitur, (**Met hypothecatie van de geheele pacht ofte rente.**) Quod & in ſucceſſio- 16
nibus plurium heredum locum habet, qui, quum dominus diviſionem Juris ſui admittere non co-
gatur, omnes etiam in ſolidum tenentur. *arg. d. l.* 2. *Cod. ſi unus ex plurib.* Jul. Clar. *d. §. Emphy-
teuſ. quæſt.* 14. *in fin.* Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 107. *num.* 10. 11. Quod tamen uni, ex illorum per-
ſonis, capiti imponitur, quo deficiente, iterum alteri, & ſic deinceps, ſoluto ſingulis vicibus
duplici penſionis Canone laudemii loco, & vini amphorâ, pro novæ inveſtituræ honorario. Ut
in qualibet etiam Juris fundive Emphyteutici tranſlatione & poſſeſſione apud nos moris eſſe di-
ximus.

Porro an ob ſterilitatem, inundationem, aliudve damnum annuus Canon minui aut tolli poſ- 17
ſit? inter DD. vix convenit. Qua in quæſtione quidem diſtinguendum eſt: Ut ſi res emphyteu-
tica, inundatione, ſchaſmate, incendio, aliove fortuito caſu in totum perempta ſit, & tanta ſit
clades, quæ penitus totam rem emphyteuticam abſumat; fatalitas illa domino rei imputetur, ſi-
mulque etiam annuus Canon deberi deſinat: Sed ſi calamitas quæ rem emphyteuticam invaſerit,
totius rei interitum non fecerit, ſed partis tantum; cedit damno duntaxat Emphyteutæ, & non
domini directi, per text. *in l.* 1. *Cod. de Jure Emphteut. & ibi* Bart. Bald. Salycet. & alii DD.
Jul. Clar. *lib.* 4. *Sentent. §. Emphyteuſ. quæſt.* 8. *num.* 7. 8. Carpzov. *defin. forenſ. part.* 2. *con-
ſtit.* 38. *defin.* 19. Autumn. *Confer. du droict. ad l.* 1. *Cod. de Jure. Emphyt.* Fab. *ad Cod. lib.* 4.
tit. 43. *defin.* 36. 37. Quod tamen ita intelligendum, ut particula illa quæ ſupereſt ex re emphy-
teutica ſufficiat ad ſolutionem conſtitutæ penſionis, alioqui ei facienda remiſſio, boni viri arbi-
trio æſtimanda. Ut poſt Bartol. *ad d. l.* 1. *Cod. de Jure Emphyteut. opp.* 2. *& num.* 9. *in fin.* Ful-
goſ. *eod. num.* 11. & Abbat. *ad cap. potuit. extr. de locat. coll. fin.* ex æquitate contra rigorem
Juris ſervari, & in praxi receptum eſſe teſtatur Alvar. Valaſc. *tract. de Jure Emphyteut. quæſt.* 27.
num. 4. *in fin.*

Circa hanc deciſionem quæritur, ſi domus incendio aut alio infortunio diruta aut dirempta ſit, 18
quid Juris? Et quidem quum plerumque ipſi fundi, quibus ædes poſtmodo inædificiantur, ſolum
emphyteutici Juris ſint, & porro ipſa domus ſine area non conſiſtat; ſic ut ædium emphyteuſi
conſtituta, ipſa quoque includatur: placet Emphyteutam nihilominus penſionem ſuam debere;
quia area remanſit, quæ aut ſola emphyteutici Juris eſt, aut ædium ſtructura occupata, ipſius Em-
phyteuſeos pars eſſentialis reputatur. *l. qui res.* 98. *§. aream* 8. *ff de Solution.* Sic ut manente
area, nec tota domus, nec Emphyteuſis omnino extincta cenſeatur, *d. l.* 1. *Cod. de Jure Emphyteut.*
Adeoque ædificio diruto, pro ſola area eandem mercedem ſolvere teneatur Emphyteuta, quam
præſtabat pro tota domo. Niſi ſuper ſolo ædificio, abſque ulla areæ conſideratione, emphyteuſis
conſtituta fuerit. Quod, quamvis raro & fere nunquam accidat, quum aliquo modo contra ipſius
emphyteuſeos naturam ſit; in dubio etiam ipſius ædificii aream ædium emphyteuſi incluſam exiſti-
marem: præſertim moribus noſtris, quibus fere nunquam ædes in ſtipulationem inducuntur,
quam ſub nomine, **Huys ende Erve** / quo utrumque comprehenditur. Quia tamen accidere
poteſt, ut ab ipſa area ſeparetur nobis, **den Opſtal** / (quo nomine ſolum ædificium ab ipſa area
ſeparatum ſignificatur) non male etiàm hic quorundam diſtinctio admittetur, ut eo caſu ædificio
deſtructo Emphyteuſis omnino perempta cenſeatur, manente licet area. Haud aliter quam, ſi
ædium Uſuſructu relicto, ædes perierint, areæ Uſumfructum non deberi ſupra diximus: quia non
areæ, ſed ædium Uſusfructus relictus intelligitur. *l.* 1. *§.* 3. *& l.* 10. *ff. quib. mod. Uſufruct. vel
Uſus amitt.*

Hæc ita; niſi per ſtipulationem expreſſe cautum ſit, quod re Emphyteutica funditus etiam
perempta, nihilominus ſolvi debeat penſio. Qualia pacta de Jure valent, eo quòd vel fortuitos 19
caſus quis in ſe recipere poſſit. *l. fiſtulas.* 78. *§.* 3. *ff. de Contrah. empt.* Vide Speculat. *ad Rubric. de
Emphyteuſ. verſ.* 238. facit etiam text. *in l.* 1. *Cod. de Jure Emphyteutico. in verbis: ſuper omnibus
vel etiam fortuitis caſibus.* Quomodo apud nos emphyteuſeos, aliorumque redituum annuorum
ſtipulationes fere omnes fieri conſueverunt, liberæ ab omni onere & cauſa.

Ad fructuum vero ſterilitatem quod attinet, propterea penſionis remiſſio recepta non eſt, 20
etiamſi contingat ob caſus fortuitos, & inſolitos: Ut etiam probatur per Bart. & DD. *ad d. l.* 1.
Cod. de Jure Emphyteutico. & plures relatos ab Alvaro Valaſco, *d. tract. quæſt.* 27. *num.* 7. Pro-
pterea quod quemadmodum omnia commoda, meliorationes, & emolumenta, prædii lucratur
Emphyteuta. *l.* 9. *§.* 2. *&* 3. *l.* 13. *§.* 5. *ff. de Uſufruct.* ita etiam fructuum ſterilitates, omniaque
alia incommoda ſuſtinere cogatur. *l.* 1. *&* 2. *ff. de Jure Emphyteut.* Rejecta diſtinctione, quam
alii faciunt, inter modicam penſionem, quæ in meram recognitionem directi dominii conſtituta
eſt, & inter majorem tantam, quæ ipſis quaſi fructibus correſpondet: quaſi illa hac in parte, loca-
tionis

tionis naturam imitaretur, & propterea ſicut in locatione, ejuſmodi etiam penſionis remiſſio propter ſterilitatem in fructibus contingentem ſit fundata: quæ tamen licet major aut minor conſtituta ſit, non ideo magis ſterilitatis periculum avertit, quod ipſi pacto ineſſe videtur, inque eo propter utilis dominii emolumentum, cui tale quid extra ipſius penſionis, etiam cum ipſis fructibus adæquatæ, conſiderationem facillime opponitur. Quo facit ipſe textus, *l. 1. Cod. de Iure Emphyteut.* qui totalem tantum rei interitum excipit: Ut recte etiam notat Alvar. Valaſc. *d. quæſt. 27. num. 12. in fin.*

21 Excepto tamen eo caſu, quo res emphyteutica per belli invaſiones, & incurſus ita fuit occupata, ut protſus coli non potuerit: cujus ratione pro eo tempore Canon remitti ſolet, eo quod fundus ab hoſtibus occupatus, interim quaſi interiiſſe, & pro perdito fuiſſe æſtimetur. Vt per Bart. & Fulgoſ. *in d. l. 1. Cod. de Emphyteut. in fin.* & Salycet. *ibid. num. 13.* & alios. Idem Alvar. Valaſc. *d. quæſt. 27. num. 13.*

22 Conſtituitur Emphyteuſis ut plurimum contractu, I. per ſtipulationem, *l. 1. Cod. de Jure Emphyteutico.* II. Per ſucceſſionem ſive inteſtatam, ſive reſtamentariam. III. Per præſcriptionem.
23 Jure Civili quidem, an ad ſubſtantiam hujus contractus ſcriptura neceſſaria, quibuſdam dubium videbatur, propter verba legis Zenonianæ, expreſſa *in d. l. 1. Cod. de Jure Emphyteutico. Scriptura interveniente.* Quorum tamen opinioni ſatis ſuperque à Neotericis eſt reſponſum: id totum extra ipſius contractus ſubſtantiam & eſſentiam accidere. Vide Arnold. Vinn. *ad §. 3. Inſtit de locat. conduct. num. 8.* Radelant *Cur. Traject. deciſ. 24.* Chriſtin. *vol. 3. deciſ. 119. num. 5.* Sed ſi mores ſpectemus, quum Jus emphyteuſeos ipſam rem afficiat eamque immobilem, quæ noſtris, & aliorum moribus & conſtitutionibus vere, & efficaciter affectari minime poteſt: niſi ipſe contractus in ſcriptis coram judice loci certa ſolennitate celebretur, ejuſque Sigillo Ordinario appenſo, aut ſupra impoſito confirmetur, ut latius ſuo loco: conſequens eſt, contractum emphyteuticum noſtris, vicinorumque moribus, abſque ſcriptura minime conſiſtere. Quod tamen non videtur animadvertiſſe Grot. *Introd. lib. 2. cap. 40. verſ.* **'t Erff-pagt-regt /** ubi contractum Emphyteuticum ſolo conſenſu conſiſtere affirmat.

24 Amittitur Emphyteuſis conſolidatione; ut ſi Emphyteutæ ipſius rei dominium directum obvenerit. Vel ipſi domino Jus emphyteuticum cedat. *arg. l. 26. & l. 33. §. fin. ff. de Servitut.*
25 *Ruſticor. præd.* Quod etiam fieri intelligitur per præſcriptionem. *arg. l. ult. Cod. de fund. rei privat. l. 3 & 4. Cod. de præſcript. 30. vel 40. annor.* Bart. *ad l. 6. Cod. eod. & ad l. Ius Emphyteutici 11. in fin. Cod. de fund. patrimonial.* Aurel. Corb. *tractat. de Iure Emphyteut. cap. 15. limitat. 31.* A parte quidem domini, ſi emphyteuta intra ſeculi trientem non utatur jure ſuo: à parte Emphyteutæ vero, ſi Emphyteuta per tantum tempus à præſtatione annui Canonis ceſſaverit, & præterea rem ipſam velut liberam, ſcientia & patientia domini, pro ſua poſſederit. Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 40. verſ.* **Ten derden / door vermenging:** Quod notandum: quia à præſtatione annui Canonis quidem per longi temporis præſcriptionem Emphyteuta liberatur, rem autem emphyteuticam nullo unquam tempore præſcribit: (ut fuſius ſupra *de Vſucap. & præſcription.*) niſi & præterea cauſam poſſeſſionis domino mutare tentaverit, à quo demum tempore præſcriptioni locus eſſe incipit: ut ſi ipſi domino Emphyteuſis negetur, vel res ut libera in alium transferatur. Neoſtad. *Superem. Holland. Cur. deciſ. 39.* Weſenbec. *ad tit. ff. ſi ager vectigalis. num. 3. circa fin. verſic. Sed quod de præſcriptione.* Eo ipſo enim quod Emphyteuſin domino neget Emphyteuta, ſuo nomine poſſidere incipit, aut eo quod rem tanquam liberam, in alium transferat, poſſeſſione ſua civili dominum ſpoliare incipit, qui eſt vel eſſe deberet non ignarus poſſeſſorum rei ſuæ: ut recte Carpzov. *Iuriſprud. Forenſ. part. 2. conſtit. 38. defin. 13. num. 6. & ſeq.*

26 Canone, etiam per biennium, ſi res ſit Eccleſiaſtica, & per triennium, ſi res ſit temporalis, non ſoluto, aut alienatione ignorante domino facta, emphyteuſis extinguitur, *l. 2. & l. fin. Cod. de Iure Emphyteut.*

Quod tamen mores, quibus nec Eccleſiaſticarum aut temporalium rerum hac in parte differentia eſt, nuſquam fere probant: eo quod pœnales ſtipulationes omnes fere ab uſu receſſerint, quatenus ſpectant moram, aut legitimum modum Uſurarum excedunt, facit text. *in l. ult. ff. de Prætor. ſtipulatione. l. 11. §. ſi tibi, ff. de Reb. Cred.* Vide etiam Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 26. defin. 14.* Ubi in notis *num. 3.* ex Thom. Grammat. *deciſ. 58. num. 6. & 7.* refert: Sacrum Conſilium Neapolitanum non conſueviſſe condemnare ad pœnam, niſi quatenus concurrat cum intereſſe: ut ſupra etiam de noſtris & aliorum moribus ſufficienter demonſtratum.

27 Manente interim, quod, licet caducitatis pœna locum non habeat, attamen emphyteuta Canonem

nonem ſuis ſumptibus ad domum domini portare quotannis obſtrictus ſit: per Gloſſ. & Bart. &
DD. *ad l. item illa.* 18. *ff. de conſtit. pecun.* Quod niſi fecerit intra triennium, ipſe Canon ſolventi
duplicatur: ut ſupra etiam diximus. Qui ſolvendi modus in tantum moribus noſtris obtinet, ut
licet in ipſa Emphyteuſeos conſtitutione, ut alias communiter, expreſſa non ſit, tacite tamen ſub
ipſo Empyteuſeos jure comprehendi intelligatur. Nulla etiam habita differentia, utrum domi-
nus & Emphyteuta ejuſdem (de quo DD.) an vero diverſi ſint fori. Vide Anton. Fab. *ad Cod.
lib. 4. tit. 43. defin. 15.* Neque aſſentior Weſenbecio, qui jure Saxonico contra ſervari putat,
ad tit. ff ſi ager vectigal. in fin.

Tertio amittitur, & finitur jus emphyteuticum ipſius rei interitu, ſi ſcilicet in totum res em- 29
phyteutica interierit, alias ſi pro parte tantum, nihilominus jus ipſum in qualibet ejus parte ſuper-
ſtite remanet, *l. 1. Cod. de Jure Emphyteut.* Ut ſupra etiam de Canonis præſtatione latius notatum.

Cap. XVII.

De Reditu Cenſuali.

Summaria.

1. *Cenſus quid, & quomodo ab Emphyteuſi differat.*
2. *Cenſualis quodammodo dominus eſt rei cenſualis.*
3. *Nec retractus jure utitur cenſuarius: niſi ita fuerit actum, ut communiter apud nos.*
4. *In quibus cum Jure Emphyteutico conveniat cenſus.*
5. *An & qualis inveſtitura ſingulis fundi cenſualis tranſlationibus aut cenſuariis morte neceſſaria.*
6. *An extra Emphyteuſin & cenſum alii reditus emptitii, ſuper re immobili perpetuo conſtitui poſſint?*
7. *Reditus emptitii, licet perpetuo conſtituti, à parte debitorum irredimibiles non ſunt.*
8. *Cenſus minor vulgo,* **Een thijns** / *quid ſit, & quomodo conſtitui ſoleat.*
9. *Duplicati duplicationis viciſſitudo, vulgo* **Op de hoerbering op** / *quid ſit.*
10. *Cum ipſa pœnalis duplicationis aut caducitatis clauſula ab uſu receſſit.*

Cod. xr. xvii. De Cenſibus.

CEnſus, eſt jus annui reditus perpetuo recipiendi: quem quis in ipſa rei ſuæ tranſlatione, in 1
veteris dominii memoriam annuatim ſolvendum, ſibi retinet. Vulgo, **Oud eygen**/ quaſi
quod ex tranſlatæ proprietatis cauſa promanaverit. Grot. *Introduct. lib. 2. tit.* 46. Molin. *ad con-
ſuetudin. Pariſienſ. tit. de Cenſibus. num. 2.* In eoque differt ab emphyteuſi: quod verum & dire- 2
ctum dominium in cenſualem transferatur, quod in emphyteuſeos conſtitutione apud conſtituen-
tem manet: nec cenſum ſolvimus de re aliena, in recognitionem dominii, ſed de re noſtra.
Unde nec caducitatis pœna ob ceſſationem de jure locum habet. Jaſ. *ad l. 1. Cod. de Jure Em-
phyteut. num.* 39. Joann. Fab. *ad §. 3. Inſtit. de locat. conduct.* Nicol. Everhard. *in loco ab Em-
phyteuſ. ad cenſum.* Jul. Clar. *§. Emphyteuſ. quæſt. 1. num. 2.* Eguinar. Baro *ad d. §. 3. Inſt. part.
poſter.* Carpzov. *definit. Forenſ. part. 2. conſt. 39. defin. 1. num. 4. & num.* 8. Grot. *Introd. d. lib. 2.
cap. 46. verſ.* **Wy ſeggen als hy den eygendom.** Chriſtin. *vol. 5. deciſ. 91. num. 2.* Argentr.
ad Conſuetud. Brittan. art. 73. Gloſſ. 2. num. 1.

Hinc perpetua contractus emphyteutici à cenſuali diſtinctio eſt: ut ſi ex verbis appareat quod
dominus directum dominium penes ſe retinuerit, tunc contractus ſit emphyteuticus; quod ſi non
apparuerit, contractus cenſualis ſit: ut ex Jure Saxonico etiam recte obſervat Georg. Schulrz
ad d. §. 3. Inſtit. de Jure Emphyteut. litt. A. verſ. utrum autem. Unde etiam cenſuarius nullo re- 3
tractus jure utitur, quod in emphyteuſi domino directo competit *ex l. ult. Cod. de Jure Emphyteut.*
Ut recte notat Carpzov. *definit. Forenſ. part. 2. conſtit. 31. defin.* 8. Quod tamen limitari velim;
niſi illud expreſſe ſit actum: quales contractus apud nos fere in propriam cenſuum ſpeciem
tranſiiſſe videntur, & communiter vocantur, **Pagten met den houde** / quo ipſo nomine re-
tractus à ſimplici cauſa alienus exprimi intelligitur: De hac cenſus ſpecie tractat ſtatutum Civi-
tat. Leydenſ. *art.* 120.

In eo tamen cum Jure Emphyteutico convenit: ut pleriſque in locis, ſingulis poſſeſſionum 4
tranſlationibus, aut ſucceſſionibus, ab antiquis dominis, ejuſve locum tenentibus, etiam recogno-
ſci; & illorum nomine inveſtitura renovari debeat, ſub onere dimidii reditus, & vini amphoræ
pretii, ſingulis vicibus exſolvendi, (vulgo, **Een halve pagt / met een kanne wijn.**) Quod
de

de jure Saxonico etiam ſuo modo obtinere refert Georg. Schultz *ad d. §. 3. Inſtit. de locat. & conduct. litt. A. verſ. ex ſola.*

Cui & illud accedit: quod quibuſdam Hollandiæ locis obſervationis ſit, ut is cui cenſus
5 annuus debetur, cenſuali debitore mortuo, à ſingulis heredibus integrum cenſum ſive Canonem
exigat, & viciſſim cenſuario creditore mortuo, donec ejus hereditatis diviſio facta ſit, heredumque uni Jus illud ceſſerit, ſingulis etiam ejuſdem heredibus integrum cenſum debeat cenſualis. Quod tamen quum unius hominis una tantum ſit univerſitas, & multi heredes non repræſentent niſi unius defuncti perſonam, contra Juris & rationis æquitatem potius receptum, quam aperta conſuetudine introductum, non immerito pro corruptela, & injuſta concuſſione damnatur à Simone Groeneweg. *de legib. abrogat. ad rubric. Cod. de Cenſib. num.* 6.

Dicitur *Perpetuo recipiendi.*] In quo etiam cum Jure emphyteutico convenit, ad differentiam
6 aliorum redituum & cenſuum emptitiorum, certa pecunia ſuper re immobili conſtitutorum,
qui pro debitorum placito redimibiles ſunt ſua natura. Grot. *Introd. lib. 2. cap.* 46. *verſ.* **Wy ſeggen onloſbaar.** Rebuff. *ad conſtit. Reg. de conſtit. redit. art. 1. gloſſ.* 17. *num.* 1. Chriſtin. *vol. 1. deciſ.* 303. *num.* 33. Sic ut extra Emphyteuſin & cenſum, quibus aut res ipſa immobilis utenda fruenda datur, directo dominio reſervato, aut in ipſa dominii tranſlatione cenſus annuus retinetur, omnes reditus per emptionem aut alio modo conſtituti, à parte debitorum perpetui aut irredimibiles conſtitui non poſſint. Ut recte notat Molin. *de Vſuris, num.* 128. Grot. *Introd. lib. 3. cap.* 14. *verſ.* **Deſe handeling.** Zyp. *Notit. Iur. Belg. tit. de Reditib. verſic. & quo-*
7 *niam.* Et ſi forte emptitii aut pecuniarii reditus perpetui, aut irredimibiles conſtituantur, hoc
interpretandum eſt; ſolius debitoris gratia conſtitutum eſſe: ut qui ad luendos reditus conſtringi non poſſit: ipſe autem creditorem ad accipiendum compellere, quum voluerit, poteſt: Eſt enim talis redituum conſtitutio, emptio venditio, cui ea conditio ineſſe intelligitur, ut ipſius reditus emptor, ipſam ſortem reaccipiat, ipſumque reditum lui patiatur, quandocunque venditor idemque reditus debitor, ipſam ſortem reſtituere voluerit: ipſe autem creditor ipſius reditus emptor annua penſione contentus eſſe debeat, nec debitorem ad reſtitutionem ſortis quam ſemel in eum pro annuo reditu accipiendo tranſtulit, compellere unquam queat. Vid. Covaruv. *Var. reſolut. lib. 3. cap. 8. num* 7. Iohann. Papon. *lib. 12. tit. 7. arreſt.* 1. Grot. *Introd. lib. 3. cap.* 14. *verſic.* **Anderſins.** & *lib. 2. cap.* 46. *verſic.* **Wy ſeggen.**
8 Sed & aliud redituum genus olim in uſu fuit, ad Emphyteuſis naturam quam proxime accedens,
vulgo **Thijns** nuncupatum, in obulo, denario, aliove minutiſſimo nummorum genere, pro annuo Canone, certo tempore, & loco annuatim ſolvendo, conſiſtens, ſub pœna etiam caducitatis, & quandoque duplicati duplicationis, ſingulis neglectis vicibus augendæ, nobis, **Wy**
9 **de Couvering op te loopen** / hoc eſt, ſi primo anno ſuo loco, tempore, & hora non ſolvat,
pro uno debeat duos, ſi ſecundo neglexerit, pro duobus quatuor, ſi tertio pro quatuor octo, ſi quarto anno adhuc in mora ſit, pro octo ſedecim, & ſic deinceps duplicatum duplicando debeat.
10 Et porro pœnalis illa clauſula, juxta alias pœnas legales ab uſu receſſit: ut in ipſis duplicatio-
num terminis ab Hollandiæ Curia judicatum eſt: quadragenalem moram duobuli annuatim certo tempore & loco ſolvendi, ſub dictæ reduplicationis, & caducitatis pœna, primi ſolum neglecti anni duplicatione, ceteris ſimplicibus ſolutis ſatis purgari, **In de ſaake van Jan Cornelisz. Schout tot Noorbregt** / contra **Adriaen Jan Doensz.** 22. Decemb. 1615. Pœnalis enim ſtipulatio ab uſu receſſit. Adeoque ejuſmodi reditus propter exiguitatem ſuam paulatim ad ſortem reducti luuntur, & in uſu eſſe deſinunt.

Cap. XVIII.

De Redituum Emptitiorum luitione, & Veterum Numiſmatum poteſtate.

Summaria.

1. *Reditus emptitii quomodo, quibus, cujuſve æſtimationis nummis lui debeant.*
2. *Moneta æſtimatione mutata cujus temporis ratio pro redituum luitione habenda: contractus, an ſolutionis?* Diſting.
3. *Generaliter æſtimatione in ipſa redituum ſtipulatione aut pondere, aut numero expreſſa, debitori neque nocet, neque prodeſt, ſumendaque ea quæ fuit tempore contractus,*
4. *Nullâ pro redituum luitione moneta æſtimatio-*

ne additâ, mutatio nummorum extrinſecus facta debitori nocet & prodeſt, eoque caſu inſpiciendus valor qui eſt tempore ſolutionis.

5. *Moneta valore interno mutato, redituum luitio facienda ſecundum æſtimationem qui eſt tempore contractus.*
6. *Quando vera moneta mutatio facta intelligatur: Et an quis alteri nummos, cariori quam ex publica anctoritate conſtituta æſtimatione obtrudere poßit.* Neg. cum diſtinct.
7. *Nummus qui ab uſu plane receßit, ut quanti valuerit non certo conſtet, quomodo æſtimandus.*
8. *Hollandicorum nummorum ſpecies varia, earumque æſtimatio hodierna.*
9. *Libra pondo.*
10. *Solidus Hollandicus.*
11. *Denarius Hollandicus.*
12. *Moneta proba, aut mercenario cujus æſtimationis.*
13. *Florenus Carolinus.*
14. *Solidus Turonenſis quid, & quomodo à Groſſo differat.*
15. *Nummus antiquus, Botiſerus,* **Botendrager / ſive Boddendrager /** *quanti valuerit.*
16. *Leo Hollandicus,* **Den Leeuw.**
17. *Hortularii Dordracenſ,* **Dordrechtſche Thuynen /** *quales fuerint.*
18. *Florenus Rhenanus,* **een Rhijns-Gulden.**
19. *Florenus cui Andrea cognomen,* **een Andries-Gulden.**
20. *Florenus Reinoldi, ſive Arnoldi.*
21. *Florenus Bavaricus.*
22. *Florenus, ſive ſcutum Wilhelmi.*
23. *Florenus Wilhelmi Dordracenus.*
24. *Scutum Philippicum.*
25. *Scutum Bourgundicum.*
26. *Scutum ſimpliciter dictum.*

Cod. xi. 2. *De Veteris Numiſmat. poteſtat.*

QUomodo autem, & qua æſtimatione redituum emptitiorum luitio, caſu quo debitor eos luere voluerit, fieri debeat, magna inter DD. controverſia eſt. Qua in re primo inſpiciendus ipſius conſtitutionis tenor, qui antiquitus, ut plurimum certam nummorum ſpeciem continebat, in qua ipſa redituum luitio fieri debebat, aut in ipſo nummorum genere ſpecifico, vel etiam addita quandoque hac clauſula: **of payement dier waarde /** id eſt, aut alterius generis nummis ſecundum eandem æſtimationem computatis. Super qua nummorum æſtimatione iterum quæritur quid de mutata æſtimatione ipſius monetæ dicendum, & num illa æſtimatio facienda ſit, ſecundum computationem quæ erat tempore contractus, an vero ſecundum eam quæ obtinet ipſius luitionis tempore? Et quidem ſi æſtimatio illa in ipſa ſtipulatione aut pondere aut numero 2
ſit expreſſa, dubium non eſt quin illa ejuſdem ponderis, & numeri ſit ſequenda, quæ contractus tempore fuit, eaque ſufficiat, licet in æſtimatione & valore fuerit diminuta, & ſecundum eam æſtimatio facienda: adeo ut non tam æſtimatio, ſive nummi valor, quam ipſa nummi 3
ſpecies, ejuſdemque ſpeciei præſens nec mutabilis æſtimatio in ſtipulationem deducta videatur, ac proinde mutatio monetæ, nec nocere nec prodeſſe poſſit creditori: ſecundum opinionem Molinæi *tract. de Uſuris, quæſt.* 92. *num.* 693. Hottomann. *illuſtr. quæſt.* 15. Donell. *ad l.* 10. *de Reb. Creditis. num.* 10. 11. Vide etiam Everhard. *conſil.* 99. *num.* 17. *& ſeq.* Sed ſi in ipſa conſtitutione certa monetæ ſpecies expreſſa non ſit, aut expreſſa quidem, ſed non addito: quod in ſpecie, aut cujus valoris, aut æſtimationis ſit reſtituenda: Ipſa ſortis reſtitutio facienda eſt ſecundum valorem & æſtimationem eorundem nummorum, quæ eſt tempore ipſius ſolutionis, juxta communem DD. opinionem: ſecundum quam, pecunia, eodem pondere & materia 4
manente, extrinſecus aucta vel diminuta, ea mutatio quoad ejus pretium, & nocet, & prodeſt creditori: ita ut ex illo damnum nullum patiatur, quia eo caſu nihil præter æſtimationem nummorum creditum intelligitur, *l.* 26. *§.* 1. *ff. de Condict. indebiti. l.* 24. *ff. depoſit. l.* 68. *ff. ad Senat. Trebell. l.* 65. *§.* 1. *ff. de Verb. Oblig. l.* 94. *ff. de ſolut.* Quæ licet extrinſece mutetur, revera tamen rerum comparandarum ratione habitâ, quibus principaliter inſerviunt, teſte *Ariſtot. lib.* 1. *Politicor. cap.* 6. nulla mutatio facta cenſeri poteſt: quum mutata nummorum æſtimatione, etiam pretia rerum mutentur: quippe quod verbi gratia aureo nummo, qui valebat 50. aſſes ad 45. aſſes diminuto, iterumque ad 55. aſſes aucto, nihil plus minuſve ex rebus neceſſariis comparari poſſit, *arg. l.* 2. *Cod. de Veter. Numiſmat. poteſt.* contra quam imperitum vulgus ſibi perſuaſum habet: quod ex augmento valoris aurei aliquid ſibi lucri accedere putat, quum ſi rerum pretia retro cum ipſa pecuniæ æſtimatione conferamus, ſemper pari differentia ſtetiſſe cuivis ſatis probatum eſſe poſſit: exempli cauſa eodem pretio quo olim centum ova gallinacea valebant, eodem etiam calceorum par unum comparari poterat, quod ut olim quum decem forte ſeſtertiorum aut minoris etiam veniebant, & nunc idem obtinet tempore noſtro, quo aucto rerum pariter ac nummorum pretio, ad 50. ſeſtertiorum æſtimationem, ova centum, & calceorum par unum excreverint, quod idem in cæteris.

Secus

5 Secus vero ſi valor monetæ internus mutatus ſit, qui & ipſam nummorum ſpeciem, pondus, materiam, & qualitatem minuit; ideoque eo in caſu reſtitutio facienda eſt, ſecundum qualitatem & valorem eorundem nummorum quæ erat tempore contractus, quæ diſtinctio varias hac de re DD. opiniones probe conciliat: & ſecundum eam communiter judicatur, Boër. *deciſ.* 327. Ann. Robert. *Rer. Judic. lib.* 1. *cap. ult.* Andr. Gail *lib.* 2. *abſervat.* 73. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 28. *defin.* 4. *& defin.* 5. *& conſtit.* 29. *defin.* 4. 5. *& ſeqq.* Chriſtin. *val.* 3. *deciſ.* 1. *num.* 2. Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 37. & Coren *Suprem. Cur. deciſ.* 23. Hanc rem elegantiſſime omnium tractat Arnol. Vinn. *ad pr. Inſtit. quib. mad. re cantrah. obligatio. num.* 12.

6 Quod tamen intelligendum de mutatione monetæ, auctoritate publica indulta, nobis, **gevalueerden of gepermitteerden Gelde**/ non autem ſi abuſu commerciorum moneta pluris æſtimetur, ut ſæpiſſime commerciorum neceſſitate, accedente inſatiabili mercatorum avaritia, contingit, quo ipſo creditor, cui certus florenorum numerus debetur, ad monetam ſive auream, ſive argenteam, ſupra æſtimationem quæ publica auctoritate eſſet conſtituta, accipiendam conſtringi non poteſt: per ea quæ tradit Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 28. *defin.* 1. 2. Niſi forte licentia temporum, patiente ac permittenre magiſtratu, quaſi paulatim ab edicto, longo contrario uſu, recedente, modicam nummorum æſtimationis mutationem introduxerit: quo caſu etiam non tam inſpicitur valor qui edicto conſtitutus eſt, quam qui communi quaſi hominum uſu & commercio frequentatur. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 29. *defin.* 11. Quippe quod tam res quæ in commercio ſunt ipſam pecuniam æſtimare, quam ab ea æſtimari, cœperint. Contra *l.* 3. *ff. de in litem jurand. & l.* 42. *ff. de fidejuſſor.*

7 Si autem in ipſa redituum ſtipulatione talis fuerit conſtitutus nummus, qui plane ab uſu receſſit, & qualis fuerit, aut quanti valuerit, memoria excidit: unde etiam certa ejus computatio ad luitionis tempus accommodari nequit, eam æſtimationem ſequi ſolemus qua antiquitus reditus ille ſolvi cœperit: unde, licet aliorum nummorum æſtimatio ſubinde mutetur, eorum tamen fere
8 ſemper una eademque manſerit. Qui ex antiquis redituum conſtitutionibus, & quæſturarum ra-
9 tionibus varii apud nos apparent. Ita communiter libra pondo monetæ Hollandicæ, **een pond Hollands** / quindecim aſſibus, ſive ſeſtertiis communibus taxabatur.

10 Solidus Hollandicus, **een ſchelling Hollands**/obulorum duodecim **twaalf Penningen**/ quem vulgo indigetant **een blanks Penning** / ſive **een blank.**

11 Denarius, qui ex Turonenſium nummorum computatione ad nos tranſlatus videtur, **een denier Obels** / ſeſqui obulo conſtat, quorum duodecim aſſem ſive ſeſtertium conſtituunt.

12 Si vero loco monetæ Hollandicæ, addatur monetæ probæ, vulgo **Goeds-Gelds** / ſive monetæ mercenariæ, **Comans payements** / libra pondo floreno Carolino viginti ſeſtertiorum, ſive groſſorum quadraginta æſtimari ſolet, vulgo **Ponden van veertig grooten 't ſtuk** / quo nomine atque æſtimatione pœnæ & mulctæ pecuniariæ etiamnum deſignari & taxari ſolent. Quemadmodum & ſolidus monetæ probæ, ſive mercenariæ communi ſeſtertio ſexdecim obulorum, & groſſus, **een groote Comans payements** / ſeſtertii dimidio, obulorum octo valere ſolet.

13 In cæteris florenus Carolinus, in generis ſui functione, viginti ſeſtertiorum remanſit: quod ejus ſpeciem auream, **Den Gouden Carolus Gulden**/ 84. marcarum Carolus V. Imperator primo viginti ſeſtertiis, aut viginti quatuor ſolidis Turonenſibus ſive Tornacenſibus: ut videre eſt *en l' Ordonnance generale tauchant le cours & miſe des pieches d' or & d' argent evaluez. Datum Bruxellis* 12. *Junii Anni* 1539. His verbis: *Le Caralus d' or de* 84. *au marcq, pour vingt patars: & vingt quatre ſolz. Tournois*: cujus æſtimationis valor ſi ejus ſpeciem conſideres, ad trium ejuſmodi florenorum æſtimationem hodie excrevit.

14 Solidus Turonenſis hic pro groſſo Turonenſi, **een groote Tournoys** / accipiendus eſt, quadruplo fere minore communi noſtro ſeſtertio; quamvis poſtea, ſedecim etiam obulorum æſtimationem adſumendo, eidem penitus adæquatum invenerim. Alias ipſe ſolidus Turonenſis majoris fuit æſtimationis, duorum fere & dimidii ſeſtertiorum: quomodo feudorum Hollandicorum laudemiis, quinque ſolidi probi Turonenſes, **vijf Schellingen goeden Tournoys** / duodecim ſeſtertiis & dimidio taxari, antiquis retro temporibus ſolet.

15 Fuit & aliud minuti nummi genus vetuſtiſſimum, bodiferum, ſive botiferum, vulgo **een Bodendrager** / ſive **Boudendrager** / aliis **Botendrager** / quod ſeſtertio uno taxatum paſſim legi.

16 Cui poſtea ſucceſſit, Leo Hollandicus, **Den Leeuw** / quorum tres, duos exæquarunt botiferos.

Exinde provenerunt Hortularii Dordraceni, vulgo nieuwe Dordrechtſe Tuynen / item 17
placcæ Flandricæ, nieuwe Placcen / ſive Vlaamſche Placcen vander nieuwer munte/
quorum ſinguli ſingulis botiferis in computando reſponderunt.

Florenus, cujus Rhenani cognomentum, een Rhijns-Gulden / quindecim ſeſtertiis valuit, 18
cui poſtea additum currenti nummo, *Courant*, ex quo viginti ſeſtertiis æſtimari cœpit, quod
etiamnum fere in ſui generis functione obtinet.

Florenus cui Andreæ cognomen additur, een Gouden Andries-Gulden / viginti octo ſe- 19
ſtertiorum eſt.

Florenus Reinoldi, ſive Arnoldi, een Reinaldus / ſive Arnoldus-Gulden / quatuor- 20
decim tantum ſeſtertiis conſtat.

Florenus Bavaricus, een Beyerſche-Gulden/ quatuordecim etiam ſeſtertiis æſtimatur. 21

Florenus, ſive ſcutum Wilhelmi, een Wilhelmus-Schilt/ quibuſdam viginti quinque, qui- 22
buſdam viginti & uno, pleriſque vero viginti ſeſtertiis taxatur.

Florenus Wilhelmi, cui additur Dordracenus, een Wilhelmus Dordrechtſche-Gulden/ 23
erat viginti & unius ſolidi Hollandici, quindecim & ſeſqui ſeſtertios conſtituentium.

Florenus, ſive ſcutum Philippicum primo quatuordecim, poſtmodo viginti quinque, deinde 24
etiam triginta ſeſtertiorum fuit.

Scutum Burgundicum, een gouden Borgoenſchen-Schild / quindecim ſeſtertiis redi- 25
mitur.

Scutum ſimpliciter ita dictum, een Schild / quatuordecim ſeſtertiis taxatur. 26

Fuit & aliud nummi genus, cognomento Nobilis, vulgo den Nobel/primo quadraginta, dein- 27
de quinquaginta ſeſtertiorum: quod tamen cum Nobili Anglico, ſive Angelotto conveniſſe pu-
tem, cujus ſpecies ad ſeptem circiter florenos adaucta, etiamnum exſtat.

Hæc ſunt quæ ſumma cura ex antiquis archivis, quorum mihi præ cæteris copia fuit, inveſti-gari potuerunt: quibus adde quæ porro in feudorum laudemiis infra *cap.* 21. à nobis recenſentur. De reliquis fere publica etiamnum exſtant numiſmatum formularia, juſtum pondus, atque æſtimationem publica auctoritate impoſitam continentia.

CAP. XIX.

De Feudis.

SUMMARIA.

1. *Feudorum origo & auctoritas.*
2. *Apud Belgas vicinaſque regiones an, & quatenus recepta.*
3. *Feudi definitio, ejuſque interpretatio.*
4. *In quibus rebus conſiſtat feudum.*
5. Cyprianus Regneri *reprehenſus.*
6. *Feudum an, & quatenus hereditarium & perpetuum ſit.*
7. *Præſtandæ fidelitatis ſacramenti formula remiſſive.*
8. *An Vaſallo remitti poſſit, quidve ejus nomine vaſallus præſtet.*
9. *An ſolenne fidelitatis juramentum per procuratorem præſtari admittatur.* Affirm.
10. *Feudum aliud proprium, aliud improprium.*
11. *Aliud antiquum, aliud novum.*
12. *In quibus differant potiſſimum, & an moribus ſit recepta differentia?* Neg.
13. *Aliud regale, aliud non regale. Regale quid, ejuſque ſpecies.*
14. *Hollandiæ Comitatus an ſit feudum, & quale.*
15. *Feudum non Regale quid.*

FEudorum quidem Jura ex conſuetudinibus variarum civitatum & populorum conflata ſunt, ut apparet *ex Rubr. & tit.* 29. *lib.* 2. *feudor.* maxime quidem ex Conradi, Henrici, Friderici, & Lotharii Principum conſtitutionibus: ut videre eſt *ex lib.* 2. *feudor. tit.* 11. 34. *&* 52. *& lib.* 5. *tit.* 2. 3. 4. Quæ tractu temporis communi quaſi Principum populorumque conſenſu, in iis ubi propriæ leges, & conſtitutiones, deficiebant, pro communi jure recepta, corpori Juris Civilis Romani tandem fuerunt inſerta: ſicut non ex lege ſcripta, ſed ex immemoriali tempore, uſuque longævo, auctoribus etiam incertis, qui aut quando ea compilaverint, ſuam auctoritatem traxeriot.

A Longobardis quidem, & Germanis Saxonibus, feudorum originem primitus dimanaſſe com- 1
muniter volunt; Saxones enim circa ripam Albis poſitos, ubi nunc eſt Magdeburgenſis Epiſcopa-

tus,

tus, Italiam ingreſſos, in nobiliſſima ejus parte Longobardiæ regnum excitaſſe ferunt, ubi diu lateque dominati, Veterum Romanorum exemplo, (de quo *in l. 15. ff. de Rei vindicat. & l. 11. ff. de Evict. & l. 16. ff. de Acquir. rer. dominio.*) militibus ſuis, gratiam referre volentes; utque eo tutius ſua rura contra vicinos hoſtes tuerentur, agros ſive fundos inter milites, pro cujuſque virtute atque dignitate, ſub fidelitatis repromiſſione, capitatim dividere cœperunt, quos ſua lingua *feuda* vocabant. Quorum quum potentia in Italia, præ reliquis nationibus, tractu temporis longe lateque eſſet diſperſa, eorundem etiam conſuetudines feudales invaluerunt, quæ potiſſimum in Ducatu Mediolanenſi, quod caput regni erat, ſervabantur. Quo reſpexiſſe videtur Hugo Grot. *De Jure Belli ac Pacis, lib. 1. cap. 3.* Ubi feudorum contractum proprium eſſe Germanicarum gentium refert, neque uſquam inveniri, niſi ubi Germani ſedes ſuas poſuerint. Carol. Molineus tamen *ad Conſuetud. Pariſ. lib. 1. tit. 1. des fiefs. num.* 12. ex vetuſtis monumentis ſe inveniſſe refert multis ante Chriſtum natum annis Francos Saxoniam & Alemanniam, id eſt Suabiam, rexiſſe, inibique feudorum uſum inveniſſe, & in ſubjectos Galliæ invexiſſe, à quibus deinde Longobardi, eaſdem conſuetudines in Italiam tranſtuliſſe putat. Et à vetuſtiſſimis Gallis feudorum originem repetit Connanus *lib. 2. Commentar.* 9. Apud quos qui opibus valebant ſuos devotos & ſoldurios habebant, quos ſecum in bellum ducebant, quorum hanc fuiſſe conditionem refert: ut omnibus in vita commodis una cum iis fruerentur, quorum ſe amicitiæ dediſſent: quod ſi quid per vim accidiſſet iis, aut eundem caſum ferrent, aut ſibi mortem conſciſcerent.

Quarum conſuetudinum capita Obertus de Orto, & Gerardus Niger, Mediolanenſis Reipublicæ conſules, clariſſimi ſuæ ætatis Juriſconſulti, & in Mediolanenſi Curia diu verſati, primi privata auctoritate contraxiſſe feruntur. Quorum Obertus de Orto floruit ſub Friderico I. Barbaroſſa, qui Conrado Tertio ſucceſſit, circa annum domini 1154. quæ notabiliter quidem, ſed nulla ordinis atque elegantiæ ratione habita, poſita tandem à doctiſſimo viro Jacobo Cujacio in meliorem ordinem ſunt redacta. Unde etiam Duarenus, *commentar. ad conſuetud. feud. cap. 1. num.* 4. ea Oberti & Gerardi eſſe negat: ſed quædam tantum ex ſcriptis Oberti deſumpta, eoque tranſlata eſſe putat, adeoque fuiſſe rhapſodiam quandam, ex variis libris ſtudioſorum, qui in Mediolanenſi foro verſabantur, collectam.

2 Hæc & apud Belgas & pleraſque alias gentes uſu recepta ſunt, inque deciſionibus cauſarum vim & auctoritatem legum communiter obtinent, eo fere ſervato ordine, ac modo: ut quum de feudo quæritur, primo inveſtituræ tenor inſpiciatur; eo quod in infeudatione quidam ſit contractus, qui ex conventione legem accipit: *cap. 1. lib. 2. de feudi cognitione.* Qui ſi dubius ſit, aut aliquo caſu defeceris, ad loci conſuetudines, & conſtitutiones poſteriores, & propterea potiorea juri hoc ſcripto recurrendum. *arg. l. 28. ff. de legib.* Quæ ſi etiam certæ non ſint, ad conſuetudines feudales ſcriptas jam tum prius confugiendum; quæ ſub ea limitatione pro jure communi in feudis ubique fere ſervantur, in his quibus propriæ leges aut conſuetudines deficiunt. Quæ ſi etiam defecerint, non ad jus Canonicum, ut quidam putant, ſed ad jus civile Romanum referendum eſt, *arg. d. tit. 1. lib. 2. de feudi cognitione*, ubi per legem ſcriptam intelligit jus civile Romanum. Vide, ut brevis ſim, latius Jul. Clar. *§. feudum, quæſt.* 3. Roſenth. *de feud. cap. 1. concluſ.* 10. & 15. Gudelin. *de feud. in prolegom. num.* 5. Neoſtad. *de feud. Holland. Succeſſione cap. 3. num.* 12. Chriſtin. *vol. 6. deciſ. 1. num. 1. cum ſeq.* Ev. Broneh. *method. feudor. in proœm.*

3 Feudum eſt beneficiaria conceſſio re aliena immobili perpetuo utendi fruendi, ſub onere præſtandæ fidelitatis & honeſti ſervitii. *cap. unic. circa finem. In quibus cauſis feudum amittatur. lib. 2. tit.* 23. Quæ verior & receptior feudi definitio eſt, quam probant communiter DD. Jul. Clar. *§. feudum. quæſt.* 4. Sonsbec. *commentar. ad uſus feudor. part. 2. num.* 1. Weſenbec. *perioch. feudal. cap. 1. num.* 11. Molin. *ad conſuetud. Pariſ. tit. 1. in princip. num.* 52. Chriſtin. *volum. 6. deciſ. 1. num.* 20.

Dicitur *Conceſſio beneficiaria.*] Quia oritur ex beneficio, & mera domini liberalitate, nullo dato aut accepto. *d. cap. unic. In quibus cauſis feud. amitt. circa finem.*

Dicitur *Re aliena.*] Quia conſtitutio feudi quædam ſervitutis ſpecies eſt, quæ in aliena re conſiſtit. *d. cap. unic. verſ. In primis.*

Immobili.] Quia res mobilis in feudum dari non poteſt: quum feudum non niſi in rebus ſoli conſiſtat. *cap. unic. De feudi cognitione.*

4 Regulariter itaque res immobiles in feudum conceduntur, ut ſunt fundus, domus, caſtrum, territorium, ſtagnum, lacus, fluvius, &c. & quæ juſta interpretatione pro immobilibus habentur, iiſve adhærent, ut ſunt in urbano ſolo ædificia, quæ ſine ſolo conſiderari non poſſunt: *§. 29. Inſtit. de Rer. diviſ.* in feudo ruſtico, fructus pendentes, qui para fundi eſſe cenſentur. *§. 31. In-*

ſtit. de Rer. diviſ. Gloſſ. *in d. cap. unic. De feudi cognitione, §. ſciendum, in verb. cohærentibus:* &
quæ porro immobilibus annumerari ſolent, ut ſunt penſionea & reditus annui, qui de re immobili
ſolvuntur, *cap. exivi de paradiſo. §. cumque annui reditus. De Verbor. Significat. in Clement. & l.
ult. §. præterea. Cod. de Jure dot.* omneſque illæ actiones, quæ ad rem immobilem vel debitum
reale quoquo modo competunt. Bald. *in d. cap. unic. De feudi cognit. verſ. ſciendum.* Secundum
diſtinctionem quam ſupra, *De Rerum diviſione lib. 2. tit. 1.* ex communi DD. opinione receptam
eſſe notavi. Item proventus vectigalium vel tributorum, omniaque alia Jura quæ perpetuam
cauſam habere dicuntur, tam corporalia, ut ſunt aurifodinæ, & metallicidina, quam incorporalia,
ut ſunt piſcandi, venandi, Juriſdictionum, & Imperii Jura. *arg. l. 3. §. 1. ff. de Uſufruct. & l. 7.
§. non ſolum cum ſeqq. ff. Solut. Matrimon.* Haneton. *de Jure feudor. lib. 1. cap. 4.* & poſt eum
Chriſtin. *vol. 6. deciſ. 0. num. 13.* Everhard. Bronchorſt *method. feudor. cap. 4.*

Quod & moribus obſervatur, ſecundum diſtinctionem ſupra allegatam, quam non bene intel-
lexiſſe meo quidem judicio videtur doctiſſimus vir Cyprianus Regneri, ſibi ipſi contrarius, in 5
morum illuſtratione, quàm dictæ Bronchorſtii *method. d. loco* adjecit; quod moribus ipſam rem
mobilem in feudum dari putet: ubi in principio quidem rem mobilem in feudum dari poſſe abſ-
que ulla auctoritate & ratione affirmat: cujuſmodi tamen conſtitutionis mox ex Gudelino, Hane-
ton. & Duareno proprium nomen eſſe dicit, feudumque conſtituere poſſe negat. Quod & verius
eſt, moribus, uſuique practico convenientius, quibus rerum mobilium feudum conſtitui ſimplici-
ter, verum non eſt.

Dicitur *Perpetuò utendi fruendi.*] Qua feudum ſemel conſtitutum ad Vaſalli heredes ſuos & 6
ſucceſſores pertinet in infinitum, nec ad dominum revertitur, *§. ult. In quib. cauſ. feud. amitt.* Sic
ut feudum ſemel datum, ſine culpa iis auferri non poſſit. *cap. 1. De natura, feudi. & cap. 1. De
feud. ſine culpa non amitt.*

Utendi fruendi.] Cum dominii tranſlatione. *arg. cap. unic. in princip. verſic. rei autem, lib. 2.* 7
tit. 8. De Inveſtitur. de re alien. fact. directo dominio quaſi proprietate apud dominum manente.
d. cap. unic. in fin. In quib. cauſ. feud. amitt.

Sub onere præſtandæ fidelitatis.] Cujus nomine ſolenne ſacramentum Vaſallua præſtare cogitur;
lib. 2. tit. 3. in fin. Cujus formulam vide *eod. lib. 2. tit. 6. & 7.* Cui fere coincidit formula mori-
bus noſtris uſitata, in Hollandia, quam vide apud Groeneweg. *de legib. abrogat. ad dict. cap. 7.* in
Brabantia Gudelin. *de feud. cap. 7. part. 2.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de feud.*

Quod tamen Vaſallo remitti poteſt. *cap. 1. §. 1. Qua fuit prima cauſa beneficii amitt. cap. 1. de* 8
fidelitate. cap. unic Eccleſiam fidelitatem non facere. arg. cap. unic. in fin. Quid præcedere debeat. Quo
caſu tamen Vaſallus ſeſe ſimplici promiſſione ad fidelitatem obſtringit: ſine fidelitate enim ſimpli-
citer feudum ne quidem concipi poteſt. *arg. cap. unic. per quos fiat inveſtitura, & cap. 1. in fin. in
quib. cauſ. feud. amitt.*

Sed & Juramentum illud per procuratorem in animam ſui principalis præſtandum admittitur, 9
cap. 1. de Juram. calum. in 6. Quod ubique fere obtinet, Weſenbec. *de feud. cap. 8. num. 24.*
Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de feud.*

Feudorum genera varie ab Interpretibus formantur, quorum tamen ſumma diviſio eſt in pro- 10
prium & improprium.

Feudum proprium eſt, quod ex propia quaſi feudi natura, directo, & ſimpliciter conſtitutitur,
quod communem & propriam habet feudi naturam. *cap. 1. §. final. quid ſit inveſtitura; cap. 1. §.
fin. De his qui feudum dare poſſint. cap. 1. De Jure feudi.* Unde etiam vocatur feudum rectum, *lib. 2.
tit. 33. De conſuetudine recti feudi.*

Feudum improprium eſt quod temporum, ſucceſſionum, ſervitiorum, aut alterius conditionis
determinatione, extra communem & propriam feudi naturam reſtringitur, *cap. 1. De feudo non
habente propriam feudi naturam.* quod à naturali feudi cognitione degenerat.

Feuda propria iterum alia ſunt antiqua, ſive paterna, alia nova. Feudum antiquum ſive pater- 11
num eſt, quod à patre, vel alio aſcendente acquiſitum eſt. *cap. 1. de Succeſſione feudi.*

Feudum novum eſt, quod in prima acquirentis perſona conſiſtit, nec aliunde quam à ſe ipſo in-
cipit, *cap. unic. verſ. novam. Qui teſtes ſunt neceſſar. cap. unic. De duob. fratrib. à Capitaneo inve-
ſtit. cap. 1. in fine De eo qui finem fecit.*

Quæ in eo differunt potiſſimum, quod in feudo antiquo frater fratri ſuccedat, habito reſpectu 12
ad communem parentem, in feudo novo non utique. *cap. 1. §. 2. De his qui feud. dare poſſ. cap. 1.
de beneficio fratris. cap. 1. de Natura Succeſſionis feudi.* Eo quod in feudo concedens, cenſeatur
accipienti, & poſteris ejus benefacere velle, & iiſdem proſpicere. *cap. 1. De duob. fratrib. cap. 1.*

fra-

Google

fratrem fratri in feudo novo non ſuccedere. Ideoque frater in antiquis etiam ſuccedit, non ut frater, ſed ut proximus primo acquirenti: ut exempli cauſa, pater meus acquirit feudum, defert fratri meo primogenito, frater meus moritur nullo relicto herede, ego ſuccedam fratri meo; non qua ejus frater, ſed qua filius mei patris primo acquirentis: Sed in feudo novo, quia frater non eſt ex poſteris primo acquirentis, fratri ſuo non ſuccedit frater, ſed feudum ad dominum revertitur. *cap. 1. de Benefic. fratr. cap. 1. de Succeſſ. fratr. & cap. 1. de Natura Succeſſionis feudi.* Sed quum hodie communis forma ſuccedendi in feudis ſervetur, & feuda juxta communem ſuccedendi ordinem ad heredes tranſeant, iique ſuccedant tanquam in bona ultimi poſſeſſoris; (ut latius infra) nullum inter feudum antiquum & novum juris diſcrimen remanet, niſi contrarium actum ſit, vel aliter conſuetudo velit.

13 Utrumque illud eſt aut regale, aut non regale.

Regale eſt, quod ab Imperatore, vel Rege conceditur, habens præter ſimplicem Juriſdictionem, etiam dignitatis titulum, ut Regni, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Principatus, Vicecomitatus, & Baroniæ, *cap. 1. in pr. De feudo Marchia. cap. 1. Qui dicatur Dux, Marchio, Comes*, Roſenthal *de feudis cap. 2. concluſ.* 1. Ita Reges Daniæ, Poloniæ, Bohemiæ, Burgundiæ ſunt Vaſalli Imperii: teſte Cujacio *in tit. de feud.* Et porro Germaniæ Principes fere omnes ejuſmodi regalia feuda tenent, bonaque ſua feudalia ab Imperatore recognoſcunt. Gail *lib. 1. obſerv.* 30.

14 Qua occaſione quæri ſolet de Hollandiæ Comitatu, an pro feudo Regali haberi poſſit. Quod quidam ſub diſtinctione admiſerunt, ſcilicet Comitatum Hollandiæ Imperii quidem feudum eſſe, ſed francum, & liberum ab omni ſervitio, eo quod Batavi olim amici, & confœderati Imperii vocati fuerint, ſuamque ſemper libertatem retinuerint. Tacit. *Hiſtor. lib. 1. & 2.* quo reſpexiſſe videtur Nicol. Everhardi *in locis legalibus, à liberto ad Vaſallum*, ubi tradit: Quod Comes Hollandiæ ſit Vaſallus francus Imperatoris: Quemadmodum Pontifices contendunt quod Rex Seciliæ ſit Vaſallus ejus, & Hiſpaniarum Rex ſingulis annis, pro eo Seciliæ Regno in recognitionem directi Pontificis dominii per legatum ſuum gradarium album, & crumenam argento plenam, ſolvere teneatur: idemque Summus Pontifex contendit Angliæ Regem ſuum eſſe Vaſallum. Quod, ut ut ſit cum aliis Imperii Pontificatuſve Regnis, ut brevis ſim, ad pleniorem Antiquarum Hiſtoriarum indagationem remitto. Sed quod ad Hollandiæ Comitatum attinet, cum ab omni Imperialis, & ſuperioris poteſtatis nexu liberum ſemper fuiſſe, plus ſatis conſtat, ex Grot. *tract. de Antiquitat. Reipubl. Batav.* Sic ut merito inter eas ditiones numeretur à Jacobo Heemskerk *Arcad. Batav. pag. mihi* 315. *noviſſ. edit. pag.* 186. *& ſeq.* quas Fridericus à Sande *ad Conſuetud. feudales Gelriæ cap. 1. num. 2.* vulgari lingua **Sonne leenen** vocari refert, quaſi à Sole in clientelam, ac nullius hominis beneficio teneantur. Quæ (ut definit. Guid. Pap. *deciſ.* 560. *num.* 2.) à nemine recognoſcuntur niſi à Deo.

15 Non regale feudum eſt, quod vel ab inferioribus à Principe, vel etiam ab ipſo Principe à ſuperiori nulla dignitate annexa recognoſcitur, *cap. 1. verſ. cæteri, quis dicatur Dux, Marchio, Comes, cap. 1. in princip. De his qui feudum dare poſſunt.*

Reliquæ feudorum diviſiones, ut ſunt Maſculinum & Fœmininum, ligium & non ligium, hereditarium, & ex pacto & providentia, aliaque id genus, uſu magis quam ſpecie differunt, quæ ſi non aliter actum ſit, ſuapte natura propria dominari poſſunt (quæ prima diviſio in feudum proprium & improprium ſpecificam differentiam continet) reliquæ vero diverſa potius nomina feudorum ſunt: ut recte etiam notavit Curt. Jun. *in tractat. de feud. part. 4. quæſt.* 8.

Cap. XX.

De feudi proprietatibus, & requiſitis generalibus.

Summaria.

1. *Quæ ſunt feudi propria, 2. & ſeqq.*
2. *An Fœmina in feudis ſuccedant de jure.* Neg. *Hollandia vicinſque moribus*, affirm.
3. *An & quomodo apud nos differant feuda* pro ſe & heredibus ſuis maſculis & fœminis, *&* pro ſe & heredibus ſuis maſculis ſic ut fœminis, *conceſſa.*
4. *An & quæ feuda à præſtandis ſervitiis libera ſint: & quatenus procedat moribus noſtris.*
5. *Fidelitatis inter dominum & vaſallum reciproca interpretatio.*
6. *Proprietatum feudi ſubdiviſio.*

7. *Quæ*

7. *Quæ ſint proprietates feudi ſubſtantiales.*
8. *Quæ ſint naturales, & an ab iis per pactum recedi poſſit, & quibus caſibus.*
9. *Feuda Cameræ, Cavenæ, Soldatia habitationis, Guardia, Caſtaldia, &c. an recte inter feuda recenſenda, aut alicujus uſus ſint.* Neg.
10. *Quomodo cum propriis & impropriis feudis conveniant Hollandorum feuda recta & hereditaria, eorumque explicatio.*
11. **Een goet onverſterſſlijk Erff-leen** *quo uſque ſe extendat, & an etiam ad fœminas.*
12. *Recta, ſive hereditaria, alio nomine bona ſive mala feuda nuncupantur, & quare.*
13. *In dubio pro feudo recto præſumitur.*
14. *Zelandorum Privilegium pro caduci redemptione.*
15. *Quales res in feudum dari; & qui feuda conſtituere aut de feudis inveſtiri poſſint, remiſſive.*

PRoptii feudi propria ſunt. I. Quod feudum ſit gratuitum, & originem habeat ex benevolentia domini, nec ſit pecunia emptum. *cap. unic. De feude dato in vicem legis commiſſoria. lib. 1. tit. 27.* Unde dicitur beneficium, quod ex benevolentia datur. *cap. unic. In quibus cauſ. fend. amittat.* Vide Weſenbec. *De feud. cap. 1. num. 2.* 1

II. Quod directum dominium maneat penes dominum, *§. ult. In quib. cauſ. fend. amitt.* In cujus recognitionem cuivis ſucceſſori laudemium aliquod pro inveſtitura domino offerendum aut præſtandum imponitur, non ut pars pretii, aut æſtimationis, ut in Jure Emphyteutico. *l. 3. in fin. Cod. de Jure Emphyteut.* Sed in reverentiæ & obedientiæ ſignum: (vulgo **Heer Gewaden.**) Quæ in quacunque poſſeſſorum mutatione debentur, ut deciſum refert Chriſtin. *vol. 6. deciſ. 70. num. 9.* Hæc quæ aut qualia ſint, poſt ſuo ordine videbimus.

III. Quod fœminæ non ſuccedant in feudis, niſi aliud convenerit. *cap. 1. §. 3. De his qui feud. dare poſſ. cap. 1. §. filia, De Succeſſione feudi. lib. 1. tit. 8.* Carpzov. *Reſponſor. Jur. Electoral. lib. 6. tit. 8. reſponſ. 82.* 2

Contrarium tamen moribus noſtris ſervatur, quibus fœminæ paſſim ad feudi ſucceſſionem admittuntur: niſi tenor inveſtituræ eas excludat. Gudelin. *De feud. part. 1. cap. 1. num. 1. 3. & part. 3. cap. 3. num. 3. & ſeq.* Zypæ. *Notit. Jur. Belg. tit. de feudis.* Neoſtad. *De feudis Holland. Succeſſ. cap. 4. num. 8.* Grot. *Introd. lib. 2. cap. 41.* Quin & ad feuda nova admittantur, ut & dare feuda etiam nova poſſint, Gudelin. *De feud. part. 2. num. 9.* & Frideric. à Sande *ad conſuetudin. feudal. Gelr. tit. 3. cap. 1. §. 1. num. 1. & ſeq.* Ita tamen, ut maſculo exiſtente, fœminæ non ſuccedant, nec ad ſucceſſionem feudi admittantur; niſi deficientibus demum maſculis, qui pari eſſent gradu, licet ætate minores: etiamſi ex pacto ſpecialiter ſint vocatæ. Ut recte ex propria feudi natura interpretandum cenſet Carpzov. *Reſponſ. Jur. Electoral. lib. 6. tit. 8. reſponſ. 82. num. 8. 9.*

Ratio eſt, quia feudum improprium propriam retinet feudi naturam, in his, quibus per pacta inveſtituræ, propriæ feudi naturæ derogatum non eſt. *cap. 1. de feud. non habent. prop. natur.* Matth. de Afflict. *deciſ. 320. col. 3.* Alexand. *lib. 1. conſil. 3. col. 5.* Vultej. *De feud. cap. 7. & DD. ibi alleg.* quam agnoſcit etiam Frideric. à Sande *ad conſuetud. feud. Gelr. tract. 1. tit. 3. cap. 1. §. 6. num. 29. & 46.* Carpzov. *Reſponſor. Electoral. lib. 6. tit. 2. reſponſ. 16. num. 8.* Neoſtad. *De feud. Holland. Succeſſ. cap. 4. num. 3.*

Circa quod ſtricto Jure ex ipſius inveſtituræ verbis diſtinguendum; utrum quis habeat feudum, pro ſe & heredibus ſuis maſculis, & fœminis; an pro ſe & heredibus ſuis fœminis, ſicut maſculis. Quo priori caſu, (de quo loquitur text. *tit. in quib. cauſ. feud. amitt. in fin. lib. 2. tit. 23.*) fœminæ ordine ſucceſſivo deficientibus demum maſculis ſuccedunt, juxta vulgare: **Dat jonger Man voor dat ouder Wijf**; poſteriori vero caſu æqualiter cum vocantur, proindeque remotiores maſculos excludunt fœminæ propriores. Ut in facti Batenburgorum ſpecie, contra Rudolphum Comitem Diepholdicum, judicatum refert. Frider. à Sande *d. tract. ad conſtitutiones fend. Gelr. tit. 3. cap. 1. §. 7. num. 14.* per text. expreſſ. *in tit. Caſus quibus fœmin. in feud. ſucced. §. 1. lib. 2. tit. 104.* Eademque diſtinctione, pro fœminis, à Scabinis Lipſenſibus judicatum refert Carpzov. *Reſponſ. Jur. Electoral. lib. 6. tit. 8. reſponſ. 82. num. 10.* Hanc etiam pacti diſtinctionem ex communi DD. opinione receptam notat Bronch. *method. feud. cap. 10. verſ. Feuda acquiruntur nobis.* 3

IV. Quod Vaſallus domino ſervitia militaria exhibere teneatur. *cap. 1. in fin. In quibus cauſ. feudum amitt.* Quæ ſi remittantur, feudum erit improprium, quod feudum francum vocatur in Jure feudali, de quo eſt textus unicus *cap. unic. Caſus quib. fœminæ in feudum ſuccedunt. lib. 2. tit. 104.* Quo ipſo tamen Vaſallus non liberatur ab honore, reverentia, & fidelitate domino præſtanda, quæ remitti non poſſunt: quum ſint de ſubſtantia & eſſentia ipſius feudi. *arg. cap. unic.*

per

per quos fiat inveſtitura. cap. 1. in fin. In quib. cauſ. feud. amitt. A quibus ſervitiis Carolum V. edicto perpetuo Anni 1518. nobiles abſolviſſe & liberaſſe, eaque in univerſum abrogaſſe quidam tradidêre: uti notat Neoſtad. *De feudi Holland. Succeſſ. cap. 1. num. 18.* Everhard. Bronchorſt *method. feudor. cap. 1. verſ. Tertium proprium.* Chronic. Holland. *Matth. vander Hoeven lib. 1. cap. 10. pag. mihi* 60. Quæ remiſſio & ſervitii liberatio, quamvis ipſa diſſuetudine & contrario uſu moribus noſtris plus ſatis ſit recepta, quam ut denegari poſſit, eam tamen nec ipſo Caroli V. edicto, nec alia expreſſa ſanctione corroboratam recte reprehendit Hugo Grot. *Introd. lib. 2. cap. 41. verſ.* **Ende indien de Graven.**

Quibus ceſſantibus, retento ſolum laudemio, & curialium Jure, ſingulis ſucceſſionum aut poſſeſſionum mutationibus, domino, ejuſque camerario, & curiæ paribus ſolvendo, feuda noſtra, ad inſtar bonorum patrimonialium fere ſunt redacta, Zyp. *Not. Jur. Belg. tit. de feud.* Buſ. *ad l. 1. ff. ſi ager Vectigal.* Quod & de Galliæ moribus refert Argentr. *ad Conſuetud. Britann. ad Rubric. tit. 16. num. 3. & 4.* & de Hiſpaniæ moribus refert Marius Muta *ad conſuetud. Panormitan. cap. 1. num. 37.*

5 Notandum porro fidelitatis verbum hic eſſe reciprocum, ſive relativum, facta relatione à Vaſallo ad dominum, & vice verſa: ſic ut pro Vaſalli officio domino ſuo præſtando, ipſe viciſſim dominus Vaſallum ſuum defendere, & patrocinio ſuo tueri ſit obſtrictus. Quod huic contractui tacite ineſſe videtur, licet à parte domini expreſſum non ſit: Vaſalli enim erga dominum reciproca obligatio eſt, non abſimilis illi, quæ olim fuit Romæ, inter patronos, & clientes, *cap. unic. §. dominus. De forma fidelitatis lib. 2. tit. 6.* Vide Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 34. num. 3.* Quamvis & illud in ipſo inveſtituræ tenore ſubinde exprimi ſoleat: ut in Antiquis Gelriæ feudorum inveſtituris uſitatum fuiſſe probat Frideric. à Sande *ad conſuetud. feudal. Geldria. tract. 2. tit. 2. cap. 2.* Quo in patrocinio tantum antiquitus poſitum fuiſſe multi, inteſtini præſertim belli tempore, ſibi perſuaſum habuere, ut quandoque propria ſua bona Principi ceſſerint, quæ mox feudorum titulo & jure recipiebant: teſte Neoſtad. *de feudis, cap. 1. num. 12.* & Grot. *lib. 2. cap. 41. §. 2. circa fin.*

V. Proprium eſt, ut feudum conſiſtat in re immobili, de quo in ipſa definitione latius.

VI. Ut feudum perpetuum ſit, & ad heredes tranſitorium. *cap. 1. §. fin. in quibus cauſis feud. amitt.* & quidem ad heredes ſuos, ut tantummodo in eos tranſeat, qui velut eadem ſunt perſona cum Vaſallo primo, eaſdemque operas præſtare poſſunt: ut ſunt ejuſdem liberi, Jul. Clarus *§. feudum, quæſt. 9. num. 6. & quæſt. 83. num. 161.* & deſcendentes, Covarruv. *lib. 2. reſolut. cap. 17. num. 3. in fin.*

VII. Quod feudum ſit individuum. Vid. Neoſtad. *de feud. obſ. 8.*

6 Harum proprietatum aliæ iterum ſunt de eſſentia ipſius feudi, aliæ de communi tantum feudi natura: quæ de eſſentia & ſubſtantia ipſius feudi ſunt, per pacta tolli aut mutari non poſſunt, de communi natura poſſunt, dicunturque feuda impropria: Neoſtad. *De feudis Holland. Succeſſ. cap. 4. num. 1. 2.* pacta enim contra ſubſtantiam contractus non valent, quæ tamen contra naturam in vim pacti ſubſiſtunt. Subſtantiam dicimus, quæ rem ita comitatur, ut ſine ea res exiſtere non poſſit, naturam, quæ probabiliter tantum, & plerumque, ut & ſine ea res ipſa conſiſtat.

7 Proprietates itaque feudi ſubſtantiales ſunt: ut ſit rei immobilis, gratuitum, & fidelitati adſtrictum: ſine quibus nullum intelligitur feudum. Ut in ipſius feudi definitione latius defendimus per text. *in §. fin. In quib. cauſ. feud. amit. §. fin. Per quos fiat inveſtitura, & tit. de feud. dat. in vic. leg. commiſſor.*

8 Reliquæ omnes ſunt naturales tantum, & ob id abeſſe, & adeſſe poſſunt. Unde per pactum, recte receditur ab ea proprietate feudi, qua in defectum liberorum deſcendentium, aut inter collaterales extra certum gradum ipſum feudum ad dominum revertitur. Adeoque & ab ipſo titulo, *De fratrib. de nov. benefic. inveſt.* per pacta valide receditur. Et contra propriam feudi naturam mulieres in feudis ſuccedunt, ſi ſit feudum fœmininum, de quo mulier primum inveſtita eſt. *cap. de feud. fœmina. & cap. 1. de Natur. Succeſſ. feud.* vel maſculino pactum acceſſerit de fœminarum ſucceſſione. *cap. unic. De eo qui ſibi vel heredib. ſuis maſcul. & fœmin.* & ſic de cæteris. Quorum
9 in jure ſcripto multa recenſentur exempla: ut ſunt feuda Cameræ, Cavenæ & Soldatiæ, *cap. 1. §. ſciendum. De feudi cognition. cap. 1. in fin. Quis dicatur Dux, Marchio, Comes.* Habitationis, *cap. 1. De feud. habitation.* Guardiæ, Gaſtaldiæ, *cap. 1. De feudo Guardiæ & Gaſtaldiæ.* Quæ quum nullius uſus ſint, nec adeo ſibi conſtent, quin contra ſubſtantialem feudorum proprietatem & eſſentiam magnopere peccent, ad eos potius, qui feudi titulum iis, corrupta nimium Juris ſcripti auctoritate, perperam inſcripſerint, remittere, quam hoc loco inter feuda recenſere malui.

Quæ aliis propria & impropria: Hollandis & Zelandis, alia ſunt recta, quæ neque legis nllius, 10
neque pactionis alicujus neceſſitate circumſcribuntur: adeoque caduci Jure propriam feudi natu-
ram quodammodo ſequi videntur: alia hereditaria, quæ circa ſucceſſionem ita ſunt conditionata,
ut in ea à propria feudi natura recedant, in tantum, ut conſanguinei omnes qui patrio jure quan-
doque heredes eſſe poterant, ad eorum ſucceſſionem ſint vocandi, nec, niſi iis demum omnibus
deficientibus, caduci jure cedant.

Quod in Inveſtituræ formulis recentioribus ſatis perſpicue etiam exprimi ſolet, his verbis,
Voor hem / ſijnen Erven / ende Nakomelingen tot een goed onverſterffelijk Erf- 11
leen / id eſt, pro ſe, proque heredibus ſuis, ac ſucceſſoribus ſeu poſt venturis, in bonum, neque
ullo tempore intermoriturum feudum. Quo ipſo & fœminæ comprehenduntur, & ex fœminis
progeniti, nullo diſcrimine habito, quam quod maſculi, pari cum iis gradu, exiſtentes, licet æ-
tate minores, iis præferantur, quod & quibuſdam inveſtituris etiam ſolet exprimi, **De
jonger Man voor dat ouder Wijf / daer ſy beyde even nae zijn.** Quæ licet antiquius
non ita clare fuerint expreſſa, quibus hæc ſolum formula erat uſitata: **Binnen achter-ſuſters-
kinderen niet te verſterven**: id eſt, intra Sobrinas, ſeu ſororum Nepotes, non intermoritu-
rum: eadem tamen fuit intentio ejuſdem clauſulæ, ſcilicet, ſucceſſionum feuda ad inſtar ſucceſſio-
nem bonorum communium ſive allodialium extendi: propterea quod etiam tunc temporis, com-
munis bonorum ſucceſſio intra quartum gradum fuerit coarctata. *arg. tit. De Nat. Succeſſ. feud.*
Neoſtad. *De feud. Holland. Succeſſ. cap. 4. num. 9.* & poſt eum Grot. *Introd. lib. 2. part. 41, verſ.*
Maar door beding: *circa med.* Qui & illam rationem addit, quod pleraque feuda non ex ip-
ſius Principis patrimonio, ſed ex clientis ipſius bonis (rei proprietate, fiduciarii juris titulo in Prin-
cipem translata) originem ceperint, & ex eo meliorem conditionem traxerint: unde & feuda bo-
na vocari ſolita ſint, **goede Leenen** / quaſi melioris conditionis: quemadmodum è contra feuda 12
recta ob coarctatos ſucceſſionis limites, ac præproperam Juris caducitatem, qua deficientibus vi-
rilis ſexus heredibus, ſive ſucceſſoribus, filiæ aliiſque ex filiabus deſcendentibus, excluduntur,
feudumque caduci jure domino cedit, mali feudi appellatione, **quade Leenen** / denominari
ſolent.

Feudum rectum autem quum à propria feudi natura quam minime decedat, ſimplici vocabulo 13
fere determinari ſolet, **Voor hem ende ſijnen Erven tot een regt Leen** / quod licet non ad-
datur, aut alias ex ipſius inveſtituræ tenore colligi non poſſit cujus generis ſit, rectum tamen eſſe
feudum præſumitur. Neoſtad. *De feud. Holland. cap. 2. num. 4.*

Zelandicorum tamen in his benignior eſt conditio, ut quum feudum rectum ſive malum, defi- 14
cientibus maſculis, domino ceſſerit, ſecundum antiqua Comitum privilegia, filiabus, vel his non
exſtantibus, agnatis maſculis, aut ſi hi non exſtent, cognatis maſculis, caduci redemptionem intra
ſemeſtre ſpacium poſtulantibus, & honorarium ei in ſingula jugera conſtitutum, offerentibus; ex
gratia ſpeciali denuo concedantur. Ut latius videre licet *Zelandiæ Conſtitutionibus* Philippi Bur-
gundiæ ducis, 28. *Junii* 1496. *cap. 2. art. 8.*

De quibus rebus, cui, & à quo feuda conſtitui poſſint prolixe ſatis à DD. ſcriptum eſt, quo-
rum maxima quidem pars extra neceſſitatem & uſum eſt, quum omnia illa ex aliis per ſe ſatis inno-
teſcant. Quæ enim res in feudum dari poſſunt ex ipſa definitione ſatis apparet, ſcilicet immobi- 15
les, & quæ iis annumerantur, omnes, modo excipias illas quæ in commercio non ſunt, adeoque
ſua natura alienari non poſſunt, ut ſunt res ſacræ, religioſæ, publicæ, *§. 7. 8. Inſtit. de Rer. diviſ.*
l. 182. ff. de Reg. Jur. Ut & eas, quarum alienatio lege, ſtatuto, conſuetudine aut pacto, ſive
providentia teſtatoris eſt prohibita. *cap. unic. §. ſed etiam res. Per quos fiat inveſtitura.* quæ hujus
loci non ſunt.

Quemadmodum & hic ſtatuiſſe ſuffecerit, unumquemque de feudo inveſtiri poſſe, cujuſcun-
que ſexus, ætatis, conditionis, aut qualitatis ſit: niſi expreſſe prohibitus inveniatur, *cap. 1. §.
perſonam. Per quos fiat inveſtitura.* ut fere ſunt hæretici, banniti, publico crimine damnati, ex ne-
fariis & inceſtis nuptiis procreati, & ſimiles. De quibus Joann. Blanch. *epitom. feudor. cap. 5.
num. 11. & ſeqq.* Dari autem poſſunt à ſummo Principum gradu, ad infimam plebem; modo
ab his qui liberam bonorum ſuorum habent adminiſtrationem. *cap. unic. in princip. Per quos fiat
inveſtitura.*

Cap.

Cap. XXI.

De Inveſtitura, Laudemiis, & Curialibus.

Summaria.

1. *Quomodo feudum acquiratur.*
2. *Quid ſit inveſtitura.*
3. *Quando & quomodo renovanda, & quid inibi præſtandum.*
4. *Laudemiorum varia ſpecies, & ſymbola quinquageſima loco introducta.*
5. *Quomodo retinenda.*
6. *Qualia in Hollandia antiquitus in uſu, & quomodo redimi ſoleant.*
7. *Nummaria ſymobola quæ fuerint, & quomodo redimenda.*
8. *Unius anni fructus pro laudemio conſtitutus, ſolius rei feudum data non etiam augmentorum ratione computandus.*
9. *Meliorationes, inædificata, & augmenta feudi induſtrialia, feudalia an ſint?* Neg.
10. *Nullo laudemii ſymbolo expreſſo quid ejus nomine debeatur, in minori, medio & minimo feudo.*
11. *Curialia Jura quæ ſint.*
12. *Feudum irrequiſito domino, nec in præjudicium agnatorum alienari poteſt, Jure Civili, & in Saxonia.*
13. *In Hollandia, Gelria & Gallia indiſtincte poteſt.*
14. *In Flandria antiqua feuda, non niſi liberorum vel antiquiorū & proximiorū heredū conſenſu.*
15. *In feudis emptitiis an & quatenus in judicio familiæ erciſcundæ pretii collatio facienda: & quid de meliorationibus?* Diſting. Contra Petrum Bord.
16. *Probant Juris Saxonici Interpretes.*
17. *Quomodo Vaſallus re feudali uti, & inter vivos de ea diſponere poſſit.*
18. *An & quatenus per ultimam voluntatem.*

1 Acquiritur feudum pacto, & ſucceſſione, intercedente inveſtitura, *cap. 1. quib. mod. feud. conſtitui poteſt*, & fidelitatis juramento, *cap. 1. verſ. nulla. Per quos fiat inveſtitura.* & *cap. 1. Qualiter jurare debeat Vaſallus.*

2 Eſt inveſtitura ſolennis coram paribus curiæ, rei feudalis, per dominum datæ, & à Vaſallo ſub fidelitatis juramento acceptatæ, confirmatio, *cap. unic. in princip. Si de Inveſt. inter dom. & Vaſall. lit. oriatur.* Quæ ſi de novo beneficio fiat, dicitur inveſtitura propria, eo quod ipſi feudo certam formam & modum det. In feudo veteri dicitur inveſtitura impropria, eſtque tantum prioris inveſtituræ, in perſona ſucceſſoris renovatio ſolenniter facta, *cap. 1. in med. Qui teſtes ſint neceſſarii, cap. 1. Quæ fuit prima cauſ. benefic. amittend.* Quæ iiſdem nec aliis conditionibus fieri poteſt quam quibus primitus inſtituta: quomodo enim prima inveſtitura facta eſt, ita à poſteris omnibus debet ſervari, & quoties quæſtio eſt de conditionibus feudi, toties ad eam recurritur.

Et quidem in arbitrio domini poſitum eſt pacta pro lubitu ſuo, modo licita ſint, apponere. Hinc quum ex bonis feudalibus, regulariter laudemia nulla ſolvantur, ſed inveſtitura ejuſque renovatio gratis facienda ſit: ut late Molin. *ad conſuetud. Pariſ. §. 2. gloſſ. 1. num. 4. & §. 3. gloſſ. 2. num. 18.* Ludolph. Schrader. *De feud. part. 6. cap. 3. num. 24.* De iis tamen præſtandis pactum fieri poteſt, & ſolet, quo feudi naturæ nihil decedat: quippe quod nihilominus beneficium maneat, licet ob cauſam conceſſum: propterea quod laudemia illa exigua quantitate conſiſtant, ſic ut feudum majoris ſemper pretii & fructus maneat, quam ſunt onera & ſervitia inde præſtanda.

Quod & extra pactum conſuetudine tam ſpeciali quam Curiæ alicujus generali induci poſſe conſtat ex deductis à Roſenthal *de feud. lib. 6. cap. 66. num. 5.* Hartmann. Piſtor. *lib. 1. quæſt. 50. num. 61. 62.* & Choppin. *ad conſuetud. Andegav. lib. 2. part. 2. tit. 3. de laudem. num. 2.* Quo Jure utimur: quibus Inveſtituræ ut plurimum, ipſa laudemiorum ſymbola ſolent inſeri.

3 Omni itaque manus, & poſſeſſionis mutatione, Inveſtituræ renovatio fieri debet: & quomodocunque transferatur, feudum, ſive ex contractu, ſive ex ſucceſſione, laudemium domino præſtare, & paribus curiæ, aliiſque cameræ feudalis miniſtris, jura curialia ſolvere Vaſallus eſt obſtrictus. Circa quod notandum tamen; pro prima Inveſtitura nihil ſolvi, inſuperque mortuo, aut mutato ipſo domino, juramenti quidem fidelitatis renovatio præſtari debeat, nullo tamen laudemio, aliove curialium Jure perſolvendo: quæ non niſi pro mutatione à parte Vaſalli facta, perpendi ſolent. Neoſtad. *de feud. cap. ult. num. 4.* Chriſtin. *volum. 6. deciſ. 25. num. 10. &*

ſeq. & *deciſ.* 70. *num.* 7. Zoeſ. *de feud. cap.* 13. *num.* 5. Quare & hæc relevia vulgo dicuntur, a levando & liberando, ut eo ipſo feudum pro poſſeſſionis tranſlatione redimatur quaſi, quomodo *in lib.* 1. *feud. tit.* 24. legitur: redimi feudum à domino, unde & hæc originem traxiſſe putant, Gudelin. *De feud. part.* 3. *cap.* 6. *num.* 13. & poſt eum Chriſtin. *vol.* 6. *deciſ.* 70. *num.* 24. *& ſeq.*

Laudemia hic non ſunt quinquageſima aut alia ſimilis pretii pars, ſed alterius rei donatariæ præſtatio, quæ in ipſa fere inveſtitura exprimi ſolet: eſtque communiter, par calcarium, vel chirothecarum, falco, canis venaticus, capo, ſalmo, enſis, aliudve ſimile, pecuniæ etiam Symbola 4 antiqua. Quæ ſingula qualia ſint, & qua pecuniæ ſumma redimi ſoleant, à particulari conſuetudine cujuſque fere Regionis, & multorum locorum ſpecialibus moribus dependet. De laudemiorum 5 Jure plura in genere ſcripſerunt Bernard. Argentr. & Georg. Frantsk. *tract. de laud.* Hartmann. Piſtor. *lib.* 1. *quæſt.* 50. & plures citati à Roſenthal *cap.* 6. *concluſ.* 66. *num.* 10. Gudelin. *de feud. part.* 3. *cap.* 6. Chriſtin. *volum.* 6. *deciſ.* 70. Henric. Zoeſ. *tractat. de Jure feud. cap.* 13. Frider. à Sande *ad conſtitut. feudal. Gelriæ, tract.* 2. *tit.* 1. *cap.* 3. Neoſtad. *de feud. Holland. Succeſſ. cap. ult.* 6 Quibus ex conſuetudine cameræ feudalis Comitat. Holland. has laudemiorum, curialiumque ſpecies, & luitionea ſuperaddere voluimus.

Ita primo convivium lautum, **een goede maeltijdt** / redimitur quinque florenis Carolinis communibus.

Mucetus rubidi coloris, **een rooden Sperwer** / floreno uno.

Niſus Hornotinus, id eſt qui antequam deplumeſcit, manſuevit, **een Noordſen Muyter** / Carolinis duobus.

Canis Venaticus, tribus Carolinis taxatur, cui ſi addatur, cum millo ſive collari, **een Wind-hond met hals-banden** / quatuor florenis æſtimari ſolet.

Venaticorum canum par, ſive copula, **een koppel / ofte een zeel Wind-honden** / tribus Carolinis ſinguli.

Cornu Venatorium cum appendiculo, **een Jagt-hoorn wel behangen** / thalero, triginta ſeſtertiorum æſtimari ſolet.

Cornu Venatorium ſimplex, adjuncto chirothecarum pari, floreno uno.

Par manicarum ferrearum, **een paar Wapen-hand-ſchoenen** / viginti quatuor ſeſtertiorum eſt.

Par Chirothecarum tribus ſeſtertiis taxatur.

Par Chirothecarum ex cervina pelle, **een paar Harte Hand-ſchoenen** / quinque ſeſtertiis.

Par Chirothecarum ex aluta alba, **een paar witte Hand-ſchoenen** / tribus etiam ſeſtertiis taxari ſolet.

Lucius in amne Merva captus, **een Merwetſen Snoek** / decem ſeſtertiis.

Lucius probus, id eſt meliori nota, **een goede Heecte** / viginti ſeſtertiis redimitur.

Accipiter probus, ſive accipiter rubei coloris, **een goeden Sperwer / ofte rooden Sperwer** / nobili Anglicano, vulgo, **een Engelſen Nobel** / redimi ſolet, qui trium Carolinorum & quindecim ſeſtertiorum eſt.

Pavo ſaginatus, **een vette Pauw** / Carolino uno.

Gallus ſpado, **een Capoen** / ſeptem ſeſtertiis.

Par Caponum ſaginatorum, **een paar vette Capoenen** / viginti ſeſtertiis, ſive Carolino uno.

Par Cuniculorum, **een koppel Konijnen** / quinque ſeſtertiis.

Vervex ſaginatus, **een vetten Weer** / ſeſqui Carolino, ſive thalero redimitur.

Vini modium, **een ſtoop Wijn** / quatuor ſtuferis.

Vini Rhenani modium, ſex ſeſtertiis.

Par Merularum, **een paar Smaarlen** / quinque ſtuferis.

Salmo bonus, **een goeden Salm** / decem ſeſtertiis.

Par Calcarium, **een paar Spooren** / decem ſeſtertiis.

Novellus Enſis, **een nieuw Swaard** / duobus florenis Carolinis.

Equus quinquaginta florenorum, decem Carolinis redimi ſolet.

Et ſi quæ plura ſymbola ex antiquis inveſtiturarum formulis inveſtigari poterunt.

Porro ſymbola nummaria alia quavis moneta ejuſdem valoris redimi quoque ſolent, eo quod omnis fere ejuſmodi monetæ ſpecies ex uſu plane receſſerit. Sed hæc aliquantulum differunt ab ea luitione quam in reditu Emphyteutico locum habere diximus: eo quod inibi earundem monetarum mutationem non ita ſtricte obſervaverint, quin una eademque qua ſolebant antiquitus

æſti-

æſtimatione eas acceperint: unde & eas antiquitus pro laudemii ſymbolo in ſpecie ſolutas eſſe colligerem, uſque dum ille idem nummus haberi amplius non potuerit, ſic ut exinde taxatio ejuſdem valoris in alia moneta ſolvenda taxari debuerit. Hæc fere talis eſt:

7 Aureus Anglicus, **een Engelſen Nobel** / tribus florenis Carolinis, & quindecim ſeſtertiis taxatur.

Aureus Flandricus, **een Vlaamſen Nobel** / quatuor Carolinis.

Scutum Gallicum, **een Vrankrijkſen Schild** / duobus Carolinis & totidem ſeſtertiis.

Corona Gallica, **een Vrankrijkſen Kroon** / duobus Carolinis.

Scutum Gallicum Vetus, **een ouden Vrankrijkſen Schild** / duobus Carolinis, ſex ſtuferis, ac totidem obulis.

Scutum Aureum, **een gouden Schild** / Carolinis duobus, & octo ſeſtertiis.

Scutum Aureum Hollandicum, **een gouden Hollandſen Schild** / Carolino uno & tredecim ſeſterriis.

Scutum Wihelmi Aureum, **een gouden Wilhelmus Schild** / Carolino uno & duodecim ſeſtertiis.

Scutum Borgundicum, **een Borgoenſen Schild** / ſeſqui Aureo Carolino valet, redimique ſolet duobus Carolinis communibus, & quinque ſeſtertiis.

Aureus Florenus, **een goude Gulden** / ſeſqui Carolino communi, ſive tricenis ſeſtertiis taxari ſolet.

Florenus Magnus, **een grooten Gulden** / Carolino, & octo ſeſteitiis.

Florenus qui indigetatur Florentinus, **een gulden Hallink** / tricenis ſeſtertiis.

Plorenus cui Rhenani cognomentum tribuitur, **een Rhijns-Gulden** / Carolino uno & octo ſeſtertiis.

Florenus cui additur, **een Poſtulaats Gulden** / duobus florenis Carolinis.

Nummus aureus, **een gouden Penning** / Scuto Hollandico redimitur, ſive duobus florenis & totidem ſeſtertiis.

Libra pondo monetæ probæ, **een pond goed Gelts** / Carolino uno redimitur.

Libra pondo monetæ Hollandicæ, **een pond Hollands** / quindecim ſeſtertiis.

Libra pondo monetæ Turonenſis, **een pond ſwarten Tournops** / viginti ſeſtertiis.

Libra pondo monetæ Pariſienſis, **een pond Paraſiſes** / decem ſeſtertiis valet.

Viginti Groſſæ monetæ Tornacenſis, quarum ſingulæ quatuor Flandricas groſſas adæquant, **twintig Grooten Koninks Tournops / daar men voor ontfangt voor elke groote vier groote Vlaams** / duobus Carolinis communibus redimuntur.

Marcarum auri quinque, quarum ſingulæ quatuor libris Hollandicis taxantur, quindecim Carolinis redimi ſolent.

Uncia argenti probi, **een once fijn Silvers** / viginti octo ſeſtertiis taxatur.

8 Aliquando etiam pro laudemio veniunt unius anni fructus, aut proventus ex ipſa re feudali percepti. Quod ſtricte etiam ſumendum eſt, ut ſolummodo pertineat ad fructus ipſius rei in feudum datæ, non etiam ad augmenta, & meliorationes, opera & ſumptibus Vaſalli fundo feudali adjecta & adſtructa: veluti ſi in fundo feudali à Vaſallo ædificium fuerit exſtructum, ejus ædificii ratio, in computando laudemii fructu annuo, non habebitur: quum meliorationes, inædificata, & augmenta feudi induſtrialia, extrinſecus adjecta, ſeparata, & per ſe ſubſiſtentia, à
9 Vaſallo in feudo exſtructa, feudalia non ſint. *per text. in cap. 1. §. E contrario. tit. de inveſtit. de Re aliena fact. cap. 1. §. Si Vaſallus. tit. Hic finitur lex.* Jul. Clar. *lib. 4. Sententiar. §. feud. quæſt. 88. num. 1.* Roſenthal *de feud. cap. 7. concluſ. 47. num. 10. & cap. 10. concluſ. 43. & cap. 12. concluſ. 15. num. 12.* Hartmann. Piſtor. *lib. 2. quæſt. 42. num. 1. & ſeq.* Coler. *de Proceſſib. execut. part. 2. cap. 3. num. 309.*

10 Si vero nullum laudemii ſymbolum in inveſtitura expreſſum ſit in feudo magno, cui juriſdictio, mixtum aut merum imperium competit, aut quod triginta florenorum aut plurium reditus aut fructus annuos habet, itidemque feudo medio quod infra triginta, & ſupra decem florenorum reditum annuum habet, decem floreni pro renovationis laudemio exigi ſolent, pro minimo vero feudo, quod ultra decem florenorum reditum annuum non habet, ipſe reditus annuus quotus quantus ſufficiet.

11 Curialia Jura eadem proportionis ratione taxari ſolent hoc modo:

In magno quidem feudo, merum aut mixtum imperium, aut ultra triginta florenorum reditum annuum habente ſolvuntur:

Pro Zigillo.	7 - 10 - 0
Pro Regiſtri Magiſtro.	7 - 10 - 0
Pro Clerico Amanuenſi.	1 - 19 - 0
Pro Camerario.	1 - 19 - 0
Pro Nuncio Apparitore.	1 - 19 - 0
Pro Janitoribus ſive oſtiariis.	1 - 4 - 0
Faciunt	22 - 1 - 0

In medio feudo, cujus reditus annui computatio infra triginta florenos eſt, ſolvuntur:

Pro Zigillo.	4 - 0 - 0
Pro Regiſtri Magiſtro.	4 - 0 - 0
Pro Clerico Amanuenſi.	0 - 18 - 0
Pro Nuncio Apparitore.	0 - 14 - 0
Pro Oſtiariis.	0 - 8 - 0
Faciunt	10 - 0 - 0

In feudo minimo, cujus annuus reditus decem florenos non excedit, ſolvuntur:

Pro Zigillo.	2 - 0 - 0
Pro Regiſtri Magiſtro.	2 - 0 - 0
Pro Clerico Amanuenſi.	0 - 9 - 0
Pro Nuncio Apparitore.	0 - 7 - 0
Pro Oſtiariis.	0 - 4 - 0
Faciunt	5 - 0 - 0

Quæ ſymbola, curialiaque Jura ſingulis etiam venditionibus, permutationibus, donationibus, aliiſque utilis dominii tranſlationibus atque alienationibus in ipſa inveſtituræ renovatione præſtari debent: ut late Henric. Zoeſ. *de Jure feudali*, *cap.* 13. *num.* 22. *& ſeq.* Vide quoque Haneton. *De Jure feud. lib.* 3. *cap.* 5. & ibi Valer. Andr. *num.* 1.

Jure quidem ſcripto, cæteriſque locis, ubi hac in parte à Jure ſcripto feudali non eſt receſſum, 12
feudum ſine conſenſu domini Vaſallus alienare nequit. *cap. unic. De probibita feudi alienatione per Lothar.* & *cap. unic. De probibit. feudi alienat. per Frideric.* Sed neque in præjudicium agnatorum, quibus à primo acquirente jus quæſitum eſt, alienatio permittitur. *cap.* 1. *De alienat. patern. feud.* niſi & illi conſenſerint. Quod & in Electoratu Saxoniæ ſancitum & deciſum refert Carpzov. *definit. forenſ. part.* 2. *conſtit.* 48. *definit.* 7. Ubi in aperto eſſe ſcribit: Vaſallum poſſeſſorem iis per alienationem nullo modo præjudicare poſſe, quo minus defuncto alienatore feudum alienatum, qualecunque etiam illud fuerit, ſive hereditarium, ſive ex pacto & providentia novum, vel antiquum, vi ſimultaneæ inveſtituræ ſemel impetratæ revocare queant proximiores agnati. Unde & in ipſa alienationis inveſtitura dominus proteſtari ſolet, id fieri ſine præjudicio juris alieni, quod etiamnum in uſu apud nos remanſiſſe videtur ſub hac clauſula, **behoudens ons ende een yder ſijn regt.**

Sed moribus harum vicinarumque Regionum, Vaſallo, feudum quoquo modo alienare, & 13
hypothecæ ſubjicere liberum eſt: quod nec ab agnatis proximioribus revocare, nec ab ipſo domino impediri poteſt, ſalvo ei retractus, aut laudemii Jure, nova inveſtituræ renovatione, coram ejus Vicario & paribus Curiæ accedente. Chriſtin. *volum.* 1. *deciſ.* 185. *num.* 26. & *deciſ.* 268. *num.* 6. *vol.* 6. *deciſ.* 63. *num.* 13. & *deciſ.* 65. *num.* 15. Frider. à Sande *ad conſuetud. feudal. Geltia tract.* 2. *tit.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. Guid. Pap. *quæſt.* 415. *num.* 1. Gudelin. *De Jure feudali part.* 4. *cap.* 2. *num.* 16. Boër. *ad conſuetudin. Biturig. tit.* 4. *§.* 1. Frideric. à Sande *ad conſuetud. feudal. Geltia tract.* 2. *tit.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. 8. Grot. *Introduct. lib.* 2 *part.* 42. *num.* 7.

Ex generali tamen Flandriæ conſuetudine, antiqua patrimonialia & matrimonialia feuda, abſ- 14
que expreſſo conſenſu liberorum vel antiquioris & proximioris heredis, habilis & qualificati ad ſuccedendum in iiſdem, alienari, aut onerari non poſſunt, ſub pœna nullitatis, & amiſſionis rei venditæ. Qua de re extat edictum Philippi boni Borgundiæ ducis, 27. *Aug.* 1460. &

Caroli

Caroli V. 5. *Feb.* 1537. & 23. *Junii* 1555. Vide Chriſtin. *volum.* 1. *deciſ.* 204. *§. num.* 7. & *vol.* 6. *deciſ.* 76. *num.* 16. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de feud.*

15 Illud tamen in feudis emptitiis obſervandum eſt: ut pretium quo acquirentis patrimonium feudi cauſa per ipſam emptionem, aut alia cauſa fuerit diminutum, à filio aliove ejus ſucceſſore primo, communi hereditati reſtituatur, & conferatur. In tantum ut is quoque hereditariæ actionis jure excludatur, donec ultro oblata precii ſolutione, de communi omnium heredum conſenſu in familiæ erciſcundæ partem admiſſus, receptuſque fuerit. Neoſtad. *De feud. Holland. cap.* 5. *num.* 12. *& ſeq.* Grot. *Introd. Juriſprud. Batav. lib.* 2. *part.* 41. *verſ.* **Hoo wanneer.** Chriſtin. *volum.* 6. *deciſ.* 43. *num.* 7. Frideric. à Sande *ad conſuetud. feudal. Gelria tract.* 5. *tit.* 2. *cap.* 3. *num.* 13. & *tract.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. *§.* 1. *num.* 35. Lambert. Gor. *Adverſar. tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 11. Quam materiam prolixius tractat Petrus Bort *tract. de Feud. Holland. Succeſſ. part.* 9.

Dico *aliove ejus ſucceſſore primo.*] Ut pretii inferendi collatio ad ſolos deſcendentes reſtringatur: quia inter collaterales alioſve heredes extraneos alia ſuccedendi ratio eſt, neque pretii collatio collaterali coheredi ſuo conferenda obtinet. *arg. l.* 21. *§.* 1. *Cod. de teſtam.* Grot. *d. loco circa finem.* Neoſtad. *d. cap.* 5. *num.* 49. Niſi quod ea pecunia quæ uxori quum feudum compararetur pro parte ipſius communis fuerat vindicatione condici poſſit, & reſtitui ei debeat. Grot. *d. loco* Neoſtad. *ubi ſupra num.* 18. & Lambert. Goris *adverſ. tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 11.

Dico, *Per ipſam emptionem, aut alia cauſa diminutum.*] Ut probe diſtinguatur circa ædificia, meliorationes & augmenta poſt emptionem ipſi feudo acquiſita, & acceſſa: quæ omnia indiſtincte ipſi filio, ſolum emptionis pretium communi hereditati offerenti cedi debere, neſcio quo depravatæ conſuetudinis commento ſibi perſuaſum habuerit idem Petrus Bort, ejus generis ſtudii ſatis alias expeditus, expertuſque, *d. tract. part.* 9. *art.* 1. *part. principali* 4. *num.* 5. Contra quam ipſe mox *art.* 3. ex generali DD. ubique locorum recepta opinione acriter defendit: perpetuam hac in parte eſſe Juris differentiam inter meliorationes feudi naturales quaſi, & internas, quas ſola natura ſine hominis facto operatur, & inter induſtriales, extrinſecus accedentes, & illas, quarum gratia ipſius Vaſalli patrimonium diminutum eſt. Quarum illæ reſtitui non debent; ſed ipſi potius rei feudalis ſucceſſori, & velut ipſi feudo immediate acquiſitæ cenſentur: Hæ vero quatenus, & in quantum exinde parentis emptoris patrimonio deceſſerit, reſtitui & conferri omnino debent, eodemque Jure cum ipſo emptitii feudi pretio cenſeri. *arg. l.* 8. *Cod. de Jure dot. l.* 32. *ff. ad. leg. Aquil.* & late Berlich. *pract. concluſ. part.* 3. *concluſ.* 42. Carpzov. *Defin. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 31. *defin.* 1. etiam in feudo antiquo. Ut diſtincte ſatis Berlich. *d. loco & DD. ibi allegati.* Frideric. à Sande *conſuetud. feudal. Gelria tract.* 5. *tit.* 2. *cap.* 5. *num.* 1.

Quæ prædicta meliorationum diſtinctio, apud omnes, nemine penitus refragante, recepta eſt: eamque habet rationem, ut, quum per feudi meliorationes, & impenſas in rem feudalem factas non minus ipſum parentis patrimonium in præjudicium communium heredum minuatur, quam per ipſum emptitii feudi pretium, in quo ipſius collationis ratio fundata eſt, ideoque propter eandem finalem, & diſpoſitivam rationem idem Jus denegari haud poſſit. *arg. l.* 32. *ff. ad leg. Aquil.* Ad hæc, quod, quum eo ipſo omnia allodialia in fraudem legitimæ penitus etiam conſumi poſſent, nullum ſtatutum, nullamve conſuetudinem illi contrariam abſolute ſubſiſtere poſſe, notorii Juris ſit. Merlin. *De legitima lib.* 3. *tit.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 6. 7.

Quare & illud, quod ex obſervatiunculis illis feudalibus privati cujuſdam commento de manu in manus pro uſu feudali perperam acceptis, idem Bort *d. loco* tantum roboris adſcribere voluit, ut à communi opinione contra omnes receſſerit: ita interpretandum eſſe malim: ut hæc verba, (**ende daer toe die beterſchap van het voor-geroerde Leen**) ad meliorationes naturales & intrinſecus accedentes, quæ ipſi rei ex ſua natura, aut alias etiam fortuito caſu extra parentis ſumptus, & citra patrimonii diminutionem obvenere: ut ſunt, verbi gratia, inſulæ, alluviones, vada, aliave incrementa: Item quod ſi tractu temporis ipſius rei feudalis æſtimatio multum fuerit aucta, & ſimilia, minime autem ad ædificiorum ipſi fundo feudorum impoſitorum meliorationes, applantationes, aliaque majoris momenti additaments, niſi & ipſarum meliorationum ſumptus reſtituantur.

16 Quomodo quoque in fortioribus terminis à multis Iuris Saxonici Interpret. reſtringitur text. Iuris Saxonici, Landt-R. *lib.* 2. *art.* 21. ubi expreſſe dicitur: quod ædificia una cum feudis domino cedant; ſalvo tamen, ut benigne quidem interpretantur, quod impenſas refundere, & heredibus allodialibus reſtituere teneatur: *arg. cap.* 1. *§. è converſo. tit. De inveſtitur. de re alien. fact.* Inter quos eſt Hartmann. Piſtor. *lib.* 1. *quæſt.* 45. *num.* 36. De quo tamen vide Berlich. *d. loco*, & poſt eum Carpzov. *definit. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 31. *defin.* 1.

Uten-

Utendo tamen Vaſallus ipſam rem feudalem diminuere aut deteriorare non valet. *arg. l. 1.* 17
Cod. de Jure Emphyteut. §. 1. tit. De inveſtitura in re aliena. Vultejus *De feud. lib. 1. cap. 10.*
num. 49. & cap. 11. num. 83. Qua in cauſa eadem diſtinctio uſu venit, quam ſupra ad titu-
lum *de Uſufructu* octavimus, inter ea in quibus effoſſa aut divulſa renaſcuntur quotannis, ut
ſunt lapidicinæ, & metallifodinæ: in quibus ipſius fundi perpetuus uſus, & fructus conſiſtit,
& ea quæ ejus ſunt naturæ, ut ſemel effoſſa aut divulſa, nunquam renaſcantur, ut ſunt ea
quæ ex paludibus bituminoſis, ceſpitum formandorum, aut ex glebis è craſſioribus lapi-
dum vaſorumve fictilium formandorum cauſa effodiuntur, quæ, quum ipſius fundi fructu
non conſiſtant, adeoque rem ipſam minuant, deterioremque reddant, Vaſallo minime per-
mitti conſequens eſt: Ut ab Hollandiæ Curia ſæpiſſime judicatum in adverſariis meis no-
tatum inveni.

Inter vivos itaque, Vaſallus de re feudali ſalva ejus ſubſtantia & conditionis qualitate pro
lubitu ſuo moribus noſtris diſponere poteſt, reluctantibus licet & invitis, non ſolum ipſo domino,
ſed & agnatis & ſucceſſoribus. Quod tamen per ultimas voluntates abſque domini conſenſu 18
illi nequaquam permittitur, adeoque id ipſum quod per ultimam voluntatem, abſque conſenſu
domini, de re feudali alicui extra debitum ſucceſſionis ordinem relictum invenitur, adeo nul-
lum eſt, ut nec ejus pretium ſive æſtimatio debeatur, juxta *cap. 1. De prohibit. rer. alienat. per*
Frideric. cap. 1. in princip. De Succeßione feudi, cap. 1. §. donare. Qualiter olim pot. feud. alienar.
& ibi DD. late Vultej. *De feud. lib. 1. cap. 9. num. 150. & 152. & DD. ibi allegat.* Quo Jure
etiamnum utimur, Gail *lib. 2. obſerv. cap. 154. num. 13.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 10. art. 6.*
& volum. 6. deciſ. 24. & ſeq. Neoſtad. *De feud. Holland. Succeſſ. cap. 1.* Grot. *Introd. lib. 2.*
part. 42. verſ. 2. Cujus diverſitatis rationem vide apud Petr. Bort. *tract. De Succeßione feud.*
part. 2. §. **Volgens de feudale Regten.**

Cap. XXII.

De Succeſſione feudali tam generali, quam particulari cujuſque Regionis & Provinciæ.

Summaria.

1. *Succeßio feudi, niſi per pactum, deſcendentium & collateralium tantum, non etiam adſcendentium eſt.*
2. *Deſcendentium qualis; & quod in ea præferantur majores natu.*
3. *Ut olim à regali, hodie à quolibet feudo omnis diviſio excluſa.*
4. *In collateralibus eadem fere eſt ætatis prærogativa, & qualis pro morum varietate.*
5. *Quid circa diviſionem feudorum in* Hollandia, Zelandia, Tranſyſulania, *& pleriſque* Germaniæ *locis obtineat.*
6. *Quid in* Anglia, Gallia, *&* Hiſpania.
7. *An heredum nomine etiam fœminæ intelligantur?* Morib. Affirm.
8. *Quid ſi de heredibus feudalibus dictum: an adhuc contineantur?* Affirm.
9. *Pactorum feudalium circa ſucceßionem ſpecies quæ?* & ſeq.
10. *Qualia intelligantur feudo ſimpliciter conſtituto.*
11. *Quomodo in feudis Hollandicis ſuccedatur.*
12. *Quæ ſit ſucceßio feudalis in* Flandria Imperiali, Gallo-Flandria, *&* Waſiis.
13. Brabantica *feuda quomodo ſuccedant.*
14. Gelrica, Montfordica, Loënſia *&* Hornana.
15. *Comitatus* Zutphanienſis.
16. Cliviensia, *&* Juliacenſia.
17. Kuyckiana.
18. Trajectenſia, *&* Tranſyſulanica.
19. Falcoburgenſia.
20. *Quæ ſint conſuetudines feudales* Arteſiæ *&* Pariſienſes, *aliarumque* Galliæ Regionum.
21. Angliæ, Scotiæque *ſucceßio feudalis ſtatutaria.*
22. *Quæ ſit conſuetudinaria feudorum ſucceßio in* Saxonia, *viciniſque Regionibus.*
23. *Succeßio feudalis Ducatus* Pruſſiæ.
24. Poloniæ *remißive.*
25. *Illegitimi naturales aut ſpurii in feudis non ſuccedunt, etiamſi fœminina ſint, & à matre proveniant: nec ex illegitime natis legitimi.*
26. *Quod an conſuetudine induci poßit?* Affirm. *de Holland. viciniſque moribus.*
27. *Legitimis annumerantur legitimati per ſubſequens matrimonium, probant* Germaniæ *&* Belgii *deciſiones.*
28. *Per reſcriptum Principis legitimati, an in feu-*

da

da non ſuccedant? diſtinguunt quidam: quod Hollandiæ & Galliæ *moribus indiſtincte pro cedit.*

29. *Adoptivi quoque non ſuccedunt in feudis.*

30. *An & quatenus per pacta conventa in feudis ſuccedatur.*

1 IN ſucceſſione rei feudalis ab inteſtato deferendæ, inveſtituræ pacto etiam ſtatur. Quod ſi expreſſum non ſit, aut in quibus deficit, pro jure communi obſervari ſolet, in feudis duobus tantum ordinibus locum eſſe: deſcendentibus ſcilicet & collareralibus. Aſcendentes enim in feudum non ſuccedunt. *cap. unic. De natura ſucceſſionis feudi lib.* 2. *tit.* 50. Excepto caſu quo pater filiorum favore feudo ſibi acquirendo renunciaverit, aut feudo nondum agnito abſtinuerit, filiumque inveſtire fecerit, & filius eodem vivo ſine prole præmoriatur: quo caſu feudum ad patrem ſuccedit. Præpoſ. *in cap.* 1. *De Vaſall. decrep. ætatis. arg. l.* 6. *ff. de collat. bonor. l. ult. Cod. De Uſufruct. l.* 10. *§. in adrogato. ff. de Vulg. & pupill. ſubſtit.* Quia tunc non tam filio, quam primo acquirenti ſuccedit: & porro non ea intentione ipſi feudo renunciaſſe videtur, ut ipſe careret, ſed ut filio obveniret: Unde ſi filius id non habeat, videtur illius animi, ut apud ſe remaneat feudum. Atque ita in ſupremo Cameræ Imperialis judicio aliquando deciſum refert Mynſinger. *Centur.* 3. *obſerv. cap.* 93. Vide porro Frideric. à Schenck *ad §. quidam, De Vaſall. decrep. ætat.* Hartman. Piſtor. *lib.* 2. *Practic. obſerv. tit. De feud. obſerv.* 47. Anton. Monach. *tractat. de Recta feud. interpretat. cap.* 1. *num.* 13. Gudelin. *De feud. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 3. Chriſtin. *ad Conſuetud. Mechlin. tit.* 10. *art.* 9. *num.* 6. Neoſtad. *De feud. Holland. ſucceſſ. cap.* 6. *num.* 4. 13. 14. Quibus adde quod apud Belgas, aliaſque regiones quibus feuda omnia fere hereditaria eſſe diximus, in feudis hereditariis etiam paterna ſucceſſio quaſi conſuetudinario pacto introducta ſit.

2 Prima itaque ſucceſſionis cauſa deſcendentium eſt, qua regulariter omnes liberi maſculi, nepotes, pronepotes, reliquique ex maſculis deſcendentes uſque in infinitum, inteſtatæ ſucceſſionis jure in feuda recta, & vera, ſive antiqua, ſive nova, ſuccedunt. *cap. unic. in pr. De Succeſſion. fratrum vel gradib. ſucced. in feudo, cap. unic. in princ. De Succeſſ. feud. & cap. in pr. de natur. Succeſſ. feud.* Inter quos, qui in proximiori gradu ſunt, cæteris in remotiori gradu exiſtentibus præferuntur. *arg. d. cap. unic. in princip. De Succeſſ. feud.* nec repræſentationi locus eſt, niſi quando cum patruo vel cum patruis ſuis ſuperſtitibus concurrunt: quo caſu nepos filii primogeniti in feudi ſucceſſione patruo ſuo præfertur, *arg. d. cap. unic. in princip. De Succeſſ. feud.* & ibi DD. Bart. *in auth. poſt fratres. Cod. De legitim. heredib.* quem ſequitur Sichard. *in l. maximum vitium.* 4. *num.* 5. *Cod. de lib. præter.* Cæterum qui pari ſunt gradu, inter eos in parentia defuncti feudum æqualiter ſuccedunt. *d. cap. unic. in pr. De Succeſſ. feudi.*

3 Sed moribus ubique fere introductum eſt: ut, quo familiarum honor conſervetur, & ne feudorum ſæpius diviſorum partes nimium fiant confuſæ, feudum per ſucceſſionem dividi non poſſit: ſed ejus ſucceſſio inter plures uni, eidemque natu maximo deferatur. Quod cuique fere Chriſtianorum genti obtinet, & teſte Frid. à Schenck *cap.* 1. *De feud. cognit. num.* 1. ita invaluit, & inveteravit, tamque altas jecit radices, ut abſque regnorum, rerum publicarumque perturbatione jam extirpari non poſſit. De Moribus noſtris teſtantur Gail *lib.* 2. *obſerv.* 153. Gudelin. *de Jure feudali, part.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 388. Neoſtad. *de Feud. Holland. Succeſſ. cap.* 5. *num.* 76. Grot. *Introduct. lib.* 2. *part.* 41. *verſ.* **Maar hoewel.** Frideric. à Sande *ad Conſuetudin. feud. Gelriæ tract. præliminar. cap.* 1. *num.* 34. Quæ eadem ratio olim quoque feudi Regalis diviſionem reſpuebat: in quo, propter annexam dignitatem, filius natu major primogenituræ beneficio feudo ſolus gaudebat: cæteri excludebantur prorſus: *§. præterea Ducatus. De prohibit. feud. alienat. per Frideric.* Ne ſcilicet, hereditate in plures diviſa, ob inopiam rei familiaris, familiæ claritas obſoleſcat. Deinde quia politia eſt optima quæ à paucis conſervatur, à plurimus difficillima & periculoſa: ſecundum Ariſtot. in *Politic. &* 2. *Metaphyſicor.* Sonsbec. *tractat. De feud. part.* 1. *num.* 44. & late Vultejus, *De feud. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 74. Quod jus hodie non ſolum in filiis Regum, Comitum, Principum, Ducum, & ſimilibus, ſed etiam in quibuſlibet aliis, nec ſolum in ipſis fundis feudalibus, ſed & allodialibus annexam juriſdictionem habentibus locum habet: alaudia enim nobilia inſtar feudalium ſuccedunt, Molin. *ad Conſuetudin. Pariſ. tit.* 1. *De matiere feudale, §.* 46. *num.* 3. Choppin. *De Doman. Franc. lib.* 1. *tit.* 13. *num.* 16.

Sequitur collateralium ſuccedendi ratio, qua liberis deficientibus, fratres & ſorores, ulterioreſque collaterales ad ſucceſſionem fratris, aut ulterioris conſanguinei decedentis ſuccedunt, ſecundum ſexus, & gradus prærogativam. *cap. unic. de Succeſſ. fratr. vel grad. ſucced. in feud.* ſi ſci-

licet feudum ſit antiquum: in feudo enim novo fratri, cæteriſque collateralibus ſuccedendi locus non eſt. *cap. unic. de fratrib. de novo feudo inveſtit.* Niſi aut pacto de fratrum ſucceſſione convenerit, expreſſo, aut tacito, ſi nimirum frater cum fratre habitans, ex communibus bonis feudum, domino ſciente, comparaverit, quo caſu dominus in utrumque vaſallum conſentire videtur. *d. cap. de fratrib. de nov. benefic. inveſt.*

Sed & hoc privilegium ætatis, non modo inter liberos receptum eſt; verum & inter fratres 4
alioſque cognatos collaterales, nec ſolum maſculis, ſed & fœminis inter ſe ſuccedentibus, iſtud jus tribuitur: varie tamen pro regionum varietate. Quibus fere commune eſt, ut coheredum natu maximus caſtrum, ſeu titularis domus prærogativam habeat, & gentilitia inſignia ſolus gerat, quorum ſimulachra tantum ſigno aliquo diminuta retinent, ejuſdem fratres natu minores: Ut recte notat Gudelin. *De Jure feudor. part. 3. cap. 4. num. 3.*

Quod & in Hollandia in feudis rectis olim etiam obtinuiſſe ſatis ſuperque conſtat. Quibus poſtea, per hereditariorum feudorum introductionem, illa ſucceſſionis differentia etiam inter liberos majores, & minores, aliorum bonorum adæquatione, minoribus, in recompenſam ejus quod natu major ex feudi jure præcipuum habebat, aſſignatâ, aut conceſſâ inter liberos feudorum diviſione (quæ ſolenniter requiſita denegari vix ſolet) ab uſu fere receſſit.

Et Zelandiæ conſtitutionibus & privilegiis à Philippo Borgundiæ Duce 28. *Junii* 1498. conceſſis: etiam feuda recta inter liberos maſculos æqualiter pleriſque ſuccedere expreſſe cautum eſt. Zeland. Statut. *cap. 2. art. 6.*

Quemadmodum & Tranſyſulaniæ moribus feudum ad filium natu maximum ſuccedit, cum 5
onere, ut tertiam ejus partem reliquis liberis defuncti reſtituat, **Land-Regt van Over-Yſſel/** *tit. 25. art. 9.*

Ita quoque Germaniæ locis, primogenitus ad totius Regni, Comitatus, vel Ducatus ſucceſſionem non vocatur: ſed præcipuum aliquod tantum habet. Quomodo obſervatum fuit in Guilhelmo Landgravio Haſſiæ, Philippi filio primogenito, qui inter cæteros tres fratres dimidiam Haſſiæ partem obtinuit. Et in aliis feudi Regalibus, quæ per ſe, quoad dignitatem, dividi non poſſunt, quoad adminiſtrationem tamen, & Juriſdictionis exercitium dividuntur ſubinde: ut unus frater regat unam Provinciæ vel Ducatus partem, alius aliam. Ut, ſi quis Dux moriatur duobus poſt ſe relictis filiis, & Ducatu uno, qui utrique illi filio ad tuendum ſtatum ſuum, conditionemque ſuam abunde ſufficiat, eo caſu Ducatus erit dividendus, ſecundum opinionem Alvarot. *in d. §. præterea Ducatus. De prohibit. feudi alienat. per Frideric.* Peregrin. *conſil. 3. num. 43. & ſeq. vol. 3.* Roland. à Valle *conſil. 80. num. 18. vol. 1.* ad cujus confirmationem plura adducit Fachin. *conſil. 26. num. 26.* & late Andr. Gail *lib. 2. obſervat. 153.* Quomodo inter fratres Landgravii Haſſiæ obſervatum diximus, qui Provinciam & ditionem ſuam in certas partes diſtribuerunt. Et hoc ſummam habet rationem, quum nihil magis æquitati conveniens ſit, quam æqualiter tractari eos, quos æquales fecit ipſa natura, qui communes habent parentes & domicilium. *l. 1. Cod. Unde liberi. Nov. 22. cap. 48.* & qui differentias inter liberos inducant ipſi naturæ bellum inferre videantur. *l. maximum vitium. 4. Cod. de lib. præter.*

In Anglia tamen & in Gallia, præſertim inter Nobiles, ea remanſit conſuetudo, ut in ſucceſ- 6
ſionibus primogenitorum, quam cæterorum longe melior ſit conditio. Ut late Tiraquell. *De Jure primogenitur. in præfat. num. 3.* eamque ex auctoritate Oldradi, Pan. & Dec. in Hiſpania vigere refert Vultej. *de feud. lib. 1. cap. 8. num. 73. in fin.* Quod confirmat lex Regia *lib. 6. tit. 4. lex 10.* ibi: *Primogenitis Vaſalli mortui danda eſſe ſalarium & terram à domino habita.* Juxta *l. 1. & 2. Cod. de filiis official. qui in bello moriuntur:* ad quam legem Alphonſ. Azevedo, primogenitum ex conſuetudine regni in feudo ſuccedere affirmat, modo ſit idoneus, cui alias, ſi idoneus non ſit principatui moderando, ex doctrina Bald. *ad auth. hoc amplius, Cod. de fideicommiſſ. colum. 2.* & Tiraquell. *de primogenitur. quæſt. 21. num. 11.* patrem illi ſecundo genitum anteponere poſſe defendit idem Azevedo *ibid. num. 4.*

Illud tamen quæritur, utrum in collateralibus juri repræſentandi locus ſit? Quod jure quidem ſcripto inter fratres & ſorores, & eorum præmortuorum liberos ſimul ſuccedentes admittitur. *d. cap. unic. de Succeſſ. fratr. vel grad. ſucced. in feud.* An vero idem ad mores noſtros pertineat, quibus feuda per ætatis prærogativam individua ſunt, nec ſimultaneam ſucceſſionem admittunt, vix convenit: Adeoque utrum nepos ex fratre majore natu præferatur patruo ſuo, defuncto fratre juniore, ambigitur. Hunc caſum non exprimit, nec in ſpecie attingit Hugo Grotius *Introduct. lib. 2. cap. 41.* Ex ſimili tamen frater junior, nepoti ex præmortuo fratre majore nato præferri, nepotemque excludere videtur: eo quod deficientibus demum fratribus & ſororibus

ex

ex fratre ſororeve nepotes admitti velit. Idemque *d. cap.* 41. *verſ.* **Maar hoewel** / directis verbis adfirmar in ſeudorum ſuceeſſionibus quemlibet proximiorem gradu remotiorem ejuſdem ſtirpis excludere. Cujus auctoritate communiter de moribus judieaſſe videntur pragmatici noſtri. *Conſ. JC. Batav. part.* 5. *conſ.* 154. *& ſeq.* & ibi Petr. Bort. *& tract. ſuo De feud. Holland. ſucceſſ. part.* 5. *maxim.* 3. Ubi ex ulteriori auctoritate eorum qui idem de vicinorum conſuetudinibus affirmarunt, id in eadem ſacti ſpecie probare nititur. Quorum omnium tamen auctoritas, extra id quod ſtatuto, aut conſuetudine certâ probari poteſt, & debet, tanti non eſt ut aut rationem vincat, aut legem. Ego, ut ingenue hac de re quid ſentio, dicam, auctoritati eorum tantum deferre non poſſum, quin ea non obſtante, ut inibi, ſi pactum, aut certa conſtitutio ea de re nihil ſtatuat (quod de noſtria vicinarumque regionum moribus nemo vere dixerit) jus ſeudale ſcriptum obtinere ſtatuam: adeoque ubi ſimultanea ſueceſſio obtinet, deſuncti fratres cum alterius prædefuncti fratris liberis ſimultanee per repræſentationem ſuceedere, ubi vero per ætatis prærogativam individua feudi natura eſt (ut de quibuſdam conſtat) prædefuncti fratris natu majoris filium patruum ſuum defuncti fratrem natu minorem excludere nullus dubito. Si enim repræſentationi inter eos locus ſit, tantum capiet, quantum pater ejus, ſi in vivis fuiſſet. text. eſt in *cap. unic. de Succeſſ. fratr. vel grad. ſucced. in feud.* Quippe quod ubi inveſtituræ tenor ſilet, aut certæ loci conſtitutiones, probatæve loci conſuetudines deficiunt, minime advicinorum conſuetudines, niſi & illæ communes ſint, ſed ad jus feudaſe ſcriptum & Romanum recurrendum ſit, ut ſupra *cap.* 19. *num* 2. *& lib.* 1. *cap.* 1 *num.* 12. contra Groeneweg. defendimus. Neque enim DD. de conſuetudine teſtantium opinio, ſed ipſa facti probatio ſufficiens, conſuetudinem introducere valet, quam hactenus in hac cauſa probavit nemo. Confer Neoſtad. *de feud. Holland. Succeſſ. cap.* 3. *num.* 2. *& ſeqq.* Ubi de feudo Hollandico recto, dicit in feudis repræſentationi locum non eſſe, & *cap.* 6. *num.* 16. Ubi de feudo hereditario aperte contrarium ſtatuit.

Hæ quidem de feudis rectis, in feudis autem hereditariis, ex pacti forma, & inveſtituræ tenore res decidenda eſt: cujus tenor & pactum omnium feudorum juri & naturæ derogat. *cap.* 1. *de duob. fratrib.* Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 58. *num.* 15. Hartmann. Piſtor. *part.* 2. *quaſt.* 71. *num.* 29. Ejuſque verba ſtricte interpretanda ſunt, & prout ſonant intelligenda. Vultej. *de feud. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 56. Hartmann. Piſtor. *d. part.* 2. *quaſt.* 1. *num.* 3. 4.

7 Hinc quæritur, quid ſi verba inveſtituræ generalia ſint, veluti ſi inveſtitura facta ſit Titio, ejuſque heredibus: Jure Longobardico ſoli maſculi intelliguntur, eo quod fœminæ in feudis non ſuccedant: Sed quum moribus noſtris, ex recepta cujuſque Curiæ vel loci conſuetudine, etiam fœminæ ſuccedant, nihil vetat quin ex æquo & bono, interpretatio fiat pro Vaſallo, filiarumque vel fœminarum ſucceſſio etiam ſubintelligatur, etiamſi heredum tantummodo mentio facta ſit, contra dominium, qui legem ab initio apertiorem dicere potuerat, *l.* 39. *ff. de pact. & l.* 177. *ff. de Reg. Jur.* & ibi DD. Vultej. *d. loco.* Weſenbec. *de feud. cap.* 1. *num.* 12. *& cap.* 11. *in pr.* Cabot. *lib.* 1. *diſput. cap.* 19.

8 Sed major difficultas eſt, ſi conceſſio feudalis facta ſit alicui, & ſuis heredibus feudalibus, **voor hem ende ſijne Leens-Erben.** Quo caſu pleriſque Germaniæ locis ex Jure feudali ſcripto receptum eſſe videtur, fœminas non admitti: cujus rei fori Saxonici deciſio extat apud Carpzov. *deſin. forenſ. part.* 2. *conſtit.* 45. *num.* 10. Sed quum apud nos, in pleriſque feudis ex propria Curiarum conſuetudine fœminæ etiam ſuccedant, eæque feudorum etiam heredes reputentur, expreſſionem ejus haud neceſſariam recte defendit Frideric. à Sande *ad conſuetud. feud. Gelria tract.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. *§.* 1. *num.* 21. eo quod ſi qualitas illa non ſit expreſſa, æque ſubintelligatur, neque magis in maſculis quam in fœminis moribus noſtris ſucceſſio feudalis dici poſſit: ut paſſim videmus feudi conceſſiones, non inhærere iſti verbo, ſed promiſcue ac indifferenter ſumi, & quandoque omitti: ſic ut ſi in aliis negotiis maxime in conceſſionibus feudalibus verba pro ſubjecta materia accipi debeant; quum feudum beneficii ſpecies ſit, ac propterea late contra concedentem debeat explicari. *l. beneficium.* 3. *ff. de conſtit. pecun.* Ubi Bart. & DD. *cap. cum dilecto.* 6. *De Donation. & ibi Canoniſt.* Weſenbec. *De feud. cap.* 1. *num.* 9. Ex quo eodem Juris fundamento, etiam contra propriam feudi naturam Jure Saxonico, ſi ex verbis inveſtituræ non ſatis appareat, graduum fuiſſe habitam conſiderationem præſumitur, & ſimultanee inveſtiti ex Saxoniæ moribus, contra propriam feudi naturam, pariter ſuccedunt, & regulariter remotiores una cum proximioribus ad feudum admittuntur: eo quod Jure Saxonico agnatis perinde atque extraneis feuda non jure agnationis ſive ſanguinis, ſed beneficio ſimultaneæ inveſtituræ obveniant. Hartmann. Piſtor. *d. part.* 2. *quaſt.* 21. *num.* 20. *&*

ſeq.

ſeq. Carpzov. *Reſponſor. Jur. Electoral. lib. 6. tit. 8. reſponſ. 79. num. 2. 3.* Quod quum ex Curiæ Saxonicæ conſuetudine & moribus propriis dependeat, ad aliarum gentium conſequentias trahi non poteſt.

9 Pactorum feudalium ſpecies circa ſucceſſionem apud nos fere ſunt hæ:

Prima & uſitatiſſima quidem ſucceſſionis feudorum ſpecies eſt, qua feudum conceditur ſub jure hereditario perpetuo, **tot een onverſterffelijk Erf-leen / ofte binnen agter-ſuſters-kinderen niet te verſterven /** quarum clauſularum eandem eſſe doctrinam ſupra etiam notavimus: ſuntque hoc ſenſu hereditaria feuda, quæ lineæ deſcendenti primi concedentis non ſunt addicta, ſic ut in his poſtremo defuncto feudi poſſeſſori ſuccedatur. Quæ porro ex Curiæ conſuetudine, vel adjectis aliis clauſulis, interpretationem ſuam accipiunt: Quæ quum variæ ſint, additur ſubinde clauſula Juris diſtinctiva. Ut ſunt feuda conceſſa, ſub Imperiali Jure, **ten Rijks-rechten /** Clivienſi, **ten Cleefſchen-regten /** Kuyckiano, **ten Kuykſchen-regten /** Trajectenſi, **ten Stichtſchen-regten /** Gelrico, **ten Gelderſchen regten /** Montfurtenſi, **ten Montfoortſchen regten /** Zutphanienſi, **ten Zutpheenſchen-regten /** Jure loci, **ten Land regten**, & ſimilibus. Quæ quum ſingularem ſuæ Curiæ ſucceſſionis ordinem & modum contineant, operæ pretium erit, pro ſummaria inſtituti noſtri ratione, de ſingulis ſucceſſionum generibus pro locorum diverſitate aliquid etiam in medium proferre.

Et primo quidem notandum quotieſcunque nihil ipſi pacto de ſucceſſionis genere additur, 10 hic loci Iura conſuetudinaria ſubintelligi: quomodo fere Hollandica, Flandrica, Brabantica, aliaque hîc non expreſſa pacta, nullo addito ſimpliciter conſtitui ſolent. Quæ hac in parte fere cum omnibus conveniunt, ut mere atque abſolute hereditaria ſint, & in his poſtremo defuncto ſuccedatur: exceptis Clivienſibus, Colonienſibus, Monaſterienſibus, aliiſque Imperii Iuribus addictis. Ut recte notat Frider. à Sande *ad conſuetud. feud. Gelriæ tract. 1. tit. 3. cap. 1. §. 2.* & poſt eum Chriſtin. *volum. 6. conſuetud. feud. diverſ. provinc. Rubric. De feud. conceſſ.* **Ten onſterfſelijken Regten.**

11 In feudis quidem Hollandicis, quæ pleraque hereditaria eſſe diximus, paucis duntaxat exceptis, iiſque feudis rectis, & maſculinis, expreſſe ita conſtitutis, tanquam in bona ultimi poſſeſſoris, & Vaſalli ſucceditur, adhibita agnationis, gradus, ſexus, atque ætatis prærogativa. Sic ut agnationis conſideratione, paterna feuda conſanguineis, & agnatis, materna uterinis, & cognatis deferantur: ut non quocunque modo proximus, ſed ex ea linea unde feuda devenerunt proximus ſuccedat: quibus omnibus demum deficientibus, feudum ad alios ultimi Vaſalli conſanguineos, qui ex eadem linea ſive fibra non ſunt, primo defertur. Habita ſemper ſexus & ætatis ratione, id eſt, ut ex pluribus ejuſdem familiæ aut gradus, primo genito aut natu majori, maſculo minori præ majori fœmina, deferatur: juxta proverbium:

De naaſt' in graad /
De oudſt' op ſtraad /
De Mans voor Vrouwen /
Siet men een Hollands Leen behouwen.

De quibus ſupra quædam ſuis locis fuſius notata ſunt, & porro ſufficienter tractant Iuris noſtri auctores incomparabiles, Corn. Neoſtad. *De feud. Holland. Succeſſ.* & Hugo Grot. *Introd. Jur. Bat. lib. 2. part. 41.* Quibus adde Petr. Bort *De feud. Holland. Succeſſ. part. 5. maxim. 5. num. 8. 9. & ſeqq. & num. 31. & ſeqq.*

12 In Flandria etiam feuda deferuntur, ſecundum gradus, ſexus, & ætatis prærogativam, relabentia etiam ad iſtud latus, unde provenerunt, paternâ paternis, maternâ maternis, poſtremi defuncti conſanguineis deferendâ: ſed in eo differunt; quod quum feuda Hollandica deficiente linea primi acquirentis, ad alios etiam ultimi poſſeſſoris conſanguineos tranſiliant, hæc deficiente latere primi acquirentis domino committantur: teſte Frideric. à Sande *ad conſuetud. feud. Gelriæ tit. 5. cap. 1. §. 12. num. 11.* Porro, cæteris paribus, diverſimode etiam in linea deſcendente ſucceditur, nec per omnem Flandriam idem Ius obtinet inter eos.

In Imperiali enim Flandria, quam Teutonicam vocant, maximus natu è liberis Iure primogenituræ ſolus feudum obtinet, cum Iuriſdictione, Imperio, omnibuſque eo pertinentibus: Ita tamen, ut ſi maxima totius hereditatis pars in ipſo feudo conſiſtat, is qui ætate huic proximus eſt, ſi fratri majori hereditatis ſibi delatæ partem deſerre velit, in feudi trientem ab eo recipi debeat, atque iterum tertius à ſecundo in hujus partis trientem admittendus ſit, ſi is itidem in allodialibus partem ſecundo deſerre malit: Reliqui vero, ſi plures ſint, nullam in feudis portionem conſequuntur, niſi ſecundus, vel tertius, vel uterque, ſuas hereditatis partes, pro triente feudi mutare recuſaverint.

In

In Gallo-Flandria, primogenito quatuor quincunces, id eſt quintæ feudi partes obveniunt, reliqui ejuſdem fratres ac ſorores, reſiduam feudi quincuncem ſive feudi quintam partem æqualiter partiuntur, portiones alias ex hereditate allodialium bonorum ſibi etiam retinentes.

Apud Walios primogenitus, & filio deficiente filia primogenita, feudi beſſem, & reliqui trientem conſequuntur, inſuper etiam ſuas in hereditate municipali portiones obtinentes, niſi primogenitus, certa re vel pretio paternæ vel maternæ hereditatis, in vicem trientis feudalis, reliquorum feudi partem redimere maluerit, quod ante ſuarum partium conceſſionem in ipſius arbitrio poſitum eſt. Reliqua de conſuetudinibus feudorum Flandriæ earumque diverſitate vide apud Philipp. Wieland. *tract. De Jure feudor. Belg. conſcripto.* Frideric. à Sande *ad conſuet. feudal. Gelria, tract. 1. tit. 3. cap. 1. §. 12.*

13 Feuda quæ ſecundum Brabantiæ Jura ſunt conceſſa, in eo cum Flandriæ & Hollandiæ Jure conveniunt, ut illis ſolis deferantur, qui ſunt ab illo poſtremi poſſeſſoris latere, unde ea ſunt profecta, paterna ſcilicet paternis, & materna maternis, nulla habita ratione, an illi ſint ex deſcendentibus primi beneficiarii: ſervatâ tamen gradus, ſecus, & ætatis prærogativâ, quæ talis eſt: ut ſi ſint ejuſdem ſexus, & æque propinqui deſcendentes, primogenito cedat primarium ædificium, vel caſtrum, cum ponte, ac foſſis, ædificium vel caſtrum cingentibus, cum Juriſdictionum exercitiis, homagiis, ac patronatu feudali, commodiſque accidentariis: atque inſuper beſſis ex cenſibus, reditibus, aliiſque certis feudi obventionibus, reliquus vero feudi triens, ad reliquos filios æqualiter pertinet. Quod & in tranſverſali linea, inter fratres, ſorores, eorumve filios, filias, plures, quoad primarium ædificium vel caſtrum obtinet, cæteris feudi juribus, cenſibus, reditibus: aliiſque obventionibus inter eos æqualiter diviſis: ut latius Frideric. à Sande *d. tract. 1. tit. 3. cap. 1. §. 9.*

Quibus & hoc cum Flandris commune eſt, ut in juniorum coheredum arbitrio ſit, utrum ſuas feudi portiones, ab ipſo feudi domino immediate, vel à ſtripis ſuæ natu maximo recognoſcere velint: ſed cujus ſemel electum eſt patrocinium, ei prorſus adhærendum eſt.

His fere conveniunt feuda civitatis, & provinciæ Mechlinienſis. De quibus ſatis fuſe ejuſdem civitatis leges muncipales, ſub *tit. 10. de Jure feudali*, quas vide & ibi Chriſtin.

14 Sed Gelrici feudi conceſſione, primi beneficiarii propinquitati in univerſum conſulitur, teſte eod. Frideric. à Sande *d. tit. 3. cap. 1. §. 16.* abſque ulla agnationis vel cognationis diſcrimine, nullâque ſexus, vel ætatis prærogativâ admiſſâ, ſive ſint deſcendentes, ſive ex latere venientes, ejuſdem gradus, qui æqualiter omnes ſuccedunt: excepto ſolum, quod primatius heres feudi ædificium, vel caſtrum cum foſſis ac vallis habeat præcipuum. Et generaliter proximior excludit remotiorem, nec repræſentationi, ne quidem in linea deſcendenti, locus eſt.

His conveniunt feuda jure Montfordico conceſſa: Ut & feuda Lōenſia, & Hornana, quæ ejuſdem cum feudis Gelricis juris ſunt per omnia, præterquam quod in illis repræſentationis jura quoque admittantur.

15 Zutphanicorum feudorum hereditas, abſque ullo paterni vel materni lateris diſcrimine, defertur defuncti proximis, ſecundum lineæ, gradus, ſexus & ætatis prærogativam, eodem fere ordine, quo in allodiis, primo liberi deſcendentes, deinde parentes, ad extremum quos ſanguis à latere jungit: ſic ut ſubinde ad alienam proſapiam, atque ignotum genus deerrent, ſolâ gradus prærogativâ, reſpectu poſtremis defuncti, ſervata. Ita tamen ut ſi deſcendentibus deferatur ſucceſſio, natu maximus quidem ætatis prærogativam habeat, juniores autem fratres & ſorores ad trientem admittantur: niſi ejuſdem trientis æſtimationem in aliis prædiis aut nummis offerre, & feudum ſolidum retinere maluerit, plura vide apud eundem Sand. *d. tit. 3. cap. 1. §. 19.*

16 In Clivienſi & Juliacenſi Curia, quædam feuda ſecundum jura, & conſuetudines Zutphanicas recognoſcuntur, alia vero ſecundum jura & conſuetudines ejuſdem Curiæ proprias, ſuntque feuda Clivienſia propriè dicta, quorum ſucceſſiones deferuntur ſolis deſcendentibus primi beneficiarii. Inter quos reſpectu poſtremi defuncti deſcendentes collateralibus, & proximiores ultimo defuncto remotioribus præferuntur. Itidemque primarium ædificium cedit maximo natu, cum jure redimendi portiones reliquorum, deficientibus autem primi vaſalli deſcendentibus, feudum ad dominum revertitur, proximiori poſt annum & diem renovandum. Sande *De feud. tract. 1. tit. 3. cap. 1. §. 8.*

17 Feuda Kuyckiana quoque extra lineam primi acquirentis, paterna paternis, & materna maternis, proximiori mare ſive fœmina remotiori, in pari gradu, maſculo fœminis, & in eodem ſexu natu majore reliquis prælato, indiviſa & ſolida, uni præ reliquis deferuntur, Sand. *d. cap. 1. §. 10.*

Feuda Trajectenſia, alia ſunt Trajectenſia in ſpecie ſic dicta, alia Tranſyſulanica. Quæ jam 18
proxime ad naturam Zutphanicorum accedunt: excepto quod in Tranſyſulanicis ad inſtar Zutphanicorum feudorum junioribus quoque triens debeatur, in Trajectenſibus vero ſolida deferantur natu majori, nec quæritur an quis deſcendat ex primo acquirente, ſed an cum illo generalem habeat genealogiam. Universâ autem illius lateris, unde ipſa feuda ſunt profecta, genealogiâ extinctâ, domino quidem committuntur, ſed proximior heres ab altero latere veniens renovationis jure admittitur, ut latius quoque Sand. *d. cap.* 1. *§.* 15.

In Feudis Falckenburgenſibus primogenitus, primogenitave in linea deſcendenti obtinet feu- 19
dale ædificium cum muris, foſſis, & aggeribus, reliqua æqualiter dividuntur, & linea collaterali omnes coheredes in pari gradu conſtituti æquis etiam portionibus ſuccedunt, abſque ulla unius heredis, ſexus, vel ætatis prærogativa, retento tantum gradus diſcrimine, Sand. *d. cap.* 1. *§.* 14.

Conſuetudines feudales Arteſiæ fere conveniunt cum Pariſienſium aliarumque Galliæ regio- 20
num conſuetudinibus, de quibus late Molin. *ad Conſuetud. Pariſ. tit.* 1. *& in Not. ad Conſuetud. Artheſ.* Argentr. *ad Conſuetud. Britann. tit. des fiefs, feautes & hommages.* Tiraquell. *de Nobilitat. cap.* 7. Johann. Papon *in Arreſt. lib.* 13. *tit.* 13. Chaſſan. *ad Conſuetud. Ducat. Burgund. tit. des fiefs.*

In Anglia & Scotia, in quibus ut in reliquis ita & hac in parte jus ex ſtatutis Parlamentorum 21
naſcitur, primogenitus maſculus in aſſem hereditatis ſuccedit tam in allodialibus quam in feudis, filiæ in capita, quod & in fratribus, ſc. ut natu maximus tanquam propior in aſſem, & ſororibus, ut pro virili parte ſuccedant, etiam in ulteriore linea obſervatur.

Præterea feudum non adſcendit ad patrem aut avum in directa linea, nec is qui ex dimidio ſanguinis eſt, id eſt qui ex alterutro tantum parente eſt, in feudo ſuccedit, ſed ulteriori locum facit: Ita ut frater ex alia conjuge ſuſceptus fratri in feudo non ſuccedat, ſed patruus ei præferatur.

Ceſſante deſcendentium, & collateralium lineâ feudum ad dominum revertitur, & feudum ſimplex paternum, nunquam ad materni generis propinquos pertinet, ſed collateralibus ex parte patris duntaxat, quibus deficientibus etiam ad dominum revertitur, latius hac de re Thom. Gragg. *tract. Jur. feud. lib.* 1. *Diegeſ.* 7. *& Diegeſ.* 13. De Galliæ Germaniæque quorundam locorum ſucceſſione feudali quædam ſparſim egimus.

Quibus adde quod Saxonum aliarumque Germaniæ regionum moribus atque conſtitutionibus, 22
generaliter ea ſit feudorum natura, ut non niſi ad deſcendentes maſculos tranſmittantur, niſi aliter in inveſtitura cautum ſit: Ita tamen ut inter eos nulla ſit ætatis prærogativa; ſed omnes ſimultaneam inveſtituram impetrare ſimultaneeque ſuccedere poſſint: præterquam quod feuda ruſtica, mortuo fratre, filio natu minori certo pretio aſſignentur. Vide Hartmann. Piſtor. *part.* 2. *quæſt.* 20. 21. Ubi late de natura ejuſdem ſimultaneæ inveſtituræ. Quæ ſi non petatur, poſt diviſionem factam (quæ alias communem feudi naturam minime mutat, *cap. Si quis, De Succeſſ. feud.*) frater fratri in eo feudo minime ſuccedit. *Stat. feud. Saxon. cap.* 32. Quomodo & in Marchia non tam Iure agnationis, quam ex vi conjunctæ manus ſucceſſionem fieri refert Ioach. à Scheplitz *ad Conſuetud. Brandeb. part.* 3. *tit.* 3. *§.* 10. *num.* 8.

Jure Provinciali Ducatus Pruſſiæ, circa feudi ſucceſſionem quoque cautum eſt, his verbis: 23
feudum novum à patre ad filium devolvit, & in feudo noviter acquiſito quamprimum vaſallus abſque heredibus legitimis maſculis lineæ deſcendentis obierit, tale feudum ſtatim ad dominum revertitur: quod ſtrictum feudum appellatur: niſi aliter in Inveſtituræ litteris cautum, vel agnati ſimultanee de eodem feudo inveſtiti fuerint. Feudum paternum, vel antiquum, filiis non exſtantibus, ad fratres, & porro ad proximos agnatos tranſit: Ita, ut quoque prima maſculorum heredum deſcendentium cauſa ſit, qui perpetuo jure alios omnes heredes excludunt: & bona feudalia æqualiter inter ſe dividunt. Nepotes cum filiis quidem ſuccedunt in ſtirpes, tantumque capiunt, quantum pater ipſorum, ſi ſupervixiſſet, accepturus erat. Maſculis non exſtantibus, cæteri collaterales ſuccedunt, etſi gradu remotiſſimo: Inter agnatos primo loco fratres defuncti vocantur, illis defunctis, eorum filii in ſtirpes, ſi ſoli exſtent in capita: remotiores ſemper in capita ſuccedunt.

In Poloniæ tamen regno ſimultanea inveſtitura locum non habet, ſed jus ſcriptum ſequi vi- 24
dentur, ex iis quæ tradit Andr. Lipskius, *Obſerv. pract. cent.* 1. *obſerv.* 73. *num.* 15. 16.

Liberi in ſucceſſione feudali etiam intelliguntur ligitimi, liberi enim illegitimi, id eſt, ex coi- 25
tu jure non approbato nati, ex bonis feudalibus nihil conſequuntur. *cap.* 1. *§. natural. Si de feudo defuncti contentio ſit.* Jul Clar. *§. feudum. quæſt.* 82. *num.* 1. idque juris eſſe indubitati ſcribit

Hart-

Hartmann. Piſtor. *lib.* 2. *quæſt.* 40. *num.* 1. adeo ut qui ſe ad feudum admitti petit, non tantum ſe eſſe deſcendentem, ſed & legitimum probare teneatur, conſulente Decio *conſil.* 24. *num.* 53. *verſ. tertio dico*, etiamſi vaſallo defuncto nulli alii legitimi exiſtant. Hartmann. Piſtor. *d. quæſt.* 40. *num.* 3. quia honeſte in curia domini comparere nequeunt homines natalibus ſuis maculati: Viles enim & infames ſunt, & infames naturales tantum, & ſpurii, ut late Andr. Tiraquell. *tract. de Nobilitat.* poſt Bart. *ad l.* 1. *Cod. de dignitat. vol.* 4. *verſ. item pone.* & Bald. *ad l. cum legitima.* 19. *ff. de Statu homin.* Primo naturales tantum, & ex concubina nati ad ſucceſſionem bonorum feudalium admitti non poſſunt, ſed his excluſis ad dominum potius vel agnatos feuda deveniunt, in tantum, ut nec matri in feudum, ſi quod habeat, ſuccedant, quamvis jure communi in allodialibus ad eum modum quo ex legitimo matrimonio nati ſuccedere poſſint. *l. pen. Cod. ad Senatuſc. Orſicianum*, *l.* 2. *ff. Unde cognati*, etiamſi feudum ſit fœmineum, materque nullos alios poſt ſe relinquat liberos, DD. commun. *ad d. cap.* 1. *§. naturales. Si de feudo defuncti content.* Piſtor. *d. quæſt.* 40. *num.* 2. Forſter. *De Succeſſ. lib.* 6. *cap.* 12. Weſenb. *De feud. cap.* 6. *num.* 10. Frideric. à Sande *ad Conſuetud. feudal. Gelr. tract.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. *§.* 1. *num.* 1. adeo ut ex illegitime natis legitimi etiam non admittantur. Bart. *ad l.* 2. *§. videndum. ff. ad Senatuſconſult. Tertull. &* DD. *ad l. ult. in fin. Cod. De Natural. lib.*

26 Conſuetudine tamen induci poteſt, ut etiam in bonis feudalibus, in feudo utique materno filius naturalis, cognative ex latere materno conjuncti, ſuccedant. Secundum quam conſuetudinem in ſupremo Belgii conſilio judicatum refert Chriſtin. *volum.* 1. *deciſ.* 121. Et apud pleraſque gentes conſuetudine invaluiſſe diximus ſupra *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. quod Comitum & Baronum liberi naturales pro Nobilibus etiam habeantur, & omnibus Nobilitatis privilegiis gaudeant, modo inſignia eorum notatâ læſæ ingenuitatis lineâ à ſiniſtro dextrorſum adſurgente diſtinguantur, per ea quæ tradunt Tiraquell. *tract. de Nobilitat. cap.* 15. *num.* 25. Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubric.* 8. *§.* 3. *num.* 21. Anton. Fab. *Cod. lib.* 9. *tit.* 29. *defin.* 20. Grot. *Introd. lib.* 1. *cap.* 14. Zypæ. *Notit. Jur. Belg. tit. de dignitat. verſ. Ut ſpurio.*

27 Per legitimos, intelligimus legitime natos, quibus etiam annumerantur legitimati per ſubſequens matrimonium, qui inter legitimatos optimo ſunt jure, & porro ab omnibus vitiis, quæ circa natales erant, per matrimonium ſubſequens purgati cenſentur: eo quod tempus legitimationis conjungatur & retrotrahatur ad tempus conceptionis, ſic ut omne tempus intermedium fingatur in rerum natura nunquam extitiſſe, atque adeo eos nunquam illegitimos fuiſſe, per text. *in cap. tanta. & cap. latior. Qui filii ſunt legitimi.* Et hæc eſt communis DD. ſententia ad *d. cap.* 1. *§. naturales. Si de feudo defuncti content. ſit.* Tiraquell. *de Jure primogenituræ quæſt.* 34. *num.* 54. Jul. Clar. *§. feudum. quæſt.* 84. *num.* 4. Roſenthal *De feud. cap.* 7. *concluſ.* 18. Atque ita quotidie practicari & judicum ſententiis confirmari referunt Schurf. *conſil.* 1. *num.* 16. & poſt eum Weſenb. *De feud. cap.* 6. *num.* 9. In Germania Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 141. *num.* 2. Mynſinger. *centur.* 5. *obſerv.* 42. Hartmann. Piſtor. *lib.* 2. *quæſt.* 41. *num.* 35. In Belgio Chriſtin. *vol.* 6. *deciſ.* 41. Neoſtad. *De feud. cap.* 5. *De Succeſſione nov. feud. num.* 79. Grot. *Introd. lib.* 2. *part.* 41. *verſ.* **Dog die onwettig.**

28 Sed legitimati per reſcriptum Principis, niſi expreſſe etiam ad feudalia bona legitimati ſunt, in feuda non ſuccedunt. DD. *ad d. §. Naturales. Si de feudo defuncti contentio ſit.* Weſenbec. *de feud. cap.* 6. *num* 11. 12. Andr. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 140. *num.* 9. Neoſtad. *De feud. d. cap.* 5. *num* 80. & Grot. *d. loco.* Et poſt eos Petr. Bort *De feud. Holland. Succeſſ. part.* 5. *maxim.* 7. *num.* 12. *& ſeqq.* Et quidem ſi feudum ſit novum, abſque dubio procedit: Sed ſi feudum ſit antiquum, quidam procedere negant: niſi & agnati proximi in ipſam legitimationem conſenſerint, eo quod ſit jus quaſi agnatis ex inveſtitura quæſitum: quod ipſe etiam Imperator, cum ſubditis ſuis celebratum ſervare tenetur, & quæſitum iis auferre non poteſt. Ut late Hartmann. Piſtor. *lib.* 2. *quæſt.* 40. *num.* 24. *& ſeqq.* & poſt eum Vultej. *De feud. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 193. Quorum conſenſus tamen apud nos, ut & in Gallia, teſte Boërio *deciſ.* 122. etiam in feudis antiquis minime neceſſarius eſt, niſi ad hoc, ut legitimati eorundem etiam ſucceſſionem legitimam affectent: Ut recte diſtinguit Papon. *lib.* 15. *tit.* 5. *Arr.* 2. *& lib.* 21. *tit.* 3. *Arr.* 14. & Grot. *Introd. lib.* 2. *part.* 31. *verſ.* **Gewettigde** / *& part.* 51. *verſ.* **Dog die onwettig** / nec eo ipſo proprie agnatis aliquod jus aufertur, eo quod non in re, ſed in ſpe incertæ ſucceſſionis conſiſtat, præſertim apud nos, quibus Vaſallus, de feudis ſuis alienandis, invitis etiam domino & agnatis proximioribus, pro libitu diſponere poteſt. Quo caſu quidam volunt etiam ſimpliciter legitimatos ad feuda ſuccedere, Roſenthal *de feud. cap.* 7. *concluſ.* 19. *num.* 34. 35. Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. rubr.* 3. *§.* 5. *num.* 23. Et porro quum feuda ex bono publico originem duxerint, & ex Jure poſitivo agnati in

feu-

Digitized by Google

feudis ſuecedant, non ex pacto, aut contractu, conſequens eſt Principem ad inſtantiam patris, cujus maxime & principaliter intereſt, ad feuda etiam legitimare poſſe filios, irrequiſitis agnatis proximioribus: ſi, & quotieſcunque ex juſta cauſa illud expedire videatur, quod ſemper præſumitur, Hartmann. Piſtor. *lib.* 2. *quaſt.* 40. *num.* 47. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 56. *num.* 9. *& ſeqq.*

Adoptivi autem, à feudorum ſucceſſione jure feudali arcentur, *per text. in §. adoptivus. cap.* 1. *Si de feudo defuncti*, *& ibi DD.* quum enim adoptio naturam tantum imitetur extra ſanguinem, efficere non poteſt, ut ea quæ in ſanguine conſiſtunt, naturalia ſint, aut dicantur, *l. qui in adoptionem.* 23. *ff de Adopt.* Ut ſunt feuda, quæ dantur & accipiuntur ſanguini. Cujac. *De feud.* 3. *tit.* 10. Gudelin. *de feud. part.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. Vultej. *de feud. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 176. Weſenbec. *cap.* 6. *num.* 6. Quod moribus noſtris, quibus adoptionum jura etiam in allodialibus incognita eſſe diximus, dubium non habet. 29

Hactenus de Succeſſione codicillari aut legitima: ſed & pactis conventis quandoque futura hereditas ac feudorum ſucceſſio deferturut ſunt noſtris vicinarumque regionum moribus, tabulis antenuptialibus conventa, contra *l. pactum dotale.* 3. *Cod. de Collationib.* De quibus ſuo loco, item ſi hanc legem communis hereditatis diviſioni coheredes dixerint, ut quæ cuique per illam diviſionem obtigerint, reliquis deinceps deferantur, ab eo qui ſine liberis deceſſerit. Item, ſi Vaſalli conventiones, vel pactiones de futura ſua feudi ſucceſſione cum domini aſſenſu interpoſuerint, cujuſmodi conventiones diſpoſitionibus codicillaribus æquiparari moribus noſtris, recte notat Frideric. à Sande *ad conſuetud. feud. Gelriæ*, *tit.* 2. *cap.* 3. 30

Sed illud obiter circa ejuſmodi pacta conventa notandum eſt, ut donec diſpoſitionum inter vivos, terminis circumſcribatur ipſa feudorum diſpoſitio, & conventio, liberæ alienationis Jure conſuetudinario ſimpliciter ſubſiſtat, cæterum quum & quatenus per pacta nuptialia, aut alias in communi diviſione, de futura feudi ſucceſſione diſponitur, ut ſubſiſtat, domini conſenſum accedere neceſſe eſt, ſecundum ea quæ ſupra de teſtamentaria diſpoſitione notavimus. Ut poſt Chriſtin *vol.* 6. *deciſ.* 27. *num.* 4. *& ad leg. Mechlin. tit.* 10. *art.* 6. De moribus noſtris etiam notat Pett. Bort *De feudi Holland. Succeſſ. part.* 2. *§.* 4. *num.* 9.

CAP. XXIII.

De feudi amiſſione & judiciis feudalibus.

SUMMARIA.

1. *Quibus modis feudum amittatur*, & ſeq.
2. *An & quomodo per præſcriptionem amittatur.*
3. *Quomodo per refutationem, & an agnatorum conſenſus requiratur.*
4. *Quomodo per feloniam, & commiſſum.*
5. *Quomodo omittendo, & quid noſtris &* Hannonienſium, *& plerorumque* Galliæ *locorum moribus circa omiſſionem obtineat.*
6. *Quomodo non præſtando ſervitia & fidelitatem debitam.*
7. *An alienando.*
8. *An & quando defectu ſanguinis.*

PRimo feudum amittitur iis modis quibus deſinit eſſe feudum: puta rei in feudum conceſſæ interitu, ut ſchaſmate, vel inundatione. *arg. l.* 1. *Cod. de jure Emphyt.* eſt enim feudum quaſi quidam Uſusfructus *cap.* 1. *in fin. in quib. cauſ. feud. amitt.* qui peremptâ re in qua erat conſtitutus interit. *l.* 2. *ff. de Uſufruct.* 1

II. Amittitur feudum libertatis præſcriptione, per quam dominus utile dominium feudi ſibi acquirit, & cum directo conſolidat, *arg. cap.* 1. *§. ſi quis. Si de feudo defuncti.* & ibi DD. Vultej. *de feud. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 18. Item ſi feudum ab alio quodam extraneo per triginta annos ſit poſſeſſum, quo ipſo feudum acquiritur cuilibet extraneo, & domino novus Vaſallus obtruditur. *cap.* 1. *§. ſi quis per triginta. Si de feudo defuncti content.* Nobis per ſeculi trientem: Præſcriptionem enim in feudis etiam locum habere receptum eſt: De qua latius Vultej. *De feud. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. Et de moribus teſtantur Mynſinger. *cent.* 4. *obſerv.* 28. Feid. à Sande *ad conſuetud. feud. Gelr. tract.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. Gudelin. *De feud. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 294. Grot. *Introd. lib.* 2. *part.* 43. *verſ.* **Ten Vierden**. Ipſe vero Dominus jus ſuum non utendo non amittit, quum illud liberæ & meræ facultatis ſit, quod nunquam præſcribitur *arg. l.* 2. *ff. de via publica*, & ibi DD. neque perpetua aut continua ejus ſit poſſeſſio. 2

III. Re-

3 III. Refutatione, quum ſponte Vaſallus feudum domino refutat, *cap. 1. in fine princip. Qualiter olim feudum alienare poterat. cap. 1. De Vaſallo qui contra conſtit. Regis Lothar.* Eaque propria eſt, vel impropria. Propria eſt quæ fit ipſi domino, ſive in manus domini: Impropria eſt, per quam filiis vel agnatis feudum cedit; quæ potius eſt feudi tranſlatio, ſive alienatio. Hæc utraque, domino, vel volente, vel nolente fieri poteſt. *d. cap. 1. qui contra conſtit. Reg. Lothar. cap. unic. de Vaſall. decrep. ætat.* Mynſinger. *centur. 6. obſerv. 23. & obſerv. 65.*

Sed an agnatorum conſenſus requiratur? Diſtinguendum; ut in feudi novi refutatione agnatorum conſenſus minime neceſſarius ſit: niſi contemplatione ipſorum expreſſe etiam fuerit datum: feudum antiquum autem ita domino refutatur, quoad refutans Vaſallus vixerit, mortuo autem Vaſallo refutante, agnati à domino vel ejus heredibus feudum repetere poſſunt: niſi & ipſi in refutationem conſenſerint. In quam rem eſt Gloſſ. *in cap. 1. De alienat. feud. patern. & ibi* Bald. & DD. Mynſiger. *Centur. 6. obſerv. 23.* & pulchre Sonsbec. *De alienatione feudi part. 2. num. 121.*

4 IV. Amittitur feudum per feloniam, id eſt commiſſum, ſive culpam Vaſalli, cujus ſpecies in jure ſcripto variæ ſunt, neque ſub certa regula poſſunt comprehendi: quæ aut in committendo, aut in omittendo conſiſtunt. De quibus late Vultej. *de feud. lib. 1. cap. 11. num. 11. & ſeqq.* & DD. ibi alleg. & ad *cap. unic. In quib. cauſ. feud. amitt.*

Commiſſi quidem pœna moribus arbitraria eſt, neque ipſo jure locum habet, ſed per ſententiam declaratoriam irrogari debet. *cap. 1. de feud. ſine culpa non amitt.* Neoſtad. *de feud. Succeſſ. cap. fin. num. 8.* Chriſtin. *vol. 6. deciſ. 77.* Gudelin. *de feud. part. 5. cap. 3. num. 2.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 51.* & Bernard. Greve *pract. concluſ. & conſid. ad d. obſerv.* Andr. Gail, Grot. *Introd. lib. 2. part. 43. verſ.* **Ten tweeden.**

Quod apud nos tantum locum habet in delicto, ſive injuria adverſus dominum commiſſa, quum in reliquis quæ ad dominum non ſpectant, etiam in generali propter commiſſum omnium bonorum confiſcatione, bona feudalia exempta ſint: per ea quæ de moribus noſtris teſtatur Grot. *Introd. d. part. 43. verſic.* **Ten tweeden** / *in fin.*

Sed cui cedat feudum commiſſum, dubium eſſe videtur. Quibus quidem, ſi Vaſallus in dominum peccaverit, quin domino committatur ipſum feudum, dubium non eſt, ſi vero ex aliis cauſis feudum amittatur, quamvis ob crimen, puta ſceleris aut delicti in perſonam extraneam patrati, non ad dominum, ſed ad agnatos jure ſcripto feudum devolvitur, *cap. unic. Quib. mod. feud. amitt. & cap. Quæ fuit prima cauſ. benefic. amitt. §. denique. & tit. An ille qui interfec. fratrem.* Sed hoc moribus receptum negant Gudelin. *De feud. part. 5. cap. 4. num. 12.* Sand. *ad conſuetud. feud. Gelriæ tract. 2. tit. 1. cap ult. n. 9.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 395. num. 7.* & Eguinar. Baro *de Jure Benefic. lib. 3. cap. 10.* Qui moribus hac in cauſa fiſcum domino & agnatis potiorem referunt; ex eo quod bona feudalia ad inſtar aliorum bonorum quæ in patrimonio ſunt per omnia fere ſint redacta. Vide tamen eundem Chriſtin. *volum. 1. deciſ. 300.* Quem contra Gudelinum alioſque quos ſequitur ille: probo: quod nec rationis illius conſequentia, neque uſus ullus appareat.

5 Omittendo feudum amittitur ſi inveſtituram intra annum & diem petierit heres Vaſalli, vel ſi Vaſallus ab herede domini ſui mortui renovationem inveſtituræ petere neglexerit. *tit. Quæ fuit prima cauſ. benefic. amitt.* Qui annus & dies à die ſcientiæ Juris ſibi competentis computari ſolet, per Gloſſ. *in cap. 1. in verb. Ultra annum. Quo temp. mil. inveſtitur.* A quo tamen excuſatur Vaſallus, ſi ſubſit juſta & probabilis cauſa, quæ eum à dolo & negligentia excuſare poteſt, ut eſt mors, juſta abſentia, infantia, *d. tit. Quo temp. miles.* aliaque juſta facti ignorantia. *§. fin. De probib. feud. alienat. per Lothar.* quo facit etiam *cap. unic. §. Si Vaſall. Si de feudo defunct. content.* Sonsbec. *de feud. part. 11. num. 22.* Mynſing. *cent. 5. obſerv. 9.* Atque ita in Camera Imperiali judicatum refert Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 48. num. 11.*

6 Qua in parte benigniores etiam ſunt mores noſtri, quibus non tantum ſimplex ea inveſtituræ negligentia, nulla alia culpæ circumſtantia accedente, boni conſulitur: teſte Grot. *Introd. lib. 2. cap. 43. verſic.* **Ten tweeden** / *in med.* & *cap. 41. verſic.* **Manſchap** / *in fin.* poſt Neoſtad. *de feud. Holland. Succeſſ. cap. fin. num. 6. 7.* Sed & commiſſum duplici laudemii & curialium jure redimitur, teſte eodem Neoſtad. *d. cap. ult. num. 7.* & Grot. *Introd. lib. 2. cap. 41. verſic.* **Heer-Gewaden.** *circa med.* Vide etiam, *placit. Ordd. Holland. 20. Octob. 1580. 15. Julii 1593. & 23. Decemb. 1610.* Quod & Hannonienſium & plerumque Galliæ locorum conſuetudini convenit, quibus quidem Vaſallus hoc officium prætermittens, delinquit; non tamen propterea amiſſione feudi punitur: ſed eo duntaxat, quo prætermiſit tempore, fructus & com-

moda amittat: eſtque domino Jus interim feuda occupandi, retinendi, & fructus recipiendi teſte Gudelin. *de Jure feudali part.* 5. *cap.* 1. *num.* 12. poſt Boër. *ad conſuetud. Bituricenſ. tit. De conſuet. feudal.* §. 13.

V. Amittitur feudum, ſi ea domino non præſtet Vaſallus ad quæ tenetur: ut, ſi fidelitatem 7
non præſtiterit, aut ſi ſervitium facere recuſaverit, aut ſi dominum periclitantem in bello non adjuverit, vel deſeruerit. *cap.* 1. §. 2. *Quæ fuit prima cauſ. benefic. amitt. cap. unic. de feud. ſine culp. non amitt.* Gudelin. *de Jure feud. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 4. Chriſtin. *volum.* 6. *deciſ.* 74. 75. Quod tamen de ordinario ſervitio domino præſtando ad mores noſtros non pertinere diximus ſupra *cap.* 20. *num.* 4.

VI. Amittitur etiam feudum, ſi Vaſallus feudum ſine conſenſu domini alienaverit, *cap.* 1. *De Prohibit. feud. alienat. per Lothar. cap.* 1. *de prohibit. feudi alienat. per Frideric. cap.* 1. §. *ult. Quæ fuit prima cauſ. benefic. amitt.* adeo ut ne quidem ob neceſſitatem, aut æris alieni diſſolvendi cauſa alienatio aut diſtractio ſit permiſſa. Vultej. *De feud. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 57. Weſenbec. *cap.* 11. *de feudi alienat. num* 2. quam communem DD. opinionem eſſe teſtatur Jul. Clar. §. *feudum. quæſt.* 31. *num.* 11. Quod etiam ad mores noſtros minime pertinet, quibus Vaſallo quoquo modo, irrequiſito etiam domino, & reluctantibus agnatis, feuda alienare & hypothecæ ſubjicere liberum eſſe ſupra quoque *cap.* 21. *num.* 13. oſtendimus. Quibus adde quod & executionis nexu pro ære alieno bona feudalia diſtrahi mores noſtri permittant: cæteris ſcilicet bonis deficientibus, ut recte eam conſuetudinem limitat Chriſtin. *volum.* 6. *deciſ.* 95. *num.* 19.

Poſtremo feudum amittitur, aut potius deſinit eſſe feudum defectu ſanguinis: morte ſcilicet 8
illius Vaſalli, qui nullos heredes feudi capaces relinquit. *cap.* 1. §. *qui clericus. Si de feud. defunct. content. ſit. cap.* 1. *in fin. De alienat. feud.* In feudis rectis & maſculinis quidem, per defectum heredis maſculi, deſcendentibus, ex linea primi beneficiatii. Neoſtad. *De feud. cap.* 3. *num.* 6. Et in feudis hereditariis fœmininis, per defectum heredis decimo gradu Vaſallum ex primi beneficiarii linea contingentis. Neoſtad. *d. tract. cap.* 5. *num.* 77. aut alias ſecundum præſcriptum & formam inveſtituræ, Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 43. *in pr.* Qua de re vide, quæ de variarum Regionum conſuetudinaria feudali ſucceſſione, ſupra quoque notavimus.

Cap. XXIV.

De Decimis & Novalibus.

Summaria.

1. *Jus decimarum quid, quale & quantum ſit.*
2. *Decimæ Eccleſiaſticæ quæ ſint & an debeantur, ubi de* Galliæ, Saxoniæ, Poloniæ, Ungariæ, Angliæ, *&* Hollandiæ *obſervantia.*
3. *Seculares, aliæ feudales, aliæ non, quæ ſint, earumque origo.*
4. Zypæus *&* Rebuffus *in* Caroli Martelli *fabula reprehenſi.*
5. Caroli Martelli *hiſtoria.*
6. *Friſiæ Comites & Principes quomodo antiquitus electi, ex Abbatiæ Floricampenſis teſtimonio.*
7. *Decimæ feudales quibus competant, & an mero aut mixto imperio cohæreant.*
8. *Aliæ iterum perſonales, aliæ prædiales, an recte dicantur.*
9. *Quæ ſint prædiales, & in quibus conſiſtant.*
10. *Arborum fructus, hortorum olera in* Hollandia *decimarum Jure non continentur: Quod* Saxoniæ *moribus convenit.*
11. *An de Canabe decimæ ſolvantur.*
12. *An & quatenus pecudum fructus Decimarum Jure teneantur.*
13. *Quo tempore colligantur, & quid ſi in diverſis parochiis paſcantur: & quid moribus.*
14. *An & quatenus redimatur.*
15. *Novalia quid ſint, & an etiam ex iis decimæ debeantur.*
16. *Colligendarum decimarum modus in* Belgio *&* Germania.

DEcimæ ſunt jus percipiendi certam aliquam fructuum portionem, ea cujuſque loci conſue- 1
tudine vel ſtatuto receptum: ſic ut quamvis decimarum nomine veniat, præciſe tamen in decima redituum parte non conſiſtat. Quomodo etiam decima dicitur, quæ eſt octava, undecima, vel interdum viceſima, triceſima, aut quadrageſima pars, quæ loco decimæ præſtatur: *cap. in aliquibus. verſ. illa quippe, extr. de Decim.* Reinking. *de Regimine Seculari, lib.* 3. *claſſ.* 1. *cap.* 8.

num.

num. 8. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 1. *tit.* 3. *defin.* 21. *num.* 1. Quo pertinet quod de Hollandiæ moribus de undecima decimarum parte conſuetudinaria notat Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 45. *in pr.* & Zyp. *Notit Jur. Belg. tit. de Decimis. in pr.* Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 235. *num.* 2.

Aliæ ſunt Eccleſiaſticæ, aliæ Seculares.

2 Eccleſiaſticæ ſunt, quæ ex antiquata lege Levitica, *Levit. cap. ult. verſ.* 30. 32. *Num. cap.* 18. *verſ.* 21. 24. *Deuteron. cap.* 14. *verſ.* 22. 23. 28. *& cap.* 26. *verſ.* 12. Jure Canonico probata. *cap. Revertimini. cap. decimæ.* 10. *quaſt.* 1. *cap.* 1. *cap. Parochianos.* 14. *cap. tua.* 25. *cap. tua nobis* 26. *ext. De decim.* Rebuff. *tract. De decimis. quaſt.* 1. *num.* 9. *& ſeq.* ipſis Eccleſiis, earumque Miniſtris, quibuſdam locis etiamnum ſolvuntur. Quas tamen jure non deberi, poſt alios recte defendit Covarruv. *lib.* 1. *var. reſolut. cap.* 17. *num.* 2. qui decimas eſſe dona indebita, gratuita, puraſque eleëmoſynas aſſerunt. Sic ut non Jure divino, ſed ſolo Eccleſiaſtico poſitivo debeantur. Ut poſt Covarruv. *d. loco.* Leonard. Leſſ. *de Juſtit. & Jure lib.* 2. *cap.* 39. *dubit.* 1. *num.* 6. aliosque acriter etiam defendit, Jacob. Mæſtert. *tractat. de Juſtit. Romanar. leg. lib.* 2. *dubitat.* 36. Quod ſuo quidem modo diſtinguit Vaſq. *Illuſtr. controv. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 89. *num.* 1. non tamen probat.

Hinc in Gallia & Germania, ubi hac in re Pontificios ſequuntur, Eccleſiis Eccleſiarumque miniſtris, etiam inter reformatos, frequens eſt decimarum præſtatio. De quibus late Georg. Tholoſan. *Syntagmat. Iur. lib.* 2. *cap.* 20. *cum ſeq.* Rebuff. *tract. de Decimis.* Argentr. *ad Conſuetud. Britann. art.* 266. *cap.* 22. *num.* 5. De Saxoniæ moribus, Carpzov. *Iuriſprud. Conſiſtorial. lib.* 2. *tit.* 8. *per totum.* De decimis & quo jure Decimæ in Polonia Eccleſiaſtico ordini debeantur, late tractat Andr. Lipskius *Quaſtion. publicar. Regni quaſt.* 1. Et de Regni Ungariæ Moribus & Statutis, circa decimarum præſtationes varia exſtant Regum, & Imperatorum decreta, & conſtitutiones: Sed & in Anglia conſtitutum eſt, ut omnes ſingulique ſubditi locis, & temporibus deſtinatis & legitimis decimas omnium rerum, ex prædiis provenientium miniſtris ſeponant. *Reformat. leg. Eccleſiaſticar. Henrici* VIII. *& Edoardi* VI. *tit. de Decimis. cap.* 2. Ubi porro de jure, modo, & forma decimandi. Sed in Hollandia, & reliquis reformatæ religionis provinciis orthodoxis, Eccleſiæ Miniſtris aliunde ſalarium præſtatur, decimis aliiſque Juribus Eccleſiaſticis Canonicis in totum ſublatis: totumque decimarum Eccleſiaſticarum jus interiit, aut potius ad libertatem redactum eſt.

3 Decimæ ſeculares ſive temporales ſunt, quas Principes, aut Vaſalli, qui territoria ab eis poſſident fundis, agriſve in feudum aut in emphyteuſin datis, in dominii recognitionem ex fructibus ſibi reſervant, quarum aliæ ſunt feudales, id eſt in feudum datæ, aliæ non. *arg. cap.* 1. *De extr. de decim.* Quales in Hollandia viciniſque Regionibus uſitatiſſimas, ex antiquo Germanorum Jure ex dominio Principum primitus, atque ita paulatim ad eorum Vaſallos, ſubditoſque particulares, extra omnem Juris Eccleſiaſtici conſiderationem, perventas, recte confirmat & probat Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 45. *verſ.* **Wy ſeggen.**

4 Nec ad rem facit, quod commento Caroli Martelli, aliorumve (ut ille vult) Brabantiæ Ducum, perperam allegato, Zypæus *Notit. Iur. Belg. tit. de decimis, verſic. decimas.* ex Haræi Brabantiæ annal. ad annum 741. illud pro auctoritate Canonica pertinaciter contra negaverit: exemplo profecto plus ſatis fabuloſo, quam cui à Chriſtiano fidatur. Quod ut pateſiat, ejus fabulam ex Rebuff. *de Decimis quaſt.* 10. *num.* 7. poſt Gaguin. ibid. allegat. hic ſummatie referre lubet.
5 „ Scire, inquit, vos oportet Carolum Martellum, poſtquam obtinuiſſet victoriam contra Sarra-
„ cenos, qui jam ab Hiſpania venientes, bona & templa Galliæ vaſtaverant: voluiſſe nobiles, &
„ regni proceres, ex alieno compenſare: Et ut animi ſui liberalitatem, erga dictos nobiles oſten-
„ deret, decimas ſacerdotibus jam à Deo conſecratas, & ipſi Deo ſanctificatas, his nobilibus lai-
„ cis & regni proceribus dediſſe: perſancte jurans, ſi diu viveret, ſe omnia Eccleſiis, & multo
„ majora repenſurum: quod non fecit, ſed ejus ſacrilegii cauſa, non multo poſt mortuus eſt, &
„ ad inferos delatus. Et fuit cadaver ejus ſepultum, in cujus ſepulchro, poſt aliquot annos, ingens
„ ſerpens, forte diabolus in ſerpentis ſpecie, inventus eſt: ex ſuo autem cadavere & oſſibus, ni-
„ hil omnino inventum eſt: adeo quod multi conjectabant, eum cum corpore & anima, inferno,
„ ob tale decimarum egregium facinus, ſepultum. Hactenus ille. Cui prudentius profecto, &
magis Chriſtiane reſpondit ipſe *d. loco.* Sitne fabula an hiſtoria? His qui hoc viderunt, relin-
6 quendum. Opinionem noſtram inter cætera, ſatis confirmat publicum Abbatis Floricampenſis teſtimonium Anno 1340. ſuper ea re datum, referentis ante annos tunc temporis plus quadringentos, Comitem Hollandiæ apud Friſios per quatuor Friſiorum nobiliſſimos, ſcuto nigro Germanorum more impoſitum, eorumque humeris ſublatum in Friſiæ Principem allectum, & creatum,

tum, attributo ei, inter cæteras prærogativas, omnium totius Friſiæ decimarum jure. Accedunt etiam innumera de decimis conſtitutionum antiqua monumenta, nobilioribus olim familiis ex proprio Principum patrimonio collata, & conceſſa.

Ad decimas feudales quod attinet, quidam nomine meri aut mixti imperii ſive juriſdictionis, 7
etiam decimatum colligendarum jura contineri ſibi perſuaſum habuere, quas tamen, eo quod cum ipſa juriſdictione, nihil commune habeant, nulli competere, niſi cujus inveſtituræ tenor, eas & quatenus eas, nominatim comprehendat, declaratum refert Grot. *d. lib. 2. cap. 45. verſic.* 't Is ook ſulcr.

In varias quidem ſpecies diſtingui ſolent decimarum Jura; ut late Rebuff. *tract. de decim. quæſt. 3.* 8
quarum quidem ſumma eſt, quod decimæ aliæ ſint perſonales, aliæ prædiales, *cap. ex multiplici 3. cap. paſtoralis. 28. extr. De decim.* Rebuff. *d. loco num. 29. & 32.*

Perſonales ſunt, quæ ex laboris & operarum, ſive ex induſtria, ſcientia, negotiatione, vel alio quolibet actu & quæſtu licito, acquiſitis ſolvuntur. *cap. quicunque 16. quæſt. 7. cap. non eſt. 22. cap. paſtoralis 28. extra. De decim.* Quarum quidem uſus non eſt, ne quidem inter eos qui hac in parte Jus Canonicum ſequuntur, teſte Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtor. lib. 1. tit. 8. deſin. 531. num. 3.*

Prædiales decimæ ſunt, quæ de terræ ſive fundorum fructibus ſolvuntur. *cap. 1. cap.* 9
commiſſum 4. cap. nuncios. 6. cap. ex parte 21. & ſeq. cap. tua nobis. 26. extr. De decim. potiſſimum quidem de frumento ſive grano, ejuſque omni genere indifferenter, ut eſt hordeum, triticum, ſiligo, avena, & reliquis leguminibus. *d. cap. ex multiplici. 3. & cap. 22. extr. De decim.* Rebuff. *d. tract. quæſt. 8.* Sed & de fœno, de canabe ac lino, hortorum oleribus, rapis, cæpis, braſſicis, piſis, aliiſque fructibus agrariis: de pomis inſuper, pyris, caſtaneis, aliiſque arborum fructibus decimæ quoque debentur Jure Canonico *d. cap. 3. cap. 22. extr. De decim. junct. cap. quicunque. & cap. omnes decimæ. cauſ. 16. quæſt. 7.* Verum quum in præſtandis decimis plurimum conſuetudini deferatur, *cap. dilecti. 8. cap. ad Apoſtolica. 20. & cap. cum in aliquibus. 32. §. ult. extr. De decim.* Rebuff. *d. tract. De decim. quæſt. 13. num. 46.* Vaſq. *illuſtr. quæſt. part. 1. lib. 2. cap. 89. num. 2.* quia tanti valet conſuetudo, quanti lex ſcripta. *§. 9. Inſtit. de Jure Nat. Gent. & Civ.* Reinking *de Regimine Secular. lib. 2. claſſ. 2. cap. 9. num. 27.* & ſtaturo fortior ſit; eamque ſilere faciat Aym. Cravett. *de Antiq. tempor. 1. part. in pr. num. 42.* Menoch. *de arbitr. jud. quæſt. caſ. 71. num. 42.* Notandum, noſtris & aliorum moribus, de Arborum fructi- 10
bus, ut ſunt poma, pyra, nullas decimas deberi; Itemque nec de hortorum oleribus, rapis, cæpis, braſſicis, fabis aut piſis oloreticis, radicibus, lactucis, & ejus generis pluribus. Quo pertinet Caroli V. Imperat. edictum 6. *Novemb.* 1520. quo cavetur, ut nullæ decimæ inſolitæ exigantur, quam quarum poſſeſſio habita fuerit per annos quadraginta, ſed ſolitis contenti ſint decimatores, &c. de quibus plura Grot. *Intred. lib. 2. cap. 45. verſ.* Wy hebben geſept. Quod ad inſtantiam Conſulum Leydenſium, pro Oloretis, & horticultoribus ſuis contra Rhenolandiæ nobiles, aliosque decimatores, eo uſque procedere tantum interpretatum eſt ab Hollandiæ Ordinibus, 18. *Martii* 1603. Quod de pomis & pyris, aliiſque arborum fructibus in Elector. Saxon. ex loci conſuetudine idem affirmat Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtorial. lib. 1. tit. 8. deſinit. 134. num. 6.*

At de Canabe, quid de moribus noſtris ſit dicendum, quandoque dubitatum memini, an & il- 11
lius decimæ debeantur, quæ diverſis quidem locis certa pecunia, pro ſingulis jugerum ſextantibus, ſive centum decempedarum modiis (nobis een Hondt /) Canabe conſertis redimi ſolent, vulgo Hondt-Geldt / in reliquis vero, etiam Canabis ſatiferæ decimas per ſpicarum faſciculos ſive mergites electas, (by ſchooven/ deberi Hollandiæ Curia, in cauſa Henrici de Wijngaerden, contra Heraetſbergi incolas cenſuit ultimo Julii 1608.

His accedunt pecudum, ſive animalium fætus, quos etiam in fructu eſſe ſupra diximus, ad §. in 12
pecudum. 37. Inſtit. de Rer. diviſ. & inter prædiales decimas etiam numerari volunt Gloſſ. & DD. *ad cap. ad Apoſtolica. extr. de decim.* ut ſunt agni, hædi, vituli, equuli, ſuculi, anſerum & gallinarum pulli.

Decimus fætus in ordine naſcendi cognoſcitur, & decimo natus debetur: ſi vero non appareat quis ſit decimus, mediocris præſtatur. *arg. l. ſi quid. 18. §. 1. & l. 19. §. 4. ff. de ædilit. edict.*

Et quidem decimari ſolent hi fætus in Gallia ſtatim poſt feſtum Paſchatis, teſte Rebuff. 13
d. tract. De decimis quæſt. 6. num. 31. Nobis vero plerumque circa menſem Maji, aut alio quovis tempore, quo fætura partus exiſtit idoneus, ut ſine matre vivat, vitulus enim, ſuculus, aut alius fætus, inquit, Rebuff. *d. loco num. 30.* lactatus eſſe debet antequam præſtetur & im-

pin-

pinguius, ne datio ex illorum imbecillitate pereat. *l. 68. in fin. ff. de Solut. junct. l. 15. ff. de Ann. legat.*

Sed quid ſi pro parte temporis in una, pro alia parte in alia parochia paſcantur pecudes, ad cujus decimas eorundem fœtus pertineat quæri poſſit? Qua in re quidem canoniſtæ volunt, ſi in una parochia paſcant in hyeme, & in æſtate in alia, vel in una paſcant continuo, & in alia jaceant aut dormiant; tunc dividantur decimæ inter has duas parochias. Gloſſ. & DD. *in d. Capit. ad Apoſtolica. extr. de decimis.* Communius tamen obſervatur, ut ille accipiat in cujus parochia frequentius paſcuntur, teſte eodem Rebuffo, *d. loco. num.* 29. *& quæſt.* 8. *num.* 11. quod probat Zypæ. *Reſponſ. de Jure Canonic. lib. 3. tit. De decimis. reſp.* 1. Apud nos autem obtinet, ut illi pecudes qui & ubi prima annua die, ut ibi ſint, remanſerint, ibidem etiam decimas debeant: licet aliquo, vel minimo poſt tempore, alio fuerint tranſportati. Diximus, ut ibi ſint: nam ſi in fraudem, proxime ante primam anni diem alio migrent, eâque præterlapſa redierint, ut eo modo decimarum jus effugiant, aut infringant, nihilominus ibidem debentur.

14 Sed & in multis locis hæc decima pecuniâ redimi ſolet: Ut de Galliæ conſuetudine, idem Rebuff. *De decim. quæſt. 6. d. num.* 31. Sic ut, ſi parochianus habeat hædos viginti, duo æſtimentur, & illorum pecunia parocho detur: Quod tamen in decimatoris electione eſſe ſcribit, utrum velit fœtum recipere, an vero pecuniam. Quod & Hollandiæ moribus convenire videtur, quibus pecudum decimæ, in uno ex decem, & dimidio ex quinque præſtari ſolent, aut ejuſdem æſtimationis pecunia, pro amborum electione; ſi vero animalium fœtus quinto numero minor ſit, pro ſingulis hædis, vitulis, aut ſuculis teruntius, pro equulo, ſi maſculus ſit, ſeſtertius, ſi fœmella, ſeſtertii dimidium perpendi ſolet, & ſic de cæteris, pluris aut minoris, pro varia loci conſuetudine.

Sed & an ille cui decimæ prædiales competunt, novalium etiam decimæ accedant, videndum eſt.

15 Novales, ſive novalia ſunt agri labore & induſtria noviter ad culturam redacti, *cap. quid per novale 22. extra. De Verbor. Significat. junct. l. ult. ff. de Termin. moto.* Ut late etiam explicat Gothofred. *ad l. Sylva cædua, 30. §. novalis. 2. ff. de Verbor. Significat. in not.* Et quidem communis eſt DD. opinio eorum etiam decimas accedere illi, à quo decima, indefinite illi conceſſa, poſſidetur, Duaren. *De Sacroſanct. Eccleſ. Miniſtr. lib. 7. cap.* 1. cui & omnium acceſſionum & accretionum novalium decimas competere conſequens eſt, ex iis, quæ ſupra *cap.* 4. circa feudorum alluviones notavimus. Sed ſi jus illud nulla certa conceſſione, ſed ſolummodo per præſcriptionem acquiſitum ſit, aut alias ipſi agri certis terminis præſcribantur, intelligitur tantum de illis terris, Ut poſt Zyp. & Duaren. *d. loco.* notat Chriſtin. *vol. 5. deciſ.* 87. *num.* 8. ſecundum diſtinctionem etiam ſupra de alluvionum jure, *d. cap. 4. num. 15. & ſeq.* à nobis datam: Ubi etiam ſatis fuſe explicatum, ad quem alluviones inter duos conterminos interjectæ pertineant. Quo eodem modo novalium decima inter duas parochias pro modo limitum cuilibet parochiæ aſſignandas refert Rebuff. *tract. de decimis. quæſt.* 14. *num.* 4. Adeo, ut ſi limites unius parochiæ veniant uſque ad tres partes novalium: illa parochia tres partes novalium habebit, altera quartam tantum.

16 Modus & forma colligendi decimas, in fructibus prædialibus, præſertim in frumentorum genere conſiſtentibus, moribus noſtris hic eſt: Ut colonus, fructibus ſuis in ſtipulis, ſive faſciculis, quos manipulos alii vocant, conſtitutis, nobis **aan Schooven geſtelt** / antequam à ſolo ſeparentur, dominum decimatorem interpellare teneatur, ut termino, ad minimum viginti quatuor horarum, decimas ſuas colligere velit: qui ſi dato tempore non adſit, colonus; fructus ſuos à ſolo ſeparare, & domum avehere poteſt, undecimo quoquo manipulo ſive faſciculo in præſentia duorum vicinorum ad id convocatorum, decimatori domino relicto. Ut ex antiquis monumentis teſtatur Grot. *Introduct. lib. 2. tit. 45. in fin.* quibus adde Zeland. *cap. 3. art.* 36. & Agri Vornenſ. *Statut. art.* 99. In Germania autem juxta doctrinam Juris Canonici in text. *cap. Revertimini ad me, cauſ. 16. quæſt.* 1. Parochiani pro ſolutione decimarum ad ædes Eccleſiæ Miniſtrorum annuatim ire, eaſque ſponte offerre debent, teſte Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtorial. lib. 1. tit. 8. defin.* 135.

Cap. XXV.

De Jure Patronatus, ſive Vicariatus, & Præbendis, reliquiſque bonis Eccleſiaſticis.

Summaria.

1. *Jus Patronatus quid & quotuplex.*
2. *Quibus competat.*
3. *An inter Reformatos aliquod Jus præſentandi eccleſiis vacantibus competat territoriorum dominis, & quibus.*
4. *Jus patronatus laicale, ſive Vicariatus quid?*
5. *Ejus conditiones & fundationes.*
6. *Ejus inſtitutio aut collatio quomodo facienda.*
7. *Jus præſentandi quomodo acquiratur per ſucceſſionem.*
8. *Quomodo ſuccedat? non radicaliter, ad heredes per ultimum poſſeſſorem, ſed fundatori immediate proximos.*
9. *Quæ ſit ejus ratio, & à feudali ſucceſſione differentia.*
10. *Quis & qualis Vicariarum ſucceſſionum & Juris Patronatus uſus inter Reformatos.*
11. *Collatio quomodo fiat.*
12. *Miniſtenii loco tertia fructuum pars fiſco applicanda, probatur.*
13. *Bona Eccleſiaſtica an & quatenus fiſco cedant.*
14. *Bona Canonicorum* Ultrajectinorum *Militaris & Equeſtris Ordinis* Maltenſis *St.* Johannis, *Abbatiæ* Rhenoburgicæ, *ſimiliaque an fiſco cedant:* Neg. *Remiſſiv.*

JUs patronatus aliud eſt publicum, aliud privatum.

Publicum eſt quod ad publicam Eccleſiæ ſpectat utilitatem, definiturque Ius præſentationis 1
Miniſtrum Eccleſiæ, ad id, ut ab Epiſcopo, vel locum ejus tenente, inſtituatur ad vacans Eccleſiæ munus obeundum, itemque ad defendendam Eccleſiam adverſus injurias. Quæ definitio Hoſtienſis eſt, in Summa aurea *lib. 3. Rubr. 38. num. 1.* Quod & laicis permittitur, his, qui aut quorum prædeceſſores, eccleſias ipſi fundaverunt, & dotaverunt. Quare nec illud Eccleſiaſticum aut ſpirituale dici poteſt, propterea quod etiam laicis competat, & ab eis poſſideri poſſit: licet vel maxime ſpiritualitati ſit annexum, ut eſt text. *in cap. De Jure. Extr. De Jure Patronat.* Andr. Gail *lib. 1. Obſerv. 38. num. 6.* Reinking *de Regimin. Secul. & Eccleſiaſt. lib. 3. claſſ. 1. cap. 9. num. 20.* Ex quo perſpicuum eſt illud jus ex dotatione, fundatione, & ædificatione Eccleſiæ 2
acquiri, nec in aliis agnoſci quam in his, qui aut quorum prædeceſſores eccleſias ipſi fundarunt, & dotaverunt. *cap. nobis. extr. de Iure Patronat. cap. Abbatem. 16. quæſt. 2. cap. filiis. 16. quæſt. 7.* Reinking *de Regimine Secular. d. loco, cap. 9. num. 4.*

Quod ut ad mores noſtros referamus: an aliquod, & quale jus præſentandi eccleſiis vacantibus 3
competat Territoriorum noſtrorum dominis, & quibus? non adeo conſtat, ut quid certum, aut perpetuum præſcribi poſſit. Ut tamen hac in parte, ut in cæteris, ingenue, & libere agam: probe diſtinguendum mihi videtur, inter jus patronatus mere Eccleſiaſticum, ſive ſpirituale, quod in Epiſcopali Jure conſiſtebat, & vigore orthodoxæ reformationis, in Principes, aut Status Imperii Euangelici, ad id ſpecialiter demandatos, translatum eſt: qui in eo duplicem repræſentant perſonam, duplicemque exercent poteſtatem, eccleſiaſticam & politicam, quorum territoriorum domini nobiles, mediate imperio ſubjecti, participes non ſunt; & inter jus perſonatus laicale, quod à laicis etiam poſſideri diximus, & de quo hic præcipue agendum. In eo regulam illam: qua jus patronatus non defertur niſi illis, qui, aut quorum prædeceſſores ipſi eccleſiam fundaverint, & ex propriis ſuis bonis dotaverint, ab uſu receſſiſſe, facile mihi dabitur; quippe quod illud probari amplius vix poſſit, ut nec vel apud ipſos Pontificios, veriſimile ſit, eccleſias omnes parochiales, præſertim antiqui cujuſque territorii, omniave territorii beneficia fundata eſſe à prædeceſſoribus cujuſque poſſidentis. Quomodo vel in ipſo Papatu multos, qui nec à ſe, nec ab anteceſſoribus fundatorum, illud jus habent, parochialis eccleſiæ: perſonatus, aut alterius ſpiritualis Iuriſdictionis, aut auctoritatis, jura uſurpaſſe, teſtatur Zyp. *Reſponſor. Jur. Canon. lib. 3. tit. De Iure Patronat. Reſponſ. 2.* Multo magis, in Eccleſiis noſtris, quibus, totum illud quod à ſuperſtitioſa Canoniſtarum erat obſervatione, rejectum, ab eoque palam renunciatum eſt: manente interim cuilibet juſta rei ſucceſſione, pro qua ſane cæteris remotis ſola juſtæ poſſeſſionis probatio ſufficeret, conſtituens præſumptionem Juris & de Iure, quæ præſumptionem in contrarium non admittat, *Iur. Vulg.* Eo quod Eccleſiæ parochiales indotatæ nun-

quam

quam præſumantur; adeoque jus præſentandi in illis alicui competere debeat, nullaque Eccleſia ab eo onere per ſe libera præſumatur, niſi longiſſima temporis præſcriptione munita: præſertim in territoriis hereditariis, & ſupra memoriam intra certam familiam, debito ordine ſucceſſis. In quibus etiam, ut nunc conſtitutum eſt, jus illud præſentandi cum ipſo territorio alienari, aut in alium transferri nihil vetat. Sic ut ſi aliunde non conſtet, ab uſu & poſſeſſione cujuſlibet parochialis Eccleſiæ hac in parte multis retro annis obſervata, jus illud dimetiendum, nullus dubitem: Quod varium licet ſubinde, in eo tamen plerumque ſuperiorum ductu intenditur, ut ne plebi invitæ paſtor obtrudatur, & ſimul ſalva maneant ſuperiori poteſtati jura reſcindendi electiones: ſi quid forte in Eccleſiæ aut reipublicæ perniciem ſit erratum.

4 Ius patronatus privatum, quod vocant etiam Ius patronatus laicale, eſt, quod ad privatam cujuſque ſpectat utilitatem: quo quis in animæ ſuæ curam bona quædam ſua ab heredibus ſuis proximioribus, in ſui etiam ſanguinis clericum, aut Presbyterum, quem voluerint, conferenda, relinquit, ut ea poſſideat, ſub onere miniſterii divini, aut alterius piæ cauſæ.

5 Hujus fundationis, ſive inſtitutionis varii ſunt modi, atque conditiones: ut plurimum miſſarum, vigiliarum, precationum, aliarumve ſacrarum præſtationum, in animæ defunctæ curam & ſalutem in hoc, vel illo Eccleſiæ altari, ſub moderamine & directione capituli ſuperioris exercendæ.

6 Quæ inſtitutio, ſive fundatio, ſine licentia & permiſſu Epiſcopi fieri non poteſt. *arg. cap. nullus Presbyter. & cap. placuit. de Conſecrat. diſtinct. 1. cap. 1. authent. Ut nullus fabricet Oratorii domos præter voluntatem Epiſcopi. Novell. 67.* Quemadmodum quoque in ulteriori ſucceſſione, novi ſucceſſoris præſentatio, & juris in eum collatio ab eo ad quem præſentandi vices ſecundum inſtitutionis tenorem pervenerint facta, ab Epiſcopo confirmari debent: eo quod ipſum quidem jus à patrono ſive Vicario acquiratur, juris vero exercitium ab Epiſcopi confirmatione, Panormit. *in cap. 2. & cap. cum autem. 24. & ſeq. extr. De Iure patronat.*

7 Poſſidentur quidem hæc jura per præſentationem, à patrono per vices ambulatorias, ex Epiſcopi confirmatione, & approbatione in Vicarium: ſecundum fundationis & inſtitutionis tenorem factam: ipſum vero jus præſentandi per ſucceſſionem acquiritur, ex teſtamento quidem, ſed cui, ſi certus non addatur modus, ab inteſtato etiam ſucceditur: quum enim teſtator de ſuccedendi ordine ſollicitus non fuit, eum diſpoſitioni juris communis reliquiſſe videtur, *l. conficiuntur. 8. & l. ſi quis quum nullum. 3. ff. de Iure Codicillor.*

Primæ itaque fundationis ſive inſtitutionis modus circa ſucceſſionem conſtitutus, eſt ſervandus: ſic ut etiam ad filias ſive fœminas, & quoſlibet heredes etiam extraneos illud jus transferri poſſit. Ut communiter Gloſſ. & DD. *in Clementin. De Iure patronat.* & late Roch. de Curt. *tract. de Iure patronat. Rubric. De tranſlatione Iuris patronat. num. 14. 17. & ſeq.* Cujus fere communis eſt conditio, ut inſtar rei feudalis, ipſum jus præſentandi ambulatorie ſuccedat, in proximum fundatoris heredem, ſecundum lineæ, grados, & ætatis prærogativam: id eſt, ut primogenitus ſe-
8 cundo, & ulteriori, & maſculus ætate minor, majori fœminæ præferatur: & quod hic præcipue notandum, ut & lineæ & gradus defuncti fundatoris prærogativa ſit: niſi aliter expreſſe cautum fuerit. Quomodo in dubio ſecus, quam Iure feudali, juris præſentandi ſucceſſio non transfertur in heredes, per ultimum patronum proximiores, radicaliter (ut loquuntur) ſed ambulatorie, ad
9 heredes fundatori immediate proximos. Ratio differentiæ eſt, quod in feudis dominus feudi bona in feudum data prorſus à familia alienet, & heredibus præferat Vaſallum, ejuſque ſucceſſores, & proximos heredes: atqui in hoc jure patronatus familiæ ſuæ, heredibuſque ſuis & proximioribus proſpici fundatores intendant: Et jus patronatus regulariter in extraneos non tranſeat. Bald. *conſil. 400. circa princip. num. 2. verſ. quæſtio igitur. lib. 2.* Adeo ut ad ſolos nepotes tranſeat de ſanguine, excluſo avunculo, licet in pari ſint gradu, per eundem Bald. *conſil. 196. incip. Super eo quod. num. 5. verſ. ſequitur videre. lib. 4.* & poſt eum Rochus de Curt. tract. *de Jure patronat. Rubric. De tranſlatione Iur. patronat. num. 25.* & ſic tranſit ad poſteros ut ſemper fiat jure ſanguinis, nec ſufficiat quem eſſe conjunctum ultimo defuncto, ſed requiratur ut à communi ſtipite deſcendat.

Hinc Regula quod quum in ipſa conſtitutione, ſive fundatione, ut loquuntur, nihil certi de ſuccedendi ordine cautum reperitur, ad Ius commune inteſtato deſcedentium recurrendũ ſit: quod qui in diſpoſitione ſua de modo atque ordine ſuccedendi nihil diſpoſuit, eum reliquiſſe videatur diſpoſitioni Iuris communis, *arg. l. 3. & l. 8. ff. de Iure Codicillor.* Adeo ut tam fœminæ, quam maſculo indifferenter jus præſentandi competat, eaque remotiori maſculo præferatur: propterea quod verbum maſculinum etiam fœminas comprehendat. *l. 45. ff. de leg. 2. l. 1. l. 116. ff. de Verb.*

Verb. Signific. Neque ullibi in jure fœminæ à præſentandi jure excluduntur. Sed è contra mulie-
res ad præſentanda jura admitti probat text. in *cap. fin. de Succeſſ. præbend.* Quæ quamvis de Co-
mitiſſa loquatur, & muliere in dignitate conſtitura, nihil movet, quin idem de aliis affirmari de-
beat, per Gloſſ. & DD. ibid. vid. late in hanc rem Roch. de Curt. *tract. de Jure Patronat. ad
quæſt. Jus Patronat. quib. competat.*

Ut ad reforoiatam Chriſtianæ relligionis orthodoxiam redeamus, notandum: ejuſmodi quidem 10
jura quoad ſucceſſionem ſecundum inſtitutionis legem, in heredes cujuſque fundatoris proximos
præſentando, & conferendo etiamnum transferri, intercedente etiam ſummæ poteſtatis appro-
batione, & confirmatione, præſentatum autem miniſteriis Eccleſiaſticis, aliiſque vanis, & fictitiis
pro defunctarum animarum ſalute & liberatione meritis, quam minime adſtringi.

Collatio alicui debite, & juxta ſuccedendi ordinem facta, quæ olim Epiſcopo, tunc Hollandiæ 11
Ordinibus præſentari debet. A quibus quidem Anno 1578. cautum & noviſſima Ordinatione
12. *Decemb.* 1658. renovatum fuit. Ut loco miniſterii divini, aliarumque piarum præſtationum, 12
iis impoſitarum, tertia fructuum cujuſque Vicariatus pars fiſco cederet, pro mercede, aliaque ſu-
ſtenratione reformatæ relligionis Paſtoribus & Miniſtris eroganda. Quod tamen hactenus ex-
actum non eſt: quamvis fundata ſatis ratione nitatur. Eo quod legatum ad piam cauſam, quæ
tunc temporis putabatur eſſe pia, puta pro celebratione miſſarum, pro invocatione ſanctorum,
uſu monaſteriorum, reliquiſque miniſteriis ſuperſtitioſis, ex eo quod ceſſante hodie illa cauſa, cu-
jus uſus detegitur eſſe impius, minime revocetur, nec ad heredes teſtatoris pertinear, ſed ad alios
uſus pios convertatur, *arg. l. 16. ff. de Uſu & Uſufruct. leg.* - veluti, ad conſervandum miniſte-
rium, ad pias ſcholas conſtituendas, ad juvandos pauperes: ad cauſam ſtudiorum, ad conditionem
& meliorationem noſocomiorum, & ad ſalutem reipublicæ. *arg. l. 21. & l. 26. Cod. de SS. Ec-
cleſ. cap. 16. extr. de præbend.* Atque ita in Germania conſtitutum *Receſſ. Imp. Auguſt. de A°.* 1555.
teſte Carpzov. *Juriſprud. Conſiſtor. lib. 2. tit. 21. defin. 332. num. 12. & ſeqq.*

Sed & alia quædam bona ſunt vulgo Eccleſiaſtica dicta, olim ab Eccleſiis, Monaſteriis, aliiſque 3
Collegiis ſimpliciter abſque ullo onere aut certa inſtitutione conceſſa, quæ omnia cum ipſis etiam
Eccleſiis, earundemque ornamentis, inficiato omni Paparu Romano, in publicum ærarium, ad
Eccleſiarum ſuſtentationes, ſcholarum erectiones, aliaſque pias cauſas, & operas, juxta ortho-
doxiam reformatam ſunt tranſlata, & converſa. A quibus probe diſtinguenda ſunt illa collegia
eaque bona, quæ ad ipſas Eccleſias, Pontificiæque relligionis heterodoxiam abſolute non ſpecta-
verint, aut ea, quæ cum ſuo modo ad rei ſacræ miniſteria divina pertinuerint, præter ea tamen,
ſuccedendi ordinem, & modum particularem retinuerint, aliudve ſeparatum inſtitutum illi an-
nexum habuerint. Quæ ſuo ordini, inſtitutioni, atque ſucceſſioni, rejectis tantum vanis Ponti-
ficiæ Relligionis miniſteriis, etiamnum integra & cuique reſervata relinquuntur. Quo ſolo fun- 14
damento bona Eccleſiaſtica Canonicorum Ultrajectenſium, equeſtris itidem & militaris Ordinis,
Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani Reipublicæ Maltenſis, ſive Milerenſia, bona quoque
ſpectantia ad nobiliſſimam Abbatiam erectam in Rhenoburgo, & Leeuwenhorſt, aliaque ejuſ-
dem generis, ab Eccleſiaſticorum bonorum confiſcatione vindicari & defendi poſſe, putem. Quæ
hic obiter tantum adſpergimus, ut occaſio aliis detur hoc ſuper negotio cogitandi. De bonis lai-
calibus, equeſtris Ordinis Sancti Iohannis Hieroſolymitani Reipublicæ Malrenſis, ejuſque Or-
dinis inſtitutione, late tractat Georg. Tholoſan. *Syntagm. Jur. Univerſ. lib. 15. cap. 34.* Vivius,
deciſion. 446. *num.* 10. Natta *Conſil.* 508. *num.* 3. & 4. Et Seraphin. *deciſ.* 591. *num.* 5. *vol.* 1.
Et de Canonicis Ultrajectinis ejuſdemque Ordinis inſtitutione & progreſſu multa habet Doctiſ-
ſimus vir Martinus Schoock *in tract. ſuo De bonis vulgo Eccleſiaſticis.* Ad quos Lectorem remitto.

CEN-

CENSURA FORENSIS

&c.

LIBER TERTIUS.

Cap. I.

De Hereditate, ejuſque Jure & Actionibus.

SUMMARIA.

1. *Hereditas quid, ejuſque definitio, quid contineat.*
2. *In quantum teneantur heredes ex perſonalibus præſtationibus & delictis defuncti:* noſtris & Gallorum *moribus diſtinguendo.*
3. *Reliqua omnes defunctorum actiones & jura indiſtincte in heredes tranſeunt, proque omni ære alieno, hereditate adita, tenentur, etiamſi ipſa hereditas ad æris alieni ſolutionem non ſufficiat, quod ubique fere receptum.*
4. *In* Saxonia *ultra vires hereditarias non tenentur heredes.*
5. *Quis & quotuplex acquirendæ hereditatis per ſucceſſionem modus.*

1 PEr Univerſitatem, nobis hereditates, acquiri diximus: Hereditas, eſt ſucceſſio in univerſum Jus defuncti. *l. 24. l. 119. ff. de Verb. Significat. & l. 62. ff. de Reg. Jur.* Dicitur in univerſum Jus, ut & commodum & incommodum comprehendat, quod defunctus habuit, tum in alios, tum quo ipſe aliis tenebatur. *l. 1. l. 3. de Bonor. Poſſ. l. 8. l. 37. ff. de Acquir. heredit. l. ult. Cod. de heredit. act. §. 1. Inſtit. de perpet. & temporal. action.* A quo tamen actiones in perſonam, aliæque perſonales præſtationes excipiuntur, quæ cum ipſa perſona intereunt: obligationes itidem ex delicto, quæ ad heredem non pertinent. *l. 1. in pr. & §. 2. ff. de privat. delict. l. 26.*
2 *ff. de Pœnis.* Quibus tamen, moribus, in tantum tenentur heredes, in quantum civiliter & ad mulctam pecuniariam ex iis agitur: quippe quod exploſa Romanarum actionum ſubtilitate, ac differentia, apud nos, quemadmodum ad æris alieni ſolutionem, *tot. tit. Cod. De hered. act.* ita ex delicto, aut maleficio defuncti conventus heres ad mulctam pecuniariam, quæ rei perſecutoria dici poteſt, & ad reſtitutionem damni illati parti læſæ teneatur in ſolidum, etiamſi defuncti facultates non ſufficiant: ut de noſtris & Gallorum moribus Groenew. *tract. de legib. abrog. ad tit. Cod. ex delict. defunct. in quantum hered.* Quod quamvis ibidem indiſtincte de moribus noſtris in ſolidum procedere affirmare videatur, diſtinguendum tamen puto: ut ſi ad damni illati reſtitutionem agatur, in ſolidum quidem adverſus heredes actio competat, etiamſi ſolidam reſtitutionem defuncti facultates non patiantur: quæ propterea etiam rei perſecutoria eſt; ſic ut delinquentium bona pro reſtitutione damni dati tacitè etiam obligata cenſeantur, & pro damnis præ cæteris creditoribus Jus prælationis tribuendum videatur, ex doctrina Bald. Salicet. & alior. *ad l. furti. 15. Cod. de furt.* Sed & in delictis parti læſæ damnorum & intereſſe ſatis factio facienda ſit, antequam fiſcus ex bonis delinquentium quicquam prætendere poſſit. Ut poſt Pecc. Chriſtin. *volum. 3. deciſ. 22. num. 4.* Sic ut ex maleficio damnum paſſus, duplici actione experiri poſſit, perſonali ſcilicet adverſus heredem, & reali in rem ipſam intenta. Sed ſi ad pœnam ſive mulctam agatur, heredem non ulterius teneri certum eſt, quam quatenus ad eum pervenit, aut defuncti facultates patiuntur. *arg. d. l. 1. in pr. & §. 2. ff. de privat. delict. & l. 26. ff. de pœnis.*

Cod. IV. XVII. Ex delictis defunctorum in quantum Heredes teneantur.

3 Ex hoc Juris fundamento ſequitur heredem ipſo jure pro omni defuncti debito teneri; iterumque omne ejus commodum omneſque actiones & obligationes in alios competentes in eum tacite quaſi transferri, licet in debiti creditive inſtrumento heredum mentio facta non ſit. *arg. l. 9. ff. de probat.* & ibi Bart. & Bald. Panormitan. *ad cap. fin. primo notabili, extr. De arbitris.* Menoch. *de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 47.* Ita ut heres etiam locationi aut conductioni à defuncto factæ ſtare teneatur. *§. fin. Inſtit. locat. conduct. l. 10. Cod. eod.* de qua ſuo loco. Unde abundans ſane Tabellionum clauſula eſt, qua communiter in ſtipulationibus obligatoriis formandis heredum etiam mentio-

nem

nem facere ſolent, quum alias omnes actiones, omneſque contractus heredibus, & in heredes competant, licet eorundem mentio nulla facta ſit. *per §. 2. Inſtit. de Fidejuſſ. & l. 24. Cod. eod. l. 49. ff. de Obligat. & Action. l. unic. Ut action. ab hered. & contra hered.* adeoque ſine expreſſione heredum omnes defuncti contractus, active, & paſſive in eos tranſeant. Jaſon *in l. 2. §. item ſi in facto. ff. de Verb. Obligat. num. 1.* Et heredum obligatio ſemper in inſtrumento virtualiter contineatur. Alexand. *ad l. 44. ff. ad Senatuſconſ. Trebell.* & late Matth. Coler. *De Proceſſib. Executiv. part. 1. cap. 10, num. 312.* Concludimus itaque ex Jure communi, ubique fere locorum recepto, heredem adita hereditate, abſque Inventarii beneficio, omnibus defuncti creditoribus in ſolidum teneri, etiamſi hereditas ad exſolutionem æris alieni non ſufficiat. ſecundum *d. leg. 8. ff. de Acquir. hered. & l. ult. Cod. de hered. act.* eo quod heres, hereditatem adeundo cum defuncti creditoribus contrahere, *l. 5. §. 1. ff de Oblig. & Act. l. 3 §. fin. ff. de Reb. Auth. Jud. Poſſid.* & ex ſuo quaſi contractu in ſolidum teneri cenſeatur. *l. 33. ff. ſolut. matrim. & l. 10. Cod. de Jure delib.*

Præterquam quod Jure Saxonico heres, ultra vires hereditarias non teneatur, nullo etiam con- 4
fecto Inventario. **Land-Regt.** *lib. 1. art. 6.* Matth. Coler. *de Proceſſib. Execut. part. 1. cap. 10. num. 327.* & *part. 2. cap. 3. num. 397.* & poſt eum Carpzov. *defin. forenſ. part. 1. conſtit. 8. defin. 8. num. 6.* & *part. 3. conſtit. 14. defin. 14. num. 9.*

Modus autem acquirendæ hereditatis eſt Succeſſio, ex teſtamento, per ultimam voluntatem, 5
vel ab inteſtato per legis diſpoſitionem. *§. ultim. Inſtit. per quas perſon.* Cujus cauſa teſtamentaria inteſtatæ potior eſt, eo quod lex de bonis noſtris non diſponat, niſi in eum caſum quo nos ipſi de bonis noſtris nihil diſpoſuimus. *l. 39. ff. de acq. vel amitt. hered.* De ſingulis ordine videbimus, & ab eo quod primum ducemus exordium.

CAP. II.

De Teſtamentis, & quomodo ordinentur.

SUMMARIA.

1. *Teſtamentum quid, an & quomodo à Codicillis differat.*
2. *An & qualis differentia moribus noſtris remanſerit inter teſtamenta, & Codicillos, contra* Groeneweg.
3. *In foro* Saxonico, *& in* Friſia *quoad teſtamentorum ſolennitatem & Codicillorum differentiam jus ſcriptum ſequuntur.*
4. *Teſtamentum quotuplex.*
5. *Teſtamentum ſcriptum quid, & an quis ſibi adſcribat.*
6. *Legatarii & fideicommiſſarii ſingulares moribus noſtris teſtes in teſtamento eſſe non poſſunt.*
7. *An in teſtium præſentia ipſum teſtamentum legi, ejuſque contenta iis manifeſtari debeant.* Neg. *in* Hollandia, Hiſpania, Germania, Pruſſia, Gallia, *&* Friſia.
8. *Teſtamentum nuncupativum quid: & cujus generis ſint hodierna coram* Notario *& duobus teſtibus confecta?* Affirm.
9. *Teſtamentorum ſolennitas Jure Civili.*
10. *Quatenus moribus recepta.*
11. *An & teſtes teſtatorem cognoſcere & videre debeant.*
12. *Suppoſitionis alterius in locum teſtatoris exemplum.*
13. *Conditi teſtamenti tempore teſtis pubes & habilis reputatus, ſi poſtea impubes fuiſſe comperiatur, licet vel minimum differat, teſtamenti jus vitiatur moribus noſtris.*
14. *Teſtamentum cæci an plures quam ordinarios teſtes deſideret.* Neg. *Mores noſtri in* Germania *jus ſcriptum ſequuntur.*
15. *An plurium teſtamenta in eadem charta ſimultanee confici poſſint.* Affirm.
16. *Teſtamentum mutuum quando fiat irrevocabile remiſſive.*
17. *In* Germania *&* Friſia *etiamnum ſeptenarius teſtium numerus in conficiendis teſtamentis requiritur.*
18. *Teſtamentum ſecundum ſolennitatem unius loci factum, ubique vim ſuam exerit, etiam ubi major ſolennitas de neceſſitate ad conficiendum teſtamentum requiritur.*
19. *Teſtamentum patris, inter liberos quovis modo confectum ſubſiſtit.*
20. *Quod etiam ad matrem, & nepotes extenditur, eoſque ſolos.*
21. *An ad liberos naturales.*
22. *Teſtamentum militis in expeditione conſtituti, quoquo modo conſtiterit valet.*
23. *Teſtamentum ruſticum, tempore peſtis, aut ad pias cauſas conficiendum, an ab ordinaria teſtamentorum ſolennitate aliquam habeat immunita-*

nitatem? In teſtamento ruſtico & ad pias cauſas, *in* Hollandia, Gallia, & Germania Neg. *ubi tamen peſtis tempore confecta privilegiata quodammodo videntur.*

1 TEſtamentum eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. *l. 1. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Inſtit. II. xxv. Dig. xxix. vii. & Cod. VI. xxxvi. *De Codicillis & Jure Codicillorum*

Magna Teſtamentorum & Codicillorum Jure Romano erat differentia, tam quoad ſubſtantiam internam, quam quoad ſolennitatem externam. In teſtamentis enim heredis inſtitutio erat neceſſaria. *l. 1. ff. de heredib. inſtit.* quæ ſi deficeret, totum teſtamentum corruebat. *l. 181. ff. de Reg. Jur. l. 9. ff. de teſtam. tut.* In Codicillis hereditas directo neque dari, neque adimi poteſt. *§. 2. Inſtit. de Codicill.* Et minor erat Codicillorum ſolennitas, quam Teſtamentorum *§. ult. Inſtit. eod.*

2 Sed quum moribus noſtris quoad formam ejuſdem ſint ſolennitatis, teſtibus Baron. *ad §. ult. Inſtit. de Codicill.* Argentr. *ad Conſuetudin. Brittan. art.* 570. *Gloſſ.* 1. *num.* 1. Coren *obſerv.* 31. *poſt num.* 35. Grot. *Introduct. lib.* 2. *part.* 25. *num.* 2. Et teſtamenta etiam vocentur, in quibus legatis tantum relictis, nulla heredis inſtitutio facta eſt. Gudelin. *De Jure Noviſſim. lib.* 2. *cap.* 5. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 247. *num.* 8. & *deciſ.* 303. *num.* 17. & poſt eos Vinn. *ad §. ult. Inſtit. de heredib. inſtit. in fin.* Et contra propter clauſulam ſalutarem, Codicillis communniter adjectam (ut diſpoſitio valeat omni meliori modo & forma qua ſubſiſtere queat) Codicillis etiam hereditas directo dari, & adimi poſſit. Baro *d. loco.* Groeneweg. *de legib. abrogat. ad §. ult. Inſtit. de Codicill.* maxima ex parte eorum nomina, & jura confuſa ſunt, eorumque differentia ſublata: nec in alio fere Codicillorum uſus agnoſcitur, quam in eo, quod, quum alias duo teſtamenta ſimul ſubſiſtere non poſſint, ſed poſteriore teſtamento exiſtente, ſuperius rumpatur. *§. 2. Inſtit. quib. mod. teſtament. infirment.* etiamnum, manente & ſubſiſtente diſpoſitione teſtamentaria, per Codicillos aliquid extra aut præter quam diſpoſitum eſt, legari, mutari, aliove modo diſponi poſſit, & ſoleat. Sed quo caſu Codicillis hereditas detur aut adimatur, nemo vere dixerit, ut qui eo caſu pro vero teſtamento reputentur, ſicuti poſteriori illo caſu quo duo teſtamenta ſimul exiſtunt, alterum non modo pro Codicillis habetur, ſed veri ſunt Codicilli. Quare nec iis aſſentior, quos ſequitur & citat Groeneweg. *d. §. ult. Inſtit. de Codicill.* qui omnem omnino differentiam inter teſtamenta & Codicillos, moribus ſublatam eſſe contendunt; quippe quod præter ea confuſo per mores, teſtamentorum, & Codicillorum nomine, & ſolennitate, caſu, quo duo teſtamenta æque jure perfecta citra alterius derogationem ſimul exiſtant, anterius teſtamentum mediante Codicillari clauſula, communiter teſtamentis noſtris inſerta, Codicillorum effectum habeat, ne per poſterius ſublatum cenſeatur: niſi quod illa quæ in ſecundo teſtamento expreſſe ſunt relicta, manentibus legatis, cæteriſque, de quibus expreſſim in ſecundo teſtamento diſpoſitum non eſt, contra *§. 3. Inſtit. quib. mod. teſtam. infirm.*

3 In foro tamen Saxonico, & Friſia, ubi in teſtamentorum ſolennitatibus jus ſcriptum exacte ſervatur, teſtamentorum & Codicillorum jura minime confundi videntur, juxta *l. 7. Cod. de Codicill. & l. 14. Cod. de Teſtam.* per ea quæ late circa teſtamentorum & Codicillorum differentias tractat Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 3. *conſt.* 4. *defin.* 45. De Friſiæ moribus teſtatur Joann. à Sande *lib.* 4. *tit.* 1. *defin.* 13. 14. Sed & moribus noſtris ea vis eſt clauſulæ Codicillaris, teſtamentis ut communiter inſertæ, ut ſi nemo ex eo teſtamento hereditatem adeat, veluti ſi ante teſtatorem moriatur heres inſtitutus, aut alio aliquo modo ad caducitatem devolvat hereditas legata, eaque quæ præter inſtitutionem teſtator præcepit, rata ac firma maneant, non obſtante *l. 181. ff. de Reg. Jur. l. 14. l. 29. Cod. de fideicommiſſ. & l. 9. ff. de teſtam. tutela.* Vide DD. *ad auth. ex cauſ. Cod. de lib. præteritis.* Schneiduin. *ad tit. Inſtit. de legat. §. 2. num* 14. Menoch. *de præſumptionibus. lib.* 4. *præſumpt.* 201. Cod. Fabrian. *lib.* 6. *tit.* 8. *defin.* 25. & *tit.* 22. *defin.* 14. & 38. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 114. *num.* 1. Joann. à Sande *lib.* 4. *tit.* 4. *defin.* 20. *num.* 4. Conſult. JC. Batav. *part.* 1. *conſ.* 36. & *conſ.* 121. & Groeneweg. *ad d. l. 9. ff. de teſtament. tutela.*

4 Teſtamentorum genera duo ſunt, quorum aliud eſt ſcriptum, aliud nuncupativum, *§. fin. Inſtit. de Teſtam.* Horum aliud eſt ſolenne, quod adhibitis juris ſolennitatibus factum eſt. *l. 1. ff. de injuſt. rupt. & irrit. fact. teſtam.* aliud minus ſolenne, ſive privilegiatum, quod, licet omnes ſolennitates à jure in teſtamentis ordinandis requiſitæ, obſervatæ non ſint, ex ſpeciali tamen privilegio ſubſiſtit.

5 Teſtamentum ſcriptum eſt, quod coram teſtibus in ſcriptis exhibetur, juſta declaratione teſtatoris intercedente, qua hoc ſcripto ultimam ſuam voluntatem contineri affirmat, proque eo à

teſtatore & teſtibus ſubſignatur, & ſubſcribi rogat. *l. 21. Cod. de teſtament.* licet nec contextum, nec nomen heredis teſtator ipſe ſcripſerit. *auth. & non obſervato. Cod. eod. petit.* ex *Nov. 119. cap. 9.* modo non ab eo ſcriptum: qui aliquod inde emolumentum exſpectat: quum ſibi adſcribere in teſtamento non liceat. *l. 18. l. 22. ff. ad leg. Corn. de Falſis.* & *tot. tit. Cod. De his qui ſibi adſcrib. in teſtam.* Quod quamvis fallat in teſtamento nuncupativo, in ſcriptis redacto, ut not. Pecc. *de Teſtam. conjug. lib. 3. cap. 10.* Mantic. *de Conjectur. ultimar. voluntat. lib. 1. tit. 6. num. 5. 7.* Fab. *ad Cod. lib. 9. tit. 14. defin. 1.* Eatenus tamen Hollandiæ Curia obſervari cenſuit teſte Groeneweg. *De legib. abrogat. ad tit. Cod. De his qui ſibi adſcrib.* Ubi de aliorum moribus etiam remiſſive. Quibus adde Hartmann. *obſerv. 2. tit. 37.* Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part. 3. conſt. 3. defin. 9. num. 6. & per tot.*

Cod. IX. XXIII. *De his qui ſibi adſcribunt in Teſtamento.*

6 Quare nec legatarios aut fideicommiſſarios ſingulares in teſtamento teſtes adhiberi moribus noſtris putem: contra *§. 11. Inſtit. De Teſtam. Ordinand.* Propterea quod ſuperflua & abundanti Romanorum ſolennitate ſublata, ad ordinariam probationem ſit redacta, quæ teſtes omni exceptione majores procul dubio requirit, adeoque legatarii & fideicommiſſarii teſtis teſtimonium in rem ſuam deficiens, ab alio ſuppleri non poſſit, & porro non per conſequentiam confirmati teſtamenti, ſed directo & principaliter, in rem ſuam teſtimonia iidem ferant. Ut recte poſt Baron. Autumn. & Maſcard. notat Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. §. 11. Inſtit. de Teſtam. ordinand.*

7 Nec in teſtium quoque præſentia ipſum teſtamentum legatur, aut alias, ejus contenta ipſis teſtibus manifeſtentur neceſſe eſt. Quippe quod ſufficiat teſtibus ſcripturam clauſam, involutamque proferri. *d. l. 21. Cod. De Teſtam.* Quod moribus uſitatum, quibus, ſi teſtator ob certas forte cauſas tenorem ultimæ ſuæ voluntatis nemini innoteſcere velit, ipſe teſtamentum in ſcripturam ante redactum, complicatum, & ſigillis clauſum profert, & coram Tabellione, & teſtibus ea ſcriptura ultimam ſuam voluntatem contineri declarat, eoſque ut una ſecum ſubſcribant, rogat: quod Notarii Opiſtographo in dorſo annotatum, ab eoque, Teſtatore, & teſtibus ſubſcriptum nobis ſufficit, vocaturque communiter teſtamentum clauſum: De Hollandiæ moribus teſtantur Grot. *Introduct. lib. 2. part. 17. verſ.* **De Uyterſte Wille in ſchrift.** Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 304. num. 8.* Idem fere in Hiſpania obtinet, per ea quæ tradit Gutierz. *practic. quæſt. 45. num. 21.* Vaſq. *de Succeſſion. tom. 1. de Succeſſ. creat. lib. 2. §. 11. num. 16. & ſeqq.* Ut & in Germania, ubi non vitiari teſtamentum in ſcriptis, ex eo quod clauſum teſtibus ad ſubſcribendum fuerit exhibitum, non prælectum, judicatum refert Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 3. defin. 2.* Deque clauſi teſtamenti ſupra dicta conſuetudine in iiſdem pœne terminis cautum eſt Jure Provincial. Ducat. Pruſſiæ *lib. 5. art. 2. §. 3.* De Galliæ moribus quoque teſtantur Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 5. defin. 20. num. 4.* Nicol. Boër. *quæſt. 16. & 20.* Bugn. *de legib. abrogat. lib. 2. ſect. 69.* Idem in Friſia obtinet, ubi ne per ſeptenarium teſtium numerum, ibidem requiſitum, teſtantium voluntates, diſpergantur nimium, faciliuſve cuique innoteſcant, ſemotis paſſim teſtibus teſtamenta concepta teſtatoribuſque prælecta, convocatis deinde teſtibus, pro ſua voluntate conſcripta, ſibi de verbo ad verbum prælecta, eaque ultimam ſuam voluntatem ſcripto continentia confirmari, inque rei geſtæ fidem à teſtatore & teſtibus ſubſcribi ſolent.

8 Teſtamentum nuncupativum eſt, ultima teſtatoris voluntas coram teſtibus palam nuncupata, *l. 21. ff. qui teſtam. fac. poſſ. §. ult. Inſtit. De Teſtam. ordinand. l. 8. l. 21. §. 2. Cod. de teſtam. l. ult. Cod. de Codicill.* licet etiam ad facti memoriam in ſriptis redigatur, ut communiter fieri ſolet: *l. 4. ff. de fide inſtrum. l. 29. Cod. De Teſtam.* ſed propterea non fit, aut dici poteſt teſtamentum ſcriptum, aut ſpeciem mutat. quum ſola nuncupatio heredis & voluntatis expoſitio ſit de ſubſtantia teſtamenti nuncupativi: quæ in eo vertitur potiſſimum, ut teſtator ſuam voluntatem palam, hoc eſt clare, & intelligenter, ita ut à teſtibus exaudiri & percipi poſſit, nuncupet, atque declaret: quo ipſo à teſtamento ſcripto differt, quod in eo voluntas celari poſſit, & ſoleat.

Sic ut quamvis moribus noſtris teſtamenta coram Notario & teſtibus, in ſcriptis redigantur, & ſubſignentur, non ideo minus ſint & maneant teſtamenta nuncupativa, quæ ab ipſis membranis, & ſubſcriptionibus, vim & eſſe ſuum non capiunt; ſed ab eo quod Notarius viva voce teſtatoris mentem excipiat, licet deinde ejus voluntatem nuncupative prolatam ad probationem in ſcriptis, & regiſtro ſuo inſerat, ſi modo reliqua teſtamenti nuncupativi requiſita ſerventur. Ut poſt Viglium ad *§. 7. Inſtit. quib. mod. teſtament. infirment.* Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 1. in fin.* Adeoque ſi quis ſimpliciter nuncupative coram Notario & teſtibus ſuam voluntatem declaraverit, neque illud in ſcriptis ſtatim antequam moriatur redigi potuerit, aut in ſcriptis quidem redactum, ſubſcriptum tamen, aut ſubſignatum non fuerit, aut teſtatori non fuerit prælectum, non ideo minus illud pro teſtamento valere, nullus dubito: modo de teſtatoris

toris

Digitized by Google

toris voluntate certo conſtiterit. Vigl. *§. fin. Inſtit. de Teſtam. ordinand. num.* 3. Jul. Clar. *§. teſtament. quæſt.* 4. *num.* 1. Bart. *ad l.* 2. *in pr. ff. quemadmod. teſtam. aper.* Schneiduin. *ad §. final. Inſtit. de Teſtam. ordinand.* Boër. *ad Conſuetud. Bituric. tit.* 2. *§.* 1. *litt. f.* Bugnon. *de legib. abrog. lib.* 2. *ſect.* 15. 69. *&* 149. Autumn. *confer. du droict. Franc. in l.* 12. *Cod. de teſtam.* Atque ita deciſum referunt in Hollandia Jacob. Coren *Rer. Judicat. obſerv.* 10. In Germania Carpzov. *definit. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 3. *definit.* 34. *&* 35. Quod tamen probe diſtinguendum ab eo teſtandi modo, qui vulgo inter nos receptus, qui teſtamenta mixti cujuſdam generis reddit, neque vere nuncupativa conſtituit: quod teſtamenti nuncupativi neceſſaria ſint requiſita. I. Ut teſtator heredes palam vocet, & propria voce exprimat. *l.* 21. *in pr. de teſtam.* II. Quod univerſam voluntatem propria voce manifeſtam faciat. *l.* 26. *Cod. eod. l.* 8. *Cod. qui teſtam. fac. poſſ.* III. Ut ita nuncupet, quod etiam ſe ideo nuncupare declaret, quia voluit facere nuncupativum teſtamentum *l.* 21. *§.* 2. *Cod. de teſtam.* Quæ in teſtamentis noſtris concurrere nemo dixerit. Adeoque in tantum à nuncupativis teſtamentis moribus eſt receſſum, ut non ipſi teſtatores, heredes ſuos, aliamque teſtamenti ſubſtantiam propria voce manifeſtent, ſed Notarius ex ſuo ſcripto, cujus ſenſum ex ore teſtatoris, nec verbotenus excepiſſe affirmant, quo teſtatori à teſtibus prælecto, tum demum teſtator interrogatus à Notario ſe quod ſcriptum, & prælectum, probe intelligere, eamque ultimam eſſe ſuam voluntatem confirmat, neque juvat Jus Canonicum *cap. cum eſſes extr. de Teſtamentis.* Quod de nuncupativo nullam facit mentionem.

9 Teſtamenti ſive ſcripti, ſive nuncupativi ſolennitas eſt: Ut adhibeatur ſeptenarius teſtium numerus. *§.* 3. *&* 4. *Inſtit. de Teſtam. ordinand.* quorum omnes ſunt homines liberi, cives Romani, puberes, maſculini ſexus, ſpecialiter rogati, & non inviti detenti. *l.* 21. *in pr. Cod. de Teſtam.* junct. *l.* 21. *§.* 2. *ff. qui teſtam. fac. poſſ. l.* 20. *§. ult. ff. eod. §.* 6. 7. *Inſtit. de Teſtam. ordinand.* Ut omnes ſint in conſpectu teſtatoris, & teſtatorem videant, & cognoſcant *d. l.* 21. *in pr. Cod. de Teſtam. & l.* 9. *Cod. eod.* Ut ſi in ſcriptis celebretur, ipſe teſtator, & ſinguli etiam teſtes ſubſcribant, & obſignent ipſum teſtamentum. *§.* 3. *& §.* 5. *Inſtit. de Teſtam. Ordinand. d. l.* 21. *in pr. junct. l.* 28. *Cod. De Teſtam. l. pen. ff. Qui teſtam. fac. poſſ. l.* 12. *Cod. de Teſtam.* Denique ut unico contextu, nullo actu extraneo à teſtamenti factione alieno, interveniente fiant *d. §.* 3. *Inſtit. de Teſtam. ordinand. & l.* 21. *in pr. Cod. de Teſtam.*

Inſtit. II. 2. De Teſtamentis Ordinandis. D. XXVIII. 1. Qui Teſtam. facere poſſ. & quemadmod. Teſtam. fiant. Cod. VI. XXIII. De Teſtamentis.

10 A quibus ſolennitatibus noſtris vicinarumque Regionum moribus ex Juris Canonici commento, ut videtur in tantum eſt receſſum, ut quod Jure Canonico, teſtamentum coram Preſbytero, ſive Parocho & duabus aliis perſonis idoneis ex conſtitutione Pontificis Alexandri III. *cap. cum eſſes.* 10. *ext. De Teſtam.* conſtiterit, non ſolum ad pias, ſed etiam ad profanas cauſas conditum, tam in foro Eccleſiaſtico, quam ſeculari, ut notant Jul. Clar. *lib.* 3. *ſentent. §. teſtament. quæſt.* 57. *num.* 1. Anton. Fab. ad *Cod. lib.* 6. *tit.* 5. *defin.* 2. *num.* 10. moribus noſtris valeat coram Tabellione ſive Notario publico, & duobus teſtibus, aut alias, ut plurimum inter ruſticos, ubi Notariorum ſive Tabellionum copia non eſt, coram actuario, ſive Graphiario & duobus Scabinis. A qua ſolennitate quoad ſeptenarium teſtium numerum eo facilius recedi potuit: quod numeri ſeptenarii in teſtamentis adhibendi ſolennitas eſſentialis non fuerit, neque ad probationem, ſed ad hoc, ne qua fraus fieret, pertinuerit. *l. pen. & ult. Cod. de fideicommiſſis*, quam probata parochi, aut Notarii Publici fides ſatis avertere intelligitur. Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 17. *verſ.* **Op twee wijſen** / *& cap.* 25. *verſ.* **By ons.** Coren *Obſerv. ver. Judic.* 31. *poſt. num.* 5. Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib.* 2. *cap.* 5. *in pr.* Zyp. *notit. Jur. Belg. De Teſtam. verſ. generatim.* Anſelm. *Cod. Belg. in verb. Teſtam. §.* 20. 21.

11 Teſtes autem maſculi, & puberes ſint, ſpecialiter rogati, ſecundum *d. l.* 21. *in pr. Cod. de Teſtam.* & alios text. ſupra allegat. inſuper etiam teſtatorem bene cognoſcentes, niſi Notarius eum ſibi notum affirmet. *Placit.* 3. *Oct.* 1540. *art.* 9. Quod & conſtitutionibus Gallicis expreſſum refert Guilhelm. Ranchin. *Var. lect. lib.* 2. *cap.* 6. Quibus Notarii quodvis inſtrumentum recipere prohibentur, ſi ignota eis fuerint contrahentium nomina & perſonæ, niſi teſtes ipſi eo bene cognoſcere declarent. *arg. l.* 9. *Cod. de teſtam.* Jul. Clar. *lib.* 3. *ſentent. §. teſtamentum, quæſt.* 59. ob vitandas ſcilicet ſubje-
12 ctiones, ſuppoſitioneſque, & fallacias quæ in hujuſmodi rebus intervenire ſolent. Cujus fallaciæ ac ſuppoſitionis elegans exemplum commemorat idem Iul. Clar. *d. loco.* Quod quum in iiſdem „ fere terminis apud nos quoque contigiſſe intellexerim, hic repetere lubet. Noſtris, inquit, tem„ poribus, quædam mulier ſagax, maritum ſtatim poſtquam expiraverat, lecto extrahi fecit, & „ alium pro eo ſuppoſuit, qui, feneſtris thalami fere in totum clauſis, & capite pannis involuto ſi„ mulans ſe propter infirmitatem loqui non poſſe, condit teſtamentum, in quo uxorem inſtituit „ heredem, & aliis perſonis diverſa legata reliquit: omnes teſtes credebant ipſum eſſe vere ejus ma-

„ maritum, qui quaſi in extremis laboraret: fuit deinde quaſi divino miraculo res omnis detecta,
„ & niſi mulier ipſa cum Notario, qui ſolus erat particeps fraudis, fuga ſibi conſuluiſſet, credo
„ quod non evaſiſſet pœnam ultimi ſupplicii. Hactenus Clar. Similem fere caſum refert Petrus
Caballinus *Reſolut. Criminal. caſ.* 176. *num.* 12. De quodam legitimato, qui mortuo patre ſe
ſepoſuit in lecto, loco patris denati, & convocatis Notario & teſtibus ſe ipſum heredem inſtituit.

Quæ teſtium ſolennitas quum ad eum numerum redacta ſit; extra quem aut habilitatis, ætatis, 13
aut alterius requiſitæ qualitatis defectu, nulla facti probatio admittatur *l.* 9. *§.* 1. *Cod. de Teſtib.*
junct. *l.* 3. *ff. eod.* adeo ſtricte intelligenda eſt; Ut licet quis conditi teſtamenti tempore pubes &
habilis communi judicio reputatus ſit, ſi poſtea compertum fuerit, eum impuberem fuiſſe, etiamſi
vel minimum tempus defecerit, teſtamentum ex eo minime ſubſiſtere judicandum ſit, nec ei pu-
blica æquitas ſubvenire, aut teſtamentorum favor communem errorem ſupplere poterit, contra
arg. §. 7. *Inſtit. de Teſtam. ordinand. l.* 1. *Cod. de Teſtam. & l. Barbarius Philippus. ff. de officio præ-
toris*, quomodo ſæpius in contradictorio judicio judicatum memini.

Jure quidem Romano, cæcus præter alia requiſita in *l.* 8. *Cod. qui teſtam. fac. poſſ.* ſeptem te- 14
ſtibus Tabellionem, ſive octavum teſtem ejus loco, in teſtamento ſuo adjungere debebat. Quod
quidem moribus noſtris pro abundanti cautela ſequi poſſe, verum de neceſſitate minime requiri
putem. Eo quod & moribus noſtris in omni teſtamento indifferenter, ultra requiſitum teſtium
numerum Tabellio, ſive Notarius publicus intercedere debet, qui omnem omnino fraudis ſuſpi-
cionem removet, in quo etiam fundata eſt diſtinctio *d. l.* 8. *Cod. qui teſtam. fac. poſſ.* quæ ſolum-
modo loquitur de Teſtamento cæci, quod fit privata fide, coram teſtibus; ne ſcilicet cæcitatis vi-
tium occaſionem præbeat falſitati, & fraudibus teſtium privatorum: quod in teſtamento apud
acta, vel ut moribus noſtris fieri conſuevit, coram Tabulario & duobus teſtibus, quæ nobis paria
ſunt, locum habere non poteſt. In quibus, ut in actis publicis nulla fraudis, aut falſitatis præſum-
ptio eſt *l.* 10. *ff. de probat. & l.* 31. *Cod. de donat. junct. l.* 27. *Cod. de Teſtam.* atque ita in ſuprema
Hollandiæ Curia judicatum, **inder ſaake van Cornelis Gorisz. / wonende in de Hage/**
contra **de Erfgenamen van Maritge Willems / Weduwe van Dignus Jansz.**
Anno 1639. Cujus tamen legis peculiares ſolennitates in Germania in teſtamento cæci juxta ac
alia Juria ſcripti in teſtamentis ordinandis requiſita, quam ſtrictiſſime etiamnum ſervantur, teſte
Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 6. *defin.* 5. Ubi illud quoque probatum refert in *receſſ.
Imper. Maximil. I. Colon. habit. Anno* 1512.

Quod ſupra diximus teſtamentum unico contextu fieri debere, nullo actu extraneo interceden- 15
te, non eum habet ſenſum: quin & plura teſtamenta diverſarum perſonarum in eadem membrana
ſimultanee etiam confici & ſubſiſtere poſſint, ut communiter inter virum & uxorem fieri conſue-
vit. Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 17. *verſ.* **twee Luyden /** vocanturque mutua ſive reciproca teſta-
menta, quæ tamen tot reputantur teſtamenta quot ſunt perſonæ teſtantes. Sic ut quando duo, aut
plures in eadem charta teſtantur, non ſint unum, ſed diverſa teſtamenta, quia ſunt condita à
diverſis perſonis, & uniuſcujuſque voluntas per ſe cenſeatur teſtamentum, atg. *l.* 1. *ff de
hered. inſtit.* Bart. Alexand. Caſtrenſ. & alii ad *l. patru & filii.* 20. *ff. de Vulg. & pupill. Subſtit.*
Adeo ut horum alter pro parte ſua diſpoſitionem ſuam ſeorſim, & irrequiſito altero ſemper mu-
tare, & revocare poſſit, Pecc. *De Teſtam. conjug. lib.* 1. *cap.* 43. Everhard. *conſil.* 79. Anton.
Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 5. *defin.* 18. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 117. *num.* 1. 2. Niſi alter de utriuſ- 16
que & alterius bonis per conſolidationem & mutuo conſenſu diſpoſuerit, quo caſu illa diſpoſitio,
licet ſit revocabilis ex parte teſtantis, tamen ex parte conſentientis tranſit in contractum, & fit
irrevocabilis, per ea quæ tradit Pecc. *tract. de Teſtam. conjug. lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 4. *& lib.* 3. *cap.* 11.
num. 6. Ut latius infra tractabimus.

In Germania, & in terris Imperii, ubi hac in parte etiam jus ſcriptum ſequuntur, nec Jus Ca- 17
nonicum admittitur, teſte Carpzov. *defin. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 4. *defin.* 40. *num.* 7. poſt Jul. Clar.
lib. 3. *ſentent. §. teſtamentum. quæſt.* 57. *num.* 2. *verſ. Extra vero terras Eccleſiæ.* & Dan. Mol-
ler. *lib.* 3. *ſemeſtr.* 14. ſeptenarius teſtium numerus etiamnum ſervatur, adhibito plerumque Ta-
bellione qui teſtatoris voluntatem in ſcriptis redigat, exceptis ſolum legatis ad pias cauſas relictis,
ad quorum validitatem duo tamen teſtes ex *cap. cum relatum* 11. *extr. de Teſtament.* ſufficere
admittitur. Carpzov. *ibid. num.* 12. Quod idem de Friſiæ moribus teſtatur Joann. à Sande *lib.* 4.
tit. 1. *defin.* 13. 14.

Sed quum actuum ſolennia ad eorum duntaxat ſpectent juriſdictionem in quorum territoria
celebrantur, *l.* 6. *Cod. de Evict. l.* 3. *in fin. ff. de Teſtib. l.* 2. *Cod. quemadmod. Teſtam. cap.* ne pro
diverſa locorum conſuetudine teſtato diſcedere volenti, plura teſtamenta ſint condenda, aut quod
abſur-

Digitized by Google

abſurdum eſſet, plurium locorum conſuetudines in uno teſtamento quis obſervare obſtringeretur,
actus unus, atque individuus, qualis eſt teſtamenti, ſecundum diverſas locorum conſuetudines,
18 vindicaretur, ex communi DD. ſententia ubique eſt receptum: teſtamentum ſecundum loci alicujus conſuetudinem aut ſtatutum factum, & conditum ubique valere, & ad quæcunque territoria vim ſuam extendere, heredemque ex eo in bonis ubivis locorum ſitis, ſuccedere, quomodo verbi cauſa teſtamentum in Hollandia coram Notario & duobus teſtibus confectum, etiam vim ſuam exeret in Friſia, & Germania, ubi pro ſolennitate teſtamentorum ſeptem teſtium præſentia, aliave plura requiſita neceſſaria ſunt: adeoque ſi quis in Hollandia ſecundum ejus loci ſolennitatem teſtamentum condens, poſtmodo in Friſia, aut in Germania vita defungatur, aut ibidem bona ſita heredibus ſuis relinquat, idem illud teſtamentum tanquam rite & ſolenniter confectum in omnibus & quoad omnia pro ſolenni teſtamento reputabitur, quod idem in aliis contractibus obtinet, in quibus etiam loci ſolennitas adhibita, ubique conſiſtit. DD. *in l. 1. Cod. de Summ. Trinitat.* Covarruv. 2. *De Sponſalib. §. 7. num.* 8. Coſtal. *ad d. l. 6. ff. de Evict.* Gomez. *ad l. Tauri. 3. num.* 10. Maynard. *deciſ. Tholoſan. lib. 5. deciſ.* 92. Vaſq. *illuſtr. controverſ. cap. 3. num.* 17. Hartmann. Piſtor. *lib. 1. obſerv.* 25. Andr. Gail *lib. 2. obſerv.* 123. Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part. 3. conſtit. 6. defin.* 12. contra Fachin. *lib. 5. controv. cap.* 90. Jure Provincial. Ducat. Pruſſiæ, *lib. 5. tit. 1. art. 4. §. 4.* Guidon. Pap. *deciſ.* 262. Teſſaur. 2. *quaſt. forenſ.* 8. Joann. à Sande *lib. 4. tit. 1. defin.* 14.

Inter privilegiata teſtamenta, quæ ex ſpeciali privilegio ſubſiſtunt, licet in iis omnes ſolennitates de Jure requiſitæ obſervatæ non ſint, primo eſt Teſtamentum parentis inter liberos, quod
19 quoquo modo confectum ſubſiſtit, ſive illud ſchedula, ſive ſcriptura privata manu patris conſcripta, aut ſi aliena manu conſcripta, manu ſaltem patris ſubſignata, abſque ulla alia ſolennitate conſtiterit, vel per nuncupationem coram duobus teſtibus parens voluntatem ſuam de bonis inter liberos ſuos dividendis expreſſerit, modo de eo certo conſtare poſſit, arg. *l. 40. in verb. legitimis probationib. ff. de Teſtam. militar.* DD. *ad l. 21. §. ex imperfecto. Cod. de teſtam.* Anton. Fab. *eod. lib. 6. tit. 5. defin. 24. num.* 2. Boër. *deciſ. 240. num.* 1. Hartman. Piſtor. *lib. 1. quaſt. 1. num.* 1. Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 112. num.* 4. Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib. 2. cap. 5. verſ. porro obſervand.* Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 17. verſ.* **Eerſt een Vader.** Nec ſolum inter liberos, ſed & inter nepotes: nec patris ſolum, ſed & matris voluntatem eo modo declarari, ratamque haberi rece-
20 ptum eſt, per ea quæ tradit Jul. Clar. *lib. 3. Sententiarum. §. Teſtamentum. quaſt. 12. num.* 1. Boër. *deciſ. 141. num.* 3. Hartmann. Piſtor. *d. l. 1. quaſt. 1. num.* 16. Joann. à Sande *lib. 4. tit. 1. defin.* 6.

Sed ad ſolos liberos, & nepotes pertinet, ſic ut nec extraneis perſonis, neque uxori, aut marito per ejuſmodi teſtamentum imperfectum quicquam relinqui poſſit, ſed & legatum vel fideicommiſſum illis in hoc genere teſtamenti relictum ipſo jure nullum ſit, & liberis tanquam heredibus teſtatoris accreſcat. per *l. ultim. Cod. famil. erciſcund. & d. l. 21. §. ex imperfecto. Cod. de Teſtam.* Jul. Clar. *d. §. teſtamentum. quaſt. 10. num.* 1. Hartmann. Piſtor. *d. lib. 1. quaſt. 2. num.* 3. 4. 5.

21 Utrum vero ad liberos naturales tantum, nec legitimatos ſpectet, & an his ejuſmodi voluntatis declaratione minus ſolenni quid relinqui poſſit, vix convenit inter DD. Negant Jul. Clar. *§. teſtamentum. quaſt. 12. num.* 1. Hartmann. *d. quaſt. 1. num.* 19. Boër. *deciſ. 204. num.* 13. eamque eſſe communem DD. opinionem referunt. Quos tamen poſt Gomez. *ad l. Tauri l. 3. num.* 54. refutat, & pro affirmativo judicatum refert Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part. 3. conſtit. 4. defin.* 24. Atque ita demum ex Iuris Canonici æquitate à Curiæ Belgicæ ſupremo Senatu receptum eſſe teſtatur Chriſtin. *volum. 1. deciſ.* 117. Ubi pro affirmativa quoque ſententia fuit concluſum, eaque ſententia fuit approbata, qua ſpuriis, naturali pietate inſpecta, conceſſum erat, non ſolum legare, ſed & eos inſtituere, etiamſi teſtamentum ſub ſigillo proprio teſtantis tantum fuerit confectum: hanc materiam latius & per omnes caſus elegantiſſime tractat idem Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part. 3. conſtit. 4. definit. 15. & ſeqq.* uſque ad *definit.* 25.

22 Ceſſat quoque ordinaria teſtamentorum ſolennitas in teſtamento militis, quod ex nuda teſtantium voluntate abſque ulla ſolennitate valet, *l. 1. & l. 15. §. 1. l. 35. l. 40. & tot. tit. ff. de Teſtament. milit. l. 15. Cod. eod.* quoquo modo de ea conſtat, veluti per duos teſtes, aut ſi voce teſtetur. *§. 4. Inſtit. De militar. teſtam. d. l. 40. ff. eod. junct. l. 12. ff. Teſtibus.* vel ſi in ſcriptis fiat, per ſcripturam in vagina etiam, aut clypeo litteris ſanguine rutilantibus, aut in pulvere gladio notatam, nullis etiam teſtibus adhibitis. *pr. Inſtit. de Teſtam. milit. d. l. 15. Cod. eod.* Quod tamen, tum demum obtinere communiter placuit, quum in ipſo conflictu & prælio miles conſtitutus eſt, alioquin in

Inſtit. 2. 11. De militari Teſtamento. D. 29. 1. & Cod. 6. 21. De Teſtamento militari.

caſtris,

caſtris, propter ceſſationem præſentis periculi, duos ut minimum teſtes requiri, per Gloſſ. in *d. l.* 15. *Cod. de teſtam. militis, in verb. ſub ipſo tempore.* Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 118. *num.* 17. Quo privilegio etiam milites noſtri temporis gaudere conſtat, per ea quæ tradunt Grot. *Introd. lib.* 2. *tit.* 17. §. **Een krygſman.** Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib.* 5. *cap. ult. verſ. hac ut.* Andr. Gail *d. lib.* 2. *obſerv.* 118. Vinn. *ad §. ult. Inſtit. de militar. teſtam.* Carpzov. *Inſtit. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 4. *defin.* 26. & 27.

23 An teſtamentum ruſtici, tempore peſtis, aut ad pias cauſas confectum ab ordinaria teſtamentorum ſolennitate immune ſit, inibique ſimplex teſtatoris ſcriptura ſufficiat, aut alias mulier poſſit eſſe teſtis, aut duo teſtes abſque Notario ſufficiant, non eſt omnium eadem concluſio. Et quidem de teſtamento tempore peſtis communior eſt negantium ſententia ad *l. majoris caſus.* 8. *Cod. de Teſtam.* Jul. Clar. *lib.* 3. *ſentent. §. teſtam. quæſt.* 56. *num.* 3. *in fin.* & late Berlich. *practicab. concluſ. part.* 3. *concluſ.* 5. *num.* 6. Ubi & opiniones aliorum refert, & refutat Gabriel *lib.* 4. *De teſtam. concluſ.* 8. *num.* 3. Quæ placet etiam Anton. Fab. *ad. Cod. lib.* 6. *tit.* 5. *defin.* 5.

Quod & moribus noſtris rationem habet, quibus teſtamentorum ſolennitas in tantum coarctata eſt, ut de tantilla ſolennitate vix aliquid poſſit remitti, & porro Notariorum ſive Tabellionum, ubique locorum ſatis magna ſit copia. Quare & hoc an obtineat incertum refert Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 17. *in fin.* Atque ita in Gallia judicatum refert Ann. Robert. *Rer. Judicat. lib.* 2. *cap.* 10. Graſſante tamen ſæva ac gravi peſtilentia, ſic ut contagioſorum conſortium homines maximopere fugiant, & proinde libera teſtium electio, & copia non ſit, ut ipſe qui vel peſte decumbit, vel cujus domus magna, & contaminoſa lue infecta eſt, ſaltem coram duobus teſtibus valide teſtetur, adeoque eorundem teſtamenta inter privilegiata recenſeri quodammodo receptum videtur, per ea quæ refert Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. l.* 8. *Cod. De Teſtament. num.* 4. Quod & de Jure Saxonico obtinere refert Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 4. *defin.* 4. & paſſim in Germania Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 118. *num.* 18. Mynſinger. *centur.* 1. *obſerv.* 96. Sed de Teſtamento ad pias cauſas, quod Jure Canonico duobus tantum teſtibus adhibitis ſubſiſtit, *cap.* 11. *extr. de Teſtam.* aut teſtamento ruſtico, quod per quinque teſtes nuncupative factum, ſufficienter probari poteſt, & in tantum ab ordinaria ſolennitatum obſervatione recedit. *l. final. Cod. de Teſtam.* quoad mores noſtros idem affirmare non auſim: per ea quæ tradunt Jacob. Coren *obſerv. in ſuprem. Holland. Curia judicatar.* 31. & Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 17. *in fine.* Quicquid de aliorum moribus referant Joan. à Sande *lib.* 4. *tit.* 1. *definit.* 13. Chriſtin. *volum.* 1. *deciſ.* 304. *num.* 12. *cum ſeq.* & *deciſ.* 106. *num.* 1. Radelant *Cur. Trajectenſ. deciſ.* 125. *num.* 34. & *ſeq.* Et de Germaniæ moribus Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 4. *defin.* 30. & 33.

CAP. III.

Qui Teſtamenta facere poſſint.

SUMMARIA.

1. *Qui teſtamenta facere poſſint, vel non.*
2. *Non poſſunt impuberes, mente capti, furioſi, mutus & ſurdus.*
3. *An & quatenus filiiſfamilias teſtari poſſint? in* Belgio, Brittannia, Friſia, Germania.
4. *Prodigi an & quatenus poſſint teſtari? in* Gallia, Friſia, Germania, & Belgio.
5. *Illegitime nati, an & quatenus teſtari poſſint?* in Brabantia, Gallia, Hollandia.
6. *An capti ab hoſtibus? De Jure.* Neg. *Moribus.* Affirm.
7. *An pœna capitali damnatus? de Jure teſtari non poterat: moribus poteſt de iis qua non expreſſe per ſententiam, fiſco applicanda damnantur: quod ubique receptum.*
8. *An Monaſteriorum, Noſocomiorum, Xenodochiorum, Orphanotrophiorum aliorumque ejuſmodi hoſpitalium alumnite ſtandi retineant facultatem?*
9. *An peregrini?*

POſt modum & formam teſtandi, proxime ſpectanda venit perſona teſtantis, & quis facultatem 1
teſtandi non habeat: omnes enim teſtari poſſunt qui non prohibentur natura, aut lege. Natura teſtari prohibentur illi, quibus nullum animi eſt judicium, ſcilicet tale, quale ad diſpoſitionem ultimæ voluntatis requiritur. Ut ſunt impuberes, §. 1. *Inſtit. quib. non eſt permiſſ. fac teſtam. junct.* §. 10. *Inſtit. de inutilib. ſtipulat.* maſculi decimo quarto, feminæ duodecimo anno minores, 2
pr. Inſtitut. quib. mod. tutel. finit. ne quidem ad pias cauſas, vel tempore peſtis, quia ipſius judicii natu-

Inſtit. tit. 12. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum.

naturalis defectus eſt, quam neque pii favoris, neque utilitatis publicæ prætextus ſupplere valet, ut recte notat Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part. 3. conſtit. 6. definit. 6. & 8.* Ita etiam mente capti, furioſi, & ſimiles, qui teſtandi facultate carent, niſi & quatenus dilucida habent intervalla. *l. 9. Cod. de Teſtam. §. 1. Inſtit. quib. non eſt permiſſ. facere teſtam.* Illi inſuper, qui, quod ſentiunt, teſtari commodo nequeunt, ut ſunt mutus & ſurdus. *§. 3. & 4. Inſtit. eod. l. 6. §. 1. l. 7. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Quod de prorſus à natura muto, non balbo, de ſurdo, non de ſurdaſtro accipiendum eſt. *d. §. 3. Inſtit. eod. l. 9. ff. de adilit. edict.* quibus & cæcos addunt, quos tamen ut cæteros teſtari poſſe ſupra diximus. D. tit. 1. Qui Teſtament. fac. poſſ.

3 Lege teſtari prohibentur filiifamilias, qui quum omnia patri acquirerent, ut ſuo loco diximus, teſtandi facultatem non habebant, niſi de peculio Caſtrenſi vel quaſi, *princ. Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* Sed hoc moribus, quibus ſingularis illa Romanorum in liberos ſuos poteſtas exolevit, ſic ut pater in bonis adventitiis liberorum ſuorum, nec Jus nec uſumfructum, extra alimentorum conſiderationem retinuerit, ut latius ſupra *lib. 1. cap. 9.* receptum non eſt: quibus libri noſtri omnes, modo puberes ſint, de bonis maternis cæteriſque adventitiis, invito, & irrequiſito patre, recte teſtantur. Eguinar. Baro, & Vinn. *ad d. pr. Inſtit.* Autumn. *confer. du droict. & Cenſur. Gallic. ad l. 9. ff. de Jure Codicillor.* Gomez. *ad l. 5. Tauri.* qui ſecundum quorundam locorum ſtatuta, matrimonio diſſoluto, ne quidem ab inteſtato liberis ſuis ſuccedit: cui tamen apud Brittones paternum conſenſum adhiberi debere refert Argentr. *ad conſuetud. Brittann. art. 561. gloſſ. 1. num. 2.* In Friſia tamen ex præſcripto juris civilis filiisfamilias teſtamenti factionem denegari conſtat, ex Joann. à Sande, *lib. 4. tit. 1. defin. 1.* Quod & in Germania nuſquam mutatum legi. Secundum quæ diſtinguendum an & quatenus ad uſum pertineat vulgaris & in ſcholis communiter agitata quæſtio, an, de peculio adventitio ſive in eo pater Uſumfructum habeat ſive non habeat, filius familias per ultimam voluntatem diſponere poſſit. Ut quod moribus noſtris neque patri Uſusfructus adventitiorum bonorum competat, neque filio majori 14. annis aliqua de cauſa de ſuis bonis prohibeatur per ultimam voluntatem diſponere. Sed quum, ut diximus, in eo mores varient, videndum quid Jure Civili Romano reſpondendum ſit.

4 Teſtandi facultas ex lege prohibetur etiam his, quorum vita legibus ita notata eſt, ut teſtari nominatim ſint prohibiti: ut ſunt primo infames & inſigni aliqua turpitudine notati, qui nec teſtamentum facere, nec ad teſtamentum adhiberi, nec quibus aliquis teſtimonium dicere poteſt. *l. 18. §. ult. l. 26. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* Prodigi, qui neque finem neque modum ſervant inutilium diſpenſarum *l. 1. ff. de Curator. fur. & aliis extr. minor. dand.* & ob id iis publice bonis interdictum eſt, *§. 2. Inſt. Quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam. d. 18. ff. eod.* niſi quatenus dilucidio quaſi intervallo poſteritati ſuæ cognatis atque egenis probe conſuluerunt, aut alias quicquam utiliter diſpoſuerint, *arg. Novell. Leonis 39.* Quod hac in parte in Gallia & Friſia receptum eſſe teſtantur, Charond. *Pandects du droict, Franc. lib. 3. cap. 2.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 5. tit. 38. defin. unic. num. 4.* & Joann. à Sand. *lib. 4. tit. 1. defin. 3.* In Germania Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part. 3. conſtit. 6. defin. 11.* Secundum quod etiam in Hollandiæ Curia judicatum refert Groenew. *de legib. abrogat. ad d. §. 2. Inſtit. Quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* Idem conſtitutum eſt in eo, qui ob carmen famoſum damnatus, inteſtabiliſque factus eſt, *l. 18. §. 1. & lib. 26. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Quod tamen mores nullibi ſervare videntur.

5 Sed de illegitime natis an & illi teſtandi facultatem habeant, quibuſdam major difficultas videtur, quæ tamen iis, quatenus Statuto expreſſe prohibita non eſt, jure denegari haud poteſt. Statuto quidem Antwerpienſi *cap. 45. art. 1.* & Lovanienſi *cap. 16. art. 1. 3.* Baſtardis teſtandi facultas prohibetur, Mechlinienſi vero *tit. 18. art. 2.* expreſſe conceditur. Quod & cum Iure ſcripto magis convenit, & Galliæ moribus & conſtitutionibus ſervari referunt, Argentr. *ad Conſuetud. Brittan. art. 451.* Ioann. Papon. *lib. 21. tit. 3. art. 5. 6.* & Renat. Choppin. de Domanio Franciæ *lib. 1. tit. 11. §. 3.* Vide quoque Chriſtin. *volum. 1. deciſ. 82. num. 4.* Zyp. *Notit. Jur. Belgic. tit. Unde liberi.* Burgund. *ad conſuetud. Flandr. tract. 13.* De Hollandiæ quidem moribus, hac in parte Fiſcus olim Baſtardis teſtandi facultatem à ſpeciali Principis conceſſione petendam cenſuit, teſte Grot. *Introd. lib. 2. cap. 15. verſ.* **Of die buyten:** qui hac in parte quid Iuris, aut conſuetudinis? dubius hæſit. Qua de re tamen exemplum exſtat, quo coram Hollandiæ Curia in contradictorio judicio, pro libera Baſtardorum teſtandi facultate judicatum eſt, 17. Novemb. 1543. In cauſa *Leonis van Bosbuyſen, Impetrantis, contra Fiſcum.* In cauſa fiſcus, occupata Baſtardi cujuſdam bona heredibus ex teſtamento delata reſtituere fuit condemnatus. Ita etiam de Iure paſſim reſpondéri conſtat ex *Conſil. JC. Batav. part. 1. conſil. 135. & Conſil. 173.*

6 Capti ab hoſtibus aut qui apud hoſtes ſunt, teſtamenti quoque factionem non habent. *l. 8. l. 16. ff. Qui teſtam. fac. poſſ. §. ult. Inſtit. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* Sed noſtris & aliorum moribus

bus capti ab hoſtibus, aut qui apud eos ſunt, liberam teſtandi facultatem non amittunt: *arg. l. qui à latronib. 13. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* exceptis iis, qui ut transfugæ, & proditores, malo animo patriam relinquunt, qui & hoſtium numero nobis hac in parte habentur, *arg. l. 19. §. 4. ff. De Captiv. & poſtlimin. reverſ.* Arnold. Vinn. *ad §. ult. Inſtit. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* Zyp. *Notit Jur. Belg. tit. De Teſtam. verſ. generatim.* Adeo ut à Turcis, & Barbaris capti, teſtamenti factionem retineant hodie: Covarruv. *in cap. peccat. part. 2. §. 11. num.* 6. Joaon. Dauth. *de Teſtam. ad tit. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* Sande *lib. 4. tit. 1. defin. 2.*

Jure Romano etiam damnatus pœna capitali teſtamentum facere prohibetur *l. 18. §. 1. & §.* 7
ult. ff. Qui teſtam. fac. poſſ. ſic ut quod ante condemnationem fecit, poſtea irritum fiat. *l. 6. §. 5. ff. De Injuſt. rupt. & irrit. fact. teſtam.* Quia capitaliter condemnatus ſervus pœnæ efficitur. *l. 12. ff. de pæn.* ejuſque bona ſtatim poſt condemnationem fiſco applicantur. *d. l. 8. §. ult. ff. Qui teſtament. fac. poſſ.* Quæ rationes cum de Jure Codicis & Novellar. ceſſent, *Auth. ſed. hodie, Cod. de Donat. inter vir. & uxor. Novell. 22. cap. 8. & Novell. 134. cap. 13.* hodie ex generali ubique fere locorum conſuetudine damnatorum teſtationes in iis quæ non expreſſe per ſententiam pœnalem fiſco applicantur, liberæ relinquuntur. *arg. l. 11. ff. De Teſtam. Militar.* Sic ut regulariter quocunque modo reus ad ſupplicium mortis condemnatus valide teſtari poſſit, ejuſque teſtamentum ante vel poſt condemnationem factum jure valeat. Jul. Clar. *lib. 3. ſentent. §. teſtamentum. quæſt. 19. num. 1. quæſt. 21. num. 1.* Matth. Coler. *part. 1. deciſ. 34. num. 6.* Vaſq. *Illuſtr. Controv. quæſt. 96. num 4. 5.* Farinac. *Prax. Criminal. quæſt. 102. num. 131. 158.* Gomez. *ad l. Tauri. 4.* Gutierz. *lib. 2. practicab. quæſt. 38.* Quomodo etiam in Germania paſſim obſervari, & in ditionibus Electoratus Saxon. expreſſa ſanctione confirmatum refert Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 6. defin. 2.* & late Dan. Moller. *ad conſtitut. Electoral. Saxon. part. 3. conſtit. 6. num. 3.* Quare quum nec illi qui ex vitæ tædio, melancholia, impatientia adverſæ valetudinis, aut alia quadam phreneſi mortem ſibi ipſi conſciverunt, confiſcationi cauſam ſufficientem præbeant, aut extra crimen notorium in vita perpetratum, aliqua pœna ſint obnoxii, ut ſuo loco notabimus, quin & eorundem teſtamenta de jure ſubſiſtant, dubium non eſt. quo facit *l. 6. §. 7. ff. de Injuſt. rupt. & irrit. fact. teſtam. l. 1. §. 23. ff. de Senat. Syllan. l. 45. §. 2. ff. de Jure fiſci. l. 2. Cod. Qui teſtam. fac. poſſ.* Menoch. *de Arbitr. Jud. quæſt. caſ. 284. num. 77.* Farinac, *Prax. Criminal. tom. 2. quæſt. 128. num. 77.* Vide etiam Matth. Stephan. *ad Ordinat. Criminal. Carol. V. art. 135.*

Sed & Noſocomiorum, Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, aliorumque collegiorum in 8
monaſteriorum locum ſuffectorum, alumnis, plerumque teſtamenti condendi poteſtate interdictum eſt, *arg. auth. ingreſſi monaſterium. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* ſecundum cujuſque locorum ſtatuta, & privilegia iis à Principibus conceſſa. Quod tamen extra eorundem privilegia aut ſtatuta minime procedere putem. Tali privilegio gaudet Noſocomium, ſive pauperum hoſpitale Sanctæ Catharinæ Civitatis Leydenſis, datum ab Alberto Bavariæ duce, Comitte Hollandiæ, 13. *Martii* 1401. His verbis: **Ende die daar nu ontfangen wert / ſal ontfangen werden met al ſijn goeden / die hy heeft ende noch krijgen magh / die in 't voorſz. Gaſt-huys blijven ſullen.** Id eſt: *Ut* hi qui inibi ingrediuntur, recipiantur cum omnibus ſuis bonis præſentibus & futuris, quæ in dicti Noſocomii uſum cedi & relinqui debent. Et collegiis pauperum fraternitatis Civitatis Delphenſis, vulgo dicti **Het Broerhuys / ende Suſterhuys /** privilegio Wihelmi Comitis, 3. *Novemb.* 1469. indultum, ut omnibus & ſingulis illud collegium ingreſſis alienationis bonorum ſuorum jure prorſus ſit interdictum, nec per ultimam voluntatem iis ultra duos bonorum ſuorum trientes diſponere, aut ab inteſtato ad heredes ſuos tranſmittere queant, ſalvo ſemper, ipſi collegio, reliquo bonorum triente. Et Xenodochii Amſtelodamenſis inſtituto *art.* 3. expreſſe cautum eſt, ut dictum Xenodochium ingreſſi, omnia ſua bona quoquo ſita, præſentia & futura in dicti collegii pios uſus cadant & relinquant.

Teſtari etiam prohibentur peregrini, quia teſtamenti faciendi jus non habent *l. 1. §. 2. ff. De* 9
legat. 3. Quod & olim in Hollandia conſuetudinis fuiſſe refert Grot. *Introd. lib. 1. cap. 13. §. 1.* **Handveſt. van Zuydt-Holland.** *pag.* 348. Ubi quoque peregrinorum bona ad fiſcum devolvebantur: quod & in Gallia obtinuiſſe teſtatur Rebuff. *ad conſtitut. Gallia. in proœm. gloſſ. 5. num. 82.* & Nicol. Burgund. *ad conſuetud. Flandr. tract. 14. num. 4.* Sed poſtquam Belgiæ regiones exterorum adventu, & peregrinorum commerciis florere cœperint; Romani Juris rigor hac in parte in diſſuetudinem abiiſſe videtur: ſic ut hodie cives & peregrini eodem ſucceſſionum jure utantur Grot. *d. loco. verſic.* **Maar.** Zyp. *Notit. Juris Belg. tit. Unde liberi, verſ. peregrini.* Gudelin. *de Iure Noviſſim. lib. 5. cap. 10. verſ. cæteroquin.* Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 77. num. 6. in fin.*

CAP.

Cap. IV.

De Heredibus inſtituendis, aut Exheredandis.

Summaria.

1. *Quæ & qualia ſint contentorum in teſtamentis requiſita neceſſaria.*
2. *Qui ſe invicem heredes inſtituere, aut exheredare debent.*
3. *Jure Romano Patris præteritio facit teſtamentum ipſo jure nullum.*
4. *Noſtris & aliorum moribus, quemadmodum matris, ita & patris liberorum præteritio pro exheredatione eſt, præterquam in* Friſia *& foro* Saxonico.
5. *Ut liberi, ita parentes à liberis heredes inſtituendi ſunt, ſi & ubi ab inteſtato liberis ſuis ſuccedunt.*
6. *Fratres & ſorores an & quibus caſibus præteriri non poßint.*
7. *Qui ad excluſionem fratrum & ſororum pro turpibus perſonis habeantur vel non.*
8. *An Spurii, & Naturales.* Affirm.
9. *An aliqua hac in parte, inter fratres & ſorores conſanguineos, aut uterinos differentia ſit?* Morib. Neg.
10. *Quæ ſint inſtitutionum parentum liberorumque neceſſaria requiſita.*
11. *Legitima liberorum parentumve, quæ, & quanta ſit.*
12. *Aucta liberorum, etiam parentum & fratrum legitimam auctam uſus probat. Quod & verius eſt: contra* Arn. Vinn.
13. *An & quando ad ſemiſſem excreſcat.*
14. *An in computatione legitimæ juſte exheredati aut alias non ſuccedentes etiam connumerentur, & cæteris partem faciant?*
15. *An ut minui, ita & tolli ſtatuto aut conſuetudine poßit.* Neg. *In liberis.* Neg. *In parentibus fratribuſque.* Affirm. *Quod &* Hollandiæ *&* Saxoniæ *mores probant: contra* Carpzov. Fab. Berlich. *&* DD. Comm.
16. *Legitima an quota bonorum, an hereditatis ſit? & quæ ejus deductionem patiantur, quæ non.*
17. *Legitima pura & libera ab omni onere relinqui debet.*
18. *An & quatenus onus aliquod legitimæ imponi poßit: Et quid inibi moribus ſit receptum.*
19. *Exheredatio in commodum filii quando & quomodo ſubſiſtat moribus.*
20. *An & quando dilationem admittat.*
21. *Quæ ſint juſtæ exheredandi liberos cauſæ, an exprimi, & à quibus probari debeant.*
22. *An & quatenus filia meretrix exheredari poßit.*
23. *Liberi non orthodoxi qui & quales reputentur, ut juſtam exheredandi cauſam præbeant.*
24. *An ex ſimili vel graviori cauſa expreſſa in* Novell. 115. cap. 3. *exheredationi locus ſit.* Affirm.
25. *Parentum exheredandorum cauſa legitima, quæ.*
26. *Quæ ſint legitimæ fratrum & ſororum, etiam turpibus perſonis poſtpoſitorum, exheredandorum cauſæ.*
27. *Querela inofficioſi teſtamenti cujus ſit effectus, & quibus competat.*
28. *Fratres & ſorores cum parentibus ſimul ſuccedentes, in inofficioſi parentum querela una cum parentibus ad augendam legitimam partem faciant.*
29. *Querela inofficioſi an & quatenus heredibus competat.*
30. *An militum teſtamentum à querela ſit immune?* Neg.
31. *Quatenus reſcindatur teſtamentum per inofficioſi querelam.*
32. *Quibus modis ceſſat inofficioſi querela, & quæ in legitimam imputari poſſunt.*
33. *Nepotibus etiam parentum accepta in legitimam imputantur.*
34. *Actio ſuppletoria ejus quod minus legitima ſit relictum, quæ, & quomodo à querela differat.*
35. *Qui heredes inſtitui poßint vel non, & an peregrini aut deportati.* Morib. Affirm.
36. *An Exules.* Neg.
37. *An collegium illicitum, & quæ ſint collegia illicita moribus noſtris.*
38. *An hæretici, & Apoſtatæ heredes inſtitui poßint.* Morib. Affirm.
39. *Adulterini an & quatenus poßint.* Diſt.
40. *Naturales & Spurii, an & quatenus & parentibus inſtitui poßint, vel non: contra* Groeneweg.
41. *Concubinæ an poßint.* Affirm. *contra eundem.*
42. *Quod Homicidis, aliiſve indignis relinquitur, cui cedat.* In Belgio, Gallia, Germania, Friſia, *&* Sabaudia.
43. *An Tabellioni, Tutoribus, Curatoribus, Suſceptoribus, eorumve uxoribus, aut liberis aliquid relinqui poßit.* Morib. Neg. cum diſtin.
44. *An Noſocomiis & Collegiis Eccleſiaſticis, immobilia aliave relinqui poßint.* Morib. Affirm.

45. *Secundo conjugi, exiſtentibus liberis anterioris matrimonii, non plus quam filialis portio ullo modo relinqui poteſt.*
46. *Superfluum cui cedat.*
47. *In* Gelria *&* Diœceſi Ultraject. *conjux conjugi nihil proprietatis, ſed uſusfructus tantum aliquid relinquere poteſt.*
48. Delphis *non niſi reciproca inter conjuges inſtitutio ſubſiſtit.*
49. *Diſpoſitio legis* hac edictal. Cod. De Secund. Nupt. *quouſque ſe extendat: & an ad Vitrici aut Noverca liberos, parentes, aut alios conſanguineos.* Neg.
50. *An liberis ex poſteriori matrimonio communibus quid relinqui poſſit in fraud.* dict. l. hac edict. Affirm.
51. *Extra conſenſum debitum matrimonio copulati nihil ſibi invicem relinquere poſſunt.*

SEd & contenta quædam ad vim teſtamenti neceſſaria ſunt, quibus omiſſis, teſtamentum ab initio ipſo jure nullum eſt, aut poſtmodo infirmatur. Hæc ſunt partim communia omnium 1
teſtatorum, partim quarundam perſonarum propria.

Omnium commune requiſitum eſt, heredis inſtitutio, quæ teſtamenti caput & fundamentum eſt. *§. 34. Inſtit. de legat.* ideoque ſine ea, nec ipſum teſtamentum, nec quæ in eo ſcripta ſunt ullo modo ſubſiſtere poſſunt. *§. 2. Inſtit. de fideicommiſſ. hered. l. 1. in fin. ff. de Vulg. & Pupill. ſubſtitut. l. ult. Cod. de Jure Cod.* nec legata aut fideicommiſſa ad vim teſtamenti quicquam pertinent. Sed quum moribus noſtris adeo confuſa ſint teſtamentorum, & Codicillorum jura, ut nunc pro teſtamentis, nunc pro Codicillis pro re nata ſumantur, ſic ut legata & fideicommiſſa, aliaque diſpoſita, in defectum etiam heredum inſtitutionis, virtute clauſulæ Codicillaris, communiter noſtratum teſtamentis inſertæ, valide ſubſiſtant apud nos; adeoque nihil vetet quem pro parte teſtatum, & pro parte inteſtatum decedere: contra *l. 7. ff. de Reg. Jur. & l. 15. Cod. de hered. inſtituend.* pluribus hic inhærendum non eſt.

Inſt. II. XIV. De Heredibus Inſtituendis. & II. XIII. De Exheredatione liberorum. D XXVIII. II. De liberis & poſthum. hered. inſt. vel exhered. Cod. VI. XXVIII. De liberis præterit.

Quarundam perſonarum propria, tribus teſtatorum generibus incluſa ſunt, parentibus, liberis, 2
& fratribus conſanguineis. Qui ſe invicem heredes inſtituere, aut exheredare debent, vocanturque heredes ſui & neceſſarii. *§. 1. & tot. tit. Inſtit. de Hered. qualit. & differ.*

Parentum enim eſt officium, ut liberos omnes, eorumve deſcendentes, quos nemo gradu præcedit, aut heredes inſtituant, aut juſtis de cauſis exheredent. *tot. tit. Inſtit. De exheredat. liber. ff. De liber. & poſthum. & Cod. de liber. præter.*

Romano quidem adeo neceſſarium fuit, ut ſi ſuus heres, id eſt in familia aut poteſtate proxi- 3
mus, fuerit præteritus: propterea totum teſtamentum corruat, & ipſo jure nullum ſit, etiam quoad legata, fideicommiſſa, & reliqua omnia, *pr. & §. 1. Inſtit. de exhered. liberor. l. 1. ff. de Injuſt. rupt. & irrit. fact. teſtam. l. 5. & l. 30. ff. de lib. & poſthum. l. 30. §. 1. ff. de inoffic. teſtam. l. ult. in fin. Cod. de lib. præterit.* Quod ad liberos ſuos, & ad teſtamentum paternum reſtringendum erat: quum liberi emancipati ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas, confugiant, *§. 3. Inſtit. de exhered. liberor. & tot. tit. ff. de bonor. poſſ. contra tabulas.* Et matris præteritio pro exheredatione ſit, quæ non niſi per querelam inofficioſi teſtamenti impugnari poteſt, *§. ult. Inſtit. eod.* manentibus legatis, reliquiſque præter inſtitutionem articulis, *l. 1. ff. de legat. præſtand. contra tabul. bonor. poſſ. petit. Novell. 115. cap. 3. in fin.*

Sed noſtris & aliorum moribus hæc omnia ſunt confuſa, & quemadmodum matris, ita & pa- 4
tris liberorum præteritio pro exheredatione eſt: nec ex cauſa præteritionis paternum teſtamentum ipſo jure nullum eſt: niſi quatenus per querelam inofficioſi reſcindatur. Grot. *Introduct. lib. 2. part. 18. verſ.* **Naar de Roomſche Wetten.** Neoſtad. *Suprem. Cur. deciſ.* 100. Gudelin. *de Jure Noviſſim. lib. 2. cap. 5. verſic. poſterior. in fin.* Autumn. *Confer. du droict. in auth. noviſſima. Cod. de Inofficioſ. teſtam.* Sed in Friſia jus ſcriptum obtinere & citra inofficioſi querelam teſtamenti jus vitiari videtur ex iis, quæ refert Joann. à Sande *lib. 4. tit. 2. defin. 2.* Ut & in foro Saxonico; ubi ex *Electoral. conſtit. 9. part. 3.* nihilo titulo inſtitutionis honorabili relicto, ipſum teſtamentum corruere teſtatur Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part. 3. conſt. 9. defin. 1. num. 7.* In legitimam imputantur & omnia quæ à parentibus, de quorum ſucceſſione quæritur, ſive donationis, ſive dotis, ſive quovis alio titulo ſint profecta. *tit. ff. & Cod. de collat. bon. junct. tit. Cod. de dotis Collatione.* Ut latius infra *lib. 3. cap. 13. num. 13. & ſeq.*

Quemadmodum liberi à parentibus inſtitui debent, ita quoque turbato ordine naturæ pietas, 5
& commiſeratio idem officium liberis erga parentes injungit. Ita ut etiam parentes à liberis inſtituendi, aut exheredandi ſint. *l. 15. ff. de inofficioſ. teſtam. l. 7. §. 1. ff. Unde lib. Novell. 115. cap. 4.* ſed eorum præteritio pro exheredatione eſt. *l. 14. ff. & l. 17. Cod. de Inoffic. teſtam.* Joann. à Sande *lib. 4. tit. 2. defin. 4. verſ. Sed quum.* Quod & moribus noſtris reſtringendum eſt

ad

ad ea loca, eoſve parentes, qui & ubi liberis ſuis ab inteſtato ſuccederent: Coren *obſervat.* 10.
num. 24. Ubi enim parentes liberis ſuis ab inteſtato non ſuccedunt, ut latius infra, de *Succeſſio-*
nibus ab inteſtato, impune teſtamento à ſuceeſſione liberorum removeri, & præteriri poſſunt:
quum ille non admittatur ad rumpendum, vel annullandum teſtamentum, qui ab inteſtato non
ſuccederet. *l. 6. §. 1. ff. De inoffic. teſtam.* eo quod legitima ſit pars ejus, qui ab inteſtato de-
betur. *l. 8. Cod. eod.* Ideoque communiter eſt receptum, eum, qui excluditur à ſucceſſione,
excludi etiam à legima. Caſtrenſ. *ad l. Titio centum 71. §. Titio genero 3. ff. de condit. & de-*
monſtrat Alexand. *conſil. 19. in pr. volum. 6. & volum. 7. conſil. 3. num. 10. & ſeq.* Contra-
rium tenet Joann. Gutierz *practicabil. quaſtion. lib. 5. quaſt. 82. num. 5.* ſcilicet quod Statutum,
vel conſuetudo diſponens ut parentes ab inteſtato non ſuccedant, eos à legitima non excludat.
poſt Salicet. *ad auth. noviſſim. num. 11. & 72. Cod. de Inoffic. teſtam.* & Cephal. *conſil. 120.*
num. 2. lib. 1. Quod tamen reprobat, & contrariam opinionem ut communiorem probat.
ibid. num. 8.

6 Sed fratrum inter ſe tanta ratio non eſt, ut qui eo ſolum caſu præteriri non poſſunt, quo
turpibus perſonis inſtitutis poſtponuntur, *l. 1. ff. & l. 27. Cod. De Inoffic. teſtam.* Sic ut regula-
riter fratres & ſorores extra eum caſum impune prætereantur. *Novell. 18. cap. 1. Novell. 115.*
7 *cap. 3. & 4. l. 27. Cod. de Inoffic. teſtam.* Ubi turpis perſona definitur, quæ vel turpitudinis,
vel infamiæ, vel levis notæ macula aſpergitur. Unde turpitudinem accipimus non tantum infa-
miam juris, ut ſi quis per ſententiam in cauſa criminali condemnatus ſit, verum etiam de infamia
facti, quæ eſt ex turpi vita, & quotieſcunque aliquos honeſtos viros gravat, turpi aliqua opi-
8 nione. Quam extenſionem facit Sichard. *ad d. l. 27. Cod. De Inoffic. teſtam. num. 7.* An igitur
& Spurii ſive naturales liberi ex concubina aut alias extra legitimum matrimonium quæſiti ad
eum effectum pro turpibus perſonis habendi ſunt? Vix videtur: nam nec jure infames ſunt,
nec quicquam ipſi admiſerunt, quod exiſtimationem eorum offendat apud bonos viros. Quod
enim labes aliqua & macula ſpuriis adhæreat non eſt ex facto ſic naſcentium, ſeu pœna inuſta:
ſed ex vitio ac defectu natalium contracta. Crimen autem paternum nullam maculam filio infli-
gere poteſt. *l. 26. ff. De pœn.* aut nativitas quæ vitio aut culpæ verti nemini poteſt, pœnæ eſſe
debet. Recte Auguſtin. Undecunque homines naſcuntur, ſi parentum vitia non ſectentur, ho-
neſti ſunt. *cap. Undecunque, diſtinct. 56. Ezech. 18. verſ. 19.* Vide tamen Palæor. *tract. de*
Nothis. Spuriiſque, cap. 55. & ſeq. Hartmann. Piſtor. *lib. 1. quaſt. 30. num. 36. & ſeq.* Anton.
Fabr. *ad Codic. lib. 9. tit. 28. defin. 20. num. 3.* Petr. Heig. *quaſt. Jur. Civ. & Saxonici quaſt. 21.*
per tot. alioſque communiter diſſentientes. Quos ſequitur Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3.*
conſtit. 10. defin. 10. Ubi ex Mynſingero *cent. 4. obſerv. 31.* in camera Imperiali quoque con-
tra ſpurios hac in parte judicari refert. Alii diſtinguunt inter naturales, & damnato coitu natos:
de quibus dubium non eſt, quum hi nec naturales nominari, neque ullum legis beneficium, aut
participium habere poſſint. *Novell. 89. cap. ult. verſ. primum quid. junct. Novell. 74. cap. ult.*
verſ. eos enim. Quo loco inter cætera Imperator addit; *ut etiam hoc ſit ſupplicium patrum, ut*
agnoſcant quod neque quicquam peccatricis conſcientia eorum habebunt filii. Niſi fortè à ſuis extra-
nei diſtinguantur, qui licet ex damnato legibus coitu nati, & ob id parentibus ſuis ſuccedere non
poſſint, ab extraneorum ſucceſſione & hereditate minime removentur: quare & eos hac in parte
ejuſdem juris cum ſpuriis, eſſe dixerim.

9 Fratres autem & ſorores hic intelliguntur germani aut conſanguinei: nam uterini ab ea actio-
ne penitus arcentur. *l. 27. Cod. de Inoffic. teſtam.* Sed quum hodie fratres uterini cum fratribus
conſanguineis concurrant, conſequens eſt, ut etiam in inofficioſi querela concurrant.

10 In Inſtitutionibus autem liberorum aut parentum tria conſideranda veniunt. Inſtitutio ipſa:
ſic ut non ſufficiat quovis titulo quid relinquere, ſed hic eis honos ſit habendus, ut heredes inſti-
tuantur. *d. Novell. 115. cap. 3. 4. & 5. junct. l. 5. §. 6. ff. De legat. praſtand. contra tab. bonor.*
poſſ. petit. Secundo, modus inſtitutionis, ut pure inſtituantur, aut ſub ea conditione quæ in
ejus poteſtate eſt, *l. 4. ff. De hered. inſtituend.* aut non noceat ad quantitatem legitimæ. *l. 32.*
Cod. De inofficioſ. teſtam. poſtremo quantitas inſtitutionis, quæ vocatur portio legitima, quaſi
legibus debita portio.

11 Hæc in liberis eſt, ut, ſi quatuor ſint aut pauciores, non minus triente, ſin plures, non
minus ſemiſſe totius hereditatis illis ſit relinquenda: In parentibus autem ſemper eſt triens
ejus quod ab inteſtato ad eos perveniſſet. *l. 8. §. 6 & 8. ff. de inoffic. teſtam. Novell. 18. cap. 1.*
Sin minus relictum ſit, valebit quidem inſtitutio, ſed quod deeſt ſupplebitur. *l. 30. Cod. de*
inofficioſ. teſtam. Novell. 115. cap. 5. olim indiſtincte erat quartæ debitæ patris: *l. 8. §. quo-*

Digitized by Google

niam, *ff. De inoffic. teſtam.* Unde interpretes, quamvis aucta ſit, etiamnum eam quartam appellare ſolent.

An auctâ liberorum legitimâ, aucta etiam dici poſſit parentum, & fratrum ac ſororum, ali- 12
qui dubitarunt: quod inſcriptioni tituli *Novell.* 18. præfationi conſtitutionis, aut rationi conſtituentis, id non uſque quaque conveniat: Sed uſus ea communi DD. opinione *ad auth. noviſſima, Cod. De inofficioſ. teſtam.* idem augmentum ad eos pertinere probat, *arg. d. Novell.* 18. *cap.* 1. *in fin.* In verbis: *Hoc obſervando in omnibus perſonis, in quibus ab initio antiqua quarta ratio de inofficioſo, lege decreta eſt.* Quæ verba ad diverſas liberorum perſonas, videlicet filios, nepotes, poſthumos, non admodum bene meo quidem judicio reſtringere videtur Arnold. Vinn. *ad §.* 3. *Inſtit. De inofficioſ. teſtam. num.* 2. poſt Vaud. *lib.* 1. *Var. quaſt.* 50. Quia in toto contextu Juſtinianus per filios, quaſcunque liberorum perſonas intelligit, neque alias omnes perſonas in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio decreta erat, vere ad ſolos liberos reſtringi poſſe, ſatis liquet: nam quod ad querelam & legitimam attinet, parentes ſemper eodem jure cenſiti fuere. *l.* 1. *l.* 15. *in pr. ff. De Inofficioſ. teſtam.* Et hæc eſt ſententia Cujacii, in expoſit. *d. Novell.* 18. *poſt princip. in verb. auxit & debitam parentibus utriuſque ſexus, & debitam fratrib.* Vide Graſſ. *recept. ſentent. §. legitima. quaſt.* 9. Fachin. *lib.* 4. *controverſ. cap.* 28. Vaſq. *De ſucceßionib. creation. §.* 20. *num.* 213. Aleaandr. *conſil.* 63. *num.* 1. Cardin. Tuſch. *concluſ. tom.* 5. *litt. L. concluſ.* 186. Gabriel. *concluſ.* 126. *& ſeq.*

Hoc ad parentum legitimam ratione trientis tantum pertinet, non autem ratione ſemiſſis: non 13
quod lex inſufficiens ſit, ſed quod quis plures quam quatuor parentes ab inteſtato heredes relinquere non poſſit, *arg. Novell.* 118. *cap.* 2. Quod quidem argumentum in ipſis parentibus, eiſque ſolis ſuccedentibus, verum eſt, ſecus vero, ſi eum fratribus & ſororibus pluribus concurrant, ex ead. *Novell.* 118. *cap.* 2. *verſ. Si vero:* quo caſu quum eorum ſucceſſionis portio, plurium quam quatuor perſonarum, ſive diviſionum reſpectu, minuatur, in tantum etiam eorundem portio legitima augeri deberet. Quæ licet ratio eo caſu deficiat, Uſus tamen indifferenter eam ſententiam probat.

Cod. vi. x. *Quando non petentium partes petentibus accreſcant.*

Sed an juſte exheredati, aut alia ex cauſa non ſuccedentes in computatione legitimæ connu- 14
merentur, & cæteris partem faciant? id eſt, an liberi ex juſta cauſa exheredati, aut alias non ſuccedentes, re ipſa adhuc inter liberos numerentur, perindeque habeantur ac ſi partem ſuam habuiſſent, ad eum effectum, ut cæterorum legitima minuatur, & tanta nec major ſit quam quanta fuiſſet fratre non exheredato, aut alias ſimul cum ipſis ſuccedente: & è contra, ſi plures ſint quam quatuor, veluti ſi ſint quinque numero, an uno eorum exheredato aut non ſuccedente, reliquorum portio ad ſemiſſem augeatur, nihilominus ac ſi quintus ille etiam ſucceſſiſſet; quod uno verbo dicitur, *partem facere.* Quæſtio pro varia DD. diſtinctione videtur intricata: pro cujus enodatione tamen quoad exheredatos & excluſos indiſtincte reſpondeo: eos qui non ſuccedunt, ad augendam vel minuendam reliquorum legitimam pro liberis non haberi, ut ſi ex quatuor unus ſit exheredatus, vel filia à ſucceſſione ſtatuto ſit excluſa, tres tantum liberi, ſi ex quinque unus, quatuor duntaxat fuiſſe videantur: *arg. l.* 8. *Cod. De inoffic. teſtam. l.* 8. *§.* 8. *ff. eod.* pars enim ingrati & exheredati re ipſa accedit grato: *l.* 10. *§.* 4. *ff. De bonor. poſſ. contr. tab. Novell.* 22. *cap.* 20. *§. fin. & cap.* 21. & filii exheredati pro mortuis habentur: *l.* 1. *§. pen. ff. d. tit. De bonor. poſſ. contr. tab. §.* 3. *Inſtit. de ſucceſſ. libertor.* Atqui dubium non eſt, ſi unus ex pluribus mortuus ſit, quin numerum minuat, & ſuperſtites caducitatis Jure ex proprio capite ſuccedant. Ita ſentiunt Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 122. *num.* 18. Boëe. *deciſ.* 104. *num.* 5. *&* 8. Fachin. *lib.* 4. *controverſ. cap.* 31. Cæterum ſi unus ex liberis propria ſua voluntate ſit excluſus; veluti, ſi hereditatem adire noluit, ſed repudiavit: portio ejus reliquis accreſcit: ſic ut, ſi quinque ſint liberi, ex quibus hereditatem unus repudiavit, reliquorum legitima nihilominus erit ſemis, per text. *in l.* 1. *Cod. quand. non petent. part. petent. accreſc.* & portio deficientis quoad legitimam alteri etiam accreſcit, *per l.* 3. *in fin. ff. de bonor. poſſ. contra. tab. l.* 20. *ff. de leg.* 2. *l. unic. §.* 10. *Cod. de caduc. tollend.* Niſi in dotem aut donationem propter nuptias quid certi acceperit; quod loco legimæ ſuæ accepiſſe intelligitur, Bald. *in l. unic. Cod. quand. non petent. part. petent. accreſc.* Fachin. *d. loco.* Berlich. *practicabil. concluſ. part.* 3. *concluſ.* 12. *num.* 26. *& ſeq.* eoque caſu pro cæteris hereditati paternæ renuncians, id in favorem patris, vel heredis à patre conſcripti feciſſe cenſetur. Bald. *in l. ſi actionem.* 24. *Cod. de pact. num.* 2. Boër. *d. deciſ.* 104. *num.* 3. Hanc materiam latius tractant Card. Tuſch. *tom.* 5. *practicab. concluſ. litt. L. concluſ.* 208. *&* 209. Hieron. de Cævall. *Specul. commun. opinion. contra commun. quaſt.* 370. Grivell. *deciſ.* 34. Guid. Pap. *quaſt.* 295. Merlin. *de legitim. lib.* 1. *tit.* 4. *quaſt.* 3. 4. Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part.* 3. *conſtit.* 10. *defin.* 12. *& ſeqq.*

Occa-

15 Occaſione augmentationis legitimæ oritur quæſtio, utrum quemadmodum legitima augeri & minui, ita & in totum lege, ſtatuto vel conſuetudine tolli poſſit? In qua quæſtione quidem quum liberis naturæ lege parentum debeatur hereditas *l. 7 ff. de Bon. damnator.* propter naturæ ſimul & parentum commune votum *l. 7. in fin. ff. Unde liberi. junct. l. 7. §. ult. ff. Si tab. Teſtam. null. exſtab. l. 36. §. 2. ff. & Cod. de Inofficioſ. teſtam.* & portio legitima iis pro alimentis neceſſariis ſit, quæ præciſe natura debentur. *l. 4. l. 5. ff. de agnoſcend. & alend. lib.* quod jus immutabile eſt, nec quovis modo tolli poteſt *§. 11. Inſtit. de Jure Nat. Gent. & Civil. l. 8. ff. de cap. minut.* liberorum legitimam, lege, ſtatuto, vel conſuetudine in totum tolli non poſſe palam eſt. Moller. *lib. 3. ſemeſtr. 5.* Hartmann. Piſtor. *obſerv. ſing. 131.* Berlich. *part. 3. concluſ. 18. num. 22.* Grot. *tract. de Iure Belli & Pacis cap. 7. num. 4. & ſeq.* Buſ. *ad l. 8. §. ſi quis mortis. 6. ff. de inoff. teſtam.* parentes vero ad bona liberorum non tam naturæ, & liberorum commune votum, quam ſola miſerationis ratio admittit. *d. l. 7. in fin. ff. Unde liberi. l. 15. in pr. ff. De inofficioſ. teſtam.* ideoque à legitima excludi poſſe conſequens eſt; quod & jus civile probat *l. 4. Cod. de bon. quæ liber. l. 2. Cod. ad Senatuſconſult. Tertull.* quibus ante Senatuſconſultum Tertullian. matrem non admiſſam & poſt à fratribus conſanguineis excluſam, & parentibus omnibus aliquando fratres non conſanguineos tantum, ſed & uterinos prælatos conſtat. Quod & moribus noſtris convenit, quibus etiamnum in Auſtrali Hollandiæ parte, ex veteri Juris Conſuetudinarii axiomate, quo paterna paternis, materna maternis antiquitus ſuccedebant, altero parente defuncto parens ſuperſtes à ſucceſſione liberorum à cognatis, per defunctum parentem, vel remotiſſime contingentibus omnino excluditur. Hanc diſtinctionem quoque tenet Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 122. num. 16.* Quod Saxoniæ principes de jure diffidentes movit ejuſmodi Statuto aut conſuetudini expreſſa ſanctione derogare. *Conſtitut. Elector. part. 3. conſt. 12. §. ult.* Nec quicquam movet, quod indiſtincte contradicat Carpzov. *ad. d. conſtit. defin 1.* poſt Fabr. *in Cod. lib. 3. tit. 19. defin. 16. num. 6.* & Berlich. *part. 3. concluſ. 18. num. 26.* & Mynſinger. *centur. 6. obſerv. 44.* & DD. Vulg. perperam hoc propoſito parentes liberis exæquantes. Quippe quod verum non ſit, quod repugnante natura tolli non poſſit, quaſi cauſam ita in jure naturali radicatam habeat, ut ex eo in totum mutari aut tolli nullo modo poſſit: quum ſi ipſa natura, ejuſque ſimplex ratio ſpectetur, neceſſe non ſit his aliquid pro legitima, aut in alimenta relinquere, niſi lex aliqua humana id jubeat: propterea quod hæc non ſic parentibus uti liberis debeantur: ſed ratione tantum officii, & commendatione pietatis; haud alia ratione, quam qua fratres & ſorores fratribus & ſororibus egenis alimenta præſtare, lex civilis jubet: Quibus; quod legitima debeatur ex mera ratione Juris Civilis eſſe, imo quod nec regulariter iis aliqua legitima de jure debeatur, fatentur omnes, facit *auth. præterea. Cod. Unde Vir. & Uxor. & l. 27. Cod. De inofficioſ. teſtam.* Quapropter & fratrum legitimam non ſolum minui & in totum tolli poſſe nullus dubitat.

16 Quæſitum porro, legitima quota bonorum ſit, an hereditatis? Quæ quamvis mixtæ conditionis videatur, magis tamen bonorum, quam hereditatis pars cenſeri debet, *l. 6. Cod. De Inofficioſo teſtament.* quia non debetur niſi omni ære alieno prius deducto, *l. 8. §. 9. ff. eod.* Eſtque hæc communis DD. opinio, Graſſ. *Recept. Sentent. §. legitima. quæſt. 1. num. 2. & ſeqq.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 120. num. 2. 3.* Johann. Dauth. *De Teſtam. num. 278.* quia filius in legitima inſtitutus, extra jus accreſcendi, cujus ſolius ratione mixtæ quodammodo conditionis dicitur, proprie heres non eſt, Gail & Dauth. *dd. loc.*

17 Dicitur etiam quota bonorum, quod ex omnibus teſtatoris bonis quæ mortis tempore poſſidet præſtari debeat: quum ſit portio propriæ & totius ſubſtantiæ defuncti. *l. 6. l. 36. & auth. noviſſima. Cod. De Inoffic. teſtam.* deducto ſcilicet ære alieno, quum bona non ſint, niſi quæ deducto ære alieno ſuperſunt. *l. 34. §. 1. ff. De Verb. Signif.* deductis etiam rebus fideicommiſſo ſive reſtitutioni ſubjectis, in quibus ipſe defunctus nullam proprietatem, aut plenum dominium habuit. per text. *in l. 9. §. 5. ff. ad leg. Falcid. & auth. Res quæ. Cod. commun. de legat.* prout late tractat Berlich. *practicab. concluſ. part. 3. concluſ. 11. num. 19. & ſeqq.* Quibus & bona in feudum data, ut ſolis primogenitis cedant, annumerari ſolent, quæ legitimæ deductionem nullam patiuntur; niſi ſint feuda nova quæ pater titulo oneroſo ſibi acquiſivit, pro quibus in communem hereditatem inferendum eſt, totum id quod pro acquirendis iis pater erogavit, exque eo deducenda etiam legitima eſt: *arg. l. 30. §. ult. Cod. De Inofficioſ. teſtam.* Vide Merlin. *de legitima lib. 2. tit. 1. quæſt. 2.* Berlich. *d. concluſ. 11. num. 22. & ſeqq. & DD. ibid. allegat.* Cancer. *Variar. Reſolut. tom. 1. cap. 12. num. 65. & ſeqq.* Tiraquell. *de Jure primogenit. quæſt. 5.* Hinc propoſita facti ſpecie, qua exiſtentibus ſimul alterutro parentum ſuperſtite cum defuncti fratribus & ſororibus, his exheredatis parentes in ſola legitima eſſent inſtituti, & exinde ſuborta

quæ-

quæſtione quanta eo caſu parentum eſſet legitima, ex hoc fundamento alii reſpondent fratres &
ſorores ſive concurrant ſive non, quum nec illis aliqua legitima debeatur, niſi turpibus perſonis
poſtpoſitis, nullam parentibus in computanda legitima partem facere, iiſque non ſextam, ſed
indiſtincte tertiam bonorum defuncti partem pro legitima deberi. *arg. d. l. 6. & l. 36. junct. auth.
Noviſſ. Cod. de Inoffícioſ. teſtam.* Qua in ſpecie tamen reſumpta quæſtione diſtinguendum verius
putem, ut exheredati quidem fratres & ſorores, aut alia ex cauſa non ſuccedentes, parentibus par-
tem faciant, & ad augendam legitimam tanquam ſi non exſtent, proſint. *arg. d. l. 8. Cod. & l. 8.
§. 8. ff. de Inofficioſ. teſtam.* Cæterum ſi cum parentibus concurrant, quum legitima ſit certa
tantum pars ejus quod ab inteſtato deberetur. *l. 8. §. 6. & §. 8. ff. de Inoffic. teſtam. l. 8. Cod. eod.*
eoque ſenſu recte dicatur quota ſive pars hereditatis; non tertiam ſed ſextam defuncti bonorum
partem, quæ eſt & manet tertia ejus quod ab inteſtato debetur, eo caſu parentibus pro legitima
deberi conſequens eſt. Vide Merlin. *de legitima lib. 1. tit. 1. quæſt. 1. & lib. 1. tit. 4. quæſt. 7.
num. 1. 2.* Bachov. *ad Treutl. diſput. 13. theſ. 15. litt. A.* Boër. *deciſ. 172.*

Quemadmodum vero ex iis demum bonis quæ deducto ære alieno ſuperſunt præſtari, ita ſi 17
in aliqua parte aut certa re per teſtatorem aſſignetur, relinqui debet pure, & libera ab omni one-
re, neque reſtitutione, fideicommiſſo, uſufructu, legato temporis, dilatione, aliove quovis
onere gravari poteſt, onuſque legitimæ impoſitum rejicitur, & pro non adjecto habetur. *No-
vell. 18. cap. 3. l. 32. Cod. de Inoffic. teſtam.* Merlin. *de legitima lib. 3. tit. 2. quæſt. 1.* Gail *lib. 2.
obſerv. 119.* Gomez. *Variar. Reſolut. tom. 1. cap. 11. num. 25.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 16.
art. 26. num. 11.* Ita nec legitima in nuda proprietate relinqui poteſt. *d. Novell. 18. §. 3. l. 36.
junct. auth. Noviſſima. Cod. de Inoffic. teſtam.* Nec in ſolo Uſufructu, *dict. leg.* Quo caſu tamen
teſtamentum ſubſiſtit, nec querelæ inofficioſi locus eſt, ſed ad ſupplementum legitimæ ex *l. om-
nimodo. 30. Cod. de Inoffic. teſtam.* agendum Friſiæ Senatus recte cenſuit, per ea quæ tradit Joann.
à Sande *lib. 4. tit. 7. defin. 2.*

Poteſt onus aliquod ipſi legitimæ imponi in commodum ipſorum heredum, ſed & filius à 18
patre bona mente providoque ac prudenti conſilio exheredari poteſt, puta ob pueritiam, ne bona
lubrico tutelæ vel curæ committantur, vel ad prodigilitatem, grande æs alienum, vel ob aliam
juſtam cauſam, ut eſt text. *in l. 18. ff de liber. & poſthum. l. 12. §. 2. ff de bon. libertor. l. 47. in
pr. ff. eod. & l. 16. §. 2. ff. de Curator. furioſ.* Quæ jura non ſunt correcta per *Novell.* 115. quæ
ſolum agit de exheredatione, quæ ex mala mente, & iratis parentibus cum ignominiæ nota fit.
Ut notat Sichard. *ad auth. non licet Cod. de lib. prætерit.* Vide Jul. Clar. *lib. 3. ſentent. §. teſta-
mentum. quæſt. 41. num. 7.* Mantic. *de Conjectur. ultimar. Voluntat. lib. 4. tit. 13. num. 13. cum
ſeq.* Ferd. Vaſq. *de Succeſſ. tom. 3. lib. 3. tit. 3. ad l. Si pater puella. Cod. De Inofficioſ. teſtam.*
Matth. Berlich. *Pract. Concluſ. part. 3. Concluſ. 15. num. 54.* Adde Merlin. *de legitima lib. 3.
tit. 2. quæſt. 3.*

Nec moribus adverſatur, quibus nihil frequentius eſt, quam ut pater filium, qui maxima ex 19
parte bona ſua prodegit, & grande æs alienum contraxit, veritus ne & bona ſua ab eo diſſipentur,
exheredet, & liberos ex eo natos heredes inſtituat: ita tamen, ut interim ei dum vivat, uſum-
fructum cedi velit. Cujuſmodi parentum diſpoſitio & proviſio, non obſtante, quod omnis con-
ditio aut gravamen à legitima removeatur, de jure & conſuetudine valida & efficax eſt, ut in iiſdem
terminis à Friſiæ Senatu Joann. à Sande *lib. 4. tit. 2. defin. 3.* & in foro Saxonico judicatum re-
fert Carpzov. *defin. forenſ. part. 3. conſtit. 9. defin. 11.*

Quo eodem præſuppoſito, & temporis dilationem ſubinde admittit legitimæ præſtatio, qua 20
ſuperſtiti conjugi univerſa defuncti bona utenda fruenda conceduntur, ſub ea conditione, ut ea
liberis ſuis integra reſervet: propterea quod in exſpectativo totius hereditatis, plus in ſit, quum
ipſius legitimæ æſtimatio valere poſſit. Quomodo per Statuta Salzenſia, Zangerhuſana, Zitta-
vienſia & Tomæ-pontana obſervari conſtat: ut conjux ſuperſtes bonis univerſis defuncti conju-
gis ad vitam utatur fruatur, nec liberi eo vivente legitimam petere valeant, teſte Carpzov. *Ju-
riſprud. Forenſ. part. 2. conſtit. 12. definit. 6.*

Ita quoque antiquis Hollandiæ moribus erat receptum, ut conjux conjugi, exſtantibus etiam
liberis, omnium bonorum Vſumfructum, ſalva eorum, pro ſua qualitate, alimentatione, potuerit
relinquere. **Hand-veſten van Zuyd-Holland** / *pag.* 500. Et hodie tanquam Jus commune
ſervatur, ut id quod liberis à prædefuncto altero parente debetur, in eorum majorennitatem
differatur, quomodo 17. *Decemb.* 1613. à Suprema Hollandiæ Curia pro *Eliſabetha van Arckel*,
Waerdenburgii domina, judicatum eſt: Vſumfructum omnium bonorum ab *Otthone van Arckel*,
conjugi ſuæ, uſque dum filia ſua ad 15. perveniſſet annum, relictum, ſubſiſtere. Quæ tamen ita
intelligi

intelligi debent, nt liberis interim alimenta pro dignitate & qualitate cujuſque patrimonii præſtentur: quia legitima in exſpectandæ proprietatis diem differri non poteſt, ſi liberi interim non habeant unde alentur, per *Novell.* 18. ubi Cujac. & Franciſc. Balduin. pag. mihi 548. Gomez. *var. reſolut. tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 26. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 143. *num.* 4. *in fin. & obſerv.* 144. *num.* 1. Joann. à Sande *lib.* 4. *tit.* 7. *defin.* 1. Neque alio caſu ſuperſtiti conjugi omnium bonorum Vſumfructum, nuda tantum proprietate liberis relicta, in præjudicium eorum relinqui poſſe conſtat *d. Novell.* 18. *cap.* 3. Nec alia ratione ſuſtineri putem, inſtitutiones, aliaſve paternorum maternorumve bonorum diviſiones, inter ſupeſtitem & prædefuncti, prædefunctæve liberos, apud nos uſitatas, vulgo **bewys / uitkoop** / quibus ſuperſtiti omnium bonorum Vſusfructus addicitur, ſub onere certæ partis in majorennitatem liberorum reſtituendæ, quam ut interim liberi reſpectu fructuum legitimæ portionis quæ ipſi parti ineſſe debet, nec aliqua dilatione aut mora gravari poteſt, pro dignitate & qualitate ſua alantur, atque educeotur.

Exheredari itaque in totum liberi, parentes, & fratres ac ſorores turpibus perſonis poſtpoſiti,
2 abſque juſta cauſa non poſſunt, quæ non ſolum exprimi in teſtamento, ſed & ab herede probari debet, *l.* 30. *Cod. De inoffic. teſtam, Novell.* 115. *cap.* 3. Jul. Clar. *§. teſtamentum, quæſt.* 40. *num.* 5. Fachio. *lib.* 6. *controverſ. cap.* 76.

Cauſæ ex quibus liberi à parentibus valide exheredari poſſunt, quatuordecim enumerantur *Novell.* 115. *cap.* 3. ab antiquis his verſiculis comprehenſæ:

Bis ſeptem ex cauſis exheres filius eſto:
Si patrem feriat, vel maledicat ei.
Carcere detrnſum ſi negligat, aut furioſum,
Criminis accnſet, vel paret inſidias
Si dederit damnum grave, ſi nec ab hoſte redemit,
Teſtarive vetet, ſe ſocietve malis;
Si mimos ſequitur, vitietve cubile paternum,
Non orthodoxus, filia ſi meretrix.

22 Dubitatur de quibuſdam cauſis, primo de meretrice, & utrum pater filiam meretricem exheredare poſſit? quod quidem intelligendum eſt de muliere, quæ publice in lupanari proſtituta, eam artem profitetur, de qua loquitur Imperator *in §.* 11. *d. Novell.* 115. *cap.* 3. prout definitur meretrix *in l.* 43. *in pr. & §.* 1. *ff. de ritu Nuptiar. l.* 4. *§.* 3. *ff. de his qui not. infam.* minime vero de illa, quæ quum continentiæ donum non haberet, proci alicujus blandimentis & perſuaſionibus ad ſtupri infortunium allecta eſt, quæ proprie loquendo meretrix non eſt, *arg. l.* 6. *§.* 1. *ff. ad leg. Jul. de Adulter.*

23 Secundo dubitatur, an pater liberos non orthodoxos exheredare poſſit, juxta *Novell.* 115. *cap.* 3. *§.* 15. Circa quam cauſam obſervandum, quod in hiſce unitis provinciis, & aſſociatis regionibus ceſſet, dummodo liberi ſunt tales, ut relligionem Chriſtianam profiteantur: virtute pacificationis Gandavenſis Anni 1576. *art.* 23. qua cavetur, ut ſi relligionis cauſa liberi minus accipiant, quam alioqui accepiſſent, illud publica auctoritate ſuppleri debeat: Quo facit etiam Ord. Holland. *Placit.* 4. *Maji* 1655. His verbis: **Ordonneren voorts ende ſtatueren; dat alle Paaps-geſinde Ouders / een ofte meer kinderen hebbende / daar van een ofte meer niet en ſouden mogen weſen van de Pauſelijcke religie / haar kind ofte kinderen profeſſie doende van de ſelve Paapſche religie / niet meer en ſullen mogen beneficieren / 't zy by Teſtament / Codicille / Legaat / Donatie ter ſaacke van de dood / ofte onder den levenden / of by Contract / als haar kind ofte kinderen die van de Pauſelijke religie niet en zijn / ende voor ſoo veel bevonden ſal werden ter contrarie gedaan te weſen / en de erffeniſſe nog onverdeelt leggende / ſullen de ſelve upt hare Ouders nalatenſchap ſoo veel genieten ende profiteren / als yemant van de Pauſgeſinde kinderen / die aldermeeſt ſal weſen gebeneficieert: ten ware etc.** Id eſt, præcipimus ac porro ſtatuimus, ut omnes parentes papicolæ unum aut plures liberos habentes, qui Pontificiæ relligioni dediti non ſunt, aliis ſuis dictæ Pontificiæ relligioni addictis liberis nihil plus ex bonis ſuis, Teſtamento, Codicillis, ex cauſa mortis, aut inter vivos Donatione ſive Contractu relinquere poſſint, quàm illi aut illis qui Pontificiæ relligioni non adhærent. Et ſi quid contra factum reperietur, ex aliis parentum bonis adhuc jacentibus, talis tantum conſequetur, quantum aliquis ex papicolis, cui plurimum ex eadem hereditate relictum eſſe comperietur. Niſi aliam juſtam, &c. Quod etiam obtinet in foro Saxonico virtute ejus quod in Pace Relligioſa Imperii Electoral. cautum ſit, Relligionem tam Pontificiam quam reformatam permitti, ut ab una ad aliam liber

ſit tranſitus, abſque bonorum, famæ, vel honoris jactura, ex quo fundamento, patrem Auguſtanæ
relligionis filium relligionis Pontificiæ exheredare non poſſe deciſum refert Carpzov. *Juriſprud.
Forenſ. part. 3. conſtit. 14. defin.* 10.

Si vero pater filium habeat Judæum, Atheum, aut libertinum, ex eo exheredandi cauſam
etiamnum hodie procedere putem. Sed quum ex ſimili vel graviori cauſa quam quæ expreſſæ
ſunt in *Novell.* 115. *cap.* 3. juſta ſit an injuſta exheredatio? Judicio diſcretioni committatur. We- 24
ſenbec. *Paratit. De lib. & poſthum. num.* 5. Schneiduin. *ad pr. Inſtit. De exheredat. liberor.* DD.
comm. *in auth. non licet, Cod. de lib. præter.* Fachin. *lib.* 6. *controv.* 71. Menoch. *arbitrar.
Jud. quæſt. lib.* 2. *centur.* 3. *caſ.* 267. *num.* 6. totum illud negotium plane arbitrarium videtur,
Grot *Introd. lib* 2. *cap.* 18. *verſic.* **Welcke oorſaaken** / *& verſ.* **Ende dan.** Gomez. *var.
reſolut tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 12. Jul. Clar. *Recept. ſentent. lib.* 3. *§. teſtamentum, quæſt.* 41.
num. 2.

Cauſæ propter quas parentes à liberis ſuis exheredari poſſunt, quia facilius peccant liberi con- 25
tra parentes quam parentes contra liberos, recenſentur tantum octo *Novell.* 11. *cap.* 4. his etiam
verſibus extenſæ:

Si Pater accuſet capitalis criminis, aut ſe
Adjungat mimis, Vitaque eſt inſidiatus;
Teſtari prohibet gnatum; dirumque venenum
Præparet: incluſum ſi carcere, vel furioſum
Negligat; & veram contemnat relligionem.

Fratrum vero aut ſororum turpibus etiam perſonis poſtpoſitorum exheredatio quatuor tantum 26
cauſis circumſcripta eſt. Ut I. Si ingratus exiſtat, *Novell.* 22. *cap.* 47. II. Per ſervi neceſſarii
heredis inſtitutionem, *l.* 27. *Cod. de inofficioſ. teſtam.* III. Si ipſe frater eadem turpitudine qua
heres ſcriptus laboret, *l.* 11. *Cod. eod. arg. l.* 37. *ff. ſolut. matrimon.* IV. Si quovis relicti titulo
legitimam portionem ſit conſecutus, *§. ult Inſtit. l.* 8. *§.* 6. *ff. De inofficioſ. teſtam.* Quas cauſas
ab herede opponi & probari ſufficit. quod jure veteri obtinuit, jure novo nuſquam correctum
reperitur.

Inſtit. II. XVIII. D. V. II. & Cod. III. XXVIII. *De Inofficioſo Teſtamento.*

Hiſce in totum præteritis, aut injuſte exhereditatis per inofficioſi teſtamenti querelam ſub- 27
venitur, qua & teſtamentum ot inofficioſum reſcindi poſtulatur, & ſimul petitur hereditas tanquam
ab inteſtato delata *l.* 8. *§.* 8. *l.* 20. *l.* 21. *§. ult. l.* 27. *§.* 3. *ff. de inoffic. teſtam. l.* 24. *Cod. eod.
l.* 3. *Cod de petit. hered.* eo colore quaſi non ſanæ mentis fuerit qui teſtamentum fecit. *l.* 2. *l.* 5.
§. 1. *l.* 13. *ff. eod.* ac proinde teſtamenti factionem non habuerit. *l.* 27. *§.* 1. *ff. eod.* Et quamvis
Bartol. *ad d. l.* 13. dementiæ colorem poſt *Novell.* 115. *cap.* 3. amplius prætexi non poſſe
putet, verius tamen eſt colorem iſtum adhuc prætendendum eſſe, ad reſcindendam inſtitutio-
nem. Vigl. & Mynſinger *ad pr. Inſtit. De inofficioſ. teſtam.*

Quibus competat querela inofficioſi teſtamenti, ex prædictis ſatis liquet, liberis ſcilicet om-
nibus cujuſcunque ſexus aut gradus ſunt, tam emancipatis, quam in poteſtate conſtitutis, *l.* 7. *ff. de
inoff. teſtam. l.* 8. *ff. de bonor. poſſ. contra tab.* nec ſolum legitimis, ſed & legitimatis, *§.* 2. *Inſtit.
de hered. quæ ab inteſt. Novell.* 89. *per tot.* nec ſolum natis, verum naſcituris ſeu poſthumis *§.* 2.
Inſtit. de inofficioſ. qui quoties de eorum commodo agitur pro jam natis habentur. *§.* 1 *Inſtit. de
exhered. liberor. l.* 7. *l.* 26. *ff. De ſtat. homin.* etiam naturalibus, & vulgo quæſitis de teſtamento
matrir *l.* 29. *§.* 1. *ff. De inofficioſ. teſtam.* Bart. Salycet. Caſtrenſ. *in l. pen. Cod. ad Senat. Orfician.*
Parentibus etiam omnibus tam fœminis quam maſculis. *l.* 1. *l.* 14. *& ſeq. ff. l.* 17. *Cod. De inof-
ficioſ.* modo ad ſucceſſionem liberorum ab inteſtato fuiſſent venturi. Sed & fratribus & ſororibus,
non ſimpliciter, ut præteritis, ſed ut turpi perſonæ poſtpoſitis *l.* 1. *ff. & l.* 21. *§.* 1. *Cod. De
inofficioſ.* Jure Romano quidem conſanguineis tantum *l.* 27. *Cod. eod.* at moribus etiam uterinis,
eo quod & hi ab inteſtato hodie ſuccedant.

Sed quum fratres & ſorores una cum parentibur ab inteſtato ſuccedant, quæritur an non 28
etiam una cum illis ad querelam admittendi ſint aut ſaltem reſciſſo à parentibus ex cauſa inofficioſi
teſtamento, una cum illis fratres defuncti ſuccedant? quod videtur *per. l.* 7. *§.* 1. *l.* 17. *§. ult. ff.
De inofficioſ. teſtam.* Joann. Fab. Ang. Mynſinger. *ad §.* 1. *Inſtit. eod.* Vinn. *eod. num.* 4. 5.
proindeque eos una cum parentibus ſuccedentes ad augendam legitimam partem facere ſupra
diximus.

Competit etiam querela heredibur, ſed non aliter quam ſi per defunctum præparata ſit, & in 29
ea proponendæ querelæ voluntate perſeveraverit. *l.* 6. *§. ult. l.* 7. *l.* 8. *§.* 1. *l.* 15. *§.* 1. *ff. De
inoffic. teſtam.* niſi ſint nepotes, quibus etiam eo caſu quo eorum pater non præparata lite deceſſit,

ex

Digitized by Google

30 ex perſona patris de inofficioſo avi teſtamento agere permittitur. *l. 34. Cod. eod.* Quorundam teſtamenta à querela ſunt immunia: ut eſt teſtamentum militis, de quo nemo queri poteſt, *l. 27. §. 2. ff. l. 9. l. 24. Cod. De inoff. teſtam.* Quod rectius DD. *ad d. l. 9. Cod. eod.* correctum cenſent *per Novell. 115. cap. 4.* nec moribus convenire teſtatur Autumn. *eod.*

31 Tantum quis per querelam à ſcriptis heredibus vindicat, quantum ab inteſtato fuiſſet habiturus ſi nulla heredis inſtitutio facta fuiſſet. *l. 1. §. 8. l. 19. ff. eod.* Cujus jure veteri hic effectus fuit, ut teſtamento inofficioſo pronunciato non ſolum reſcinderetur inſtitutio heredis, ſed etiam legata & cætera quæ in teſtamento eſſent comprehenſa corruerent. *l. 8. §. pen. l. 13. in fin. ff. eod.* At hodie *per Novell. 115. cap. 3. in fin.* indiſtincte etiam de patris præteritione intellectam, quam moribus etiam pro exheredatione eſſe diximus, quoad inſtitutionem tantum evertitur teſtamentum, cætera autem capita ſalva manent, adeoque legata ex teſtamento debentur, etiamſi inſtitutio heredis propter liberorum præteritionem nulla ſit. Grot. *Introd. lib. 2. cap. 18. verſ.* **Maar een kind.** Jul. Clar. *lib. 3. ſentent. §. teſtamentum. quæſt.* 52. Gudelin. *de Jure. Noviſſ. lib. 2. cap. 5. verſ. Poſterior. in fin.* Autumn. *Confer. du droict. in auth. Noviſſima. De inofficioſ. teſtam.* Quod & in Germania & Friſia, (ubi tamen propter præteritionem, ipſam inſtitutionem ipſo jure citra querelam vitiari diximus,) indiſtincte obtinere teſtantur Carpzov. *Inſt. Forenſ. part. 3. conſtit. 9. defin. 3.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv.* 134. Joann. à Sande *lib. 4. tit. 2. defin. 2.*

32 Ceſſat querela, ſi iis, qui alias queri poſſent legitima portio ſit relicta. *§. 8. & §. ult. Inſtit. De inofficioſ. teſtam.* In qua portione liberis imputari poſſunt omnia ea quæ vivis etiam parentibus, ſive dotium, ſive donationum propter nuptias nomine, aut quovis alio modo, aut titulo, ex parentum ſubſtantia acceperint. *l. 29. in fin. verſ. Si ex ſubſtantia ejus*, & *l. 30. Cod. De inoffic. teſtam.* De quibus late Merlin. *de legitim. lib. 2. tit. 2. quæſt.* 1. Berlich. *concluſ. practicab. part. 3.*

33 *concluſ. 17. n. 2.* Hartmann. Piſtor. *part. 2. quæſt.* 38. Sed & nepotibus accepta parentum in legitimam imputari conſtat; ex eo quod nepotes, quum avo ſuccedunt, ſemper veniant repræſentantes perſonam paternam. *§. 6. Inſtit. De hereditat. quæ ab inteſtat. defer. l. 2. ff. De ſuis & legitim.* Ideoque ſicut pater teneretur imputare, idem etiam facere ipſos dicendum eſt, per ea quæ tractat idem Merlin. *tract. de legitima. lib. 2. tit. 2. quæſt. 13. num. 7.*

34 Quod ſi minus portione legitima relictum eſt, nihilominus querelam ceſſare placet, ſed id quod deeſt actione ſuppletoria peti debet, *d. Novell. 115. cap. 5. l. 30. Cod. De inofficioſ. teſtam. §. 3. Inſtit. eod.* quæ in eo à querela inofficioſi differt, quod qui queritur, oppugnet, qui ſupplementum petit, confirmet judicium defuncti: & præterea inofficioſi querela quinquennio præſcribatur. *l. 8. §. ult. l. 9. ff. l. 16. l. 34. in fin. l. pen. §. 2. Cod. De inofficioſ.* nec ad heredes tranſeat niſi præparata, *l. 6. §. ult. l. 8. §. 1. l. 15. §. 1. ff. eod.* Actio autem ad ſupplementum perpetuo, id eſt, uſque ad 30. annos, vel ad ſeculi trientem duret, *l. 3. Cod. De præſcriptione 30. annor.* & ad quoſcunque heredes etiam non præparata tranſeat: *arg. l. 8. §. 8. ff. de inoff. teſtam. junct. l. 22. ff. de Adopt.* Vid. Arn. Vinn. *ad §. 3. Inſtit. De inofficioſ. teſtam. num. 4.* poſt Andr. Gail *lib. 2. obſerv.* 120. Merlin. *de legitima lib. 3. tit. 3. quæſt. 7.* Mantic. *de Conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 7. tit. 8. num. 10.* Boër. *deciſ.* 250. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 16. art. 26. num. 12.*

Hactenus de heredibus ſuis & neceſſariis, ſequitur ut etiam de voluntariis deſpiciamus. Circa quos eſt Regula: ut quis heredem, quem eſſe velit, inſtituat: adeoque omnes inſtituere poſſit, cum quibus teſtamenti factio paſſiva. *l. 49. §. 1. ff. De heredib. Inſtit. §. 4. Inſtit. De hered. qualit.* quo in numero ſunt omnes qui teſtamento acquirere poſſunt. *§. fin. Inſtit. De hered. inſtituend. junct. §. 24. Inſtit. De legat.*

Inſtit. II. xix. De heredum qualitate & differentia.

35 Heredes itaque inſtitui poſſunt omnes, qui non prohibentur. *l. 12. ff. De judic. junct. l. 43. §. 1. ff. De procurat.* Prohibentur primo peregrini, cum quibus teſtamenti factio non eſt, *l. 1. Cod. De heredib. inſtituend.* Sed noſtris & aliorum moribus non ſervatur, quibus inter peregrinos, & cives, eadem ſucceſſionum Jura obtinere diximus. *cap. præced. in fin.* Vide Grot. *Introd. lib. 2. cap. 16. in princip.* Et de Moribus Galliæ teſtatur Autumn. *Confer. du droict. ad l. 1. Cod. De heredib. inſtituend.*

Secundo deportati, *d. l. 1. Cod. & pr. Inſtit. De hered. inſtituend.* Sed hodie nemo ſervus pœnæ efficitur. Jul. Clar. *§. fin. quæſt. 67. num. 7.* atque ideo quemadmodum peregrini, ita & noſtri temporis bannitos & deportatos, ſi heredes ſcribantur, ex teſtamento ſuccedere nihil vetat. Clar. *§. teſtamentum. quæſt.* 20. Graſſ. *Recept. Sentent. §. inſtitutio. quæſt.* 3.

36 Sed exulibus, & his qui apud hoſtes transfugæ, & tanquam patriæ proditores degunt, teſtamenti factionem activam, & paſſivam denegari, iiſque tanquam indignis hereditatem auferri,

& fiſco applicari moribus noſtris receptum eſt; per ea quæ tradunt Chriſtin. *vol. 4. deciſ.* 11. *num.* 3.
deciſ. 127. *num.* 1. *& volum.* 5. *deciſ.* 4. *num.* 4. *& num.* 13. *cum ſeq.* Zyp. *Notit. Jur. Belg.*
de Jure fiſci in fin. Grot. *Introd. lib.* 2. *part.* 24. *§.* **van ouds.** Vide etiam Anton. Matth.
De criminibus, *lib.* 48. *tit.* 20. *cap.* 3. *num.* 4. *cum. ſeq.* Quod non ſolum in teſtamentariis, ſed &
inteſtatis ſucceſſionibus locum habuiſſe conſtat, ex eo quod Wilhelmus Burgundiæ Dux Hol-
landiæ Comes 13. *Martii* 1413. N. N. gratioſe conceſſerit, ut hereditas fratris apud hoſtes
profugi obveniret: & ab Alberto Hollandiæ Comite Anno 1394. N. N. indultum ſit, ut bona
ejus ad filios ſuos exules pervenirent, tanquam ſi exules nunquam fuiſſent.

D. XLVII. XXII. *De Collegiis & corporibus illicitis.*

Tertio. Non poteſt heres inſtitui Collegium illicitum, quod ab omni ſucceſſione, & teſta- 37
mentaria hereditate repellitur. *l.* 8. *Cod. de heredib. inſtit.* adeo ut ſi vel ſingulis de collegio legetur,
in communem uſum, Bart. *in l. quum Senatus. num.* 2. *ff. de Reb. dub.* ſalvari non poſſit inter-
pretatione, quaſi ſingulis de collegio ſit relictum. Bart. *ibid. num.* 2. 3. & Caſtrenſ. *eod. in fin*
Mantic. *de Conjectur. ultimar. voluntat. lib.* 3. *tit.* 2.

Pro collegiis illicitis nobis habentur omnes ſectæ, congregationeſque, quæ reformatæ rel-
ligionis non ſunt, aut ſpecialiter probatæ non ſunt, *arg. l.* 3. *ubi* Gloſſ. & Bart. *De colleg. & cor-*
porib. illicit. Inter quas multæ licet, propter commerciorum neceſſitatem, per conniventiam
tolerentur, & quodammodo permiſſæ videantur. Ut recte Groeneweg. *De legib. abrog: ad tit.*
Cod. de hæretic. & Manich. Vide etiam Jacob. Coren *obſerv. Rer. judic.* 9.

Huc pertinet *Placit.* Holland. Ordd. 4. *Maji* 1655. quo expreſſe cautum: **Dat van nu**
voortaan geene perſoonen en ſullen vermogen by Teſtament / Codicille / Legate /
Gifte ter ſake des doods onder den levenden ofte andere frauduleuſe / ende in præju-
dicie van deſen aangeleyde ende ſimulate handelinge ende contracte van hare Goe-
deren / geen uytgeſondert / te diſponeren aan ofte ten behoeve van eenige genaamde
Geeſtelijke Papen / Nonnen / Kloppen / ofte andere Pauſgeſinde geordende perſoo-
nen / nochte ook aan eenige Kloosters / Conventen / ofte eenige andere Geeſtelijke ar-
men / Geſtigten ofte Gods-huyſen: Ende dat de ſelve Goederen niet en ſullen ſuc-
cederen volgens ſoodanige diſpoſitie van Uytterſte Willen / Donatien ofte Contrac-
ten / maar dat de ſelve Goederen ſullen moeten volgen aan den genen / die naar Co-
ſtuymen ende Regten van den Lande / by verſterf daar toe ſouden mogen weſen ge-
regtigt. Id eſt: Ut nemini poſthac liceat, teſtamento, codicillis, legatis, mortis cauſa, aut in-
ter vivos factis donationibus, aliiſve frauduloſis, & in præjudicium horum machinatis ſimulatiſ-
que actibus, contractibuſve aliquid de ſuis bonis relinquere in commodum ſpiritualium nomina-
torum Paparum, Monialium, aliorumve Pontificialium ordinatorum, Monaſteriorum inſuper,
conventiculorum, aliorumve ſpiritualium, ut vocant pauperum domuum hoſpitaliumve: Utque
nec iis relicta cedant ſecundum diſpoſitionem dictatum ultimarum voluntatum, donationum,
contractuumve: ſed iis quibus ea ſecundum conſuetudines & loci jura ab inteſtato obveniſſent.
Sed an Anabaptiſtarum & Lutherianorum collegia nobis inter illicita vere numerentur? Non vi-
detur per text. *l.* 3. *ff. de collegiis illicit.* Quia & illa non tam tolerantur, & inter clandeſtina ha-
benda ſunt, quam publica auctoritate & expreſſo conſenſu dato, admittuntur, eorumque publica
ſunt exercitia.

Cod. I. V. *De Hæreticis & Manichæis & de Apoſtatis.*

Ex Jure Juſtinianeo *l.* 3. *Cod. de Apoſtat.* etiam heredes inſtitui non poterant Apoſtatæ & 38
reliqui hæretici. Sed quum moribus noſtris unicuique de relligione aliter atque aliter ſentire
liceat, conſcientiarumque libertas omnibus concedatur. *arg. l.* 6. *Cod. de pagan.* Grot. *De Jure*
Belli lib. 2. *cap.* 20. *num.* 44. *uſque ad fin.* & *num.* 51. Meteren Hiſtor. Belg. *lib.* 16. *in princip.*
omnia quæ contra hæreticos eorumque bona ſunt, *tit. Cod. de hæretic. & Manich.* abrogata,
& moribus noſtris aliena eſſe conſtat: Adeoque hæretici & Sectarii apud nos, exceptis hono-
ribus, & dignitatibus, eodem jure, iiſdemque privilegiis gaudent quo cæteri. Quo facit, quod
in pace relligioſa Imperii Electoralis Anno 1555. promulgata, utraque tam Pontificia quam
Reformata relligio permiſſa ſit, ut ab una ad aliam liber ſit tranſitus abſque bonorum, famæ,
vel honoris jactura. De quo vide Petr. Syring. *De pace Religion. concluſ.* 38. *littera* A.

Quarto Adulterini, & damnato legibus coitu nati, à parentibus ſuis quicquam hereditatis aut 39
ſucceſſionis nomine percipere prohibentur. *auth. ex complexu*, *Cod. De Inceſt. nupt.* & *Novell.* 89.
cap. ult. ſed quicquid illis relictum repetitur, ſi à conſanguineis proximioribus intra duos menſes
non reclametur, iiſque adimatur, fiſco cedit, ſecundum *l.* 1. *Cod. de Natur. lib.* Schneiduin. *ad tit.*
Inſtit. De hered. quæ ab inteſtat. deſer. Rubr. *De Succeſſ. parent. Inteſt.* excepto ſolum eo quod ali-
mentorum cauſa relictum fuerit, nec modum excedit. *cap.* 5. *in fin. de eo qui in matrimon.* quam

poll.

poll. adulter. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 117. Neoſtad. *Suprem. Cur. deciſ.* 2. Andr. Gail *lib.* 2. *obſervat* 115.

40 Spurii & naturales tantum, olim æque ac legitimi à patre inſtitui poterant, *l.* 45. *ff. De Vulg. & pupillar. ſubſtit. l. fin. Cod. de Jure deliberand. l.* 17. *§. ſi quis rogatus. ff. ad Senatuſconſult. Trebellian. l.* 77. *§. volo. l.* 88. *§. Dama & Pamph. ff. De leg.* 2. poſtea vero juſtis liberis exiſtentibus, ad Unciam tantum inter eos eorumque matrem dividendam: deficientibus, ad ſemiſſem coarctatum erat. *l.* 2. *& l.* 8. *Cod. de Naturalib. liber.* Quod poſtea, deficientibus ſcilicet liberis legitimis, iterum ad aſſem reduxit Juſtinian. *Novell.* 89. Quod quamvis Groeneweg. *de legib. abrogat. ad l.* 2. *Cod. de Natural. lib.* moribus noſtris indiſtincte permiſſum putet, eoque dictam legem 2. & 8. abrogatam cenſeat: quorundam tamen locorum ſtatutis expreſſe cautum legimus, ut quis legitimis liberis exiſtentibus, Spurio non plus quam quartam filialis portionis relinquere poſſit, Statut. Civitat. Leydenſ. *art.* 150. Et in Friſia dictarum legum obſervatio in caſu exiſtentium liberorum etiamnum in uſu eſſe patet, ex iis quæ tradit Joann. à Sande *lib.* 4. *tit.* 3. *definit.* 3.

41 Quemadmodum nec illud moribus probati adeo conſtat: Quod licet concubinatus improbetur, & quodammodo punibilis ſit nobis: *Politic. Ordinat. art.* 3. *in verbis*, **een Maend** / propterea concubinis quicquam legare aut teſtamento relinquere eſſe vetitum, contra Groeneweg. *ad d. l.* 2. *Cod. de Naturalib. liber. num.* 2.

42 Qui aliquem interfecit, aut ut fieret, opem aut auxilium tulit, indignus eſt ut eidem ex teſtamento aut ab inteſtato ſuccedat: & relicta ab eo, tanquam indigno fiſcus aufert. *l.* 9. *ff. De Jure fiſci*, & ibi Gloſſ. & Bart. *l. fin. §. ult. ff. De bon. damnator. l.* 1. *Cod. De his quib. ut indign.* Sed hi, ut & reliqui, indigni, moribus pro incapacibus, & quæ iis relicta pro non ſcriptis habentur, *arg. l.* 3. *ff. de his quæ pro non ſcript.* Neque fiſcus, niſi per ſententiam, bona occupat. Cui conſequens eſt, ut in his non fiſcus, ſed per modum caduci ſuccedant proximiores conſanguinei, qui citra delictum de jure vel conſuetudine ſucceſſiſſent. Quod noſtris & Gallorum moribus uſu eſt receptum. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 200. *num.* 17. *cum ſeq. & num.* 26. *vol.* 4. *deciſ.* 11. *num.* 3. *deciſ.* 31. *num.* 5. *deciſ.* 127. *num.* 1. *vol.* 5. *deciſ.* 4. *num.* 4. Zyp. Notit. Jur. Belg. *De Jure fiſci in fin.* Molin. *ad conſuetud. Pariſ. tit.* 1. *§.* 13. *Gloſſ.* 3. *num.* 9. Autumn. *Confer. du droict. Franc. ad tit. ff. & Cod. De his quib. ut indign.* Eguinar. Baro *ad tit. inſtitut. de heredit. inſtituend.* Ann. Robert. *Rer. Judicat. lib.* 3. *cap.* 12. Quo pertinet etiam Zelandiæ ſtatutum: *cap.* 2. *art.* 26. Sed in Germania fiſco cedit ſi indignus eâ à lege privetur: per ea quæ tradit Carpzov. *Inſtit. forenſ. part.* 4. *conſtit.* 21. *defin.* 6. *num.* 6. *& ſeq.* Et in Friſia, & Sabaudia hac in parte jus ſcriptum obtinere videtur, teſte Joan. Sande *lib.* 4. *tit.* 4. *defin.* 1. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 16. *defin.* 4. (D. xxxiv. viii. *De his quæ pro non ſcriptis habentur.* & D. xxxiv. *de his quæ ut indignis.*)

43 Sed neque Tabellio in commodum ſuum quid ſcribere poteſt, quamvis dictante teſtatore, *l. divus* 31. *ff. ad leg. Corn. de falſ.* Chriſtin. *volum.* 1. *deciſ.* 350. *& ſeq.* Neque bona per ultimam voluntatem, aut inter vivos, tutoribus, curatoribus, adminiſtratoribus, ſuſceptoribus, eorumve uxoribus, aut liberis, durante adminiſtratione relinqui aut dari poſſunt, contra *l.* 5. *& l.* 31 *ff. de Donat. l.* 29. *l.* 49. *§.* 4. *ff. de legat.* 3. exceptis iis, qui ab inteſtato, & jure ſanguinis nihilominus ſucceſſiſſent, ut ſunt parentes, avi, fratres & ſorores. Quo facit Carol. V. *Placit.* 4. *Octob.* 1540. Et Philippi Hiſpaniar. Reg. in Belgii terris Dominationi ſuæ addictis promulgat. 12. *Jul.* 1611. Statut. Friſiæ *lib.* 1. *tit.* 7. *§.* 6. & Franciſci I. Galliarum Regis *Conſtitutio. Anni* 1539. Grot. *Introd. lib.* 2. *tit.* 16. *verſ.* **Voogdden.** *Conſuetud. Antwerp. tit.* 46. *art.* 7. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de Teſtam. verſ. ita hæc.* Joann. à Sande *lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 19. 20. Chriſtin. *volum.* 4. *deciſ.* 4. *num.* 10. Quod ex verbis placiti *Carol. V.* ad ſola immobilia reſtringit Grot. *d. loco.* Sed quod ad mobilia etiam extendi debet, ſi pretioſa ſint, quæ de jure immobilium naturam habent. *arg. l.* 22. *Cod. de adminiſtr. tutor. cap. tua. extr. de his quæ fiunt à prælatis.* Gloſſ. *in cap.* 1. *verb. aſſiſtentes in fin. de Cleric. ægrot. in* 6. Vid. Cephal. *conſil.* 598. *num.* 54. *& ſeqq.* Quomodo à Philippo declaratam per Ampliationem 28. *Novemb.* 1611.

44 Quomodo & olim, Eccleſiaſticis perſonis & Collegiis, immobilia relinquere prohibitum fuit, *Placit.* 28. *Octob.* 1446. 6. *Julii* 1515. 20. *Martii* 1524. 26. *Octob.* 1531. Quod tamen in deſuetudinem abiiſſe videtur, præſertim apud Reformatos, quibus, præter Noſocomia, Xenodochia, Orphanotrophia, aliaque pauperum ſuſtentandorum, collegia publica, eccleſiaſtica nulla ſunt, neque admittuntur: & in eorum commodum atque uſum, ceſſante cauſa, quæ tunc temporis putabatur eſſe pia, veluti pro celebratione miſſarum, invocatione ſanctorum, reliquiſque miniſteriis ſuperſtitioſis, quorum impius uſus tandem detectus, omnia converſa & tranſlata ſunt.

Quemadmodum & Germaniæ principes piiſſimos pro monaſteriis Scholas, Noſocomia, &
Xenodochia conſtituiſſe refert Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 13. defin. 27. in fin.* & *Juriſ-
prud. Conſiſtorial. lib. 2. tit 21. defin. 332. num. 14.*

Si quis cum viduo, vel vidua, exiſtentibus liberis anterioris matrimonii, ad ſecundas nuptias 45
tranſierit, ſecundo conjugi, teſtamento, pactis dotalibus, aut alio quovis titulo, plus, quam uni
ex filiis primi matrimonii relictum, ex ejuſdem vidui viduæve ſubſtantia conſeque prohibitum
eſt. *l. hac edictali. 6. Cod. De ſecund. nupt.* Quod & mores ſervant. Grot. *Introd. lib. 2. tit. 16.
in fin.* Sande *lib. 2. tit. 3. defin. 4. & ſeq.* manente tamen conſuetudinaria bonorum communio-
ne in quantum pactis antenuptialibus ea renunciatum non ſit. Ut latius infra *lib. 4. cap. 23.
num. 19.* Inibique hoc ſpeciale eſt, ut illud plus, quod à ſecundo conjuge, *ex d. l. hac edictali.* 46
avocatur, non inter liberos communes, tam primi quam ſecundi matrimonii dividendum ſit, ut
quidam putent. *arg. l. 9. Cod. De ſecund. nupt.* per quam *d. l. hac edictali* in hoc caſu correctam
volunt, ſed ad ſolos liberos prioris matrimonii. Ut eſt *in auth. ad eos ſolos. Cod. eod.* & *Novell. 22.
cap. 27.* ex eo quod *d. l. hac edictali.* in favorem liberorum primi matrimonii ſit introducta, ob
injuriam eis à parentibus ſuis illatam, cujus rationis ratio eſt, quod lucrum, quod ab aliquo remo-
vetur, illi applicari debeat, cujus contemplatione removetur, Bart. *ad l. 2. §. videndum. ff. ad
Senat. Tertull. num. 2.* Hanc opinionem probant Bald. *ad l. hac edictal. in fin. num. 25.* Cravett.
conſil. 193. & 194. num. 5. Jacob Cancer. *lib. 3. var. reſolut. cap. 2. n. 196.* Boër. *deciſ. Bur-
digal. 201. num. 6.* & plures quos citat Joann. Baptiſt. Hodiern. *ad d. l. hac edictali. quaſt. 39.
num. 2.* Atque ita à Suprema Holland. Curia 31. *Jul.* 1620. judicatum eſt in cauſa *Adriana de
Ruyſcher* contra *Jacobum Petri*, rurſumque inter *Philippum de Backere* contra *Antonium Thiſium.* 3.
Junii 1634. in pari cauſa, coram eodem ſenatu pronunciatum.

Ita etiam in Gelria & Diœceſi Ultrajectina Statuto & conſuetudine obtinet: ut ne conjux 47
conjugi ex alterius bonis teſtamento, aut alio quovis titulo plus quam Uſumfructum rerum ſibi
mutuo relictarum conſequatur. Conſuetud. Ultraj. *Rubric. 22. art. 7.*

Et in Civitate Delphenſi ſtatuto cavetur: ut conjugi à conjuge nihil niſi reciproce relinqui 48
poſſit. Ut videre eſt *in Conſil. IC. Batav. part. 1. conſ. 136.*

Quæ diſpoſitio *d. legis hac edictali 6. Cod. De ſecundis nupt.* eo uſque extenditur ut nec vitrici 49
aut novercæ liberis, parentibus, aut aliis conſanguineis in fraudem legis quid relinqui aut conſtitui
extra eam portionem poſſit. *arg. l. 3. l. 49. ff. De donat. inter Vir. & Uxor. l. 69. §. 2. ff. De legat. 1. &
l. 27. ff. ad leg. Falcid.* junct. *l. pen. Cod. de his qua vi metuſve & l. unic. Cod. de Contract. Judic.* vid.
Teſſaur. *deciſ. 170.* Boër. *deciſ. 201. num. 3. & num. 6.* & de ſubſtituto, Joann. Baptiſt. Hodiern.
ad l. hac edict. quaſt. 28. Ut & ſuper ſtatuto & jure conſuetudinario prohibente conjuges ſibi
invicem ultra reciprocum rerum ſuarum uſumfructum quicquam relinquere aut donare, ab Ultra-
ject. Diœceſ. Ordd. per interpretationem deciſoriam Variar. quæſt. 14. *April.* 1659. publica-
tam *art. 3.* declaratur: ejuſmodi aut ſimiles diſpoſitiones, liberis, ex altero matrimonio ſuſceptis,
parentibus, fratribus, aut ſororibus, aut aliquibus ex conſanguineis quibus modo ſuperſtes conjux
ullo modo ab inteſtato ſuccedere poſſet, de legis aut ſtatuti fraude, aliquo modo judicio, aut præ-
ſumptione inſimulatas, ipſo jure eſſe nullas, neque ullo modo ſubſiſtere poſſe.

Sed an dicta diſpoſitio etiam locum habeat, in legato, vel donatione liberis ex eodem illo ſe- 50
cundo matrimonio communiter quaſi natis? major difficultas eſſe videtur. Sed quum liberi ex
priore matrimonio nati, ipſa natura communi ſuo parenti, æque ſunt conjuncti, quam illi qui ex
poſteriori conjugio naſcuntur, illique inter ſe hac in parte parem habeant cauſam, æqualis con-
ſanguinatis & paternæ affectionis omnem fraudis ſuſpicionem removet, per text. *in l. fin. ff. De
his quib. ut indign. & ibi* Bart. adeoque ex communi & veriori DD. ſententia receptum eſt,
d. leg. hac edictali: eo uſque extendi non poſſe, quin parens ſi liberis ex priori matrimonio legi-
timam ſervet, aliis ex poſteriori conjugio natis, plus minuſve pro arbitrio ſuo relinquere poſſit.
*arg. Novell. 22. cap. ult. junct. l. 5. Cod. De inofficioſ. donat. in verb. ex quocunque matrimonio.
Novell. 92. & auth. Unde & ſi parens ſubject. l. 6. Cod. De inofficioſ. teſtam.* Bald. *lib. 1. conſil. 164.
in princip.* Gabriël. *lib. 2. concluſ. 13. num. 30.* Surd. *conſil. 94. num. 68. & ſeq. & conſil. 255.
num. 14. lib. 2.* Alexand. Trentacinq. *lib. 3. Var. reſolut. lib. 3. tit. De matrimon. reſolut. 4.
num. 34.* Jacob. Cancer. *lib. 3. Var. reſolut. cap. 2. num. 197. verſ. An autem mater.* Mantic.
de tacit. & ambig. convent. lib. 12. tit. 33. num. 9. Fachin. *lib. 3. controverſ. cap. 66.* Andr. Gail
lib. 2. obſerv. 82. num. 9. Boër. *deciſ. 200. num. 4. & 5.* Gratian. *diſcept. forenſ. tom. 2. cap. 219.
num. 32.* Joann. à Sande *lib. 2. tit. 3. defin. 6.* Neque hic admittenda diſtinctio eorum, qui illud in
patre locum habere concedunt, in matre vero negant, quaſi res à matre liberis poſterioris matri-

monii

monii donatæ, aliquo modo etiam patri, ſaltem quoad uſumfructum acquirantur: cum matri nihil de rebus per patrem filiis donatis quæritur, nec in proprietate nec in uſufructu: Secundo quod contra matrem ſecundo nubentem facilior ſit præſumptio, quod plerumque pro novis maritis, non ſolum res filiorum, ſed ipſos filios primi matrimonii negligat, iiſque poſteriores præferat. Eo quod multa poſſint adduci argumenta, ex quibus illa procedere foret negandum: quippe quod perpetuum non ſit, patrem binubum optimum pro filiis capere conſilium: ſed & novercalibus delinimentis ad inordinatum affectum contra liberos primi matrimonii moveri quandoque poſſit, ſic ut in iis diſpar ratio non ſit, quin maritus mutet voluntatem propter uxorem, ſicut uxor propter maritum. Nec uſusfructus percipiendi ratio tanta eſſe poſſit: ut ſi detur, alioqui affectum vincet, quo pater ipſe liberos ſive primi ſive ſecundi matrimonii magis diligere præſumitur quam propriam uxorem. *arg. l. 30. & l. 16. Cod. De fideicommiſſ.* imo magis quam ſe ipſum, *l. 8. §. ult. ff. quod met. cauſ.* præſertim moribus noſtris, quibus patri uſumfructum bonorum adventiciorum ultra alimentorum refuſionem non competere diximus *lib. 1. cap. 9.*

51 Poſtremo de moribus noſtris notandum quod quidem Caroli V. *Edicto* 4. *Octob.* 1540. his qui cum adoleſcente minore 25. aut fœmina minore 20. annis clandeſtina ſponſalia vel nuptias, extra parentum aut conſanguineorum, magiſtratuſve loci conſenſum contraxerit, de talium deſponſatorum, conjugatorumve bonis, pacto, aut teſtamento ullo tempore quicquam conſequi prohibeatur. Sed illud ipſum *Politica Ordinatione Anni* 1580. *art.* 3. qua ſatis proſpectum eſt ne talis caſus evenire poſſit, quo quis extra notitiam aut conſenſum parentum, Tutorum, aut Magiſtratus loci, Matrimonium valide contrahere poſſit, ſatis abrogatum videtur, contra Grotium, *Introd. lib. 2. part. 11. num. 6. & part. 16. num. 6.* Ubi illud etiamnum obtinere ſcribit.

Cap. V.

De Inſtitutionibus, & quibus modis fiant.

Summaria.

1. *Heredis inſtitutio quid, quomodo & quibus verbis, aut quali denominatione quis heres inſtitui aut heredis inſtitutio fieri poſſit.*
2. *Voluntas teſtatoris potior eſt verbis.*
3. *Notariorum ſive Tabellionum abuſiva locutio, Juris, & bene loquendi, ſcribendique imperitia.*
4. *Imperitia & ignorantia Notariorum notoria, teſtatori aut heredibus nocere non poteſt.*
5. *Verbum* relinquo *an aut quomodo inſtitutionem importet.*
6. *Heredum appellatione ſimpliciter prolata qui veniant.*
7. *Deſcendentium nomine qui veniant.*
8. *An & quando filiorum appellatione veniant nepotes.*
9. *An & quando filia filiorum appellatione includantur.*
10. *Liberorum nomine an & quando veniant nepotes & ulteriores deſcendentes.* Diſting. *contra communes: & quid* Belgica, Germanica, & Gallica Lingua *ſit receptum.*
11. *Pertinentiarum nomine qua comprehendantur.*
12. *Appellatione caſtri, & domus cum ſuis pertinentiis legata, quid veniat.*
13. *An legato domus, veſtimentorum, &c. ſi teſtator nullam domum habuerit, aut veſtimenta nondum fuerint confecta, ſed pecunia ſummam deſtinaverit, ut domum emat, aut pannos emerit, ut exinde veſtimenta confici curet, an eadem pecunia, iidemque panni debeantur? Affirm.*
14. *Jus accreſcendi quod à lege defertur, an & quatenus ſit receptum.*
15. *Hereditatis diviſio per aſſis partes qua & qualis.*
16. *Nulla partium mentione facta, aut in quibuſdam expreſſis, in quibuſdam non, quomodo dividenda hereditas.*
17. *Jus accreſcendi quod à teſtatoris voluntate provenit, quid: & quando locum habeat, inter re, aut verbis conjunctos.*
18. *Conjuncti verbis tantum qui dicantur.*
19. *Re tantum conjuncti qui ſint.*
20. *Re & verbis ſimul conjuncti qui, & quomodo inter eos deficientis pars alteri accreſcat.*
21. *Conditiones inſtitutionum qua & quales, & quomodo adimplenda, ſi copulative aut disjunctive ſive alternative fuerint adjecta.*
22. *Qua ſit alternativa conditio, & quando appoſita intelligatur.*
23. *Conjuncta pro disjunctis, disjuncta pro conjunctis, an & quando habeantur.*
24. *Conditio impoſſibilis pro non ſcripta habetur.*

25. Poſ.

Digitized by Google

25. *Poſſibilis an recte dicatur alia caſualis alia poteſtativa?* Morib. Neg.
26. *Impoſſibilis conditio moribus indiſtincte ipſam diſpoſitionem vitiat, quaſi nihil actum ſit.*
27. *An negativa conditio inſtitutionibus imponi poſſit, & quomodo adimplenda.*
28. *Conditiones alia certa, alia incerta, an & quando impediant aut ſuſpendant inſtitutionem.*
29. *Viduitatis conditio, an alicujus, & cujus ſit effectus.*
30. *Novell. 22. & auth. cui relictum, Cod. De indict. vid. tollend. Uſus minime abrogatus, contra* Groeneweg. *&* DD. *ibid. alleg.*
31. *Conditio nuptiarum in arbitrium alterius collata, an & quatenus ſubſiſtat.*
32. *Conditio, ſi Titio nubat, an valeat, & an pro purificata habeatur ſi Titius recuſaverit?* Affirm.
33. *Modus inſtitutioni adjectus quid operetur, & ex quibus verbis eliciatur.*
34. *Si modus pro ſuccedendi ordine adjectus, ad quem ordinem & ſuccedendi formam referatur, & an ſimultanee, an ordine ſucceſſivo ſuccedatur.*
35. *A pœna conditionibus adjecta an & quatenus quis excuſari poſſit.*
36. *Herede ante teſtorem mortuo quod relictum eſt, jure caduci ad coheredes devolvit.*
37. *Pro ſe & heredibus ſuis relictum an caducitati ſubjaceat.*

HActenus de perſonis inſtituendis aut exheredandis: Sequitur ut de re & effectu inſtitutionis deſpiciamus.

Heredis inſtitutio, eſt juſta ſucceſſionis, in univerſum jus delatio. Heres eſt, qui in univerſum jus defuncti ſuccedit: Succeſſionis autem Jus hereditas eſt. *l. 24. ff. De Verbor. Significat. & l. 62. ff. De Reg. Iur.* De qua ſupra *cap. 1.* 1

D. xxxv. v. *De Rebus Dubiis*, & Cod. vi. xxxviii. *De Verbor. Significatione.*

Vt heres inſtituatur, quem velimus, verbis expreſſis deſignari oportet: quum heres inſtitutus, niſi nomine aut indubitabili ſigno demonſtretur, nemo intelligatur. *l. 9. §. 8. & ſeq. ff. De hered. inſtituend.* nec demonſtratio, niſi certa & indubitabilis, vice nominis fungitur. *l. 6. de reb. cred. l. 34. ff. de condit. & demonſtrat. junct. l. 58. ff. De hered. inſtituend.* Et neque ſi certus ſcriptus ſit, aut nuncupatus, heres erit, niſi & mens teſtatoris illud voluerit. Verbi cauſa, ſi teſtator in perſona inſtituti, aut conjunctione ſanguinis erraverit, conſtat neque eum heredem eſſe, quia ſcriptus eſt, qui voluntate deficitur, neque eum quem teſtator voluit, quia ſcriptus non eſt. *l. 9. in pr. ff. De hered. inſtituend. l. 5. Cod. de Teſtam. l. 4. Cod. De hered. inſtituend.* Niſi demonſtratio illa non errore, ſed falſa tantum circumſtantia laboret, quæ dum voluntatem non impediat, inſtitutioni nunquam nocet. *l. 17. l. 33. ff. De cond. & demonſtrat.* veluti, ſi quis erret in patre, aut patria, aut ſimili aſſumptione; & tamen de perſona ipſa ſatis conſtet. *l. 48. in fin. ff. de hered. inſtit.* Vide Mantic. *de Conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 4. tit. 7. & ſeq.* adeo ut ex conjecturis probari poſſit cui relinqnere voluerit teſtator. Vt late idem Mantic. *d. tract. lib. 8. tit. 4. num. 5.*

Ipſam autem inſtitutionem, ſive heredis vocationem verbis quibuſvis exprimi poſſe receptum eſt, *l. 15. Cod. De Teſtam.* Gloſſ. & Bart. ad *l. 48. ff. de hered. inſtituend. junct. l. 1. §. 5. & ſeq. l. 41. in princip. ff. eod.* Sed nec hic quicquam nuncupatum cenſetur; in quibus voluntas teſtatoris ullo modo refragetur. *d. l. 9. in pr. ff. de hered. inſtit.* Voluntas enim totum diſponit. *l. 35. §. 3. ff. eod. l. 12. ff. de legat. 1.* & in dubio potior eſt verbis, *l. 15. & l. pen. ff. De legat. 1. l. 57. §. 1. ff. eod. Sen. Treb.* quæ intentioni ſervire debent, non intentio verbis, ne quum nimia verborum ſubtilitate utamur, judicia teſtantium defraudentur. *l. 7. Cod. De Inſtitut. & Subſtitut.* Adeo ut propter præſumptam teſtatoris voluntatem, quandoque à verborum proprietate recedatur, & verba improprie accipienda ſint. *l. 101. in pr. & §. 2. ff. de condit. & demonſtrat. d. l. 57. §. 1. ff. ad Senat. Trebell. l. 3. Cod. de Inſtit. & Subſtitut. l. 69. ff. de leg. 3.* Et quum verborum ſubtilitas à quolibet teſtatore non percipiatur, juxta not. *in §. ult. Inſtit. Qui teſtam. tutor. dar. poſſ.* Bald. *lib. 3. conſil. 40. col. 2. verſ. præterea illa ſubtilitas.* iiſdem contra præſumptam teſtatoris intentionem præciſe ſtari non oportet: quum nec ipſi legum conditores in verbis hæreant, ſed rerum ponderent exitus. *l. 17. ff. de legib.* Bald. *in l. 1. Cod. de furt. num. 13. & in l. Si quis ſervo 20. num. 7. eod.* Verborum enim controverſia torquet homines, contentionis cupidiores quam veritatis: ideoque pertinacibus relinquenda, inquit Gloſſ. *in l. 2. Cod. de Conſtit. pecun.* Vide Mantic. *de conjectur. Ultim. Volunt. lib. 1. tit. 3. lib. 2. tit. 3. & lib. 3. tit. 3. 4. 5.* Simon. de Prat. *de interpret. Ultimar. volunt. lib. 2. interp. 1. dub. 1. ſolut. 2. & 10.* 2

Quibus accedit, quod Tabelliones plerumque inveterata conſuetudine abuſive loquantur, nec propriis nominibus ac vocabulis ſemper utantur, eorumque imperitia Advocatorum meſſis ſit præ- 3

præſertim circa ultimas voluntates, quibus ut plurimum, propter juris ignorantiam, ex in veteratis ſuis formulis, clauſulas apponunt, quas ipſi non intelligunt, plane ſupervacuas, & quandoque voluntati teſtatoris refragantes. Ut olim de eorundem imperitia exclamarunt, Angel. *conſil. 338. in princ. & 342. in pr. Item conſil. 364. num. 6. verſ. quapropter.* Paul. Caſtrenſ. *ad d. l. cum filio. 3. ff. de Vulg. & pupill. Subſtitut.* & Zaſ. *ad l. cum & filio. 39 ff. eod num.* 4. Alexand. *conſil. 52. num. 26. & ſeq. & vol. 4.* Bald. *conſil. 6. in pr. vol.* 4. Et nunc infinitas lites ex Tabellionum imperitia quotidie oriri conſtat. Quo pertinet Synodi Tridentinæ 6. *Seſſ. Can.* 10. Ubi aperte dicitur: ex Notariorum imperitia plurima damna, & multarum litium occaſionem oriri. Et noviſſime Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 1. conſtit. 2. defin. 15. & defin.* 20. poſt Ludovic. Roman. *ſing.* 53. Hippolyt. de Marſil. *Rubr. de fidejuſſor. num.* 39. Anton. de Amat. *deciſ.* 29. 30. & Vincent. Catoc. *deciſ. 22. num. 1. & 2. & alios ibid. alleg.* eos plerumque inſtar cantorum eſſe refert, qui quum per practicam bene cantent, rationem tamen cantus ſui ignorant, ſimiles pſittacis, qui in palatiis dominorum ſtant, & quid loquantur neſciunt, omnibus morbis uno collyrio mederi volentes: vocatque eos fratres ignorantiæ, inter quos ſi unus doctus & expertus reperiatur, viginti quinque indocti ſint, nullam juris notitiam habentes.

4 Quare non immerito Notariorum incuriam & imperitiam teſtatori, aut heredibus ejus minime nocere receptum eſt, ſi modo mens & voluntas teſtatoris contraria appareat, *arg. l. 7. & l. 24. Cod. de Teſtam.* Vide Mantic. *de Conject. Ultimar. volunt. lib. 2. tit. 3. num.* 6. Menoch. *lib. 1. conſil. 37. num.* 112. Decii *conſil. 399. num.* 8. Cravett. *conſil. 147. num.* 5. & Cephal. *conſil. 196. num.* 11. Quomodo ab Hollandiæ Curia *ult. Jul.* 1657. inter heredes *Andreæ Theodori van Sauen* judicatum notavi, ſub clauſula illa: *heredum ab inteſtato proximorum*, perperam, & contra teſtatoris intentionem reſtrictive à Tabellione adjectam, voluntate Teſtatoris aliunde probatâ, tam à paterna, quam materna linea proximos comprehendi: eo quod ex mente teſtatoris ſimul ad hereditatem eſſent vocati, quorum alias hi illos ut gradu remotiores, propter teſtamenti verba, & ab inteſtato ſuccedendi conſuetudinem, excluſiſſent. Sed quum de quibuſdam verbis propter nimiam eorum generalitatem, & figuratum impropriumque loquendi modum in praxi valde dubitari ſoleat, quædam hic circa diſpoſitiva inſtitutionum verba veniunt notanda.

5 Ac primo quidem dubium videtur, an verbum *relinquo*, inſtitutionem importet? Quod quidem ſi rei particulari ſit adjectum, heredis inſtitutionem non importat Si vero univerſitati bonorum adjectum ſit, neque in alium collata inſtitutio accedat, aut alias perſonæ ex neceſſitate inſtituendæ accedat; inſtitutionem, & heredis titulum ex præſumpta teſtatoris voluntate inducere volunt Graſſ. *recept. ſent. §. inſtitutio quæſt. 14. num.* 7. Vaſq. *de Succeſſion. progreſſ. lib. 1. §. 3. num.* 13. DD. *ad. l. 48. ff. heredib. inſtit. & auth. noviſſima. Cod. de inoffic. teſtam.* Vid etiam Conſ. JC. Batav. *part. 1. conſ.* 158. 175. 265. 276.

6 Deinde obſervandum eſt, per heredum, aut heredis verbum ſimpliciter prolatum, heredes legitimos & ab inteſtato proximos intelligi per *l. heredis. 170. ff. de Verb. Significat.* Bart. & DD. ad *l. Gallus. 29. §. etiam ſi parente. 13. ff. De lib. & poſthum.* facit *l. peto. 69. §. 3. in verb. Quid ergo. ff. De legat. 2. & ibi* DD. Grot. *Introd. lib. 2. cap. 18. in fine.* Jul. Clar. *§. teſtament. quæſt. 76. num.* 13.

7 Deſcendentium vocabulo in infinitum veniunt omnes tam maſculi quam feminæ, & qui ex his progeniti ſunt, per text. in *Novell. 118. cap. 1. & l. ult. Cod. De ſuis & legitim. hered. l. cognoſcere 56. §. 1. ff. de Verb. Signif.* nepotes & pronepotes, nati, & naſcituri, ſi ſcilicet ad futurum tempus diſpoſitio ſit collata, *l. Lucius* 85. *& l. ultim. ff. de heredib. inſtituend.* Alexand. *conſil. 26. lib. 3. num.* 5. nec ſolum liberorum nomine eos ſubintelligi: per text. *in l. liberorum 220. ff. de Verb. Signific.* & ibi DD. ſed & Succeſſorum nomine liberos deſcendentes, nepotes, & heredes proximos contineri conſtat. *l. cum acutiſſimi. 30. Cod. de fideicommiſſ. & l. ex facto. in §. ult. ff. ad Senat. Trebell. & ibi* DD.

8 Si teſtator filios vocaverit, an eorum appellatione Nepotes veniant? Ita videtur: Si de commodo eorum agatur, nec tertius heres in eum caſum gravetur. *arg. l. juſta interpretatione 201. ff. de Verb. Signif. junct. l. quid ſi Nepotes. 6. ff. de Teſtam. Tutel.* ut poſt Hartmann. Piſtor. *lib. 3. quæſt. 30. num. 7. & lib. 4. quæſt. 9. num.* 71. & alios ibid. allegatos, deciſum refert Joann. à Sande *lib. 4. tit. 5. defin.* 10. Minime vero, ſi de eorum incommodo agatur: quum in perſonis gravandis, verba ſecundum ſtrictiſſimas juris regulas ſint accipienda, in quibus de re ad rem, de caſu ad caſum, aut de perſona ad perſonam non fit extenſio. *l. commodiſſime 10. ff. de liber. & poſthum. cap. odia. De Reg. Jur. in 6.* & ibi DD. Vide hac de re latius Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6.*

tit. 18.

tit. 18. *def.* 4. Trentacinq. *deciſ. Forenſ.* 92. *num.* 2. 4. 5. Mantic. *De conjectur. Ultimar. voluntat. lib.*8. *tit.* 8. & Menoch. *lib.*4. *præſumpt.* 94. Vbi plures referunt conjecturas, ex quibus colligitur ſub diſpoſitione de filiis facta, etiam nepotes contineri.

Vtrum vero in ultimis voluntatibus, filiorum appellatione etiam filiæ includantur? Dubium 9
non eſt, quin maſculinum genus ſuſcipiat femininum: *l. ſi ita ſcriptum.* 45. *ff. de legat.* 2. *l. qui duos.* 62. *& l. Servii.* 81. *ff. de legat.* 3. *l. quiſquis.* 116. *ff. de Verb. Signific.* Niſi teſtationis voluntas refragetur, & ex legitimis conjecturis conſtare poſſit, teſtatorem de maſculis tantum ſenſiſſe. De quibus vide Mantic. *De conjectur. Ultim. volunt. lib.*6. *tit.*15. *& lib.*8. *tit.*7. *num.* 1. *in fin.* Joann. à Sande *lib.* 4. *tit.* 5. *defin.* 9.

Major autem difficultas eſt, an & quando liberorum nomine veniant nepotes, & ulteriores 10
deſcendentes: Quæ quidem voluntatis & facti quæſtio mihi eſſe videtur, adeoque generalem, *l.* 220. *ff. De verb. Significat.* deciſionem reſtringendam eſſe putem, ut non habeat locum, niſi aut apertiſſimis verbis conſtet, aut probabilibus voluntatis conjecturis erui poſſit, teſtatorem hoc voluiſſe: Vt poſt Vldalricum Zaſium recte notat Goedæus ad *l.* 84. *ff. eod. in fin.* Quomodo, ſi teſtator liberos ſuos, & in propria familia exiſtentes nominaverit, etiam ad ulteriores deſcendentes ſuos intentionem ſuam extendiſſe præſumi debet: propterea, quod in recta linea pro adſcendentium ſucceſſione per repræſentationem, ut vocant, & ulteriores deſcendentes in infinitum in parentum ſuorum locum ſubintrent: quod & poſtea *Novell.* 118. *cap.* 3. ad fratrum filios, & moribus noſtris ad fratrum nepotes, & patruorum avunculorumve filios extenſum eſt. *Politic. Holland. Ordin. art.* 28. *Particul. Succeßion. Placit. art.* 7. 9. Quare & euſque dictam teſtatorum ulteriorum deſcendentium incluſionem, liberorum appellatione contineri, de moribus noſtris conſequens eſt: Cæterum ſi extranei cujuſdam, & extra repræſentationis gradum liberos quis inſtituerit, eive aliquid ſimpliciter legaverit, ad primi tantum gradus liberos, minime ad ulteriores eorundem deſcendentes poſſe extendi verius eſt: Ea enim quæ expreſſæ legis, aut conſtitutionis in inteſtatorum ſucceſſionibus, eadem in ultimis voluntatibus, de verborum ſignificatione juſta interpretatio eſſe debet. Quæ quum in ſucceſſionibus appellatione liberorum ultra fratrum & ſororum nepotes, & patruorum, avunculorumque liberos primi gradus, nullam repræſentationem in defunctorum locum admittat, nec hic admittendam eſſe, conſequens eſt: niſi teſtator id palam expreſſiſque verbis voluerit: Quo ipſo adverſantium alias DD. opinioni ſatis reſponſum putem.

Quo facit quod noſtrâ linguâ primi gradus liberi, haud aliter quam liberorum appellatione exprimi poſſint, aut ſoleant; præſertim quum de extraneorum liberis ſermo eſt, quos filiorum aut filiarum appellatione denominari, ut nemo vero dixerit; ita nec obtinere conſtat, ut filiorum nomine alios quam proprios denotemus: quod quoad mores noſtros deciſorium mihi videtur: per text. in hanc rem ſingularem in *l.* 7. *ff. De Supellectile legat.* Ubi in iiſdem terminis reſpondit Juriſconſultus: Quod ſententia ejus qui legavit, aſpici oporteat, in quam rationem eam ſolitus ſit referre: eo quod non ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina exaudiri ſoleant. Eoque pertinet, quod Uldalric. Zaſius *conſil.* 7. *vol.* 3. de Germaniæ moribus notat, in eadem lingua non exſtare vulgare & generale nomen liberorum, ideoque verbum **kind/oder kind'ren/** reſpicere illud Latinum filium, aut filios, diſtinctum à nepotibus: contra quam Goed. ad *l.* 84. *ff. De Verb. Signific. num.*4. illud explicare voluit; Quod idem fere convenit cum Gallica dictione, *(enfans,)* quam, licet alii etiam collectivam & ulteriorum graduum voluerint, à Pariſienſi tamen Senatu hoc ſenſu ad filios primi gradus coarctatam refert Mornac. ad *l.* 6. *Cod. ad Senat. Macedon.* Neque alio ſenſu Modeſtinus Piſtor. *part.* 2. *quaſt.* 118. *& conſil.* 52. *quaſt.* 3. *num.* 43. cenſuit, vocabulum (**kind'ren**) comprehendere quidem utrumque ſexum, hoc eſt, tam filios quam filias; non tamen plures gradus quam primum: & ideo ad tollendas dubitationes dici ſolere **kind'ren / ofte kindts kind'ren** / id eſt liberos ulterioreſve deſcendentes, nobis **afkomelingen** / prout & à Friſiæ Senatu judicatum refert Joann. à Sand. *lib.* 4. *tit.* 5. *defin.* 10.

Utilis etiam eſt diſcuſſio eorum, quæ pertinentiarum nomine, ſive expreſſe, ſive tacite venire 11
ſolent. Veluti, ſi teſtator caſtrum, vel domum legaverit cum pertinentiis ſuis: Quo caſu verbum *pertinere*, ſive *pertinentiarum*, latiſſimam habet ſignificationem, ut omne jus tam corporale, quam incorporale, omniaque quæ ad rem, de qua tractatur, ullo modo, ſive de jure communi, ſive conſuetudine, vel ſtatuto pertinent, comprehendat. Ut poſt Imol. & Canoniſt. ad *cap. cum ad ſedem. extr. De reſtitut. ſpoliatur.* Socin. *fallent. Jur. Regula: Pertinentiarum*, & late Card. Tuſch. *practicab. concluſ. tom.* 6. *litt.* P. *concluſ.* 323. Sic ut appellatione caſtri cum ſuis pertinentiis ve- 12
niant omnia prædia, quæ ad caſtrum pertinent, molendina, juriſdictiones, & territorii jura. Cra-

vett,

vett. *conſil.* 54. *conſil.* 480 *conſil.* 893. *num.* 5. Et domo legata cum ſuis pertinentiis, veniat apotheca, taberna, conclave, ſtabulum, hortus, & alia domui ſecundum uſum legantis annexa. text. *in l. prædiu.* 91. *ff. de legat.* 3. *l. Oſidius.* 97. *& l. qui habebat.* 101. *ff. eod.* Alexand. *lib.* 2. *conſil.* 223. *& lib.* 6. *conſil.* 204. Pecc. *De Teſtam. conjug. lib.* 5. *cap.* 27. Quemadmodum ſi vel domus legata fuerit, cum omnibus quæ in ea reperiuntur, intelliguntur ſaltem mobilia illa quæ ad perpetuum domus uſum deſtinata ſunt, non etiam ea quæ ad tempus tantum fuerunt duratura, *arg. l. Cajus.* 86. *ff. de legat.* 2. *l. Si fundus.* 44. *ff. de legat.* 3. *l.* 32. *§.* 2. *ubi.* Gloſſ. *ff. de Uſufruct. legat.* nec ea legato comprehendi intelliguntur, quæ non proprie ad ipſius domus uſum ſpectant. Ut late Menoch. *De præſumpt. lib.* 4. *præſumpt.* 129. *num.* 7. *& ſeq. & præſumpt.* 155. *num.* 4. *& ſeq.* Matth. Coler. *part.* 2. *deciſ.* 245. Carpzov. *Juriſprudent. Forenſ. part.* 3. *conſtitut.* 13. *defin.* 28.

Quæ etiam locum habere videntur, etiamſi pertinentiarum mentio expreſſa non ſit; in his ſcilicet quæ jure communi, ſtatuto, vel conſuetudine, ad ipſius rei exiſtentiam & uſum quoquo modo pertinere intelliguntur. Ita legata domo, hortus, penus, & granarium domui annexa, nec ab uſu ſeparata, continentur, licet pertinentiarum mentio facta non ſit, *d. l.* 91. *§.* 4. *& ult.*
13 *ff. de legat.* 3. *l. ſi mercedem.* 53. *§.* 1. *ff. de Action. empt.* Gloſſ. & Bart. *ad l. Uxori* 33. *ff. de leg.* 3. Atque adeo legata domo, ſi teſtator nullam habeat, ſed certam pecuniæ ſummam deſtinaverit, ut domum emat, pecunia illa debebitur, & ad legatum domus pertinere intelligitur, *arg. l. à Divo* 15. *§. final. ff. de Re judicat.* quum illa deſtinatio ex quantitate faciat corpus. *l. ſi certos* 37. *ff. de Verb. Obligat. l. Sed ſi certos.* 51. *ff. De legat.* 1. Vide Zaſ. *ad l. cætera*, 41. *§. ſed ſi ſeparavit.* 14. *ff. de leg.* 1. *num.* 18. Sic ad legata veſtimentorum etiam pertinent, panni inciſi, ſed in formam veſtium nondum redacti, apud ſartorem exiſtentes, alias parandis veſtibus deſtinati. *l. veſtimentum.* 22. *& ſeq. ff. de auro argent. legat.* & ibi Bartol. Vide Pecc. *de Teſtament. conjug. lib.* 5. *cap.* 29. & Nicol. Everhard. *conſil.* 115. Sed hac de re plura de Legatis.

Modus heredem inſtituendi poſitus eſt in quantitate & qualitate. Cod. vi. xxv. *De Inſtitutionibus & Subſtitutionibus.*

Quantitas hereditatis eſt, aut tota & integra, aut diviſa.

Integra hereditatis quantitas, ad heredem pertinet, ſi unus tantum ſit heres inſtitutus, ſive univerſaliter inſtitutus ſit, ſive ex parte tantum; dummodo ei nullus coheres adjunctus ſit: quia nemo pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decedere permittitur. *§.* 5. *Inſtit. De hered. Inſtit. l.* 7. *ff. de Reg. Jur.* Quibus individua defuncti perſona pro parte, & diverſo ſucceſſionis genere
14 repræſentari prohibetur: Sic ut inſtituto in re aut parte certa, nullo dato coherede, tota hereditas accreſcat, ac ſi ex aſſe heres inſtitutus eſſet, & quaſi ſine parte ſcriptus totam hereditatem capiet, excluſis ab inteſtato ſucceſſuris. *d. §.* 5. *Inſtit. l.* 41. *in fin. ff. de Vulg. & pupill. ſubſtit. l. pen. §.* 2. *ff. de Caſtrenſ. pecul. l.* 9. *§.* 13. *ff. de hered. Inſtit.* & dies inſtitutionibus adjectus pro ſupervacuo habetur, & perinde eſt ac ſi pure heres inſtitutus ſit. *§.* 9. *Inſtit. eod.* excepto ſolum milite, cui ex privilegio ſubvenitur, ut etiam ex parte teſtari permittatur. *l.* 15. *§.* 4. *l.* 41. *ff. De Teſtam. milit.* Sed moribus hujuſmodi Romani juris ſubtilitate derogatum eſt: Quibus generali paſſim conſuetudine receptum eſt, ut unicuique pro portione bonorum, & teſtato & inteſtato diſcedere liceat, præſertim virtute clauſulæ Codicillaris communiter teſtamentis adjectæ: quo ipſo reliqua pars heredi ſcripto non accreſcit, ſed quaſi jure fideicommiſſi ex præſumpta teſtatoris voluntate ad heredes ab inteſtato pertinere intelligitur: & porro ad tempus quiſque heredem facere poteſt, & ex certo tempore, ut aut poſt tempus, aut antequam dies veniat, inteſtati hereditas deferatur. Grot. *Introduct. lib.* 2. *cap.* 18. *verſ. pen.* Gudelin. *de Jure Noviſ. lib.* 2. *cap.* 5. *verſ. ac ex. & verſ. poſterior.* Chriſtin. *volum.* 1. *deciſ.* 305. *num.* 18. *&* 312. *num.* 2. *& volum.* 4. *deciſ.* 10. Zypæ. *Notit. Jur. Belg. De Teſtament. in princip.* Joann. à Sande *lib.* 2. *tit.* 2. *definit.* 2. Autumn. *Cenſ. Gallic. in l.* 11. *& l.* 63. *ff. de hered. Inſtitut.* Vinn. *ad d. §.* 9. *Inſtit. de hered. inſtit. num.* 5. Adeoque jus illud accreſcendi, quod ex legis poteſtate, nec ex mente, aut directa voluntate teſtatoris defertur, moribus receptum non eſt, ut variis facti ſpeciebus enucleat Adrian. Baſſon in manipulo ſuorum conſiliorum, quibus de patrio jure hac in parte potiſſimum reſpondit: Sed Germaniæ moribus jus ſcriptum etiamnum obtinere videtur; ex eo quod in foro Saxonico deciſum refert Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 2. *defin.* 5.

Si vero duo vel plures ſimpliciter heredes inſtituti ſint, dividenda hereditas eſt: tot enim heredes inſtituere quis poteſt, quot voluerit. *§.* 4. *Inſtit. de hered. inſtit.*

15 Dividitur communiter in duodecim uncias ſive partes, quæ aſſis appellatione continentur,

propriiſque ſuis nominibus ab uncia ad aſſem diſtinguuntur, *§. 5. Inſtit. de hered. inſtit. & l. 10. §. ult. ff. eod.* hoc modo: Aſſis nomine tota hereditas, duodecim partium ſive unciarum deſignatur. Quomodo heres ex aſſe dicitur, qui integram hereditatem capit: Decunx undecim uncias ſive aſſis partes continet; Dextans decem: Dodrans novem: Bes octo: Septunx, ſeptem: Semis ſex duodecimæ, ſive aſſis partibus valet, eſtque dimidia hereditatis pars: Quincunx quinque: Triens quatuor: Quadrans tres: Sextans duas duodecimæ uncias habet. Quorum ſextans ſextam, quadrans quartam, triens tertiam, ſemis dimidiam, & dodrans tres aſſis quartas, continent, iiſque nominibus promiſcue etiam denominari ſolent: quippe quod præter haſce veterum computandi formulas, (de quibus vide Anton. Auguſtin. *Emendat lib. 2. cap. 8.* & Duaren. *lib. 2. diſput. 36.*) hereditas etiam in partes naturales dividi ſoleat, veluti in duas dimidias. *l. 2. §. 7. ff. De collat.* in tres tertias, in quatuor quartas, *§. 7. Inſtit. de hered. inſtituend.* & in ſex ſextas. *l. 76. ff. de Acquir. vel amittend. hered.* Quod & moribus fere ſequitur, quibus per eaſdem partes inſtitutio vix frequentatur, & rarior in teſtamentis aſſis vel unciarum meutio fieri ſolet.

Hæc hereditatis diviſio tribus potiſſimum caſibus locum habet: I. Si heredes plures, nulla 16
partium mentione facta indefinite inſtituti ſint à teſtatore: quo caſu æqualiter inter eos tota hereditas dividitur. *§. 6. Inſtit. de hered. inſtit. l. 13. §. 2. 3. 4. ff. eod.* II. Si teſtator in quibuſdam expreſſerit, in quibuſdam non. Quo caſu, etiamſi partes diſtributi infra aſſem ſint, quod aſſi deeſt, cedit iis qui ſine partibus inſtituti ſunt. *d. §. 6. & l. 13. ff. eod.* ſi aſſem ſuperant ad dupondium, eodem modo quo ſupra, proceditur. *§. 8. Inſtit. eod. l. 14. §. ult. ff. eod.* vel ſi partes expreſſæ aſſem exæquent, ſine parte ſcripti in novum aſſem veniunt. III. Si teſtator ſolennem aſſis diſtributionem ſecutus, in omnibus quidem partes ſuas expreſſit, ſed tamen pauciores vel plures fecerit quam duodecim, quo caſu ſi infra aſſem denumeratio facta ſit, quod uſque ad aſſem ſupereſt, non æqualiter aut in partes viriles, ſed pro cujuſque rata accreſcit: ſed ſi denumeratio aſſem excedat, id quod excedit pro cujuſque rata decreſcit, vel accreſcendo ad dupondium proceditur, ex veriſimili mente teſtatoris: quod eodem recidit, ſi rurſum dupondius ad aſſem redigatur. Sic ut, ſi teſtator unum in duodecim, alium in ſex unciis inſtituerit, horum, utraque computatione, alter beſſem, alter trientem conſequetur: quia teſtator duplo plus adjunxerat priori, quam ſecundo. *§. 6. 7. 8. Inſtit. de hered. inſtit. l. 13. §. 2. 3. 4. ff. eod.*

Cæterum, extra hos caſus teſtator pro ſuo arbitrio eam diſtributionem ſequi aut non ſequi, & in partes duodecim vel in pauciores, vel in plures, pro cujuſvis faciliori intellectu, diſtinguere poteſt: *l. 13. §. 1. 2. 3. & fin. ff. de hered. inſtituend.* Veluti, ſi tres heredes ſcripſerit, ſingulos ex quincunce; hereditatem ſuam in quindecim uncias & partes naturales: vel ſi duos tantum, unum ex quadrante, alterum ex triente heredes ſcripſerit: in ſeptem partes naturales, quarum unus tres, aliter quatuor partes accipiet: hereditatem ſuam diviſiſſe videtur, *l. 13. §. ult. l. 18. ff. de hered. inſtit. l. 13. in princip. ff. de lib. & poſthum.* Quod & uſu frequentiſſimum eſt, quibus aſſis partes per uncias vix amplius frequentari diximus. Pluribus in re certa aut tota hereditate ſimul inſtitutis, ſi aliquis eorum ante obitum teſtatoris, aut alio quovis modo defecerit, reliquis partem facit habetque locum Jus accreſcendi, de quo *in l. Re conjuncti. 89. ff. de leg. 3. l. item. quod 17. ff. de heredib. inſtit. l. 42. ff. de Verb. Significat. & l. unic. §. His itaque. Cod. De Caduc. tollend.*
Eſtque Jus retinendæ, vel acquirendæ partis ejus, qui non concurrit, aut concurrere deſiit: prout 17
definitur à Cujac. *tractat. ad African. 5. ad l. qui Uſumfructum. 36. §. ult. ff. De Uſufruct.* Sic ut non illud ex lege, ſed ex teſtatoris arbitrio deferatur, cujus liberæ voluntati relinquitur, unum vel plures conjunctim vel disjunctim inſtituere, quam lex tantum confirmat, & appmbat, ut recte diſtinguit Corn. Swanenburg. *tractat. De Jure Accreſcend. cap. 6.* Quod ut ſtatuatur, moribus magis convenit, quibus quum pro parte teſtatus & pro parte inteſtatus decedere poſſit, illud Jus accreſcendi quod ex legis poteſtate in eum caſum deferri ſolebat, moribus abrogatum eſſe diximus.

Conjunctio illa quæ Jus accreſcendi efficit, alia eſt ſimplex, alia compoſita. *d. l. 42. ff. De Verb. Significat.*

Simplex eſt conjunctio quæ verbis tantum, vel re tantum facta eſt.

Verbis tantum: veluti quum duobus vel pluribus una eademque res pet partes relinquitur: ut ſi 18
dixerit teſtator, Titius & Sejus ex æquis partibus heredes ſunto: aut Cajo & Sejo fundum Tuſculanum ex æquis partibus do lego: Non quod nullo modo ſint re conjuncti, ſed quod teſtator dederit partes à ſe invicem diſtiuctas, non re ipſa, ſed mente & cogitatione, *l. 16. §. ult. ff. de leg. 1.*

Re tantum: quum duobus ſeparatim res eadem datur: veluti, Titio fundum Cornelia- 19
num do lego, Titius heres eſto, Sempronius heres eſto. Qui etiam, quia verbis conjuncti

non

nnn ſunt, disjuncti appellantur: ſicut verbis conjuncti disjuncti dicuntur, quia re conjuncti non ſunt, *d. l. unic. §. 11. Cod. De Caduc. Tollend.* ut & ſeparati *l. 1. in pr. & §. 2. ff. de Uſufr. Accreſc.*

20 Compoſita conjunctio eſt, quando perſonæ re & verbis ſimul conjunguntur, & pluribus eadem res conjunctim relicta eſt: Veluti, Cajo & Sejo fundum Tuſculanum do lego.

Et quidem de re tantum, aut re, & verbis ſimul conjunctis dubium non eſt, quin inter eos locum habeat jus accreſcendi. *§. 8. Inſtit. de legat. & d. l. Re conjuncti. 89. ff. de legat. 3.* Sed tota difficultas eſt in conjunctis verbis tantum, qui eadem oratione ad hereditatem vocantur, additis his verbis: æquis partibus. Et quum hos nihilominus re conjunctos eſſe conſtet, & verbis tantum disjuncti ſint, (non quod nullo modo re conjuncti ſint, ſed quod teſtator dederit partes à ſe invicem diſtinctas, non re ipſa, ſed mente, & cogitatione) quum partes ſingulis tributæ, rem non magis dividant, quam ſi expreſſæ non eſſent, quo ſenſu recte Eguin. Baro *ad §. 8. Inſtit. de legat.* non aliter differre inquit, verbis conjunctos à conjunctis re & verbis, niſi quod in illis partes æquæ exprimantur, in his non utique: *arg. l. 16. in fin. ff. de legat. 1.* qui tamen ab initio non minus voluntate defuncti partes habent: *l. 34. §. eod. ff. eod.* Sic ut inter eos quoad effectum nihil differat: *l. 38. §. 5. ff. De hered. inſtit.* Conſequens eſt inter verbis conjunctos etiam accretioni locum eſſe, adeoque re conjunctis præferri. Ut eſt text. *in d. l. 89. ff. de leg. 3. junct. d. l. 16. §. fin. ff. de legat. 1.* Vide porro Duaren. *De Jure Accreſcend. lib. 1. cap. 9.* & Gomez. *lib. 1. Reſolut. cap. 10.* Graſſ. *Recept. Sentent. §. Jus accreſcend.* Anton. Fab. *De Errorib. Pragmatic. Decad. 49. 50.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 312. & ſeq.* Et poſt omnes Arnold. Vinn. *ad §. 8. Inſtit. De legat.*

Qualitas inſtitutionis conſiſtit in heredis exiſtentia, quæ oſtendit quomodo & quando heres *VII. De Conditionibus Inſtitutionum.*
ſcriptus fiat heres. Poteſt enim heres inſtitui non ſolum pure, ſed etiam ſub conditione, in ali-
21 quem caſum delata, *l. 10. §. 1. ff. de condit. inſtit. §. 9. Inſtit. de hered. inſtit.* una, vel pluribus, quæ ſi conjunctim inſtitutioni adſcriptæ ſint, veluti: ſi illud & illud factum fuerit, omnibus parendum eſt, ſi ſeparatim, veluti ſi illud aut illud factum fuerit, cuilibet obtemperare ſufficit, *§. 11. Inſt. de hered. inſtituend. l. 5. Cod. de Condit. Inſtitution.* Quod & in ſtipulationibus obtinet. *per l. 129. ff. de Verb. Oblig.* plures enim conditiones conjunctim ſcriptæ unius loco habentur, & in alternativis alterum adimpleri ſufficit, *cap. in alternativis. De Reg. Jur. in 6. l. 110. §. 3. ff. de Reg. Jur.* Quod ut plurimum locum habet in diſpoſitione disjunctiva, ut ſi teſtator utatur
22 vocula (ſive) quæ dictio oſtendit alterum ſufficere inſtituto, Nicol. Everhard. *in legal. à Natura alternativorum.* Peccius & Dynus ad *d. cap. in alternativis. De Reg. Jur. in 6.* late Card. Tuſch. *pract. concluſ. tom. 1. concluſ. 37. litt. A. poſt* Bald. *conſ. 410. num. 3. verſ. nam iſta dictio.* Si vero inſtitutio facta ſit in caſum, ad cujus adimpletionem plura copulative requiruntur, non ſufficit unum tantum intervenire, per *d. l. 5. Cod. de Condit. Inſtitut. & l. 78. ff. de Condit. & Demonſtrat.*

Sed & quandoque conjuncta pro disjunctis, disjuncta pro conjunctis, & ſoluta pro ſeparatis haberi conſtat, per *l. 53. junct. l. 29. ff. de Verbor. Signific.* Qui textus tamen probe & ſecundum ſubjectam materiam tantum procedere intelligendi ſunt. Nec adeo generaliter ſumendi, ut in cujuſque arbitrio, & poteſtate poſitum eſſe credatur conjuncta pro disjunctis accipere, vel dis-
23 juncta pro conjunctis, ſed tam demum locum habere dicendi ſunt, ſi quando vel juris ratio, vel teſtatoris, vel contrahentium voluntas, aliam interpretationem admittere non poteſt: Ut in exemplo *l. generaliter. 6. Cod. De Inſtitut. & Subſtitut.* & ad eam Anton. Fab. *in Conjectur. lib. 17. cap. 18.* facit etiam *l. 13. §. 1. & ſeqq. De reb. dub.* Everhard. *in loc. legal. à Natura copula. 109.* Quomodo etiam quandoque oratio, quæ nec conjunctionem, nec disjunctionem habet, ex pronuntiantis mente, vel conjuncta, vel disjuncta accipi debere, & copulam etiam diverſa copulare. textus eſt *in l. 28. ff. de Verb. Significat.* & ibi Alciat. & ad *d. l. 53. ff. eod.* Conditio enim non ex figura verborum diſcernenda eſt, aut æſtimenda; ſed ex earum vi, ac poteſtate, quam ſola teſtatoris aut contrahentium voluntas inducit. *l. 19. in pr. §. 1. & 2. l. 101. in princ. & §. 1. ff. de Condit. & Demonſtrat.* Anton. Faber *ad Cod. lib. 6. tit. 13. defin. 5. num. 3.* Quoties autem conjunctio aut disjunctio, à teſtatore, aut à contrahentibus palam facta eſt, nec quicquam prohibet, quo minus conjunctio pro conjunctione, & disjunctio pro disjunctione accipiatur: perpetuo verum eſt, conjunctiva conjungere, disjunctiva disjungere. Quod, ſi quis extra dictam limitationem vellet, ſicuti rectam Latini ſermonis rationem, propriamque verborum ſignificationem corrumperet, ita & teſtatoris everteret voluntatem: Quæ non admittit, ut in perſpicue & palam diſpoſitis à proprietate verborum recedatur. *l. non*

aliter. 69. ff. De legat. 3. aut in non ambiguis ulla voluntatis quæſtio admittatur. *l. ille aut ille. 25. in pr. & §. 1. ff. eod.*

D. xxv. I. *De conditionibus & demonſtrationibus.*

Diſtinguitur porro inter conditiones poſſibiles, & impoſſibiles, quæ inſtitutionibus, legatis,
aut fideicommiſſis adjectæ pro non ſcriptis & pro non adjectis habentur. *§. 10. Inſtit. de hered.* 24
inſtit. l. 1. l. 4. §. 1. l. 6. l. 28. ff. de Condit. & inſtit. Rurſuſque inter caſuales, quæ à futuro caſu
dependent, & poteſtativas, quarum impletio dependet ab eo, cui injunctæ ſunt: propterea
quod filius filia, nepos neptis, & reliqui deſcendentes non aliter inſtitui potuerint, quam ſub
conditione poſſibili & poteſtativa. *d. l. 4. ff. de hered. inſtituend. l. 4. Cod. De lib. & poſtb. l. 83.
De Condit. & Demonſtrat. l. 20. §. 4. verſ. exiſtimo. ff. de Bon. libert.* niſi in defectum exiſtentis
conditionis ſint exheredati. *l. 4. Cod. de Inſtit. & Subſtitut.*

Sed moribus, quibus ultimas voluntates ſecundum veriſimilem teſtatoris voluntatem inter- 25
pretari conſtat, *arg. l. 47. ff. de legat. 1.* quæ à conditione impoſita robur ſuum accipit, *l. 19.
ff. de Condit. & Demonſtrat.* non tantum in filio, ſecundum *l. 15. ff. de Condit. inſtit.* ſed quoli-
bet extraneo, conditio quæ per ſe impoſſibilis eſt, ipſam diſpoſitionem vitiat, perindeque ha- 26
betur ac ſi ridicule & ludendi animo nihil diſpoſuiſſet teſtator: quemadmodum & in contracti-
bus ejuſmodi elogio nihil actum intelligitur. *§. 11. Inſtit. de Inutil. ſtipulat.* Ut recte notat
Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 18. verſie.* **Naar de Roomſche Regten.** & poſt eum Groeneweg.
de legib. abrogat. ad §. 10. Inſtit. de heredib. inſtit. Sed & in liberis & heredibus ſuis, (in quibus
præteritionem pro exheredatione eſſe diximus) conditio quæ in eorum poteſtate non eſt, ad le-
gitimam uſque rejiciebatur, valebatque teſtamentum: *arg. l. 32. & l. 36. §. cum autem. Cod. de
Inofficioſ. teſtam.* contra *l. 4. Cod. de Inſtit. & Subſtitut.* Quam etiam hodie correctam, nec in
praxi receptam eſſe teſtatur Gloſſ. & Bart. ibid. eamque opinionem eſſe communem defendunt
Gothofred. *in Not. eod.* & Fachin. *lib. 5. cap. 71.*

Nec ſolum affirmativa, ſed & negativa conditio imponi poteſt, quo caſu, ut id quod relictum 27
eſt interim pendente conditione poſſit perſequi, cautio admittitur, per quam quis id quod ſibi
ſub conditione poſſibili negative concepta relictum eſt, ſub onere reſtitutionis interim percipere
poteſt, vocaturque cautio Muciana. In quam rem eſt tex. *in l. 7. in pr. ff. de Condit. & Demon-
ſtrat. l. 77. §. 1. l. 79. §. 2. ff. eod.*

Aliæ iterum ſunt conditiones certæ, aliæ incertæ, quæ inſtitutionibus vel ſubſtitutionibus 28
adjiciuntur. Quarum ea potiſſimum differentia eſt, ut conditio certa in diem aut aliquem cer-
tum eventum prolata pro pura habeatur, ac perinde eſt ac ſi pure teſtator heredem inſtituiſſet,
neque tranſmiſſionem impedit. *§. 2. Inſtit. de ſingulis reb. per fideicommiſſ. relictis. l. 99. ff. de
Condit. & Demonſtrat.* Adeo ut inſtitutus ſub tali conditione ab ipſa morte teſtatoris ſit & fiat
heres, & jus illud ſuum interim dum conditionis dies & eventus exſpectatur non tantum ad he-
redes ſuos tranſmittat, ſed in alium transferre & quovis modo alienare poſſit. Vide Peregrin. *de
fideicommiſſ. art. 31. num. 26.* & late Mantic. *de conject. ultimar. voluntat. lib. 4. tit. 5. num. 23.*
poſt Covarruv. *var. reſolut. lib. 2. cap. 2. num. 5.* & alios. Conditio vero incerta, in diem aut
eventum incertum prolata inſtitutionem in eventum ſuſpendit, neque deberi incipit ante quam
dies venerit, neque interim ad heredes tranſmittitur. *l. 1. §. 2. l. 75. ff. de condit. & demonſtrat.*
Adeo ut ſi pendente incerto conditionis eventu inſtitutus aut ſubſtitutus heres moriatur, ipſa in-
ſtitutio aut ſubſtitutio incidat in caduci cauſam & ſucceſſioni ab inteſtato locus fiat. *l. unic. §. 3.
& 4. Cod. de caduc. tollend.* Vide ad hanc materiam latius infra *ad tit. de legat. lib. 3. cap. 8.
num. 29. & ſeq.*

Cod. vi. xl. *De indicta viduitate tollenda.*

Conditio viduitatis, ſive mari, ſive fœminæ impoſita, quaſi non adjecta remittitur. *tot. tit.* 29
Cod. De indict. viduit. toll. Quod ad ſecundas tantum nuptias coërcendas, in his ſolum correxiſſe
Juſtinianum *in Novell. 22. & auth. cui relictum, Cod. De indict. viduit. toll.* recte notat Cujac.
Parat. Cod. eod. non in aliis. Cujus argumento & hodie viduitatis conditionem rejici aut remitti
conſtat: excepto quod ſuperſtiti conjugi ad tempus ſecundarum nuptiarum aliquid teſtamento
relinqui poſſit, quod poſt impletum ſecundarum nuptiarum tempus abſque præteriti temporis
emolumento ad heredes remeare debet. Quo nihil frequentius apud nos: ſecundum ea quæ
tractat Pecc. *De Teſtam. Conjug. lib. 1. cap. 24. num. 2.* Quomodo intelligendum quod Ann.
Robert. *Rer. Judicatar. lib. 2. cap. 7. in verbis, donationis conditio*, in ſimili deducit. Quod ta-
men ſtricte interpretandum ad caſum, quo teſtator id expreſſe voluit: Prout & Hollandiæ Curia
cenſuit, in *Februar.* 1657. in cauſa **van de Heer Hendrick Meiſter / ende Meeſter Wil-
lem van Schilperoort / als executeurs van den Teſtamente van Claesjen Willems /
geweſene huyſ-vrouwe van Balten Cornelisz. van Gelder /** contra **d' Erfgenamen**

van

van den ſelven Walten Cornelisz. van Gelder / quo dictus *van Gelder* uxorem ſuam inſtituerat, cum onere reſtitutionis, caſu quo ea renupta obierit, **Soo ſy herhuwelijkt quam te ſterven /** quæ, quum interim ſecundo fuerit nupta, ſecundo conjuge ante eam mortuo, iterum vidua, adeoque irrenupta obiiſſe viſa eſt, neque per hoc ſecundas interim nuptias prohibitas
30 Senatus cenſuit. Quare & hanc Novellam contra Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de Secund. Nupt. in fin.* Autumn. *ad d. auth.* & Chriſtin. *volum. 4. deciſ. 39. num.* 8. quos ſequitur Groeneweg. *De legib. abrog. eod.* ſecundum dictam Cujacii diſtinctionem minime ab uſu receſſam, aut abrogatam cenſeo.

31 Ita etiam conditio nuptiarum in conſilium vel arbitrium alterius collata, regulariter non tenet, & pro non adjecta habetur. per text. *in l. cum tale 72. §. 4. ff. de condit. & demonſtrat.* Item quæ ſunt liberæ & meræ voluntatis in alterius arbitrium conferri non poſſunt, ut late Emanuël Coſta *ad d. l. cum tale 72. ſi arbitratu. 4. ff. eod.* Graſſ. *recept. ſententiar. §. legatum, quaſt. 50. num. 9.* Vaſq. *illuſtr. quaſt. lib. 3. cap. 94. num. 14.* facit *l. Filia. 28. ff. de Condit. & Demonſtr. l. Titia 100. ff. eod. & l. turpia. 54. §. 1. ff. de leg. 1.* Niſi quid à teſtatore in alterius arbitrium poſitum ſit, in eum finem, ut indoles alioqui ad libidinem proclivis, ad honeſtiores nuptias certa lege invitetur. *l. cum ita. 6. & ſeq. ff. de Condit. & Demonſtr. l. 47. in pr. ff. de Adminiſtr. Tutor.* Veluti ſi ab avo nepos inſtituatur, ea conditione, ſi ex conſilio & voluntare patris matrimonium contraxerit, aut pater filiæ amplius quid reliquerit, ea conditione, ſi nupſerit ex patrui conſilio & auctoritate, quibus caſibus non facile ferendum eſt, teſtatoris voluntatem, quamvis dura videatur, circumveniri. *l. ſi cui 92. ff. de Condit. & Demonſtrat. l. proſpexit. 12. §. 1. ff. Qui & à quib. manumiſſ.* quæ eo caſu non dura, ſed humana videtur, heredis favorem, & prudens pro liberis conſilium reſpiciens. *l. ult. Cod. Qui & adverſ. quos in integr. reſtit.* Quo pertinet Cravettæ *reſponſ. conſil. 1. & conſil. 80.* Eoque inclinaſſe videtur Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 25. defin. 18.* Vbi contrariam ſententiam, ex cauſa à facti ſpecie aliquo modo alienam, unico tantum voto in Senatu viciſſe affirmat.

32 Si teſtator legaverit Sejæ, ſub conditione, ſi Titio nubat, valet conditio, & ſi Seja declarat ſe nolle Titio nubere, cadit legato, *l. 2. Cod. de Inſtit. & Subſtit.* & ibi DD. Vaſq. *illuſtr. controverſ. lib. 3. cap. 44. num. 4.* Sed hoc intelligendum quatenus per eam ſtetit: quum per animi noſtri declarationem in his, quæ voluntatis noſtræ ſunt, legis executio ſequatur. *l. ſi is cui 19. ff. de leg. 2.* Sed ſi per eam non ſteterit: veluti, ſi Titius eam in uxorem ducere recuſaverit, aut interim deceſſerit, Sejæ reſpectu conditio pro impleta accipi debet. *l. Uter ex fratribus. 23. ff. de Condit. & Demonſtrat. junct. l. in omnibus cauſis. 39. ff. de Regul. Juris.* Quo pertinet exemplum dicaſterii Jenenſis ab Arum. *lib. 1. deciſ. 8. num. 6.* relato. Quo Titius Cajum omnium bonorum heredem inſtituerat, hac lege, ut Bertam in uxorem duceret, aut ſi illa moreretur, ejuſdem ſororem Sejam: mortuo teſtatore, Berta ſe parum pudice geſſit, quapropter Cajus ejus nuptias recuſabat, quas nec Berta urgebat, ſed ſoror ejuſdem Seja Cajum ad contrahendum cum ea matrimonium cogi contendebat, quod detrectabat Cajus, quem à Sejæ petitione abſolvit Senatus Jenenſis: quia de natura conditionis eſt, ut in forma ſpecifica impleatur. *arg. l. Mævius 55. ff. de Cond. & Demonſtrat.* &, quum Berta adhuc vivit, locus Sejæ factus dici non poterat, maxime quum per Cajum non ſteterit quo minus conditio impleta fuerit, qui paratus fuit Bertam ducere, ſi non illa matrimonii legibus inſultans ſpem ejus vanam reddidiſſet. Plura de conditionibus inſtitutionum vide infra *De fideicommiſſis.*

33 Sed & ſub modo inſtitutio fieri ſolet, quæ regulariter adjicitur ut aliquid fiat, his fere verbis, ea lege, ita tamen, dum tamen, dummodo, & ſimilibus, reſpicitque futurum tempus, & cauſam finalem, in quo ab ipſa conditione differt. *l. 2. & tot tit. Cod. de his quæ ſub modo.* Cod. vi. tit. v. *De his quæ ſub modo relinquuntur.*

34 Deinde modus inſtitutionis etiam conſiſtit in ſuccedendi ordine quo plures ſimultanee aut ſucceſſive ſint vocati. Qui ſi à teſtatore non exprimatur, ſecundum ſtatuta loci, aut diſpoſitionem Juris communis ſucceditur. *arg. l. 69. §. 3. in verb. quid ergo. ff. de legat. 3. & ibi DD.* Quum enim teſtator non diſponit certum ſuccedendi ordinem, veluti ſi ſimpliciter vocaverit conſanguineos ſuos, hi ad modum & formam ſucceſſionis ab inteſtato ſuccedunt, quia Juris ſucceſſio eſt ex mente defuncti, *l. 8. l. 3. ff. de Jure Codicillor. l. ult. Cod de Verb. Signific. & ibi DD. l. cum ita. 33. §. in fideicommiſſo. ff. de legat.* Ita tenent Jul. Clar. *lib. 3. ſententiar. §. teſtament. quaſt. 76. num. 13.* Peregrin. *tract. de fideicommiſſ. art. 20.* Joann. à Sande, *lib. 4. tit. 5. defin. 6.* Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 18. in fin.* Carpzov. *Jurisprud. Forenſ part. 3. conſtit. 8. defin. 26.* Ita in dubio ſi pater liberos & nepotes, aut fratres, & eorum liberos ſimul inſtituerit, hi non ſimultanee, ſed ordine ſucceſſivo, nec in capita, ſed in ſtirpes ſuccedent,

per

per repræſentationem. Anton. Fab. *ad. Cod. lib. 6. tit. 22. defin.* 10. 11. & poſt eum Carpzov. *d. loco.* Quomodo in Hollandiæ Curia *ultim. April.* 1659. in cauſa heredum **Crijn Heyndricſz. van Swanenburg** / ubi teſtator ſimul vocaverat fratrum liberos & eorum nepotes, Senatus cenſuit, Teſtatorem, de his tantum nepotibus ſucceſſorio ordine cogitaſſe, quorum parentes eſſent præmortui, non etiam de illis quorum parentes adhuc ſupereſſent, quos non ſimultanee cum parentibus ſuis admitti, ſed ab his excludi placuit. Plura de modo & conditione infra *de legat. & fideicommiſſ.*

D. xxxiv. vi & Cod. vi. xli. *De his quæ pœnæ nomine in Teſtament. ſcrib. vel relinq.*

Et pœnæ ſervandis conditionibus apponi ſolent. *tot. tit. Cod. De his quæ pœnæ nomine in* 35 *Teſtament. ſcrib. vel relinq.* A quibus tamen heres ex juſta & rationabili cauſa excuſari moribus ex communi DD. ſententia eſt receptum. *arg. l. 7. Cod. Ut in poſſeſſ. legator. l. unic. Cod. de his quæ pœna nom. l. 5. §. 1. & l. pen. ff. de his quib. ut indign. l. 43. ff. de hered. petit.* Covarruv. *ad cap.* Rainald. *§. 1. num. 7. extr. De Teſtament.* Balduin. & Cujac. *ad Novell.* 1. Mantic. *De tacit. & ambig. convent. lib. 2. tit. 4. num.* 96. Menoch. *de præſumpt. lib. 4. præſumpt.* 98. Peregrin. *De Jure Fiſci lib. 3. cap. 18. num.* 108. Vincent. Fuſar. *tractat. de Subſtitut. quæſt.* 582. *& ſeq.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv.* 146. *num.* 5. 6. 7. Joann. à Sande *lib. 4. tit. 6. defin.* 1. Atque ita ab Hollandiæ Curia deciſum eſt, **Inder ſaake van den Armen van Ackerſloot** / contra **Nanning Claeſz.** 26. *Septemb.* 1613. Vide etiam circa hanc materiam latius infra *cap. 8. in fin.*

Cod. vi. li. *De caducis tollendis.*

Ultra quas & hæc tacita conditio, teſtamento relictis ineſt, ſi heres teſtatorem ſupervivat, 36 alias ſi ante teſtatorem moriatur, id quod relictum eſt Jure accreſcendi ad coheredes pertinet, aut alias ad inteſtati cauſam recidit. *tot. tit. Cod. De caduc. tollend. §. 5. Inſtit. de hered. inſtit. l. 13. Cod. eod. §. 8. Inſtit. de legat.*

Quod eo uſque extendi volunt: ut ſi alicui quid relictum ſit, *pro ſe & heredibus ſuis*, ſi tamen 37 is cui relictum eſt ante teſtatorem moriatur, relictum fiat caducum, neque heredibus ejus deberi intelligatur, qui eo ipſo nec ſimul vocati, neque ordine ſucceſſivo ſubſtituti videntur, per ea quæ tradunt Valla *De reb. dub. tract. 2. num.* 25. Mornac. *obſerv. ad l. Si pactum 9. ff. de probat. & l. 3. ff. pro ſocio.* Atque ita deciſum referunt Grivell. *deciſ. 18. num. 45. & ſeq.* Choppin. *de morib. Pariſienſ. lib. 3. num.* 101. Maynard. *Deciſ. Tholoſan. lib. 5. deciſ.* 91. Et poſt eos Joann. à Sande *lib. 4. tit. 4. defin.* 11. De his etiam fuſius infra *De adimend. & transferend. legat.* Quod & in fideicommiſſis obtinet, ut ſi inſtitutus heres aut legatarius fideicommiſſo gravatus ante teſtatorem decedat, etiam ipſum fideicommiſſum corruat, & hereditas ſive legatum ad inteſtati cauſam recidat. *d. l. unic. §. 3. & 4. Cod. de caduc. tollend.* Eſſe enim debet à quo fideicommiſſum ſit reſtituendum, alias nullum eſt fideicommiſſum, inutile & pro non ſcripto habetur. *l. 63. §. 4. l. 13. §. 1. & §. 3. in fin. ff. ad Senat. Trebell.* & ibi Bart. & DD. Vid. Simon. de Pratis *Interpret. Ultim. voluntat. lib. 3. dubit. 2. ſolut. 3. num.* 13. Ferdin. Vaſq. *de Succeſſ. Ultim. voluntat. tom. 2. lib. 3. §. 30. num.* 60.

Cap. VI.

De Subſtitutionibus.

Summaria.

1. *Subſtitutio quid & quotuplex, & quomodo diſtinguatur.*
2. *Proprie dicta quæ ſit.*
3. *Quotuplex.*
4. *An recte dividatur in militarem, exemplarem, breviloquam, compendioſam, &c.* Neg.
5. *Quæ ſit vulgaris ſubſtitutio.*
6. *Generalis caſus;* Si heres non erit, *voluntatem & impotentiam ſub ſe complectitur.*
7. *An eorum uno expreſſo, tranſitus fiat ad caſum alterum?* Neg. cum diſtinct.
8. *Pluribus ſubſtituti non ſingulis, ſed omnibus poſt ultimum morientem demum ſuccedunt.* Affirm.
9. *Singuli in ſingulorum, aut plures in unius aut plurium locum eodem modo ſubſtituti, pro qua parte ſuccedant.*
10. *Coherede & ſubſtituto, aut duobus ſeorſim ſubſtituto dato, coheredis an ſubſtituti cauſa potior ſit?* Affirm.
11. *Quæ conditiones ſubſtitutionibus imponantur.*
12. *Conditiones inſtitutionibus oppoſitæ in ſubſtitutionibus repetitæ cenſentur.*
13. *Quomodo extinguatur, aut infirmetur ſubſtitutio.*

14. Sub-

14. *Subſtitutio pupillaris & quaſi pupillaris an & quatenus ad mores pertineat, in* Belgio, & Saxonia.
15. *An & quæ ſint ſubſtitutiones obliquæ, ſive fideicommiſſaria.*
16. *An & quando, ſubſtitutio vulgaris directis verbis concepta, in fideicommiſſariam tranſeat.*
17. *Evaneſcit ſubſtitutio ſi ſubſtitutus ante inſtitutum moriatur.*

1 NEc ſolum plures heredes, ſed & plures heredum gradus conſtitui poſſunt, quotquot teſtator voluerit, per ſubſtitutionem, id eſt, heredis inſtitutionem ſecundo vel ulteriori gradu factam, ſive unius in alterius locum ſurrogationem. Eſtque alia directa, alia obliqua, ſive fideicommiſſaria.

Directa eſt, quæ recta via ad ſubſtitutum tranſit, ſine ullius reſtitutione, eſtque ſecundi vel ulterioris heredis in prioris deficientis locum inſtitutio, *l. 1. in pr. ff. de Vulgar. & Pupill. Subſtit.*

Obliqua eſt, quæ fit per fideicommiſſum requirens alicujus reſtitutionem, diciturque alio nomine fideicommiſſum univerſale. *l. 57. §. 1. l. 62. l. 67. ff. ad. Senatuſconſult. Trebellian.* id eſt, in locum heredis exiſtentis, cujus fidei committitur ut hereditatem acquiſitam alteri reſtituat, ſubſtitutio, *§. ult. Inſtit. de Pupillar. Subſtit.* De qua titulo ſequenti.

Quæ in eo differunt, quod directe ſubſtitutus æque ſit heres ac inſtitutus fuiſſet, *l. 43. §. 2. l. 36. ff. De Vulg. & Pupillar. l. 29. ff. in pr. de lib. & poſthum. princip. Inſtitut. de Vulg. & Pupillar. l. 20. §. ult. ff. de condit. inſtit.* ac propterea etiam Jus accreſcendi ad eum pertineat: quod in ſubſtitutione fideicommiſſaria, citra conjunctionem re aut verbis factam locum non habet, ſed deficientis portio penes heredem remanet. *arg. l. 8. §. in pr. junct.* Gloſſ. *ff. De Vulg. & Pupill. Subſtit. l. unic. §. ubi legatarii, Cod. de caduc. tollend. l. 60. ff. de legat. 2.* Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 2. defin. 19.*

2 Directa, de qua hoc loco agitur, eſt proprie dicta ſubſtitutio, quomodo ſubſtitutionis nomen ſimpliciter poſitum in uſu Juris ſolum ſubſtitutionem directam denotare, & fideicommiſſis opponi ſolet. *l. 6. §. 5. ff. ad Senat. Trebell. l. 39. §. 3. ff. de Adminiſtrat. tutor. l. 77. §. 13. ff. de legat.* Sic ut in dubio ſubſtitutio ſemper interpretanda ſit directa, nunquam fideicommiſſaria. per text. *in cap. 1. De Teſtament.* in 6. & Gloſſ. & DD. *in l. Verbis civilibus. ff. De Vulgar. & pupillar. Subſtitut.* Quod & in praxi receptum eſſe teſtantur Mantic. *de Conjectur. Ultimar. Volunt. lib. 5. tit. 1. num. 3. & ſeq. & tit. 7. num. 3.* Menoch. *lib. 4. præſumpt. 66. & præſumpt. 71. num. 10.* Et late Maſcard. *tract. De probation. concluſ.* 1346. & Vincent. Fuſar. *tract. De Subſtitutionib. part. 1. quæſt. 6.* Peregrin. *De fideicommiſſ. art. 18. num. 16. 17.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 22. defin.* 48. Quo fundamento etiam Carpzov. *Juriſpr. Forenſ. part. 3. conſtit. 8. defin. 8.* defendit, & in foro Saxonico deciſum refert: liberos poſt mortem patris ordine ſucceſſivo à patruo vocatos, non per fideicommiſſum, ſed in caſum vulgaris duntaxat ſubſtitutionis.

3 Dividitur communiter in vulgarem, & pupillarem. Quibus addunt, militarem, ſi miles ſit qui ſubſtituit: quaſi pupillarem, ſi pater filio mente capto heredem ſubſtituat, quæ & exemplaris dicitur: breviloquam, ſive reciprocam, quum heredes inſtituti ſibi invicem ſubſtituuntur: & compendioſam, quæ hoc quaſi verborum compendio, *quandocunque deceſſerit*, plures ſubſtitutionis ſpecies, caſus, & tempora comprehendit. Inſtit. tit. xv. Dig. xxviii. vi. *De Vulgari & pupillari ſubſtitutione.*

4 Quæ omnes quaſi ſubſtituendi modi, ut non veræ ſubſtitutionis ſpecies, ab aliis rectius rejiciuntur: eo quod plures quam duo caſus, in quos inſtitutionum ſubſtitutiones fieri poſſunt, dari non queant: unus ſi inſtitutus heres non erit, eſtque ſubſtitutionis vulgaris conditio, *tot. tit. Inſtit. De Vulgar. ſubſtitut.* alter, ſi filius heres impubes, mente captus, aut alio modo inteſtabilis deceſſerit, eſtque ſubſtitutio pupillaris. *l. 4. l. 45. ff. l. 8. Cod. De Vulgar. & pupillar. Subſtitut.* Sive enim ſit militaris, ſive exemplaris, ſive breviloqua, ſive compendioſa, aut quas alias ſubſtituendi formulas comprehendat, ſemper in unum aut alterum horum, aut in utrumque caſum incurrit; ut eleganter Arnold. Vinn. *ad pr. Inſtit. De Vulgar. Subſtitut.* poſt Vigl. Mynſinger. & Hottomann. eod. & Donell. *Comment. Jur. Civil. lib. 6. cap.* 23.

5 Vulgaris ſubſtitutio eſt, quæ fit in caſum non acquiſitæ hereditatis, cum hac elauſula: *ſi ſcriptus heres, heres non erit. pr. Inſtit. De Vulgar. Subſtitut. l. 1. §. 1. ff. De Vulg. & pupill.* Alia eſt expreſſa, quæ expreſſis verbis fit; alia tacita, quæ ſub expreſſa continetur: Ut, ſi pater filium heredem inſtituat, eidemque, ſi intra 14. annum moriatur, alium ſubſtituat, qui licet filius hereditatem non adierit, ſubſtitutus tamen ex præſumpta patris voluntate vocatur. *l. 4. ff. De Vulg. & pupill. in pr.*

Generalis caſus ſubſtitutionis vulgaris (ſi heres non erit) duos ſpeciales caſus ſub ſe continet, 6
noluntatis, ut vocant, & impotentiæ, ſi heres eſſe nolit, aut heres eſſe non poſſit. *l.* 3. *Cod. de heredib.*

Hinc quæritur utrum & uno ſpeciali caſu expreſſo, tranſitus fiat ad alterum, ut à caſu nolun- 7
tatis ad caſum impotentiæ, aut vice verſa. Quod communis ſchola, ex benigna voluntatis in-
terpretatione, indiſtinctè admittendum putat, quaſi plus cenſeatur teſtator voluiſſe quam expreſ-
ſiſſe. Quos ſequitur etiam Gomez. *variar. reſolut. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 10. Ut ſcilicet uno ſpeciali
expreſſo, aut noluntatis duntaxat aut impotentiæ, alter interpretatione ſit ſupplendus, &
perinde haberi debeat ac ſi uterque caſus fuiſſet expreſſus. Quod tamen abſolute verum non
eſt, ſed tum demum procedit, quando perſpicuum eſt, teſtatoris voluntatem eo eſſe intenſam:
quomodo procedit *l.* 3. *Cod. de Inſtit. & Subſtitut. l.* 25. *in fin. ff. de lib. & poſthum. junct. l.* 22.
ff. ad Senat. Trebellian. Solet enim expreſſus caſus trahi ad non expreſſum, ſi ad eundem finem
tendat. Sed ſi voluntas teſtatoris non adeo evidens ſit, non expreſſum caſum pro omiſſo haberi
conſtat, per text. *l.* 10. *ff. de liber. & poſthum. & l.* 21. *ff. de Vulg. & Pupillar. Subſtitut.* Ex quo
optime Gomezium *d. loco.* reprehendit Arnold. Vinn. *ad pr. Inſtit. De Vulg. Inſtit. num.* 3.

Poſſunt vel plures in unius locum ſubſtitui, vel unus in plurium, vel ſinguli in ſingulorum, vel
ſibi invicem ipſi qui heredes ſunt inſtituti. *§.* 1. *Inſtit. De Vulg. Subſtitut.* Ubi nota: ſi unus in 8
plurium inſtitutorum locum ſit ſubſtitutus, is non ſingulis partem, ſed omnibus demum deficien-
tibus totum aſſem ex ſubſtitutione feret, *l.* 4. *Cod. De Impub. & al. Subſtit.* Qui enim duos
aut plures heredes ſcribit, aut ſi illi heredes non erunt, alium iis ſubſtituit, apette ſignificat ſe
velle, omnes & ſingulos inſtitutos ſubſtituto præferri, eumque non aliter admitti quam ſi neuter
illorum heres fuerit, quod etiam locum habet in ſubſtitutionibus obliquis & fideicommiſſariis: ut
in his plurium deficientium conditio collective ſumpta in omnium perſonis etiam purificari de-
beat, prout à Sabaudiæ Senatu judicatum refert Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 25. *defin.* 11.
Quando autem quis pluribus copulative, aut disjunctive ſubſtitutus videatur, late tractat Fuſar.
De Subſtitut. quæſt. 473.

De ſingulis in ſingulorum, aut pluribus in unius, aut in plurium locum, eodem modo, aut 9
pluribus ſibi invicem, ex pari parte ſubſtitutis, dubium non eſt, quin ſingulorum quiſque eam
partem habeat, quæ illi adſcripta erat cui ſubſtituitur, & plures in unius, aut plurium locum eo-
dem modo ſubſtituti, ex æqualibus partibus heredes ſint: licet inæquales partes heredibus in-
ſtitutis fuerint adſcriptæ: quia diſcerni non poteſt, quis cui ſubſtitutus ſit, niſi teſtator cuique ſuas
partes, aut eas quas in inſtitutione fecerat, nominatim expreſſerit, cujus voluntas eſt ſervanda.
Sed tota difficultas eſt in plurum inſtitutione reciproca, caſu quo teſtator heredes, ex diſparibus
partibus inſtitutos, ſibi invicem ſimpliciter ſubſtituerit, nulla in ſubſtitutione partium mentione
facta, utrum in partes viriles, an in herditarias ſubſtituti vocentur. Quod ita interpretari placuit:
ut teſtator eos in hereditarias portiones vocaſſe videatur, hoc eſt, eas in ſubſtitutione dediſſe par-
tes, quas in inſtitutione cujuſque expreſſerat. *l.* 5. *l.* 24. *ff. de Vulg. & Pupillar. l.* 1. *Cod. eod.*
§. 2. *Inſtit. eod.* quum veriſimile non ſit, teſtatorem eos pluris feciſſe in ſecundo, quam in primo
gradu: ſed eas quas inſtitutione fecerat partes, in ſubſtitutione repetiiſſe videatur: niſi aliam
teſtatoris fuiſſe mentem appareat. *l.* 24. *ff. de Vulg. & Pupillar.* Ut ſi ſubſtituti propriis nomini-
bus appellati ſint: quo caſu non hereditariæ, ſed viriles portiones erunt. *l.* 124. *ff. de leg.* 1. *l.* 23.
& ſeq ff. ad Senatuſconſ. Trebell. Aut ſi onus ſubſtitutis æqualiter impoſitum ſit. *l.* 1. *Cod. de
Impub. & al. ſubſtitut.* & ibi Gloſſ. *l.* 8. *§.* 1. *& l.* 10. *ff. de Vulg. & Pupillar.* Schneiduin. *ad tit.
Inſtitut. De Vulg. Subſtitut. §. Et plures.* Gomez. *Var. reſolut. tom.* 1. *cap.* 5. *num.* 20. *& num.* 24.

Sed ſi inſtituto heredi coheres & ſubſtitutus datus fuerit, aut ſi quis duobus ſeorſim ſubſtitutus 10
ſit, altero inſtitutorum moriente, ſubſtituti quam coheredis cauſa potior erit, neque jure ac-
creſcendi locus eſt. *l.* 2. *§.* 8. *ff. de bon. poſſ. contra tabul.* Gomez. *variar. reſolut. tom.* 1. *cap.* 3.
num. 34. *& cap.* 5. *num.* 21. Alexand. *conſil.* 11. *num.* 9. *vol.* 3. Radelant *deciſ. Ultraject.* 92.
num. 4. Groeneweg. *de legib. abrog. ad l.* 30. *ff. De Vulg. & Pupill. Subſtit.*

Subſtitutionibus eaſdem quas inſtitutionibus conditiones apponi poſſe conſtat, præſertim obli- 11
quis; quarum aliæ ſunt expreſſæ, quæ nominatim in ipſis ſubſtitutionibus exprimuntur, aliæ taci-
tæ, ex neceſſaria voluntatis conſequentia provenientes. Pro quibus ex communi regula rece-
ptum eſt: ut clauſula ſive conditio in inſtitutionibus appoſita, eadem in ſubſtitutionibus repetita 12
videatur, niſi ex diſpari ratione contraria teſtatoris voluntas appareat. *arg. l.* 14. *ff. de leg.* 1. *&
l.* 1. *Cod. De Impub. & aliis ſubſtit.* Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 7. *definit.* 3. & poſt eum
Chriſtin. *vol.* 4. *deciſ.* 13. *num.* 7.

Extin-

13 Extinguitur, aut potius infirmatur ſubſtitutio vulgaris, ſi adita ſit hereditas ab inſtituto. *l. 5. Cod. De Vulg. & Pupill. Subſtit. junct. l. 6. Cod. De legat.* Qua in parte directa ſubſtitutio etiam differt ab obliqua, ſive fideicommiſſaria, quæ, adita hereditate ab herede inſtituto, denuo in ſubſtitutum tranſit.

14 Subſtitutio pupillaris, qua parentes liberis ſuis impuberibus heredibus ſuis, caſu quo intra pubertatis annos morerentur, & exemplaris, ſive quaſi pupillaris, qua liberis ſuis furioſis & mente captis heredes conſtituebant, ad mores noſtros non pertinet. Grot. *Introd. lib. 1. part. 6. verſ.* De Groote. *& lib. 2. part. 19. in fin.* Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib. 1. cap. 13. verſ. Quid moribus. & lib. 2. cap. 5. verſ. adjicio.* Arnold. Vinn. *ad §. ult. Inſtit. de Pupill. Subſtitut.* Prærerquam quod in eundem fere effectum per pacta antenuptialia parentes in caſum exiſtentiæ liberorum, liberis ſuis Jus ſuccedendi ab inteſtato (quod nobis pro loci diverſitate bipartitum eſt) deligere, vel novum ſi velint, conſtituere poſſint. Cui parentum judicio ſtandum eſt, & adulti, ſi heredem ipſi non quæſierunt, eorundem voluntati obtemperaſſe creduntur: per ea quæ tradit Neoſtad. *De pact. Antenuptialib. obſerv. 2. in Not.* Extra quod, in re, ab uſu judiciorum noſtrorum remotiſſima, plus operæ collocare inſtituti noſtri non eſt. Quod & de Saxoniæ moribus innuit Weſenbec. *Paratit. ff. De Vulg. & Pupill. Subſtitut. in fin.* De quibus ut ut ſit, matrem ſaltem à liberorum ſucceſſione per pupillarem ſubſtitutionem à patre factam in totum excludi expreſſa conſtitutio prohibet, *Conſtit. Elector. Saxon. 8. part. 3.* Inſt. II. t. XVI. Cod. XXV. De pupillari Subſtitutione.

15 Subſtitutiones obliquæ ſive fideicommiſſariæ nihil aliud ſunt, quam ipſum fideicommiſſum quo ſcilicet teſtator heredem inſtitutum rogat, ut hereditatem, partemve hereditatis, aut rem aliquam alteri reſtituat. *l. 41. §. 3. ff. de Vulg. & Pupill. l. cum proponebatur. 64. l. cum pater. 77. §. pen. l. Titia. 87. §. 2. ff. de legat. 2. l. heredes. 57. §. 1. 2. ff. ad Senatuſconſult. Trebell. l. 14. Cod. de Fideicommiſſ. l. 6. Cod. de Inſtit. & Subſtitutionib.* Et promiſcue ſive ſubſtitutionis, ſive fideicommiſſi nomine ab auctoribus juris appellari conſtat.

16 Sed ſubſtitutio directis verbis concepta, poſt hereditatem aditam, ne quidem Jure fideicommiſſi ſubſiſtere, ex *§. ult. Inſtit. de Pupillar. Subſtitut.* neque ad fideicommiſſariam cauſam trahi unquam poſſe: quidam indiſtincte volunt. *arg. l. 39. §. heres ff. de adminiſtrat. tutor.* Quod tamen ita intelligendum eſt, ſi nihil ſit ex quo contraria teſtatoris voluntas appareat. Cæterum ſi ſubſtitutio directis verbis concepta, talis ſit, quæ jure directo valere non poſſit, & tamen teſtatoris voluntas certa ſit, benigna interpretatione receptum eſt, ut ſaltem jure fideicommiſſi conſervetur. *arg. l. 76. ff. ad Senat. Trebellian. & ibi DD.* Veluti, ſi ejuſmodi verbis concepta ſit, quæ tractum temporis habent, aut ſi in caſum mortis heredis ſuſpendatur: ejuſmodi caſibus voluntas teſtatoris jure fideicommiſſi ſubſiſtit, ac ſubſtitutio vulgaris in fideicommiſſariam reſolvitur, & facta ſubſtitutione in caſum mortis heredis, eo defuncto hereditas jure fideicommiſſi ad ſubſtitutum tranſit, Mantic. *de Conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 8. tit. 1. num. 21. 31.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 8. defin. 6. num. 14. & defin. 8. in fin.* Dan. Moller. *lib. 4. ſemeſtr. 29. num. 6. 7.* Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. §. ult. Inſtit. de Pupill. Subſtit.* Sicut & ejuſmodi ſubſtitutiones ab ipſis fideicommiſſis nihil prorſus differant, ejuſdemque juris ſint.

17 Ceſſat ſubſtitutio, non tantum per hoc quod inſtitutus heres hereditatem adierit. *l. 5. Cod. de Vulg. & Pupillar. Subſtit. junct. l. 6. Cod. de leg.* Sed & evaneſcit ſi ipſe ſubſtitutus ante inſtitutum obierit, quum tacitam hanc conditionem continere videatur, quod ſubſtitutus poſt inſtitutum vivere & exiſtere debeat. *l. 9. ff. de ſuis & legitim. l. 81. ff. de acquir. hered. l. 8. in fin. ff. de Vulg. & Pupillar. Subſtitut.*

Cap. VII.

De Fideicommiſſariis Hereditatibus.

Summaria.

1. *Fideicommiſſum quid, aut quotuplex.*
2. *Cui reſtituitur hereditas, heredis loco eſt.*
3. *Qui fideicommiſſum relinquere, quibus relinqui, & qui eo gravari poſſint.*
4. *Quæ res fideicommiſſo relinqui poſſint.*
5. *Modus fideicommittendi quis, & an ſub conditione, ex die, vel in diem.*
6. *Solennitas.*
7. *Aliud expreſſum, aliud tacitum, quibus verbis fiat.*
8. *Voluntas etiam non expreſſa fideicommiſſum inducit.*

9. *Taciti fideicommiſſi exempla.*
10. *An & quando alienationis interdictione fideicommiſſum inducatur?*
11. *Bona extra familiam alienari probibita quo ordine ſuccedant, & an gravati, an gravantis proximitas ſpectetur? & num. 13.*
12. *Conſuetudo Amſtelodamenſis.*
14. *An ejuſmodi fideicommiſſum perpetuum ſit, & quouſque ſe extendat.*
15. *An & quando alienandi poteſtas in fideicommiſſis conceſſa intelligatur, & quatenus procedat.*
16. *Non extenditur ad ultimas voluntates.*
17. *Poſita conditione, ſi ſine liberis, an legitimati, aut naturales fideicommiſſarium excludant.*
18. *An liberi poſiti in conditione, etiam ſint in diſpoſitione.*
19. *Liberi cum parentibus ſimul ordine collectivo vocati, quomodo ſuccedant.*
20. *Utrum in fideicommiſſis repraſentationi locus ſit.*
21. *Inter plures ſimul ſubſtitutos, an & quando juri accreſcendi ſit locus.*

Inſtit. II. XXIII. & Cod. VI. XLII. *De fideicommiſſis & fideicommiſſariis hereditatibus.*

Fideicommiſſum eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio, qua ei, cui aliquid ob venturum eſt, manda-
tur, ut id totum vel ejus partem alteri reſtituat, vel aliud quid præſtet. Eſt aut Univerſale, 1
quod ipſam hereditatem, ejuſve partem continet: de quo agitur *tit. ff. & Cod. ad Senat. Trebell.*
& Inſtit. de Fideicommiſſ. hered. Aliud ſingulare, quod res ſingulas: de quo agitur *in tit. ff. &*
Cod. de legat. & Fideicommiſſ. & inſtit. De legatis, & De Singul. reb. per Fideicommiſſ. relict. Sic
ut Univerſale hereditatibus, ſingulare legatis correſpondeat, iiſque per omnia adæquatum ſit: &
regulariter quicquid dicitur de heredibus inſtitutis, poteſt etiam dici de fideicommiſſariis univer-
ſalibus, ſaltem in multis, & paucis exceptis. Prior ſpecies huc pertinet, de poſteriori in argumen-
to de legatis videbimus.

Is cui fideicommiſſaria hereditas reſtituitur, heredis loco habetur, *§. 3. & ſeqq. Inſt. De Fi-* 2
deicommiſſar. hered. Quomodo etiam accipienda eſt *l. 2. Cod. Commun. de legat. & §. 3. In-*
ſtit. de legat.

De his qui fideicommiſſum relinquere, & quibus relinqui poſſit eadem eſt doctrina, quæ de 3
teſtatore & herede, ut is ſolus relinquere poſſit, qui & teſtamentum facere poteſt. *l. 2. ff. de le-*
gat. 1. ei vero relinqui poſſit, qui petere, & ex teſtamento capere poteſt. *arg. l. 103. ff. de le-*
gat. 1. & §. 24. Inſtit. de legat. fideicommiſſo gravari poſſunt omnes, qui modo aliquid ex judi-
cio defuncti accipiunt. *§. 2. & §. 10. Inſtit. de Fideicommiſſ. hereditat.*

Res quæ per fideicommiſſum relinquitur, eſt vel hereditas, ſive pars ejus, quo caſu relictum 4
dicitur univerſale fideicommiſſum, vel res ſingularis, quo caſu dicitur fideicommiſſum ſingulare.
§. 1. Inſtit de ſing. reb. per Fideicommiſſ. nec ſolum res teſtatoris propria, ſed etiam ipſius heredis,
l. 25. Cod. de Fideicommiſſ. neque ſolum res corporalis, ſed & incorporalis. *l. 17. cum ſeq. Cod. eod.*
imo res plane aliena, per fideicommiſſum relinqui poteſt. *l. 10. Cod. de legat.*

Modus relinquendi conſiſtit in eo quod aut pure, aut ſub conditione, ex die vel in diem relin- 5
qui poſſit fideicommiſſum. *d. §. 2. Inſtit. de ſing. reb. per. Fideicommiſſ. relict.* In quo ab ipſa he-
redis inſtitutione, cui dies adjectus pro ſupervacuo habetur. *§. 9. Inſtit. de hered.* jure civili dif-
fert: ſed moribus quibus pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus quiſque decedere poteſt, con-
venit. Ut præcedenti titulo demonſtravimus.

Solennitas relinquendi fideicommiſſi, Jure civili alia eſt teſtamentaria, ſi teſtamento per he- 6
redem ſcriptum relinquatur, *§. 2. Inſtit. de Fideicommiſſ. heredit.* Codicillaris, ſi ab inteſtato de-
feratur per heredem ab inteſtato proximum. *l. ult. §. ult. Cod. de Codicillis. §. ult. Inſtit. de Fidei-*
commiſſ. hered. quomodo intelligenda *l. 22. Cod. de Fideicommiſſ.* Sed moribus ſublata teſtamen-
torum & Codicillorum ſolennitatis differentia, una eademque.

Aliud eſt fideicommiſſum expreſſum, per expreſſa verba relictum, aliud tacitum, quod ex te- 7
ſtatoris mente colligitur: nec refert qualia ſint verba; modo ſint ſignificantia legitimum teſtato-
ris ſenſum fideicommittere volentis; ſive ſint præceptiva, veluti jubeo, precipio: ſive precaria,
qualia ſunt, rogo, volo, fidei tuæ committo. *l. 2. Cod. commun. de legat. & l. 21. Cod. de legat.*
junct. l. 77. §. rogo. ff. de leg. 2. l. 19. §. 1. ff. ad Senat. Trebellian. l. 21. ff. de fideicommiſſ. libert.
Quia in fideicommiſſis ſola teſtatoris voluntas ſpectatur. *l. 11. §. 19. ff. de leg. 3. & l. 95. ff. eod.*
l. pen. ff. de leg. 1. l. 57. §. 1. ff. ad Senat. Trebell. l. 16. Cod. De fideicommiſſis. nec ſolum verbis
expreſſa, *l. 120. ff. de Verbor. Significat.* ſed & tacita, & ex conjecturis collecta: *l. 67. ff. de le-*
gat. 2. junct. l. 3. ff. de legat. 1. Voluntas enim teſtatoris licet non expreſſa, ſi tamen veniat in 8
neceſſariam ſeu manifeſtam conſequentiam expreſſorum, habetur pro legitima, ad fideicommiſ-
ſum inducendum. *l. 87. §. 2. junct. l. 34. §. ult. ff. de legat. 2. & d. l. 11. §. 19. ff. de legat. 3.* &

pro

pro fideicommiſſo accipitur, quod non alia ratione videri poteſt expreſſum, niſi cauſa fideicommiſſi inducendi: per Gluſſ. & DD. *ad l. 15. Cod. de fideicommiſſ.* Vide hac de re Peregrin. *De fideicommiſſ. art. 1. num. 45. & ſeq. & art. 11. per tot.* Mantic. *De conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 8. tit. 1. num. 25.* Ita tamen, ut quotieſcunque conjecturæ voluntatis ad fideicommiſſum inducendum locus eſt, nunquam melior ſit conditio ejus perſonæ, quæ minus fuit dilecta. *l. 36. §. 1. ff. De condit. & demonſtrat.*

9 Proponitur tacitum fideicommiſſum *in l. 74. in princip. ff. ad Senatuſconſult. Trebellian.* Ubi teſtator heredi ſuo mandat ne Teſtamentum faciat: quibus verbis cavere intelligitur, ut hereditatem ad legitimos heredes devolvi ſinat: & fideicommiſſum tacitum eſt, ſi duo teſtamenta condens, poſteriore cavit, ut prius quoque valeat, quo caſu prius teſtamentum quidem tollitur, ſed propter inſertam clauſulam, jure fideicommiſſi hereditatem ad illos pervenire placet, qui priore teſtamento ſcripti ſunt. Ut eſt text. *in l. 29. ff. ad Senat. Trebell. & §. 3. Inſtit. Quib. mod. teſtam. infirm.* Quod moribus noſtris, propter clauſulam Codicillarem, communiter teſtamentis inſertam, etiam procederet, licet prius teſtamentum ſpecialiter probatum non ſit, in his, de quibus in ſecundo teſtamento ſpecialiter, contra prius non diſponitur.

10 Sed & an alienationis interdictione fideicommiſſum inducatur? Non videtur, ſi ſimpliciter prohibitum ſit, nec cauſam exprimat teſtator, propter quam id fieri velit, nec perſona inveniatur, cujus reſpectu hoc à teſtatore diſpoſitum ſit, per text. in hanc rem ſingular. *in l. 114. §. 14. ff. de leg. 1.* Cæterum ſi prohibitionis cauſam, aut rationem addiderit, veluti ſi dixerit: ſe prohibere alienationem bonorum, ut in familia conſerventur, & remaneant: per hoc ipſa prohibitio confirmari videtur, ut valeat, & inducatur fideicommiſſum, eoque caſu non valeret alienatio, quia familiam ad rem iſtam jure fideicommiſſi vocari certum eſt. ex *d. l. 114. §. 15. ff. de leg. 1. & l. 69. §. 3. ff. de legat. 2.* & ibi DD. Barr. *ad l. 122. §. 3. ff. De Verb. oblig. num. 3.* Vide ſuper hac quæſt. Petr. de Petra. *De fideicommiſſ. quæſt. 5. num. 48. & ſeq.* Mantic. *De conjectur. Ultim. voluntat. lib. 6. tit. 14. num. 24.* Fachin. *lib. 4. controverſ. cap. 49.* Sande *de prohibit. rer. alienat. part. 3. cap. 5. num. 5.* Grot. *Introd. lib. 2. cap. 20. verſic.* De woorden.

11 Poſito autem ejuſmodi fideicommiſſo, quo teſtator voluit, ne bona ſua extra familiam, aut ſanguinem ſuum alienentur, neque nominatim vocavit ſuos proximiores: ſed tantum voluit, ne bona devolverentur extra gradum cognatorum ſuorum, nullo certo addito ſuccedendi ordine, aut modo, ab inteſtato ſuccedunt ultimi poſſeſſoris proximiores, qui etiam ſunt ex conſanguineis teſtatoris: nec gravantis teſtatoris, ſed gravati ultimi poſſeſſoris proximitas ſpectatur: quum eo ipſo tantum egiſſe videatur teſtator, eoque duntaxat collimaſſe, ne bona ſua per ſucceſſionem quandoque extra cognatorum ſuorum gradum in extraneos tranſmittantur: adeoque, quum de ordine, ac modo ſuccedendi non fuit ſollicitus, eum reliquiſſe videtur diſpoſitioni juris communis. *arg. l. 8. l. 3. ff. de Jure Codicillor.* Ita tenent Peregrin. *de fideicommiſſu. art. 20.* Jul. Clar. *lib. 3. ſentent. §. Teſtamentum. quæſt. 76. verſ. Sed hic.* Soto Major *part. 4. controverſ. cap. 19. num. 140.* Quomodo etiam in hiſce terminis deciſum refert Joann. à Sande *lib. 4. tit. 5. defin. 6.*

12 Sed Amſtelodami conſuetudinarii juris eſſe monet Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 20. verſic.* De woorden / ejuſmodi diſpoſitiones liberam teſtandi, aut inter vivos diſponendi facultatem minime impedire, iiſque caſu quo, aut quatenus inter vivos aut per ultimas voluntates de iis bonis diſpoſitum non eſt, ſuccedendi ordinem ſecundum Jus Scabinicum duntaxat demonſtrari, quo paterna paternis, materna maternis ab inteſtato cedunt: iiſque teſtantium verbis nihil aliud agi, quam ne Juri Æſdonico locus ſit, quo proximo cuique hereditates legitimæ, omni tam paternorum quam maternorum diſtinctione ſubmota, deferuntur. Ut à Suprema Hollandiæ Curia probatum refert Neoſtad. *Holl. Cur. deciſ. 78.*

13 Quod tamen probe diſtinguendum, quum alias regulariter in fideicommiſſis Teſtatoris gravantis potius & non gravati proximitas ſpectetur. *arg. l. 32. §. fin. ff. de legat. 2. junct. l. 41. §. 2. ff. de Vulg. & Pupill. Subſtit.* Hanc quæſtionem, quando ſcilicet teſtatori gravanti, aut heredi gravato ſuccedatur, variis facti ſpeciebus, late tractant Mantic. *de Conjectur. Ultimar. voluntat. l. 8. tit. 12. num. 38. & ſeq.* Teſſaur. *Deciſ. Pedemontan. 64.* Gratian. *Diſcept. Forenſ. cap. 493. num. 13. & ſeq.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 19. defin. 6. & tit. 22. defin. 27.* Fachin. *lib. 4. controverſ. cap. 85.*

14 An vero ejuſmodi fideicommiſſum perpetuum ſit? aut certo tempore aut gradu evaneſcat? Pro communi regula receptum eſt; ejuſmodi aut ſimile fideicommiſſum in dubio, & in obſcura prohibitione, perpetuum non eſſe, ſed tantum ad quartum ſucceſſionis gradum extendi, connu-

merando ab eo, ad quem poſt primi heredis mortem hereditas cum tali onere obvenerit, uſque ad quartum ulteriorem gradum incluſive: perſona enim expreſſim & nominatim gravata, gradum non facit, ſed ejus demum ſucceſſor. In quam rem eſt *Novell.* 159. *cap.* 2. *verſ. Quod autem*, *in verb. poſt. quatuor generationes.* Vide Peregrin. *De fideicommiſſ. art.* 30. *num.* 12. *&* 19. Alexand. *vol.* 1. *Conſil.* 56. *in pr.* Leonin. *Conſil.* 77. *num.* 8. & dict. Alexandr. *vol.* 5. *conſil.* 125. *num.* 10. Quod apud Brabantos ad tertium gradum, & ſuccedendi ordinem, connumerando etiam primam inſtitutionem, reſtringitur. *edict. perpet.* 12. *Junii*, 1611. *art.* 16. Cæterum in aperta Teſtatoris voluntate, qua perpetuum ac ſucceſſivum fideicommiſſum ſcribitur, quin illud perpetuum maneat, dubium non eſt; quia in libera voluntate Teſtatoris poſitum eſt, eum modum aut gradum ſucceſſioni ſuæ apponere: quem voluerit: quum nullo jure hoc facere prohibeatur, poſſitque aliquem ex decimo, imo vel centeſimo gradu vocare. Quomodo olim pro Principe Auriaco judicatum fuiſſe refert Carol. Molin. *conſil.* 1. *in fin.* Vide Covarruv. *Var. Reſolut. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. Graſſ. *§. Fideicommiſſum. quæſt.* 19. *num.* 2. Fulat. *de Subſtitut. quæſt.* 381. *num.* 17. 25. Fachin. *controv. lib.* 4. *cap.* 100. Mynſinger. *Centur.* 6. *obſerv.* 64. Atque ita deciſum referunt in Curia Tholoſana Maynard. *lib.* 5. *deciſ.* 86. *num.* 3. In Friſia Joann. à Sande *lib.* 4. *tit.* 5. *defin.* 4.

Quemadmodum alienandi poteſtas probibetur ad inducendum fideicommiſſum: ita quando- 15
quidem in ipſo fideicommiſſo libera alienandi poteſtas conceditur: veluti, ſi quis inſtituatur heres ſub onere reſtituendi, quantum poſt ejus mortem ex illa hereditate ſupererit: ut frequenter accidere ſolet inter virum & uxorem, qui communiter ſibi invicem non tantum Uſumfructum omnium bonorum relinquunt, ſed & omnimodam quandoque alienandi & conſumendi poteſtatem concedunt. Quod tamen, licet ſuperſtes heres bona alienare poſſit, ad arbitrium boni viri reſtringitur: ſic ut tantum procedat, in quantum bona fide alienatio facta fuerit, in fraudem autem ſubſtituti fieri non poſſit: adeoque, ne intervertendi fideicommiſſi occaſio capiatur, reſtringi debet ad cauſas neceſſarias. *l.* 54. *ff. ad Senat. Trebellian.* Neque ultra dodrantem alienatio permiſſa cenſetur, ſic ut ſaltem quarta bonorum pars fideicommiſſario ſalva maneat: proque ea inventarium conficere, & cautionem præſtare heres tenetur, niſi & ejus à defuncto nominatim data fuerit remiſſio. *auth. contra quum rogatus*, *Cod. ad Senat. Trebell.* Anton. Fab. *lib.* 6. *tit.* 27. *defin.* 25. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 145. *in fin.* Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 20. Joann. à Sande *lib.* 5. *tit.* 3. *defin.* 4. Sic ut heres eodem modo inſtitutus, uſque ad dodrantem libere alienare poſſit; per Gloſſ. & DD. *ad d. auth. contra quum rogatus.* Niſi conſtare poſſit alienationem principaliter eſſe factam, evertendi fideicommiſſi cauſa: veluti, ſi ab ægroto in vitæ diſcrimine conſtituto, nulla cauſa rationabili accedente alienatio fiat, quo caſu nec infra dodrantem procedet. *arg. l.* 1. *§. denique. ff. de Aqua pluv. arcend. & l.* 24. *§. ult. ff. de damno infect.* Mantic. *de Conjectur. Ultimar. voluntat. lib.* 10. *tit.* 4. *num.* 21. Gomez. *variar. reſolut. tom.* 1. *cap.* 5. *num.* 16. Mart. *Digeſt. Noviſſim. tom.* 5. *tit. heres. cap.* 41. *& cap.* 66. Peregrin. *De fideicommiſſ. art.* 40. *num.* 46. *& num.* 50. Alias ſi teſtator alienationem tantum permiſerit, pro ſuis indigentiis, aut pro neceſſitatibus: quin ad alimentorum cauſam reducatur, dubium non eſt. *per l. pen. §. fin. & l. ult. ff. De aliment. legat.* neque locum habet, ſi & quouſque alia bona ſuperſunt, ex quibus alimenta, aliaque neceſſaria exhiberi poſſunt, *arg. d. l. Titius.* 54. *ff. ad Senat. Trebellian.* Peregrin. *d. art.* 40. *num.* 49.

Quæ tamen alienandi poteſtas ad inter vivos diſpoſitionem reſtringi placet, nec ad ultimas 16
voluntates extendenda eſt: quum in prohibitis, certo tempore permiſſis, tempus permiſſum, aut modus excedi non poſſit. *arg. l.* 17. *Cod. de Probat.* Bart. *Conſil.* 72. *Incip. ex facto.* Permiſſus enim in vita alienare, teſtando alienare non poteſt, quia confert effectum alienatis in tempus, & modum prohibitum: negari enim non poteſt, non alienata in vita, licet per ultimam voluntatem de iis diſpoſitum ſit, poſt mortem ſupereſſe. Cuman. Caſtrenſ. & Alexand. *ad d. l. Titius.* 54. *ff. ad Senat. Trebellian.* Quod & conſulendo pro communi opinione ſecuti ſunt Roman. *Conſil.* 476. Pariſ. *Conſil.* 33. *num.* 58. *in* 2. & poſt eos Peregrin. *De fideicommiſſ. d. art.* 40. *num.* 43. & à ſuprema Hollandiæ Curia pro confirmatorio Senatus Provincialis judicatum refert Jacob. Coren *Obſerv. rer. judicatar.* 11. Cujus etiam reſpectu omnis fraus doluſve removetur. *arg. l.* 60. *§.* 3. *ff. Mandati*, & *l.* 6. *l.* 20. *Cod. de Donat. inter vir. & uxor.* junct. *auth. æqualitas. Cod. De pact. convent.* Quomodo etiam invalidam fuiſſe donationem ab Uſufructuario (cui interim libera alienandi & conſumendi poteſtas erat relicta) cuidam ſub onere uſusfructus ſibi reſervati, ſive annuatim pro reditu vitali reſtituendi, inter vivos quaſi, velut in fraudem, reſtitutionis ejus quod poſt mortem ſupereſſet, conſtitutam, Suprema Hollandiæ Curia in contra-

dictorio

dictorio judicio cenſuit, *Ultimo Octob.* 1642. **Inder ſaake van Pieter Ambroſius van Brunſdorp**/cum ſociis, **Erfgenamen van Geertrupt Hendrik Govertſz. van Duſſelen** / contra **Dirk Cornelisz. van Leeuſvelt / ende Dirk Janſz. van Veſanevelt / als executeurs van den Teſtamente van zal. Hugo Koedijk/in ſyn leven Burgermeeſter der Stad Leyden.** Atque ita in ſimili Peregrin. *d. art.* 40. *num.* 50. pro ſua ſententia adduxit deciſionem Corn. *Conſil.* 140. *in* 2. qua invalidam fuiſſe donationem refert, omnium, vel majoris partis bonorum, cum certo annuo onere conceſſam. Inter conditiones ſub quibus fideicommiſſum relinqui ſolet, uſitatior fere eſt illa: Si ſine liberis, circa quam in praxi quæritur.

17 An poſita conditione, ſi ſine liberis, legitimati aut naturales, fideicommiſſarium, in eum caſum ſubſtitutum excludant? De legitimatis diſtinguendum eſt, ut in legitimatis per ſubſequens matrimonium abſolute procedat, etiam in eum caſum, quo de liberis legitimis, ſive ex juſto matrimonio quæſitis teſtator mentionem fecit. Eo quod in omnibus & per omnia legitime natis adæquentur. *§.* 5. *Inſtit. de Nupt. l.* 10. *Cod. de Natur. lib. auth. licet. Cod. de Naturalib. lib.* & ibi DD. Covarruv. *De Sponſalib. & matrimoniis. part.* 2. *cap.* 8. *§.* 2. *ad fin. ſub num.* 30. Mantic. *De conject. Ultimar. voluntat. lib.* 11. *tit.* 12. *num.* 14. *& ſeq.* 16. ubi DD. Fachin. *lib.* 4. *controv. cap.* 54. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 136. *num.* 4. *in medio.* Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 81. Atque ita deciſum referunt Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 25. *defin.* 19. Surd. *Deciſ.* 319. Teſ-ſaur. *Deciſ. Pedemont.* 196. Chriſtin. *vol.* 1. *Deciſ.* 310. Sed in legitimatis per reſcriptum Principis negandum videtur: quum illi pro legitimis abſolute non habeantur, ſic ut liberi per ſubſequens matrimonium, & quaſi ipſo jure legitimati: ſed tantum quoad ſucceſſionem patris, & ejus bona, de quibus potuit pro arbitrio diſponere: non autem quum agitur de bonis alterius teſtatoris, etiam conſanguinei, niſi & ipſe ad legitimationem vocatus, in eam conſenſerit. Ut ſupra etiam ſuo loco ſatis oſtendimus. Quam diſtinctionem etiam in legitimatis per ſubſequens matrimonium admittere videtur Mantic. *De conjectur. Ultimar. voluntat. d. lib.* 11. *tit.* 12. *num.* 17. *junct. num.* 21. Ubi, legitimatos per omnia legitimis adæquari, ad ea reſtringit, quæ ab ipſa lege iis deferuntur, inque iis, quæ à Teſtatoris judicio proveniunt, admitti poſſe negat: Cujus tamen ſubtilitatem juris ratio, quæ nullibi hac in parte diſtinguit, admittere non poteſt. Hanc quæſtionem late etiam tractat Menoch. *d. lib.* 4. *præſumpt.* 79.

De Naturalibus tantum, an & illi eo caſu ſubſtitutum excludant? Ita indiſtincte tenent Gloſſ. & DD. *in l.* 17. *§.* 4. *ad Senat. Trebell. & ad l. generaliter.* 6. *§. cum autem*, *Cod. de Inſtit. & Subſtit.* Quod ex communi quaſi opinione etiam defendit Fuſar. *de Subſtitut. quæſt.* 406. & diverſas DD. opiniones hac de re late refert Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 78. & noviſſie pro hac ſententia concludit Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 136. *num.* 4. Quod tamen ad liberos ſucceſſibiles, eoſque, qui & quatenus legitimorum loco haberi poſſunt, reſtringendum eſſe putem: quum liberorum appellatione ſolum veniant illi, qui ex juſtis nuptiis procreati ſunt, aut eorundem jure gaudent, per text. & DD. *ad l. filium.* 6. *ff. De his qui ſui vel alien. jur.* quo ſenſu illud in liberis legitimatis procedere diximus, quos legitimorum numero haberi conſtat. Et in matre ſub conditione, Si ſine liberis decedat, reſtituere gravata, quodammodo defendi poſſe videtur: ex eo, quod à matris ſucceſſione minime excludantur, & earum reſpectu pro liberis juſtis habeantur. *l.* 29. *§.* 1. *ff. de Inoffic. teſtam. §.* 3. *Inſtit. ad Senat. Orphician. l.* 2. *l.* 4. *ff. Unde cognati.* Quod tamen plerique negant. Ut latius vide apud Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 78. *num.* 57. *& ſeq. & num.* 60.

In cæteris vero quoniam Naturales & Spurii ſive vulgo quæſiti nobis uno eodemque nomine ac jure veniant, ut latius ſupra *lib.* 1. *cap.* 2. ſecundum diverſos gentium mores & conſuetudines oſtendimus: per eos ſubſtitutum minime excludi verius eſt. per text. *in Novell.* 89. *cap. ult. & auth. ex complexu. Cod. de Inceſt. Nupt.* Mantic. *De conjectur. Ultimar. voluntat. lib.* 11. *tit.* 9. *num.* 3. Alexand. *Conſil.* 121. *num.* 5. *vol.* 2. Fachin. *lib.* 4. *controverſ. cap.* 60. Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 89. *num.* 99. *& ſeq.* Conan. *lib.* 10. *comment. Jur. Civil. cap.* 1. *num.* 6. *in fin.* Teſſaur. *Deciſ. Pedemontan.* 196. *num.* 6. atque ita in Suprema Brabantiæ Curia judicatum refert Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 108.

18 An liberi in conditione poſiti, etiam ſint in diſpoſitione, id eſt, an & illi per tacitum quaſi fideicommiſſum ex teſtatoris diſpoſitione ad hereditatem vocentur? inter Doctores intricata videtur quæſtio: Sed quum conditio per ſe nihil diſponat, aut aliquid in eſſe ponat, neque ſit actus principalis ipſius voluntatis, ut eſt inſtitutio, legatum, &c. ſed diſpoſitioni tantum adjiciatur. Ut eſt text. *in l.* 8. *ff. Si quis omiſſ. cauſ. teſtam. l.* 16. *in fin. ff. de Vulg. & pupill. l.* 16. *ff. de hered. inſtituend. l.* 19. *ff. Quando dies legator. l.* 1. *Cod. de pact. l.* 6. *in pr. Cod. ad Senat. Trebellian. l.* 17. *§.* 5.

§. 5. ff. eod. cum ſimilib. liberos in conditione poſitoa, non eſſe in diſpoſitione, *l. 29. §. in omnib. 10. ff. de lib. & poſthum. d. l. 16. §. ult. ff. de Vulg. & pupill.* Neque directo ſubſtitutos eſſe conſtat. Cujac. *in l. 85. ff. de hered. inſtit. & d. l. 29. §. 10. ff. de lib. & poſthum.* Covarruv. *in cap. Rainut. 16. §. 3. num. 2. De Teſtament.* Andr. Gail *lib 2. obſerv. 136. num. 18.* Sed an non ſaltem ex tacita & conjecturata mente teſtatoris per fideicommiſſum vocati videantur? Id quidem, poſtquam ex conjecturis fideicommiſſum induci poſſe placuerit, *l. pen. ff. de leg. 1. l. 64. ff. de leg. 2. & l. 57. §. cum ita. ff. ad Senat. Trebell.* in ſolis liberis, & nepotibus: (veluti ſi avus filium heredem fecerit, eique ſi ſine liberis deceſſerit, alium ſubſtituerit:) ex pietatis conſideratione receptum eſſe quidam volunt, *arg. l. 102. ff. de Condit. & Demonſtrat. l. 30. Cod. de fideicommiſſ.* In collateralibus autem aliis extraneis non utique: niſi illam teſtatoris mentem fuiſſe, ex evidentibus conjecturis, & neceſſariis conſequentiis probari poſſit: veluti ſi ipſi liberi in conditione poſiti, aliquo etiam onere ſint gravati. Mantic. *De Conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 11. tit. 2. & 3. & lib. 10. tit. 8. num. 25.* Menoch *lib. 4 præſumpt. 89. num. 2. & ſeq.* Cravett. *Conſil. 326. num. 3. & conſil. 397. & conſil. 785. num. 15. & ſeq.* Jul. Clar. *lib. 3. Sententiar. §. teſtamentum, quæſt. 77.* Gomez. *tom. 1. Reſolut. cap. 3. num. 23.* Atque ita deciſum teſtatur Teſſaur. *deciſ. 96. num. 7.* Ant. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 22. defin. 3. num. 9. & defin. 43. num. 4.* Carpzov. *definit. Forenſ. part. 3. conſtit. 8. defin. 9.* Joann. à Sande *lib. 4. tit. 6. defin. 5.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 308. & volum. 4. deciſ. 46.* Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 22.* Apud Brabantos tamen hujuſmodi conditio, ſi ſine liberis, liberis exiſtentibus eoa etiam poſt parentea ſuos ſucceſſive vocatos indiſtincte probat *Edict. perpet. 12. Jun. 1611. art. 18.* Vide etiam Johann Decher. *lib. 2. diſſert. 1. num. 34.* Barr. *de Succeſſ. lib. 8. tit. 2. num. 1.* Trentacinq. *var. reſolut. de ſubſtit. cap. 11. num. 12.* Maynard. *lib. 5. cap. 66.* Et noviſſime ab Holland. Curia deciſum **inder ſaake van Aaltjen Jans Scharp / Weduwe van Floris van Open /** contra **Mattijs Benning / als getrouwt hebbende Cornelia van Open /** ultimo *Julii*. 1651.

Quæ tamen diſtinctio aliis merito diſplicuit. Qui non magis ipſos teſtatoris liberos & nepotes in conditione poſitos quam alios quoſlibet extraneos vocatos cenſeri probant, niſi certæ & evidentiſſimæ conjecturæ, & neceſſariæ voluntatis conſequentiæ concurrant, quum non alia ſit ratio voluntatis in deſcendentium quam extraneorum perſonis, quos ſi per fideicommiſſum vocaſſe voluiſſet teſtator, illud expreſſiſſe debuiſſet; quum in dubiis ſemper pro herede & contra fideicommiſſum præſumatur neque eo caſu liberos ſuos teſtator magis oneraſſe præſumendus eſt quam quoſlibet extraneos, qui quum pendente tali conditione liberam teſtandi & diſponendi habeant facultatem, præſtita tantum cautione Muciana, de reſtituendo, ſi quando conditio exſtiterit, illud ſtante eadem conditione ipſis Teſtatoris liberis denegari non debet. Facit etiam text. *in l. 85. ff. de heredib. inſtit. junct. l. 6. Cod. de Inſtit. & Subſtit.* Vbi ſi filius ſub hac conditione gravatus ſi *ſine liberis liberos ſuſtulerit*, firmiter res poſſideri, Imperator reſpondit, eoque exemplo & aliis perſonis, licet extraneæ ſint, de quibus hujuſmodi aliquid ſcriptum fuerit, mederi. Quo ipſo ſatis conſtat hac in cauſa deſcendentes cum extraneis ejuſdem reputari conditionis. Vide quæ late in hanc rem Peregrin. *de fideicommiſſis art. 31. num. 11. 12.*

Poſito vero caſu, quo liberi cum parentibus ſuis nomine collectivo ſimul vocati ſunt: veluti 19
ſi teſtator liberis, aut filiis & eorum heredibus, aut inter fratres & eorum liberos fideicommiſſum reliquerit: non illi ſimultanee vocati cenſentur, ſed eo ordine ſuccedent, qui in ſucceſſione ab inteſtato ſervatur. *l. ult. Cod. de Verb. Signif. & l. 32. § ult. ff. de leg. 2. l. 8. l. 3. ff. de Jure Codicillor.* Peregrin. *De fideicommiſſ. art. 20.* Mantic. *De Conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 8. tit. 14. num. 10.* Joann. à Sande *lib. 4. tit. 5. defin. 6. in fin.* Nec in capita, ſed in ſtirpes per repræſentationem vocati cenſentur. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 22. defin. 10. 11.* Vt latius ſupra *cap. 5. num. 34.*

Vtrum in fideicommiſſis repræſentationi locus ſit? affirmativa opinio communiter eſt rece- 20
pta, neque dubium habet ſi teſtator generaliter ſuos neque nominatim proximiores ex iis vocaverit, aut ſimpliciter voluerit, ne bona devolverentur extra gradum cognatorum ſuorum. Quia quum teſtator non diſponit certum ſuccedendi ordinem, illum relinquere videtur diſpoſitioni juris communis, quo fideicommiſſarii ad modum, & formam ſucceſſionis ab inteſtato ſuccedunt. *arg. l. 8. l. 3. ff. de Jure Codicill. l. 57. §. 2. ff. ad Senat. Trebell. l. 77. §. pen. ff. de legat. 2.* Vide Johann. Caſtill. Soto Major. *lib. 4. controverſ. cap. 84.* Cævall. *Specul. commun. opinion. quæſt. 196. & 762.* Teſſaur. *deciſ. 65.* Gomez. *ad leg. Tauri 8. num. 17. & l. 40. num. 41.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 19. defin. 10. & tit. 22. defin. 24.* Joann. à Sande *deciſ. Friſ. lib. 4. tit. 5. defin. 2.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 3. conſtit. 8. defin. 26.* Vtrum vero idem obtineat,

tineat, ſi vocaverit ſuos proximiores? Quidam DD. negant per ea quæ tradunt idem Soto Major *part. 3. cap. 19. num.* 53. Covarruv. *pract. contrev. cap.* 38. *num.* 5. Mantic. *de Conjectur. Ultimar. volunt. lib.* 8. *tit.* 9. *num.* 10. Graſſ. *§. fideicommiſſ. quæſt.* 11. *num.* 9. Petr. à Petra *de Fideicommiſſ. quæſt.* 11. *num.* 100. Affirmant Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 95. *num.* 21. Peregrin. *de Fideicommiſſ. art.* 21. *num.* 17. Caſtillo Soto Major *d. cap.* 19. *num.* 304. 311. *&* 313. Hieronym. Cævall. *d. loco.* Teſſaur. *d. deciſ.* 65. Et poſt eos Vincent. Fuſar. *tract. de Fideicommiſſar. ſubſtitutione quæſt.* 485. *num.* 37. Quod vocatis agnatis, deſcendentibus, familiæ, & ſimilibus, proximiores vocati cenſeantur. *arg. d. l.* 32. *§. ult. ff. de legat.* 2. Et quod nomine proximiorum collective ſumpto proximiores in ſucceſſione intelligantur vocati, non in gradu proximi, per ea quæ Peregrin. *d. art.* 21. *num.* 9. *& ſeqq.* & Soto Major *d. cap.* 19. *num* 304. *& num.* 313. Fuſar. *d. quæſt.* 485. *num.* 3. Quorum opinio in praxi magis eſt recepta, præſertim moribus noſtris, quibus inter proximiores **naaſte Vrienden** / omnes ſimultanee ſuccedentes connumerari certum eſt.

Sed & ultra communes repræſentationis gradus, nepotes in præmortuorum parentum locum per repræſentationem admitti volunt, ſi quando teſtator, aut expreſſis verbis repræſentationis mentionem fecit, aut ex præſumpta ejus voluntate ac diſpoſitionis circumſtantiis cum id voluiſſe colligi poteſt, per ea quæ tradit Petrus Zanſ. *tract. de diviſion. bonor. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 61. Ita ab Hollandiæ curia juxta conſilium noſtrum judicatum **in de ſake van Karel vander Plupm / Impetrant in cas poſſeſſoir** / contra **Artus Voninga.** 11. *Decemb.* 1664.

21 Quemadmodum plures ſimul inſtitui, ita & pluribus ſimul, aut in toto, aut ex certa parte fideicommiſſum relinqui poſſe, inibique jus accreſcendi locum habere conſtat: per ea quæ tradunt Gomez. *tom.* 1. *Variar. Reſolut. cap.* 10. *num.* 23. Graſſ. *Recept. Sentent. §. De Jure Accreſcend. quæſt.* 21. *num.* 2. Mantic. *De Conjectur. Ultim. voluntat. lib.* 10. *tit.* 3. *num.* 1. 2. 3. & poſt eos Jacob. Coren *Conſil.* 24. *quæſt.* 1. Modo illi inter ſe aliquo modo ſint conjuncti: quomodo in ſubſtitutione fideicommiſſaria, citra conjunctionem, Jus accreſcendi obtinere negat Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 2. *defin.* 19. Inter quos de conjunctis re tantum, aut re & verbis ſimul dubium nullum eſt, quin inter eos juri accreſcendi ſit locus: per ea quæ notant Bart. & DD. *ad l. re conjuncti* 89. *ff. de legat.* 3. Sed in conjunctis verbis tantum diſtinguendum eſt: ut inter eos locum habeat Jus accreſcendi, ſi re prorſus disjuncti non ſint, alias ceſſet, Bart. *d. loco* Mantic. *d. lib.* 10. *tit.* 3. *num.* 7. Graſſ. *Receptar. Sententiar. d. §. De Jure accreſcend. quæſt.* 8. *num.* 4. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 3. *defin.* 2. Quod quibus argumentis procedat, late tractat Arnold. Vinn. *ad §.* 8. *Inſtit. de legat. num.* 17. *& ſeqq.*

Cap. VIII.

De Legatis, & ſingulis rebus per fideicommiſſum relictis.

Summaria.

1. *Legatum quid, & quotuplex.*
2. *Qui legare, & quibus legari poſſit, an perſonis incertis?*
3. *Legatum indiſtincte pauperibus relictum cui cedat.*
4. *An error in nomine vitiet legatum.*
5. *Quæ res legari poſſint.*
6. *Annuum legatum an ſit purum an conditionale.*
7. *Uſufructu legato quæ comprehendantur, an feuda, & bona fideicommiſſo ſubjecta.*
8. *Herede ſimpliciter inſtituto, & uſufructu omnium bonorum legato, an in uſufructu concurrant heres & legatarius.*
9. *Interpretatio* leg. 19. ff. de Uſufruct. leg.
10. *Legatum pro dote an purum, aut conditionale ſit.*
11. *An is cui prælegatum eſt relictum, legatum agnoſcendo, hereditatem repudiare poſſit.*
12. *Is cui optio aut electio legata eſt, an optimum eligere poſſit.* Affirm.
13. *Legatum fundi inſtructi, aut legatum fundi cum inſtrumento, quomodo differant, & quid eorum nomine veniat.*
14. *Supellectilis aut auri ſive argenti nomine quid veniat, & quomodo diſtinguantur.*
15. *An auri, ſive argenti nomine etiam pecunia numerata veniat.*
16. *An ſcyphus aureus ſupellectilis nomine veniat.*
17. *Mundi & ornamenti nomine quid veniat.*
18. *Veſtium & veſtimentorum nomine quid veniat.*
19. *Alimentorum nomine quæ contineantur, an & ſtudiorum erogationes.* 21.
20. *Cibariorum nomine quid veniat.*
22. *Alimentorum præſtatio quamdiu duret.*

23. *An & quanda debitori liberationem, aut creditori quod debetur legari poſſit, & quid ſi de debita aut credito nullo appareat.*
24. *An & quomodo rei alienæ legatum conſiſtat & præſtari debeat.*
25. *An & quomodo rei communis.*
26. *An feudum legari, aut fideicommiſſo relinqui poſſit.*
27. *Cauſa legatis ſive fideicommiſſis inſerta quæ ſit, & quid ſi falſa.*
28. *Modus quis.*
29. *Conditio qualis legatis inſeri poſſit, & quid juris remiſſive.*
30. *Quando dies legatorum cedat in conditionibus.*
31. *Dies incertus an & quando præ certo habeatur, & an uſufructu omnium bonorum legato, proprietatis tranſmiſſio interim impediatur.* & num. 33. & 36.
32. *Quæ ſint conditiones mere voluntariæ, quæ neceſſariæ, quæ & quando tranſmiſſionem impediant.*
34. *Conditio in legitimam ætatem, aut nuptiarum diem tranſlata, an efficiat legatum purum.*
35. *Interpretatio* l. 26. §. 1. ff. Quando dies legator.
37. *Jus accreſcendi in legatis, an & quando obtineat.*
38. *Quando legata deberi incipiant, & uſuræ currant.*
39. *Intellectus* l. 1. 2. 4. Cod. De Uſur. & fructib. legator.
40. *Pro legato tractum temporis habente inventarium confici debet, etiamſi à teſtatore remiſſa ſit ejus confectio.*
41. *An & quatenus adimi aut transferri legatum aut fideicommiſſum poſſit.*

Inſtit. II. xx. Dig. xxx. I. II. III. & Cod. VI. xxxvII. *De legatis & fideicommiſſis.*

1 EXpoſita hereditatis ex voluntate defuncti delatæ ratione, & jure, omiſſo tantum legitimæ ſucceſſionis modo, de quo commodius ſuo loco, ad rerum ſingularium ex legatis & fideicommiſſis acquiſitionem accedere reſtat: ut ſic quod teſtamentariæ ſubſtantiæ reliquum eſt expleatur. Differunt tamen in ſe legatum & fideicommiſſum licet ejuſdem Juris ſint participes, quod ejuſdem quidem ſint juris, non tamen ejuſdem naturæ vid. *l. 2. commun. de legat. collat. ex defin. 24. tit.* Fragm. Vlpiani. Ad interpretationem quidem legum Pandectarum conſtituit Juſtinianus, ut quicquid non valeret verbis directis, in legatis, quorum ſtricta natura erat, id valeat verbis imprecativis, ubi notandum verbum (legatum) pro adjectivo ſumi, non pro ſubſtantivo: manſit enim differentia pro legatarii electione, ſi heredi teſtator juſſerit, ut reſtituat, quæ alias non competeret.

Legatum eſt donatio quædam à defuncto imperative relicta, ab herede præſtanda. *§. 1. Inſtit. de legat. l. 36. ff. de legat. 2. l. 116. ff. de legat. 1.*

Olim fuit quadruplex, non verborum tantum formulis, ſed & natura & jure, per vindicationem, per damnationem, ſinendi modo, & per præceptionem, diſtinctum. *§. 2. Inſtit De legat.* Quorum priores Principes atque Imperatores Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans ſolennes quidem formulas, *l. 21. Cod. de legat.* Juſtinianus vero & ipſas ſpecies ſuſtulit. *l. 1. Cod. commun. de legat. d. §. 2. Inſt. de legat.* Sic ut jure novo, unum atque ſimplex ſit, unius ejuſdemque qualitatis, omniumque legatorum quibuſcunque tandem verbis concipiantur, una eademque ſit ratio, atque natura.

Fideicommiſſum hic eſt, quo res ſingulæ precativè relinquuntur: *pr. & §. ult. Inſtit. De ſingul. reb. per. fideicomm. relict.* Quod licet verborum figura etiamnum à legato differre videatur: una tamen utriuſque natura, unus idemque effectus eſſe cœpit, poſtquam omnia legata fideicommiſſis ſingularibus legatiſque fideicommiſſa ſingularia ita adæquata fuerint, ut nulla amplius inter ea remanſerit differentia. *§. 3. Inſt. de leg. l. 2. Cod. comm. de legat.* Sic ut quod de uno genere dictum erit, etiam ad alterum pertinere intelligatur,

Etquidem legare poſſunt omnes, qui teſtamento relinquere, *arg. l. 116 ff. de leg. 1. & §. 10. Inſtit. De Fideicomm. hered.* his, cum quibus teſtamenti factio eſt paſſiva *§. 24. Inſtit. de legat. l. 101. ff. de legat. 1.* Etiam perſonis incertis, quibus olim neque hereditas, neque legatum relinqui poterat, poſtmodo valide legari poſſe, cautum eſt, *§. 25. junct. §. 27. Inſtit. de legat.* De quibus modo ullo ratione vel nunc, vel ex futuro eventu aliqua certitudo apparere poſſit. Sic & Reipublicæ, Civitatibus, Municipiis, aliiſque Collegiis publicis, quibus antea quoque legari non poſſe videbatur, licet certas & denominatas perſonas non habeant, legata capere per præfectis eorundem perſonas, admiſſum eſt, *l. 32. in fin. l. 73. §. 1. l. 117. l. 122. ff. de legat. 1. l. 20. ff. de Reb. dub. l. 26. ff. ad Senat. Trebell. l. 12. Cod. De hered. inſtituend.* Eademque ratione legatum pauperibus relictum (quo nihil frequentius apud nos) firmum ratumque omnibus modis habetur, daturque jus & nomen heredis, Epiſcopis, Oeconomis, Xenoni, ptochotropho, aliiſque eorundem collegiorum communitatumque præfectis, quo debita exigant, creditoribus heredita- 2

Cod. VI. xxvIII. *De incertis perſonis.*

riis

riis reſpondeant, pauperibus relicta dividant. *l.* 24. *l.* 49. *§.* 1. *& ſeq. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* & ibi Cyn. Bald. & Salycet. Bart. ad *l.* 5. *ff. de Reb. dub.*

3 Legatum indiſtincte pauperibus relictum, an omnibus pauperum collegiis competat, aliquando quæſitum eſt. Sed quum moribus noſtris pro eleemoſynis pauperibus erogandis, ubique fere diverſa & diſtincta collegia conſtituta ſint, diverſa ab his, quæ ſpeciali Xenodochii, Nnoſocomii, Orphanotrophii, aut ejus generis nomine venire ſolent, nihilque commune cum iis habent: hodie legatum ſimpliciter pauperibus relictum, non Xenodochio ſecundum *l.* 49. *§.* 3. *Cod. de Epiſcopis & Cleric.* aut alterius generis collegio; ſed generali pauperum communitati, ejuſdemque collegio cedit: eo quod ex communi uſu loquendi, pauperum appellatione non veniant illi, qui in Xenodochiis, aut Nnoſcomiis, aliiſque collegiis, ut pauperes, aluntur, arg. *l.* 7. *§. ult. ff. de Supellect. legat. l.* 50. *§. ult. ff. de legat.* 3. *l.* 18. *§.* 3. *ff. de inſtruct. vel inſtrum. legat.* facit etiam *d. l.* 49. *§.* 5. *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* & ibi Gothofred. Vide Gloſſ. *in d. §.* 3. *l.* 49. *Cod. eod. in verb. Xenonem.* Mantic. *de Conject. Ultimar. voluntat. lib.* 3. *tit.* 8. *num.* 2.

4 Neque falſa demonſtratio perimit legatum, ſi de legato conſtet, *l.* 75. *§.* 1. *in fin. ff. de legat.* 1. *l.* 21. *ff. de leg.* 2. & *l.* 33. *ff. de Condit. & demonſt.* nec error in nomine legatarii, quum de perſona conſtat, legatum vitiat. *§.* 29. *Inſtit. De legat.* Aliis enim rebus, quam per nomina perſonaa demonſtrari poſſe conſtat, valetque legatum, ac ſi proprio nomine demonſtratæ eſſent, *l.* 9. *§.* 8. *ff. de heredib. inſtituend. l.* 8. *§.* 2. *ff. De bonor. poſſ. ſec. tab. l.* 4. *Cod. De Teſtam.* Et generaliter, in omnibus juris partibus, demonſtratio nominis vice fungitur, *l.* 6. *ff. De reb. dub. l.* 34. *ff. De Condit. & Demonſtrat. l.* 2. *ff. De lib. & poſthum.* Si vero error ſit in nomine appellativo ſeu ſpecie, ipſam diſpoſitionem vitiat, ut ſi quis pro veſte ſupellectilem adſcripſit aut auri appellatione electrum vel aurichalcum contineri putaverit, aut ſi quis leget vaccam pro aſino. *l.* 4. *ff. de leg.* 1. Vid. Sichard. *ad l.* 4. *Cod. de Teſtam. num.* 10. Diſtinguendum etiam eſt inter legatum quod ad pondus, numerum vel menſuram relinquitur, & inter legatum, quod ad corpus, & quod ad ſpeciem ſive in ſpecie relinquitur veluti pecunia quæ in arca eſt vel vinum quod in Apothecis eſt *l.* 30. *in pr. & §.* 6. *ff. de legat.* 1. Quo circa etiam notandum in his quæ ad corpus ſive ſpeciem legantur, per falſam ſive erroneam demonſtrationem non vitiari, veluti ſi teſtator dixerit decem quæ in arca habeo do lego, quum tantum quinque in arca habeat, legatum pro quinque valebit, neque alia quinque quæ deerunt peti poſſunt, quia ad ſolum corpus & ſpeciem quæ exſtitit, legatum videtur. *l.* 108. *§.* 10. *ff. eod.* Nam quoties quæ pondere, numero vel menſura conſtant, non ſimpliciter legantur, vel certo quodam loco aut qualificatione concluduntur, non quantitatis ſed ſpeciei & certi corporis eſt legatum. Quod pro reſolutione communiter approbata poſt Bald. Decium, Pariſium, Afflictum, Simonem de Prætis alioſque probat Joann. del Caſtillo Soto Major *Quotidianar. Controverſ. de Conject. Ultimar. Volunt. lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 26. Ubi per *l.* 12. *ff. de leg.* 2. & *l.* 96. *ff. de leg* 1. diſtinguit differentiam non verſari in eo, quod legatum & deſignatum ſit in una vel in diverſa oratione, ſed ſolum verſari in eo, an diſpoſitio pecuniæ conſiſtat in genere, vel in ſpecie, & certo corpore.

5 Legari poſſunt omnia ea, de quibus modo diſponi poteſt, nimirum ea, quæ ſunt in commercio, quorumque poſſit eſſe Dominus: Quo faciunt tituli *ff. De Annuis legatis. De Uſu, & Uſufructu, & reditu & habitatione, & operis per legat. vel Fideicommiſſ. datis. De Servitute legata. De dote prælegata. De optione, vel electione legata. De Tritico, vino, vel oleo legato, De inſtructo vel inſtrumento legato. De peculio legato. De penu legata. De Supellectile legata. De alimentis vel cibariis relictis. De Auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, & ſtatuis legatis. De liberatione legata, &c.*

Circa quæ ut plurimum dubia quædam incidere ſolent, quid eorum nomine venire ſoleat, quæ ex voluntate præſumpta, ex verbis, rerumque circumſtantiis inducta interpretationem accipiunt. De quibus ſupra *cap.* 5. in genere egimus *ad tit. ff. De rebus dubiis, & Cod. de Verbor. Significat.* Quibus hic remiſſis, de quibuſdam harum ſpecierum reſtat: Et quidem de annuo legato, quod per plures annos præſtandum eſt, quæritur, utrum legatum ſit purum, an conditionale? De quo
6 quum tot reputentur legata, quot ſunt anni, quibus ipſum legatum eſt præſtandum, *l.* 4. *in pr. ff. de Ann. legat. l.* 11. *ff. eod. l.* 10. *ff. quand. dies legator.* dicendum eſt, cujuſque anni legatum eſſe purum: ita ut ſi quando contingat legatarium mori, eo reſpectu quidem conditionale dicatur, ut reliquorum annorum nihil ad heredes tranſmittat; quia annuum tantum eſt; reſpectu vero præſentis anni, ſufficiat, quod vel unico momento ſupervixerit, ut legatum incepti anni ad heredem tranſmittat. *l.* 12. *§.* 1. *ff. Quando dies legator. junct. l.* 5. *ff. de annuis legat.* & *ibi* Bart. & DD. Quomodo in annuo legato cujuſque anni initium ſpectari, & ſi tum in vivis fuerit legatarius, totius anni penſionem ad heredem legatarii tranſmitti Supremus Friſiæ Senatus cenſuit, teſte Joann.

D. xxxiii. 1. *De Annuis legatis & fideicommiſſis.*

 à Sande

à Sande *lib. 4. tit. 4. deſin.* 8. Idem eſt in debitis & penſionibus annuis, veluti ſunt Profeſſorum honoraria, Advocatorum & Medicorum. Quando enim ſalarium annuum debetur ex diſpoſitione legali, vel quæ ejus loco ſuccedit, puta ſi per ſtipulationem ſit promiſſum, tunc tot ſunt obligationes quot ſunt anni, & ideo ſi is cui debetur, initio moriatur aut alias ſe vivo per eum non ſtat quo minus operas ſuas præſtet, pro anno cœpto totius anni ſalarium debetur per *l. 1. §. 13 ff. de Var. & extraord. cognit. & ibi* Gloſſ. & DD. *l. 4. ff. de offic. Adſeſſor. l. 19. § ult. & l. 38. ff. locati.* niſi aliter fuerit cautum: Ut in *l. 10. ff. ad leg. Rhod. de jact. l. 8 ff. de Verb. oblig.* Vide Berlich. *part. 1. concluſ. 9. num. 78.* Andr. Gail *lib. 1. obſerv. 44. num. 12.* Mynſinger. *Cent. 3. obſerv. 7. & 8.*

D. xxxiii. 2. De Uſu, Uſufructu, & reditu, & habitatione, & operis per legatum aut fideicommiſſum relictis.

Uſufructu omnium bonorum legato, quin de omnibus iis quæ teſtatoris erant intelligatur, dubium non eſt: quum nulla ſit res quæ in uſumfructum non cadat. *l. 69. ff. ad leg. Falcid. & l. 29. ff. de Uſufruct.* Quod tamen reſtringendum ad ea, de quibus teſtator diſponere poteſt: quum in his, quibus teſtatoris poteſtas deficit, voluntatis conjectura opus non ſit. Quare Uſufructu bonorum omnium legato, feudalium bonorum, de quibus teſtator non potuit diſponere, uſusfructus non continebitur. *arg. cap. 1. in princip. De Succeſſione feudi lib. 1. cap. 8.* 7

Sed an Uſufructu omnium bonorum legato, legatus etiam cenſeatur Vſusfructus eorum, quæ fideicommiſſo ſubjecta ſunt? Diſtinguendum volunt; ut debeatur etiam eorum, quæ teſtator debuit reſtituere heredi à ſe inſtituto, non vero eorum, quæ alteri, quam heredi poſt mortem teſtatoris veniunt reſtituenda. Vt late Mantica *De conjectur. Ultim. volunt. lib. 9. tit. 6. num. 9.* Peregrin. *De Fideicommiſſ. art. 6. num. 9.* Menoch. *lib. 4. præſumpt. 141. num. 12.* Atque ita etiam deciſum refert Joann. à Sande *lib. 4. tit. 4. deſin. 9.*

Utrum vero herede ſimpliciter inſtituto, is cui legatus eſt Vſusfructus omnium bonorum, plenum, integrum Vſumfructum omnium bonorum conſequatur, an vero heres inſtitutus concurrat in uſufructu, & per concurſum partes faciant? Quod quidam volunt, ſcilicet legatarium pro parte tantum dimidia, Vſumfructum conſequi, ſic ut heres alteram dimidiam per concurſum accipiat: *arg. l. 19. ff. de Uſufruct. legat.* Quomodo ex doctrina Baldi ad *l. ult. ff. De Indict. Viduitat. tollend.* & Covarruv. *Var. Reſolut. lib. 2. cap. 2. num. 7.* à Sabaudiæ Senatu deciſum refert Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 18. deſin. 3.* Quam legem tamen rectius alii reſtringunt ad eum caſum, quo teſtator uni fundum legavit, non addito, detracto uſufructu, aut ſimili reſtrictione, alteri ejuſdem fundi Vſumfructum, quo caſu ſecundum *d. leg.* 19. ambo concurrunt in Vſufructu, quia fundi appellatio ex proprietate & Vſufructu conſiſtit, quorum altero deficiente non dicitur fundus, ſed nuda proprietas, vel nudus Vſusfructus. *l. 58. ff. de Verb. oblig.* Sed quum teſtator inſtituit aliquem in omnibus bonis, & alteri relinquit uſumfructum unius rei, vel etiam omnium bonorum uſumfructum alteri relinquat, non conſtat eum voluiſſe, heredem inſtitutum ex uſufructu legato aliquid conſequi, ſed nudam tantum proprietatem illi eſſe relictam. Ut poſt Mantic. *de Conjectur. ultimar. voluntat. lib. 9. tit. 6. num. 17.* elegantiſſime Gomez. *Var. reſolut. tom. 2. cap. 15. num. 5.* Et hæc quæ ad intellectum *d. l. 19. ff. De Uſufruct. legat.* adduci debebant. Cæterum ſi morum ſimplicitatem ſpectemus: ſi alii fundum, alii Vſumfructum ejuſdem fundi teſtator legaverit, ita contra juris apices ex benigna interpretatione teſtatoris voluntatem capiendam eſſe putem: ut non alio propoſito id feciſſe, quam ut alter nudam proprietatem habeat, alter vero plenum Vſumfructum: adeoque ipſum Vſumfructum à fundi proprietate ſeparaſſe videatur: quare, ne, dum nimia circa hujuſmodi ſenſus utimur ſubtilitate, teſtantium judicia fraudentur, eatenus eundem text. recte abrogatum cenſent Autumn. & Groeneweg. *ibid.* Vide etiam Arnold. Vinn. *ſelectar. quæſt. lib. 2. quæſt. 26. in fin.* Quid fructuum nomine veniat vid. ſupra *lib. 2. cap. 15. num. 4. 5.* A quo tempore vero debeantur poſtea videbitur, cujus diſceptatio circa fructus adhuc pendentes in præſens occurrit, utrum & illi uſufructui legato cedere, an vero ad proprietarium petinere dicantur? Qui nondum percepti quum dividi non poſſint *§. 36. Inſtit. de Rer. diviſ. l. 25. §. 11. in fin. ff. de Uſur.* licet adhuc pendeant, ad fructuarium pertinere dicuntur in text. *l. 27. ff. de Uſufructu.* Vide Cavalean. *de Uſufruct.* mulieri relicto. *num. 93.* Graſ. *de Expenſ. & melioration. cap. 11. num. 60.* & poſt eos Joann. del Caſtillo Soto Major *tract. de Vſufruct. lib. 1. cap. 42. num. 15.* 8 9

D. xxxiii. 4. De Dote prælegata.

De dote prælegata videndum: primo an legatum pro dote aut nuptiarum cauſa relictum ſit purum aut conditionale, ad hoc, ut defuncto legatario, antequam nuptias contraxerit, ad heredes tranſmittatur? Quod in dubio non purum, ſed conditionale eſt. *arg. l. 71. §. 3. ff. de condit. & demonſtrat.* Quia promiſſio dotis cauſa facta eam conditionem in ſe habet, ſi nuptiæ ſequantur. *l. 41. in pr. ff. de Jure dot.* quomodo etiam ſe habet legatum in quo nuptiarum cauſa exprimitur. 10

mitur. *l. 31. l. 91. ff. de condit. & demonſtrat. l. 21. & l. 22. ff. quando dies legator.* Quare ſi legatarius decedat, antequam matrimonium vel nuptias contraxerit, legatum extinguitur, & hereditati accreſcet, nec ad legatarii heredes tranſmittitur: eo quod legati conditio defecerit, *arg. l. unic. §. 7. Cod. de cadut. tollend. & d. l. 71. §. 3. ff. De condit. & demonſtrat.* Præterquam in filia, cui pater dotis legatum reliquit: quod liberorum favore ex tacita voluntatis conjectura pro puro, & ad heredes tranſmiſſibili habetur, quaſi pro legitima ſit relictum. Unde etiam licet filia legatorum non habeat actionem, ſi ea, quæ ei in teſtamento reliquit vivus pater poſtea in dotem dedit: *l. 11. Cod. de legat.* ſi tamen pater quadringenta ei dotis nomine reliquit, poſtea vivus ducenta tantum in dotem dedit, nec teſtamentum mutavit, filiam ad reſiduum petendum, quaſi non acceperit totam quantitatem à patre teſtamento relictam, contra Dynum ex Oldradi ſententia placuit. Oldrad. *ad d. l. 11. Cod. de legat.* quem ſequuntur Bald. Caſtrenſ. Jaſon & DD. Comm. Fachin. *lib. 5. controverſ. cap.* 55. Graſſ. *recept. ſentent. quæſt.* 38. *num.* 3.

Sed & eam limitationem recipit illa regula, quod legatum tale pro puro, & tranſmiſſibili habeatur, quando ex conjecturis liquet teſtatorem magis de modo, quam conditione ſenſiſſe, veluti ſi tempus certæ ætatis, matrimonii, dotis, aut nuptiarum adjiciatur poſt præcedentem diſpoſitionem puram: aut quando fit mentio nuptiarum in ea parte teſtamenti, quæ ad executionem legati, non vero diſpoſitionem pertinet: quo caſu non ad faciendam conditionem, ſed differendæ ſaltem ſolutionis cauſa adjectum intelligitur: quod tranſmiſſionem impedit. *arg. l. 5. Cod. Quando dies legator.* Vt in ſimili ſupra latius notavimus. Secundum quam diſtinctionem poſt Pett. Heig. *quæſt. 31. num. 13. & num. 15.* in foro Saxonico judicatum refert Carpzov. *defint. forenſ. part. 3. conſtit. 13. defin.* 25.

11 De prælegatis illud quæritur, utrum ille cui prælegatum eſt relictum, legatum agnoſcendo, hereditatem repudiare poſſit? Quod diſtinguendo procedit, ut heres repudiare hereditatem poſſit, ſalvo ſibi prælegato, *arg. l. 87. cum ſeq. ff. de legat. 1. junct. l. 12. Cod. de legat.* niſi non alias teſtator voluerit heredem habere legatum, quam ſi hereditatem retinuerit: quo caſu omittenti, vel repudianti hereditatem adverſus coheredem legati petendi actio denegatur. *l. 88. ff. eod. De leg. 1.* Atque ita deciſum refert Joann. à Sande *lib. 4. tit. 4. defin. 7.*

12 Quoad optionem vel electionem legatam, ſi quando equus, ager, jumentum, aut quid ſimile in genere ſit relictum, data legatario electione, nec optimum, nec peſſimum, ſed mediocre deberi communiter tradunt interpretes. Quod etiam locum habere volunt in legato generis ſimpliciter relicto, cujus & legatarii electione eſſe conſtat; niſi teſtator aliud voluerit. *§. 22. Inſtit. de legat. l. 2. in pr. ff. de opt. legat. l. 108. §. 2. ff. de leg. 1.* Idemque in herede, cui electio data. *l. 2. ff. de opt. legat. arg. l. 37. ff. de legat. 1. & l. 110. ff. eod.* cui ſententiæ etiam adſtipulatur Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 13. defin. 30. in fin.* Quo tamen, ſi id abſolute verum velint, electionis libertatem violari, & contra ejus naturam reſtringi manifeſtum eſt. Quare quum electio definiatur facultas capiendi quod velis, legatarium optimum eligere, heredem viliſſimum præſtando liberari poſſe, nihil eſt quod vetat: ex iis ſcilicet de quibus veriſimiliter teſtator cogitavit, quæ ſolum limitatione omnes textus qui alioqui obſtare viderentur, ad concordiam vocari facillime poſſe cuique altius inquirenti conſtabit. Pro qua noſtra opinione text. eſt *in d. l. 2. in pr. & §. 1. ff. de opt. legat. l. 38. §. ult. ff. de Auro, argento, mundo, &c. legat.* Idem ſentit Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 22. verſ.* Tot het Geſlacht / *& ſeqq.* Sed cui in dubio electio competat, heredi, an legatario? Diſtinguendum mihi videtur ut legato in genere relicto, & de quo conſtat generaliter, legatario electio competat, ſecundum *§. 22. Inſtit. de legat.* & *l. 108. §. 2. ff. de leg. 1.* Sed ſi ita in genere ſit relictum, ut de eo non conſtet, aut non ſatis aperte à teſtatore fuerit demonſtratum, heredi electio competat, ſecundum *l. 37. ff. de legat. 1.* quæ aliam interpretationem non patitur, quam ut ſub ea diſtinctione intelligatur.

D. XXXIII. V. De Optione vel Electione legata.

Poteſt à teſtatore legari fundus ſimpliciter, vel cum inſtrumento. Poteſt etiam legari fundus inſtructus, aut ut inſtructus eſt, quibuſcunque tandem verbis teſtator uti velit, *tot. tit. ff. De inſtructo, vel inſtrum. legato.* Circa quæ tamen notandum, plenius eſſe legatum fundi inſtructi, quam legatum
13 fundi cum inſtrumento, quum illud omne patris familias proprium inſtrumentum, quo fundus inſtructus eſt, eaque omnia quæ ibi habuit, ut inſtructior eſſet, contineat, ac proinde etiam ſupellectilem, menſas, ſcamna, vitra, aurum & argentum, vina quoque quæ ibi fuerunt, & oleum, *l. 12. §. 27. & §. 39. ff. De inſtruct. vel inſtrum. legat.* Nec non cibaria, & utenſilia, mancipia, & alimenta ad alenda pecora & miniſtros neceſſaria. *d. l. 12. §. 28. 35. & 36. l. 20. in pr. ff. De inſtruct. & inſtrum. legat. l. 1. 2. Cod. De Verb. & Rer. Signific.* late Jacob. Menoch. *De Præſumpt. lib. 4. Præſumpt. 154. n. 14.* Hoc vero tantum ipſius agri inſtrumentum ſpectet neceſſarium *d. l. 12. §. 1. 2. & ſeq. ff. eod.*

D. XXXIII. VII. De inſtructo vel inſtrumento legato.

Quod tamen reſtringendum ad ea, quæ & quatenus uſui fundi inſerviunt: ſecus vero ſi non uſus, ſed cuſtodiæ aut alterius cauſa ibi ſint: quomodo nec frumentum venale, nec fructus eo repoſiti, in alium quam fundi uſum convertendi, fundo licet inſtructo legato, venire poſſunt, *d. l. 12. §. 29. §. 30. & §. 37. ff. eod. de Inſtruct. vel inſtrum. legat.* Sicuti nec ea, quæ tutelæ cauſa ob incurſionem latronum teſtator ibi habuit, *l. 1. Cod. de Verb. Signific.* neque imagines, quæ in ornatu villæ non fuerunt, neque vina in horreis repoſita, quibus alibi inſtrueretur pater familias, *d. l. 12. §. 36. & §. 39. ff. eod.*

D. xxxiii. x. De Supellectile legata.

Supellectilis legatæ nomine venit domeſticum patrisfamilias inſtrumentum, & quicquid ad 14
quotidianum rei domeſticæ uſum pertinet, *l. 1. l. 6. ff. de Supellect. legat.*

D. xxxiv. ii. De Auro, Argento, mundo, ornamentis, unguentis, veſte & veſtimentis, & Statuis legatis.

Auri & argenti nomine, ſecundum communem loquendi modum, omne aurum & argentum 15
venit, factum, & infectum, qualecunque ſit; ſed ſi uni legetur aurum, alteri ſupellex, tum illud quod in ſupellctile eſt, ab alio auro ſeparatur. *l. 1. ff. de auro, argento, mundo, &c. legato.*

Omni argento legato, hodie numeratam quoque pecuniam deberi volunt Papon. *Notair. 1. lib. 10. De laigs. verſ. la. troiſieme.* Et Autumn. *Cenſur. Gall. ad. l. 27. §. 1. ff. de Auro. & argent. legat.* Quod tamen cum noſtris, & aliorum moribus, quibus inter aurum & argentum, pecuniamque numeratam perpetua eſt diſtinctio, juxta *l. 4. & ſeq. ff. De Verb. Signiſ. & ibi* Goedd. *num. 35.* convenire recte negat Groeneweg. *tract. De legib. abrogat. ad l. 27. §. 1. ff. de Auro & Argent. legat.*

An vero Supellectilis appellatione veniat ſcyphus aureus, aut aliud inſtrumentum ex auro vel 16
argento confectum, à communi uſu & conſuetudine, & innixa teſtatoris voluntate dependet: quum ſæpiſſime eveniat, ut pro cujuſque facultate inſtrumentum domeſtico-quotidianum ſit aurum aut argenteum, quo refer *l. 3. §. 5. l. 4. 5. 6. ff. De Supellect. legat.* Zaſ. *ad l. 41. §. 14. ff. de legat. 1. num. 17.* Bald. *ad. l. ex facto. 35. §. 3. ff. de hered. inſtituend.* Quomodo in Suprem. Holland. Cur. judicatum refert Neoſtad. *Deciſ. 19.*

Appellatione mundi venit, quo mulier uti ſolet, ut mundior eſſet, ornamenti, quo ornatior: 17
quæ recenſentur *in l. 25. §. 10. ff. De Auro, Argento legato. l. 39. ff. eod.* nobis **Cleynodien / Juweelen.**

Veſtes, an veſtimenta legentur nihil refert: eoque pertinent omnia quæ ad corporis teſtatoris 18
amictum & tegimentum quoquo modo faciunt. *l. veſtis. 23. ff. De Auro & Argent. legat.* nobis **tot ſynen lyve ende geryve behoorende** / quo aurum aut argentum tamen non continetur, *l. ſiquis. 4. ff. de legat. 1.* niſi ſit contextum, ſive annexum. *l. 19. §. 4. ff. de Auro & Argent. legat.*, & ibi Bart.

Sed ſi cui veſtes pro ſuo amictu comparandæ legantur, quales præſtari debeant? ex verbis teſtatoris, aut ſaltem ex ejus voluntate colligi debet: aut alias ſecundum ſtatum & conditionem perſonæ legatarii, juxta ea quæ tractat Mantic. *De conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 6. tit. 11. num. 17. & ſeq.* & poſt eum Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 13. defin. 24.*

D. xxxiv. i. De Aliment. & Cibar. legat.

Alimenta ſunt, ſine quibus commode vivere non poſſumus: quæ in victu, amictu, & habita- 19
tione conſiſtunt. *l. 6. ff de aliment. vel Cibar. legat.* & *l. 43. l. 234. §. 2. ff. de Verbor. ſignificat.* nobis **Onderhoud.** Sic ut non cibaria tantum, ſed etiam habitationem, & veſtimenta contineat, Gratian. *diſcept. Forenſ. tom. 4. cap. 610.* Surd. *De aliment. tit. 4. quaeſt. 4.* Mynſing. *Cent. 3. obſerv. 12.* Medicinas etiam & Pharmaca. Pecc. *De teſtam. conjug. lib. 5. cap. 25. num. 1.* & præſtantur ſecundum vires patrimonii, dignitatem, & qualitatem perſonæ legatarii. *l. 10. §. 2. l. 22. ff. De Aliment. legat.* late Surd. *d. tit. 4.*

Cibariorum, ſive victus nomine **Koſt** / ea tantum comprehenduntur, quæ ad victum perti- 20
nent: ita ut nec habitatio, nec veſtitus contineatur. *d. l. 43. & ſeq. ff. de Verb. Significat.* Niſi hoc ab ipſo teſtatore præterea exprimatur. Ut *in l. 18. §. ult.* & *l. 21. ff. De Aliment. & Cib. legat.*

Sed an alimentorum legato etiam ſtudia, & ea quæ ad diſciplinas ſpectant, comprehendantur? 21
Quidam volunt *arg. l. 4. ff. Ubi pupill. educ.* Ubi tamen ea quæ in diſciplinam erogantur, ab alimentis diſtingui conſtat, & ex teſtatoris expreſſa voluntate debentur. Quare rectius diſtinguendum putem: ut ſi ex lege vel jure ſanguinis debeantur, etiam ſumptus ſtudiorum & diſciplinarum, pro conditione & qualitate patrimonii veniant: Sin vero ex legato vel contractu promiſſa ſint, diſciplinarum, aut ſtudiorum ſumptus non debeantur, niſi expreſſe de iis actum ſit, per ea quæ tradunt Surd. *d. tract. De Aliment. tit. 4. quaeſt. 6.* Trentacinq. *Variar. Reſolut. lib. 1. tit. De Alimentis. Reſolut. 1. num. 27.* Card. Tuſch. *practicabil. concluſ. litt. A concluſ. 282.*

Quamdiu duret alimentorum præſtatio? etiam voluntatis quæſtio eſt. Quod ſecundum 22
ſub-

ſubjectam materiam judicandum: veluti, ſi impuberibus alimenta relicta ſint, poſt ipſam pubertatem, eam ſcilicet quæ plena eſt, octodecim annorum, deberi deſinat: *l. 14. §. 1. ff. De Aliment. legat.* quod moribus ad legitimos majoris ætaris, id eſt viginti quinque annos favore alimentorum extendi poſt Gomez. *Var. Reſolut. tom. 1. cap. 4. num. 1.* & Surd. *De Aliment, tit. 8. privil. 58. num. 4.* benignius interpretatur Groeneweg. *De legib. Abregat. eod.* niſi talibus perſonis relicta fuerint, qui ne quidem majorennes victum ſibi quærere valent, ut ſunt mente capti, ſtupidi, quorum reſpectu teſtator de alimentis perpetuis cogitaſſe videtur. Alias ſi nullum tempus exprimatur, nec de certa teſtatoris voluntate conſtet, perpetuo, id eſt, per totum vitæ tempus debebuntur. *d. l. 14. in pr. ff. de Aliment. legat.* & ibi Bart. & DD. Grammat. *deciſ. 101. num. 56.*

23 Nec ſolum debiti liberationem debitoribus ſuis legari poſſe, quod etiam ex voluntatis conjecturis dependet. De quibus multa Mantic. *De Conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 9. tit. 8.* per text. *in §. 13. Inſtit. de legat. & tot. tit. ff. De liberat. legat.* ſed etiam debitum creditori legari poſſe conſtat: modo plus ſit in legato, quam in ipſo debito. *§. 14. Inſtit. de legat.* Ita ſi centum aurei debeantur, & debitor ſuo creditori centum aureos legaverit, valet legatum, quia poſt moram ſolvendi legati uſuræ debentur. *l. 1. 2. Cod. De Uſur. legat. l. 3. in pr. ff. De Uſu & Uſufruct. legat.* quæ alias non deberentur, niſi per ſtipulationem promiſſæ. *l. 3. & l. 4. Cod. de Uſur.* *D. xxxv. 111. De liberatione legata.*

Hic quæri ſolet, ſi teſtator tanquam creditori ſuo, quaſi debitum, certam ſummam legaverit, eoque defuncto de nullo debito apparebat, nec qui creditor nominatus eſt, quicquam petebat, utrum debeatur legatum? Quod nihilominus deberi placuit, ſi non nomine debiti, ſaltem nomine legati, quod ex falſa demonſtratione vitiari non debet. *l. 75. §. 1. in fin. ff. de legat. 1.* Quum enim teſtantium voluntates plenius interpretari ſoleant, *l. 12. ff. de Reg. Jur.* Opinio teſtatoris magis valere diſpoſitionem, quam veritas deſtruere valet. Ut latius Mantic. *De Conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 3. tit. 8. num. 2.* & *lib. 6. tit. 14. num. 14. 15.* quomodo in iiſdem terminis judicatum refert Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 9. defin. 22.*

Qua ratione etiam ſi teſtator creditori ſuo, cui centum debebat, certam pecuniæ ſummam legaverit, per id debitum non videtur extinctum, ſed utrumque & debitum, & legatum legatarius petere poteſt. *arg. l. 22. §. in computatione. 9. Cod. De Jur. delib.* niſi teſtatorem aliter ſenſiſſe ex conjecturis appareat: quoniam compenſandi animus in dubio non præſumitur. *l. 85. ff. de legat. 2. junct. l. 53. ff. eod. l. 6. Cod. De heredib. inſtituend.* Vide latius Matth. de Afflict. *deciſ. 44.* Hartmann. Piſtor. *Obſerv. 105.* Ita deciſum refert Anton Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 17. defin. 8.* & poſt eum Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 13. defin. 29.*

24 Nec ſolum res propriæ, ſed & alienæ legari poſſunt. *§. 4. Inſt. de legat.* Ita ut propriæ omnimodo præſtari debeant, alienæ etiam, ſi ſint heredis, ſi vero alterius quam heredis, heres eum aut emere, à rei domino, aut ſi ille vendere nolit, æſtimationem præſtare conſtringatur *d. §. 4. Inſt. l. 14. ff. de leg. 3.* modo teſtator rem ejuſmodi alienam eſſe ſciverit, quod in dubio probare tenetur legatarius. *d. §. 4. Inſt. de leg.* & ibi Arnold. Vinn. *num. 8.* niſi perſonis conſanguinitate vel affinitate conjunctis legatum ſit, quod eo non obſtante redimere vel æſtimationem ejus præſtare cogitur heres. per text. *l. 10. Cod. de legat.*

25 In legato rei communis quid juris ſit quæſitum eſt? veluti ſi teſtator fundum, quem cum alio communem habebat, alteri legaverit, non adjecta portione: Si teſtator ſimpliciter dixerit fundum meum do lego, portionem ſive partem quæ teſtatoris eſt duntaxat deberi, dubitationem non habet. per text. *in l. 5. §. ult. ff. de legat. 1. junct. l. 10.* ubi Salicet. & DD. *Cod. Si certum petatur.* Quod & verba & mens teſtatoris volunt: qui fundum recte ſuum interpretatur, quatenus ejus eſt: meum enim recte dicitur, quod pro parte meum eſt. *l. 26. ff. De Servitut. Urbanor. prædior. l. 74. ff. de legat. 3. l. 2. ff. De Condit. inſtitut.* quamvis totum ejus eſſe recte dici non poſſit. *l. 25. ff. De Verb. Significat.* Et porro quamvis res dubia ſit, tamen non facile credi poteſt, teſtatorem onerare heredem ſuum voluiſſe, redimendi neceſſitate. *l. 67. §. 8. ff. de legat. 2.* In dubio enim quiſque de ſuis bonis, & de parte ſua diſpoſuiſſe intelligitur, nequaquam de parte alterius; ut in ſimili eleganter, Præſ. Everhard. *Conſil. 79. num. 1.* & Johan Decher. *Diſſert. lib. 1. cap. 1. num. 12. verſic. Tertius caſus.* Verum tota difficultas eſt, ſi teſtator non dixerit, fundum meum, aut qui meus eſt: ſed ſimpliciter fundum illum legaverit, utrum totus debeatur, an ea tantum portio, quæ ejus eſt? Quo non obſtante, tamen pro parte tantum deberi placet, propter diverſam rationem rei prorſus alienæ, & pro parte meæ, in re enim totum aliena, teſtator modum legati ad partem aliquam ſuam revocaſſe dici non poteſt, quam in ea re non habet, nullaque alia conjectura ſumi poteſt, quam eum rem totam legare voluiſſe. In re communi vero, cujus pars tantum

teſta-

teſtatoris fuit, modo ſciverit eſſe rem communem, indiſtincte vera manet voluntatis præſumptio; eum potius de ſua parte cogitaſſe, quam voluiſſe heredem ſuum ita onerare, ut partem alienam redimat. *arg. d. l. 67. §. 8. ff. de legat. 2. & l. 36. in fin. ff. de Uſufruct. legat.* Vide Bart. Bald. Zaſ. Duaren. *in d. l. 5. §. ult. ff. de legat. 1.* & poſt eos Mantic. *De Conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 9. tit. 1. num. 12.* & noviſſime Arnold. Vinn. *ſelect. quæſt. lib. 2. quæſtion. 26.* Ubi totam hanc materiam ex profeſſo tractat.

26 Feudum tamen legari, aut per fideicommiſſum relinqui non poteſt, niſi ea ſpeciali domini conſenſu. *cap. De Succeſſione feudi. in fine principii. lib. 1. tit. 8.* & *cap. Qualiter olim feudum alienari pot. §. 1. lib. 2. tit. 9.* adeoque inutile eſt tale legatum, ut, ſive de ſuo, ſive de alieno diſpoſuerit teſtator, ne quidem æſtimatio rei legatæ debeatur. Ut late Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 154.* Vultejus *De feudis lib. 1. cap. 9. num. 72.* Georg. Tholoſan. *Syntagmat. Juris, lib. 42. cap. 32.* & fuſius ſupra, *lib. 2. cap. 21. in fin.* Niſi aliunde conſtiterit teſtatorem rei legatæ æſtimationem præſtari voluiſſe. Ut in ſuprema Brabantiæ Curia judicatum refert Chriſtin. *vol. 6. deciſ. 28.*

Legatis, ſive fideicommiſſis, aut cauſa inſeritur, aut modus, aut conditio.

Cod. VI. XLIV. *De falſa cauſa adjecta legato, vel fideicommiſſ.*

27 Cauſa alia eſt ratio legandi in præteritum collata: veluti ſi quis ita dixerit; Titio quia me abſente negotia mea curavit, Stichum do lego, vel quia patrocinio ejus capitali crimine liberatus ſum, & ſimilia. Alia eſt nota & deſignatio certæ quantitatis legatæ, certive corporis per demonſtrationem: veluti, ſi quis ita legaverit, Stichum ſervum meum vernam do lego, aut Stichum ſervum meum, quem à Sejo emi, do lego. Quarum neutra tamen, ut maxime falſa ſit, ut legatum, aut fideicommiſſum perimit. Ita in priori caſu, licet neque negotia teſtatoris unquam geſſerit Titius, neque patrocinio ejus liberatus ſit teſtator, legatum nihilominus valet: in poſteriori, licet non verna, ſed emptus ſit ſervus, ſive ab alio emptus, quam à Sejo, modo de ſervo conſtet, utile eſt legatum. *§. 30. & §. 31. Inſt. De legat. l. cum. tale 72. §. 6. ff. De Condit. & demonſtrat. tot. tit. Cod. De falſa cauſa adjecta legat. vel fideicommiſſ.* Sed ſi in futurum tempus per modum collata, aut conditionaliter enunciata fuerit, aliud juris eſt. *d. §. 31. in fin.*

Cod. VI. XLV. *De his quæ ſub modo.*

28 Modus eſt finis propter quem legatur, vel cauſa legandi collata in futurum: veluti centum lego, ut opus caſtruatur. *l. 17. §. ult. ff. De Condit. & Demonſtrat. tot. tit. Cod. De his quæ ſub modo.* quæ ſi ſit impoſſibilis, legato nihil nocet, ſi poſſibilis legatum præſtita cautione ſtatim admittit. *l. 80. ff. De Condit. & Demonſtrat. l. 19. ff. de legat. 3.* Cujac. *Paratit. ad tit. Cod. De his quæ ſub modo.*

29 Conditio eſt cauſa appoſita legato, qua exiſtente debetur legatum, deficiente perimitur, interim pendente conditione ſuſpenditur. Hæc etiam ſi impoſſibilis ſit, legatum non perimitur, ſi poſſibilis, legati cauſam in eventum ſuſpendit. Juxta ea quæ ſupra, *De Conditionibus Inſtitut.* fuſius explicavimus.

Cod. VI. XLVI. *De Conditionibus inſertis tam legatis quam fideicommiſſis.*

Proinde quum interim, dum in incerto eſt legati conditio, ipſum jus ſuſpendatur, ſic ut legatario ante conditionis eventum decedente, nihil juris ad heredes ſuos tranſmittere poſſit: plurimum refert probe dignoſcere, quomodo aut quando, legati dies cedat, ad hoc ut ejus petitio in heredem tranſiiſſe intelligatur.

30 Cedit autem dies ejus à morte teſtatoris, ſi legatum ſit purum. *l. 5. & tot. tit. ff. Quando dies legator.*

D. XXXVI. II. & Cod. VI. LIII *Quando dies legator.*

Sed in conditionibus in diem prolatis, diſtinguendum eſt inter diem certum, & incertum, ita ut quando inſtitutio, aut legatum relictum eſt in diem plane incertum, ejuſmodi dies pro conditione eſt, neque deberi incipit legatum, antequam dies venerit, neque interim ad heredes tranſmittitur. *l. 1. §. 2. l. 75. ff. De Condit. & Demonſtrat. l. 4. & l. 21. in pr. junct. l. 22. ff. quando dies legator.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 132. num. 1.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 22. defin. 14. & 38. & tit. 39. defin. 2.* Si vero diſpoſitioni adjectus ſit dies certus, inſtitutio conditionalis non eſt, ſed perinde eſt ac ſi pure inſtituiſſet teſtator, *§. 2. Inſtit. De Singul. per Fideicommiſſ. relict.* in verb. *non ſtatim exſtinguitur. l. 1. §. 1. ff. de cond. & demonſtrat. l. 21. in pr. ff. Quando dies legat. cedat. & l. 25. circa fin. ff. eod.* quod & in heredis inſtitutione moribus obtinere diximus, contra *§. 9. Inſtit. de hered. inſtit.*

31 Pro certo die etiam habetur dies incertus, de quo conſtat, & certum eſt, quod ſit venturus, licet incertum ſit quando. *arg. l. 79. in pr. ff. De condit. & demonſtrat.* & ibi DD. niſi forte & illum diem teſtator conditionalem fecerit, ut in *l. 1. §. 2. ff. de condit. & demonſtrat.* ſecus ſi diſpoſitio ſit pura collata tantum in tempus futurum, quæ pura manet, neque tranſmiſſionem impedit, ut late Peregrin. *De Fideicommiſſ. art. 31. num. 26.* Exemplum eſt in praxi frequentiſſimum:

Si

Si teſtator Uxori ſuæ reliquerit Vſumfructum bonorum ſuorum, vocatis poſt ejus mortem proxi-
mioribus, ut plurimum fieri ſolet: Quo caſu quæri ſolet, de quibus teſtator cogitaverit: De his
ſcilicet qui tempore mortis teſtatoris exſtabunt, utrum vero de illis tantum, qui ex his poſt Vxo-
ris Vſufructuariæ mortem ſupererunt: & quid ſi interim pendente Vſufructu aliqui deceſſerunt,
an reliquis per caducitatem partem faciant, an vero partem ſuam ad heredes ſuos tranſmittant:
Quod dubium non habet, quin ſtatim poſt teſtatoris mortem ipſo jure ſuccedant proximiores
tunc exiſtentes, & partem ſuam interim pendente Vſufructu decedentes tranſmittant, ſecun-
dum diſtinctionem ſupra factam.

32 Hoc eſt quod DD. volunt alias eſſe conditiones mere voluntarias, quæ ex pura teſtatoris Or-
dinatione ipſius diſpoſitioni inſunt, nec ad actum aut effectum ipſius diſpoſiti neceſſariæ ſunt,
quæ tranſmiſſionem impediunt: alias, quæ ex legis diſpoſitione vel ex diſpoſiti natura ipſi diſpo-
ſitioni inſunt, & neceſſariæ ſunt ad actum vel effectum ipſius diſpoſiti, ſine quibus ipſa diſpoſitio
conſiſtere non poteſt: quæ moram quidem faciunt petitioni, tranſmiſſionem autem non impe-
diunt. per text. *in l. 99. ff. De Condit. & Demonſtrat.* & ibi Gloſſ. & Bart. *junct. l. 6. §. 1. ff.
Quand. dies legator.* Et late Peregrin. *De fideicommiſſ. art. 31. num. 22. & ſeqq.* Et in propoſito
caſu, quia teſtator voluit pure deberi, intelligitur legatum eſſe purum ex mente teſtatoris, non
obſtante tempore mortis ultimi viventis. Non creditur enim teſtator elegiſſe viam, per quam
judicium ſuum poſſit ſubverti. *l. 3. ff. De teſtam. militari.* Vt ex communi DD. opinione late
tractat Card. Mantic. *De Conjectur. Ultimar. volunt. lib. 4. tit. 5. num. 23.* Vbi ex Baldo, Ca-
33 ſtrenſ. Alexand. & Aretin. refert hanc opinionem eſſe tutiorem, & magis Juridicam, quod
teſtator, qui heredem inſtituit poſt mortem uxoris, non videatur induxiſſe conditionem: ſed
ſolum appoſuiſſe heredi temporis dilationem, quoad percipiendum emolumentum Uſusfructus,
donec uxor vixerit, ſibique magis placere opinionem, quod heres inſtitutus ſtatim adeat, quaſi
pure in proprietate inſtitutus. & *num. 24.* Ubi ex Covarruv. *Var. reſolut. lib. 2. cap. 2. num. 5.*
ad præſens quoque reſponſum in iiſdem terminis reſpondet veriorem eſſe opionem, ut lega-
tum valeat, & inſtitutus ſtatim poſſit adire & tranſmittere, non exſpectato tempore mortis
ultimi viventis, quia verba illa non ſunt adjecta ad infringendam heredis inſtitutionem, aut
ne mero jure ſuccedat, ſed ne heres ipſe uxorem poſſit perturbare in uſufructu. Quam opinio-
nem, ſcilicet quod talia verba non ſuſpendant, aut limitent heredis inſtitutionem, etiam ſe-
quitur Riminald. *Conſil. 244. num. 154. & ſeq.* & noviſſime Viglius *ad §. heres 9. Inſtit. De
hered. inſtit.* Sande *lib. 4. tit. 4. defin. 7. & defin. 13.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 31. num. 1.*
Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 27. defin. 7. num. 1.* Diſſentit Hartmann. Piſtor. *obſerv. 163.*
& poſt eum Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 8. defin. 25.* Nec decisionem mutat
quod cum uſufructu etiam alienandi aut conſumendi poteſtas ſit conceſſa, nec plus reſtituere co-
gatur quam poſt ejus mortem ſupererit, dominium aut proprietatem inducere videtur *arg. l. 19.
ff. de Uſufructu legat.* Vbi adjecto conditio, quæ non niſi à proprietario impleri poterat, legatum
proprietatis inducit: quum illud ulterius extendendum non ſit, quam ad id quod bona fide nec
in fraudem heredis inſtituti re vera inter vivos alienatum eſt, ac proinde dominii neque proprie-
tatis cauſa habet. Vt ſupra notatum *lib. 2. cap. 15. num. 17.*

34 Ita etiam ſi teſtator nepti ſuæ centum leget, quæ ab herede ei præſtari jubet, poſtquam ad le-
gitimam ætatem, vel ad nuptias pervenerit, legatum non conditionale, ſed purum eſt, cujus
ſolummodo præſtatio, & petitio, in diem nuptiarum vel legitimæ ætatis dilatæ ſunt, ideoque ſi
neptis antequam dies legati præſtandi venerit decedat, nihilominus ad heredem ejus legatum
tranſmittit. Vt eſt text. *in l. 5. Cod. Quand. dies legator.* & ibi DD. Ferd. Vaſq. *De Succeſſion.
lib. 3. §. 29. num. 2.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 25. defin. 9. num. 4.* Gomez. *Var. reſolut.
tom. 1. cap. 5. num. 26.* Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 13. defin. 25. num. 12. &
ſeqq.* Joann. à Sande *Deciſ. Friſic. lib. 4. tit. 4. defin. 7. quæſt. 3.* Firmatur hæc diſtinctio *in
35 l. 26. §. 1. ff. quand. Dies legator.* ubi poſito caſu, quo teſtator ab heredibus ſuis alumno centum
dari voluerit, ut intra annum ætatis 25. trientes tantum uſuras perciperet, poſt eam ætatem ſor-
tem ipſam: alumnus autem intra illam ætatem diem obierit: reſpondit JC. nihilominus legatum
ad alumni heredes tranſmiſſum fuiſſe, & *certam ætatem ſorti ſolvendæ præſtitutam videri,
36 non, pure relicto fideicommiſſo, conditionem inſertam.* Sic ut, ſi res bene inſpiciatur, totum illud
negotium à teſtatoris voluntate dependeat, an & quando dies certus aut incertus conditionem fa-
ciat, nec abſurdum ſit tempus certum aliquando haberi pro incerto, aliquando iterum pro certo,
rurſumque diem incertum pro certo, diverſo reſpectu: quandoque ea mente, ut omnino velit, le-
gatum ab heredibus ſuis præſtari, ſed à legatario ante certum tempus non recipi; aliquando ite-

rum eo animo, ut legatum ab herede præſtari nolit, niſi legatarius ad certam ætatem pervene-
rit, aut certum tempus ſupervixerit. Quo facit *l. 46. in fin. ff. Ad Senat. Trebell.* & ibi Bart.
& DD.

Huc etiam pertinet diſputatio de Jure accreſcendi, de quo ſupra, quantum & quatenus illud 37
jus in hereditatibus valeat, quibus, & pro qua parte deficientium heredum portiones accreſcant:
quod & in legatis inter collegatarios ejuſdem rei, ex præſumpta teſtatoris voluntate, ean-
dem rem pluribus legantis eodem fere modo obtinet: quorum ſingulos partem habere velle in-
telligitur, & legatum ſcindi inter eos, ſi concurrant, ſi non concurrant ſolidum, poſtpoſito
herede. *§. 8. Inſtit. De legat.* Niſi teſtator accretionem prohibuerit, aut de contraria teſtatoris
intentione apparuerit: quo caſu licet res ſingulæ ſingulis relictæ ſint, uno eorum deficiente, por-
tio ejus non accreſcit collegatariis, ſed in hereditate manet. *l. 84. §. pen. ff. de legat.* 1. inter eos
ſcilicet, qui ad eandem rem vocantur, & quibus eadem res ab eodem teſtatore legata eſt, & hos
ſolos, non alios: ſic ut nec inter eos, quibus res diverſæ, quamvis una oratione, relictæ ſunt, *d.
l. 84. §. pen. ff. de legat.* 1. nec quibus res eadem, à diverſis teſtatoribus, *l. 16. ff. Quib. mod.
Uſufruct. amitt.* nec quibus ſeparatim ejuſdem rei certæ partes legatæ ſunt. *l. 1. in fin. princ. ff. De
Uſufruct. accreſcend.* jus accreſcendi locum habeat. Horum alii re tantum, alii verbis tantum,
alii re & verbis ſimul ſunt conjuncti, *l. 142. ff. de Verbor. Significat. l. 89. ff. de legat.* 3. Quorum
non tantum, re ipſa, aut re & verbis ſimul, ſed & verbis tantum conjunctis jus accreſcendi
competere diximus ſupra, *De Inſtitutionibus, & quib. mod. fiant.* Modo de ea verborum conjun-
ctione intelligas, qua duobus vel pluribus, uno eodemque orationis complexu eadem res relin-
quitur, & per intellectum tantum ſeparatio fit: Ut, ſi dicatur Cajo & Sejo fundum ex æquis par-
tibus do lego, hic Cajus, & Sejus, ad eundem fundum vocantur, & licet partes mente & cogita-
tione quodammodo diviſæ ſunt, re ipſa tamen diviſæ & diſtinctæ non ſunt, nihilo magis rem di-
videntes, quam ſi expreſſæ non eſſent, *arg. l. 16. §. ultim. ff. de leg.* 1. Cæterum ſi duobus le-
gatariis iiſque ſingulis, aut ſeparatim; eadem res legata ſit, veluti ſi teſtator dixerit; Titio fun-
dum Tuſculanum do lego, Sejo fundum Tuſculanum do lego: aut ſi ita dixerit; Titio & Mævio,
iiſque ſingulis quatuor millia do lego, hi, licet verbis conjuncti quodammodo videantur, quum
tamen ad eandem rem, aut eandem ſummam non ſimul, ſed per verbum diſtributivum, (ſingu-
lis) ſinguli ſeparatim, & ad ſeparatam quatuor millium ſummam vocentur. Ut in iiſdem terminis
à Curiæ Friſicæ Senatu judicatum refert Joann. à Sande *lib. 4. tit. 4. defin. 7. verſic. Procedamus
ad altera.* Quod & eo magis apud nos obtinere dicendum eſt, quia in toto hoc argumento non
uſque adeo ſubtilitatem Juris Civilis attendi, quam ejus præcipue quod à ſententia, & mente teſta-
toris quam minime decedit, rationem haberi conſtat. Ut de moribus noſtris teſtatur Grot. *Intro-
duct. Jur. Batav lib. 2. cap. 23. verſ.* **Men kan.**

Cod. VI. XLVII. *De Uſuris & fructibus legatorum.*

Debentur legata ſtatim ab ipſo die obitus teſtatoris & aditionis hereditatis, ſi pure ſint relicta, 38
quæ niſi ſolvantur, à die moræ per interpellationem ſive judicialem, ſive extrajudicialem con-
tractæ, eorundem fructus, & uſuræ peti poſſunt. Et quod dicitur uſuras legatorum ſeu fidei-
commiſſorum, in eo demum tempore deberi, quo lis conteſtata eſt. *l. 1. 2. & 4. Cod. de Uſu-
ris, & fructib. legator.* aliter intelligendum non eſt, quam ſi mora nulla præceſſerit litis conte- 39
ſtationem, prout deciſum referunt Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 24. defin.* 1. & Carpzov.
definit. Forenſ. part. 2. conſtit. 30. defin. 20. & ſeq. Quas & minori citra moram, à die aditæ he-
reditatis deberi in favorem ætatis, quæ non ſatis conſilii, aut diligentiæ habet ad heredem inter-
pellandum, eſt receptum, *arg. l. 17. §. Si pupillo. ff de Uſur. & l. in Minorum. 3. Cod. In quibus
cauſ. non eſt neceſſaria in integrum reſtit.* Anton. Fab. *d. tit. 24. defin.* 14. Carpzov. ubi ſupra
defin. 22. Vide porro Peregrin. *De Fideicommiſſ. art. 49. num. 79.* Gratian. *diſceptat. Forenſ.
cap.* 400. Coſtal. *ad l. l. 3. ff. de Uſuris.*

D. XXXVI. III. & Cod. VI. LIV. *Ut legatorum ſeu fideicommiſſorum ſervandorum nomine caveatur.*

Pro legatis ſeu fideicommiſſis, tractum temporis habentibus, inventarii conficiendi, cautio- 40
niſque præſtandæ neceſſitas heredi imponitur, *l. 1. §. 6. & tot. tit. ff. ut legator. ſeu Fideicom-
miſſ. ſervand. nom. cav.* quam evadere non poteſt, etiamſi hoc ei verbis expreſſis à teſtatore ſit
remiſſum, adeoque pœnam in eam cauſam adjectam nullius eſſe momenti moribus eſt receptum:
quum effici non poſſit, ne leges in teſtamento locum habeant, *l. 55. ff. de leg.* 1. Sichard. *ad
l. 13. Cod. de Teſtament.* nec quod diſpoſitione expreſſa directo fieri nequit, id conditionalis
adjecta pœna efficere poſſit. facit *arg. l. unic. Cod. de his qua pœna nomine ex l. 7. ff. de annuis
legat. & l. 10. Cod. De confirm. tutor.* Covarruv. *Var. reſolut. lib. 2. cap. 14. num.* 4. Jul. Clar.
§. teſtamentum. quaſt. 66. in fin. Roland. à Valle *tract. de heredis inventario ac ejus confectione.
quaſt. 222. & DD.* ibi allegati, & noviſſime Gothofred. *ad l. 1. Cod. de Uſufruct. & habit.* Neoſtad.

Curiæ

Curia Helland. deciſ. 20. *& ſuprema Curia deciſ.* 33. *&* 91. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 145. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 9. *art.* 13. *num.* 3. 4. Pecc. *De Teſtam. conjug. lib.* 5. *cap.* 24. *num.* 3. 4. Carpzov. *Defint. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 13. *defin.* 12. adde quæ latius ſupra *cap.* 5. *circa fin.* Quod ab aliis rectius ad uſumfructum legatum reſtringitur, quo ſolum caſu non præciſe cautioni à teſtatore remiſſæ ſtari volunt, quod inibi cautio intercedat prætoria *l.* 1. *ff. Uſusfruct. quemadmod. cav.* quæ ſatiſdationem exigit. *l.* 3. *ff. de Stipulat. prætor. l.* 7. *ff. eod.* quæ à teſtatore remitti non poteſt, eoque caſu locum habet regula *l.* 55. *§.* 1. *ff. de legat.* quod nemo poſſit efficere, ne leges in teſtamento ſuo locum habeant.

41 Sed & vivo teſtatore adimi vel transferri legatum & fideicommiſſum poteſt. *tot. tit. Inſtit. de adempt. legator. & ff. de adimend. vel transfer. legat.* D. xxxiv. iv. *De Adimendis vel transferendis legatis.* Inſtit. II. xxi. *De Ademptione legatum.*

Adimitur vel ipſo jure vel facto teſtatoris. Ipſo jure, ut ſi legatarius ex lucrativa cauſa legatum acceperit. *§.* 6. *Inſtit. de legat.* aut ſi ipſa res legata ſine facto aut culpa ipſius heredis perierit. *§.* 16. *Inſtit. de legat. l.* 47. *§.* 5. 6. *ff. de legat.* 1. & *l.* 108. *ff. eod.* aut ſi legatarius ante diem legati cedentem moriatur. *l. unic. §.* 5. *Cod. de caduc. tollend.* aut ſi cauſa teſtati ad inteſtati cauſam reciderit. *§.* 8. *Inſtit. de legat. §.* 5. *Inſtit. de hered. inſtit. l.* 13. *Cod. eod.*

Facto teſtatoris legatum adimitur, vel transfertur.

Adimitur expreſſe vel tacite. Expreſſe quum ipſe teſtator pœnitentia ductus legatum aut fideicommiſſum revocat. *pr. Inſtit. de ademptione legator. l. pen. §.* 1. *ff. de adimend. vel transfer. legat.* Quod facilius contingit quam ejus conceſſio vel datio, quæ non niſi ſolenni teſtamento fieri poteſt, ademptio vero etiam nudis verbis *pr. Inſtit. de adempt. legat.* & nuda voluntate contingit. *l.* 3. *in fin. ff. eod. l.* 27. *Cod. de teſtament.* etiam extra teſtamentum aut Codicillos, ſola teſtatoris pœnitentia duobus teſtibus probata. *l.* 27. *Cod. de Fideicommiſſ.* Ut poſt Plat. & Porc. Schneiduin. *ad tit. Inſtit. de Adempt. legator. num.* 15. & Joſeph. Ludovic. *Commun. concluſ.* 24. *num.* 7. Graſſ. *recept. ſentent. lib.* 1. *§. legat. quæſt.* 78. *num.* 3. Mantic. *de Conjectur. ultim. volunt. lib.* 12. *tit.* 4. *num.* 2. *& ſeq.* & *tit.* 2. *num.* 1. Maſcard. *de Probat. vol.* 3. *concluſ.* 1280. *num.* 7. *& ſeqq.* Quod præcipue in fideicommiſſis obtinere debet, ut quæ odioſa, & in gravati favorem interpretanda ſunt. *arg. l.* 48. *ff. de condit. & demonſtrat.* Joann. à Sande *lib.* 4. *tit.* 5. *defin.* 5. *circa fin.* Jacob. Coren *conſil.* 19. *num.* 26.

Tacite legatum aut fideicommiſſum adimi intelligitur ſi res legata ab ipſo teſtatore alienetur. *§.* 12. *Inſtit. de legat. l.* 18. *ff. de adimend. vel transfer. legat.* Itemque legatum ademptum intelligitur ſi poſt teſtamentum factum graviſſimæ inimicitiæ intercedant, nec reconciliatio intervenerit. *l.* 3. *§. ult. & l.* 4. *ff. de adempt. legator. l.* 17. *§.* 1. *ff. de pact.* Cujus tamen offenſæ pœnituiſſe injuriamque remiſiſſe teſtator intelligitur, qui quum potuerit mutare teſtamentum, id non fecit, *arg. l.* 5. *Cod. de injur.* Vide Mantic. *de Conjectur. Ultimar. voluntat. lib.* 12. *tit.* 5. *num.* 18.

Tranſlatio eſt legati relicti per pœnitentiam teſtatoris mutatio. Quæ fit perſona legatarii in aliam mutata. Ut ſi teſtator dixerit, quod Titio legavi, id Sejo do lego. *l.* 5. *ff. de adempt. legat.* aut à perſona in perſonam transfertur, aut ab eo qui dare juſſus eſt, transfertur ut alius det, aut quum res pro re datur, veluti pro fundo decem aurei, vel quum mutatur modus, quæ tranſlatio eſt ademptio in caſum deficientis conditionis. *l.* 6. *ff. de adimend. vel transfer. legat.* Adeo aut ſi legatum adimatur, & transferatur in incapacem, nihilominis legatum ademptum intelligatur, neque vitium, aut inutilitas tranſlationis ademptionem legati vitiet. *l.* 20. *ff. de adempt. legator.*

Cap. IX.

De Trebellianica & Falcidia portione.

Summaria.

1. *Trebellianicæ & Falcidiæ differentia.*
2. *Quota ſit, quomodo, & de quibus rebus deducenda.* 4. *&* 9.
3. *An prohibere poſſit, & quando prohibita cenſeatur.*
4. *An de legatis aut fideicommiſſis ad pias cauſas detrahatur?* Neg. *contra communes: niſi heres doloſe, hereditatem ſufficere inficietur.*
5. *Ceſſat in legitima, aut dote prælegata.*
6. *Utrum non conficiendo inventarium amittatur.*
7. *Trebellianicam detrahit ſolum primus, etiam ſecundus aut tertius: niſi & ille detractionem neglexerit.*

8. *Quæ in Trebellianicam imputari poſſint, an & quando fructus percepti. Et an idem in detractione Falcidiæ?* 9.

10. *An filius fideicommiſſo univerſali gravatus duplicem habeat detractionem legitimæ & Trebellianicæ, & quomodo computanda?*

11. *Duplex Trebellianica & legitimæ detractio quomodo ſumenda in caſu plurium quam quatuor liberorum.*

12. *Quæ ad cæteros in recta linea deſcendentes extenditur: niſi à teſtatore prohibeatur.*

13. *Viceſima hereditatis.*

D. xxxv. 2. Cod. vi. l. Inſt. ii. xxii. *Ad legem Falcidiam.* D. xxxvi. 1. Cod. vi. xlix. Inſt. ii. xxiii. *Ad Senatusconſult. Trebellian.*

SEd nec totam hereditatem reſtitui, neque integra legata præſtari, Trebellianicæ & quartæ Falcidiæ detractionis ratio introduxit. Quarum altera de fideicommiſſariis univerſalibus, altera de legatis & fideicommiſſis ſingularibus integrum patrimonium adæquantibus ab herede detrahitur. Extra quod eatundem jura & nomina adeo ſunt confuſa, ut & appellatione Falcidiæ etiam Trebellianica contineatur. *l. 8. §. 11. ff. De inofficioſ. Teſtam. l. Titia. 68. ff. ad leg. Falcid. & l. 11. Cod. eod.* 1

Hæc hereditatis ſive bonorum defuncti, quarta eſt, quam heres fideicommiſſarius detrahere, & ſibi liberam retinere poteſt, antequam hereditatem reſtituat. *tot. tit. ff. & Cod. Ad Senatuſc. Trebell.* Cujus Falcidiæ quidem ratio ipſum mortis tempus ſpectat, *§. 3. Inſtit. de leg. Falcid. l. 30. & l. 73. ff. eod.* deducto prius ære alieno. *§. ultim. Inſtit. eod. l. ult. Cod. ad Senat. Trebellian.* quo non deducto, nihil in bonis eſſe creditur. *l. 39. §. 1. ff. de Verb. Signif.* in ratione vero Trebellianicæ, patrimonium quale eſt tempore reſtitutionis, nullo onere deducto, æſtimatur, quod fideicommiſſarios ſequitur. *l. 44. §. 1. ff. ad Senat. Trebell.* Sic ut heres fideicommiſſarius, pro ſua quarta æris alieni onerisve hereditarii particeps ſit: *§. 7. Inſtit. de fideicommiſſ. hered.* exceptis legatis. *l. 2. ad Senatuſconſ. Trebell. & ibi* DD. adeoque ſi quis teſtamento in plus quam hereditatis quarta inſtitutus ſit, pro quarta quidem hereditatis oneribus obſtrictus eſt: legatis vero, non niſi quantum inſtitutio ipſam quartam excedit. *l. 1. §. 17. ff. ad Senat. Trebell.* Vide quoque Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 20. verſ.* **Den Erfgenaam.** 2

Prohiberi tamen quartæ deductio à teſtatore poteſt. *auth. ſed quum teſtator. Cod. ad leg. Falcid.* Chriſtin. *vol. 1. deciſion.* 316. niſi in liberis, & prioris gradus deſcendentibus, in quibus ejuſmodi prohibitio tanquam non adjecta rejicitur. *l. 6. Cod. ad Senat. Trebell.* Mantic. *De Conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 7. tit. 11. num. 7.* Fachin. *lib. 12. controv. cap. 11.* Joann. à Sande *Deciſion. Friſic. lib. 4. tit. 7. defin. 5. 6.* 3

Nec ſolum expreſſe, ſed etiam tacite prohibitio facta intelligitur, ſi quando bonorum alienatio à teſtatore prohibita eſt, *auth. ſed & Cod. ad leg. Falcid.* Menoch. *lib. 4. præſumpt. 196. num. 25. cum ſeq.* Mantic. *De Conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 9. tit. 14. num. 16.* teſte Grot. *Introd. lib. 2. cap. 23. in fin.* quomodo in Hollandiæ Curia deciſum, teſte Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 5. in fin.* Jacob. Coren *Obſerv. Rer. Judicat. 39. num. 8.* Quod in æquipollenti tamen negat Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſt. 1. defin. 13.* Ubi tacitam prohibitionem per æquipollentia haud ſufficere, propter manifeſta, *Novell. 1. cap. 2.* verba: *(Si vero expreſſim deſignaverit.)* contra Jul. Clar. Berlich. Boër. alioſque recte defendit. Vide etiam Joann. à Sande *Deciſ. Friſic. lib. 4. tit. 7. defin. 10.*

Neque hanc quartam deduci ex legatis aut fideicommiſſis, ad pias cauſas relictis, communis & vulgo recepta eſt opinio, arg. *auth. Similiter. ſubject. l. 7. Cod. ad leg. Falcid.* Sed perperam tranſcripta ex *Novell. 131. cap. 12.* Quæ privata Irnerii, aut alterius forſan compilatoris auctoritas, non Scholaſticos modo, ſed & magni nominis practicos in manifeſtum errorem induxit, ut lege non penitus inſpecta, ipſam compilationem falſam, & à dicta Novella prorſus alienam, pro certo Jure acceperint, contra præſcriptum Juriſconſulti *in l. 24. ff. De legib.* Sed & diverſorum Tribunalium eorundem opinio pro communi, & recepta reperitur: Ut in Grationapolitano Delphinatus Parlamento deciſum refert Guid. Papa *Deciſ.* 188. In Sabaudiæ Senatu Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 28. defin. 2.* Et in Saxoniæ foro Carpzov. *Juriſpr. Forenſ. conſtit. 1. defin. 16. & Reſponſor. Jur. Electoral. lib. 6. tit. 3. Reſponſ. 25. num. 7.* Et a Suprema Hollandiæ Curia judicatum inveni 7. *Junii* 1631. **Inder ſaake van de Burgermeeſteren ende Regeerders der Stad Leyden/ende de arme Gods-huyſen aldaar: Mitſgaders de Regenten van het Wees-huys der Stad Amſterdam / Impetranten in cas van reformatie /** contra **Anna de Queſnoy/ Weduwe ende geinſtitueerde Erfgenaam van Mr. Dirk Cornelis Barenſz van Wieringen/ gedaagde.** Quam ſententiam ſequitur Grot. *Introd. lib. 2. part. 23. circa fin.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 110. num. 7.* Quod tum demum procedere de jure certum eſt, quum heres in legato præſtando dolum, aut moram contraxerit, inficiando ipſam 4

here-

hereditatem legato ſolvendo ſufficere. Ut eſt text. *in d. Novell.* 131. *cap.* 12. vid. Cujac. & Mornac. *Conſer. du droict.* ibid. Fachin. *lib.* 5. *contr. cap.* 17. Atque ita à Friſiæ Senatu Joann. à Sande *lib.* 4. *tit.* 7. *defin.* 10. & in ſupremis Brabantiæ conſiliis ſæpiſſime judicatum refert Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 320. *in fin.*

5 Ceſſat etiam ex genere & favore ejus quod relictum eſt: veluti, ſi alicui legitima portio, quæ ei ex jure naturæ debetur, ſit relicta. *l. Sancimus* 36. *in pr. verſ. Sancimus, Cod. De inoffícioſ. Teſt.* aut dos uxori prælegata ſit. *l. Sed Uſusfructus* 81. §. 1. *ff. ad leg. Falcid.* Quibus caſibus detractioni locus non eſt.

6 Sed utrum heres non conficiendo inventarium, quartæ deductinnem perdat? Receptior eſt diſtinguentium ſententia, qui illud in Falcidiæ quidem deductione admittunt. per *auth. Sed quum teſtator. Cod. ad leg. Falcid. & Novell.* 1. *cap.* 2. Vid. Roland. à Valle de heredis Inventario atque ejus confectione. *quaſt.* 194. *num.* 5. Bart. & DD. ad *l. fin.* §. *Sed ſi præfatam. Cod. de jure deliberand.* Andr. Gail *lib.* 2. *obſ.* 138. In Trebellianica vero procedere negant. Quomodo cenſuit Hollandiæ Curia, Neoſtad. *deciſ.* 3. *in fin.* Brabantiæ conſilium ſupremum, Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 317. *num.* 4. Parlamentum Tholoſanum, Maynard. *lib.* 5. *deciſ.* 62. & Camera Imperialis amplectitur, Mynſinger. *Centur.* 3. *obſervat.* 60. Quod tamen Sabaudiæ Senatus, ad primi tantum gradus liberorum privilegium reſtringit: Ut hi tantum etiamſi inventarium non fecerint, deducendæ tamen ex fideicommiſſo Trebellianicæ jus retineant, quod alios amittere cenſuit: teſte Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 27. *defin.* 5. *& tit.* 11. *defin.* 23. Diſſentit Nicol. Everhard. *loco à Falcid. ad Trebell. loco* 16. *& loco* 34. *num.* 5. Vide etiam. Fachin. *lib.* 4. *controverſ. cap.* 38. Anton. Gabriel. *Commun. concluſ. lib.* 4. *De Trebell. concluſ.* 10. Gomez. *Variar. reſolut. tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 12. Coſtal. *ad l. Papinianus* 8. §. *ſi imperator.* 2 *ff. De inofficioſ. teſtam.* Pœna vero heredis teſtatori non obſequentis, ab uſu receſſit, ut latius *ad tit. Cod. his quæ pœna nom.* Sic ut ea non obſtante Trebellianicæ aut Falcidiæ quæ expreſſim prohibita non eſt, deducendæ locus ſit.

7 Porro ut huic deductioni locus ſit, requiritur ut quis ſit gravatus tanquam heres, & quidem directus: legatarius enim, aut fideicommiſſarius ipſe Trebellianicæ aut Falcidiæ beneficio non utitur, *l.* 47. *in fin. ff. ad leg. falcid. l.* 22. § *ult. ff. ad Senat. Trebell.* niſi eo caſu, quo exemplo heredum ad legata præſtanda ex ſua perſona etiam alteri obligantur, quo pertinent *l.* 32. §. 4. §. *ad l. falcid & l.* 5. *ff. Si cui plus quam per legem falcidiam. l.* 47. *ff. ad leg. Falcid. l. mulier.* 22. §. *ult. ff. ad Senatusconſult. Trebell.* Unde oritur regula, quod in hereditatibus fideicommiſſo gravatis, primus ſaltem heres Trebellianicam deducere poſſit, non etiam ſecundus aut tertius, qui primus aut directus heres non eſt. Ut in praxi receptum teſtantur Fachin. *lib.* 5. *controverſ. cap.* 7. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 27. *defin.* 1. Gratian. *diſcept. Forenſ. cap.* 821. *num.* 16. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 1. *defin.* 14. niſi primus ille, non detracta quarta, totam hereditatem reſtituerit, quo caſu ſecundus heres etiam Trebellianicæ detrahendæ jus habet: quaſi eo ipſo quod neglexerit primus quartam detrahere, liberalitatem in ſecundum exercuerit: eique, & in eum omne jus ſuum tranſtulerit. *l.* 1. §. *denique. verſ. inde Neratius, & ibi* Bart. DD. *ff. ad Senat. Trebell.* contra Fachin. *lib.* 5. *controv. cap.* 7. *& ibi allegat.*

8 In hanc quartam tempore reſtitutionis deducendam imputari poſſunt omnia ea quæcunque ex judicio defuncti, ſive legati, ſive fideicommiſſi vel conditionis implendæ cauſa obvenerunt. *l.* 22. §. 2. *l.* 91. *l.* 93 *ff. ad leg. Falcid.* etiam fructus interim percepti. *l.* 22. *ff. ad Senat. Trebell.* And. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 133. Menoch. *De Arbitrar. Judic. lib.* 2. *Caſ.* 256. præterquam in liberis prioris gradus, quibus fructus percepti in quartam imputari non poſſunt. *l.* 6. *Cod. eod.* Fachin. *lib.* 5. *controv. cap.* 9. Quod deciſum vide apud Joann. à Sande *lib.* 4. *tit.* 7. *defin.* 5. 6. An-
9 ton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 27. *defin.* 4. Chriſtin. *volum.* 1. *deciſ.* 318. *num.* 30. In quo iterum manifeſtum diſcrimen eſt quartæ Trebellianicæ, & Falcidiæ, in quam ea tantum imputantur quæ jure hereditario, non quæ jure legati vel fideicommiſſi, vel conditionis implendæ cauſa veniunt, *d. l.* 91. *ff. ad leg. Falcid. in princip. l.* 30. *& l. in quantitate.* 73. *ff. eod.* Rationem diverſitatis vide apud Duarenum 2. *Diſput.* 10. Fachin. *lib.* 5. *controv. cap.* 15. Cujac. *lib.* 8. *obſerv. cap.* 4.

10 Utrum autem legitima Trebellianicam minuat, id eſt, an filius fideicommiſſo univerſali gravatus, præter legitimam, etiam Trebellianicam, atque ita duas quartas detrahere poſſit: an vero ſub legitima etiam Trebellianica comprehendatur; magna & intricata apud DD. quæſtio eſt. Quam Jure Civili poſitivo negative decidi quidam volunt: Ut, ſi detrahat legitimam ſub ea etiam Trebellianica, ſi Trebellianicam, legitima comprehendatur; adeoque una deductione contentus eſſe debeat: eo quod nullibi ſit expreſſum, ut duplici portione gaudere poſſit. *arg. l.* 6. *Cod.*

ad Senat. Trebellian. junct. l. liberto 21. §. 2. ff. de annuis legat. & l. 1. §. penult. ff. Si cui plus quam per leg. Facid. l. 24. Cod. famil. erciſcund. Cujac. lib. 6. abſerv. 3. Vaud. lib. 2. quaſt. 32. And. Gail lib. 2. obſerv. 121. num. 4. Ant. Fab. De Errorib. Pragmatic. decad. 11. error. 7. & ad Cod. lib. 6. tit. 27. defin. 4. quos ſequitur Carpzov. Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 1. defin. 20. & Reſponſor. elect. lib. 6. tit. 10. Reſp. 113. num. 17. Bronchorſt. Cent. 3. aſſert. 67. Quorum opinionem etiam ſequi videtur. Grot. Introd. lib. 2. cap. 20. verſ. Hoe wel. Jure vero Canonico, duplex detractio filio eſt permiſſa, per text. expreſſ. in cap. Rainut. extr. De Teſtamentis, quæ conficit ſemiſſem ejus quod quis ab inteſtato habuiſſet. Quod quum ubique fere ſervetur, an non etiam de Jure Civili defendi poſſit videamus? Quod videtur vel hoc ſolum argumento, quod duo diverſo hæc jura in una eademque perſona diverſo reſpectu concurrant, adeoque legitimam filius detrahit, non quia eſt heres, ſed quia eſt filius, quam etiam detraxiſſet, etiamſi heres non fuiſſet. Facit l. 14. & l. 67. ff. ad leg. Falcid. Trebellianicam vero, quia heres eſt fideicommiſſo gravatus: in quam ea ſolum imputantur, quæ jure hereditario, aut ex judicio defuncti veniunt. l. 22. §. 2. l. 91. l. 93. ff. ad Senat. Trebellian. quorum nomine legitima, quæ ex jure naturæ debetur, etiamſi judicio defuncti non veniat, ut comprehendatur, ecquis vere dicat? Nam ſi filius legitima contentus eſſe juſſus ſit, extraneo herede inſtituto ſub onere fideicommiſſi, hereditas duplicem detractionem proculdubio patitur, quod non tam ex diverſitate perſonarum, quam jurium provenire conſtat: quare ergo non idem obtinebit, ſi in una eademque perſona eadem illa jura cumulative concurrant: niſi filius, hac in cauſa deterioris conditionis, ac quilibet alius extraneus probetur, eique ſpeciali lege ſit impoſitum ut has actiones confundat, ſic ut una alteram elidat. Quod niſi oſtendatur à me, ut contrarium de jure agnoſcam, obtinere non poſſum. Ita ſentiunt Coraſ. in l. filium. 24. num. 45. Cod. famil. Erciſcund. cont. 1. diſput. Jur. Civil. 3. Vacon. à Vacun. 4. declar. 59. Fachin. lib. 5. contraverſ. cap. 1. 2. Ut ut ſit, in praxi, apud nos, vicinaſque gentes, duplicem detractionem admitti eſt receptum, Gail lib. 2. obſerv. 121. num. 6. Joann. à Sande lib. 4. Deciſ. Friſic. tit. 7. defin. 3. Neoſtad. Cur. Holland. deciſ. 3. num. 3. & deciſ. 17. Deciſ. ſuprem Cur. 21. Grot. Introd. lib. 2. cap. 20. verſ. Hoe-wel. Quod uſque a deo receptum eſſe teſtatur Anton. Fab. ad Cod. d. lib. 6. tit. 27. defin. 4. ut de eo jam dubitare ridiculum æſtimetur; atque ita per totum mundum obſervari aſſerit Guidon. Pap. Deciſ. Delphin. quaſt. 52.

Quomodo vero duplex illa detractio ſumenda ſit, in caſu plurium quam quatuor liberorum 11
ſimul exiſtentium, quorum ipſa legitima, eaque ſola ſemiſſem conſtituit ejus, quod ab inteſtato habuiſſent: an etiam eo caſu præter ſemiſſem, quartam Trebellianicam ex reliquis bonis detrahant? Negant Bald. Conſil. 94. lib. 2. quem ſequitur Covarruv. in d. capit. Rainut. §. 11. num. 6. extr. De Teſtament. Decius Conſil. 228. & alii quos citat Grivell. Deciſ. 107. num. 10. Affirmant Teſaur. deciſ. Pedemont. 252. Cujac. lib. 8. obſerv. cap. 3. Fachin. lib. 5. contrav. cap. 3. Chriſtin. vol. 1. deciſ. 245. & deciſ. 315. Anton. Fab. De Errorib. Pragmaticor. Decad. 9. error. 9. & ad Cod. lib. 6. tit. 27. defin. 4. Joann. à Sande Deciſ. Friſicar. lib. 4. tit. 7. defin. 7. Quod & jus Canonicum confirmare videtur, hoc præſuppoſito, ut prius legitima velutes alienum deducatur, & tum ex reliquis bonis, adhuc detrahatur Falcidia, ſeu Trebellianica. d. cap. Rainut. & Rainald. extr. de Teſtam. Quod tamen mores noſtri non probant, quibus in praxi negantium ſententia eſt recepta, ſic ut quotieſcunque legitimæ & Trebellianicæ jura cumulative concurrant, indiſtincte ſemiſſem conſtituant: quaſi alia ſit ratio ipſius legitimæ, quam augmenti ejus, in caſu quinque aut plurium liberorum introducti, Novell. 18. quomodo ab Hollandiæ Curia judicatum in Februar. 1620. In de ſaake van Geerbrant Gerritſz. contra Reynout van Oyen, atque ita quotidie ſervatur, teſte Groeneweg. ad Grot. Introd. lib. 2. cap. 20. num. 19. Et à ſuprema Brabantiæ Curia judicatum refert Joann. Decher. lib. 1. Diſſert. 14. in fin. defin. 3. Hinc & quod ſemiſſem excederet, etiam in liberis prioris gradus prohiberi poſſe volunt Mantic. De conjectur. Ultimar. voluntat. lib. 7. tit. 11. num. 7. Fachin. lib. 12. controv. cap. 11. Joann. à Sande lib. 4. tit. 7. defin. 5.

Nec ſolum primi gradus, ſed & ſequentium graduum liberis & deſcendentibus duplicis hujus 12
detractionis beneficium eſt conceſſum, niſi à teſtatore Trebellianicæ detractio expreſſim ſit prohibita. Ut à Sabaudiæ Senatu ſæpius judicatum refert Anton. Fab. ad Cod. lib. 6. tit. 27. defin. 4.

Ad hereditaria onera pertinet etiam viceſima hereditatis pars ab Auguſto Cæſare anno poſt 13
Chriſtum 7. Æmilio Lepido & L. Arnutio Conſulibus ob maxima bellorum impendia quibus gravabatur heredibus extraneis non inopibus ut vectigal impoſita, teſte Dione Caſſio Hiſtor. Ro-

man.

man. 55. ad quam viceſimam Æmilius Macer *lib.* 2. ſcripſit : Vnde Tribonianus à Jacobo Cujacio *lib.* 9. *obſerb.* 424. vapulat, quod *in l.* 68. *ff. ad leg. Falcid.* ea quæ Æmilius Macer *lib.* 2. *ad l. Viceſimam*, quæ eſt inſcriptio *d. l.* 68. de æſtimatione legatorum, egerit, is ad Falcidiam tranſtulerit. Sed quæ viceſima deinde Nervæ, Trajani, Adriani, Marci & aliorum conſtitutionibus, reciſa, reducta, tandem abolita eſt, *l.* 3. *ff. de Edict. Div. Hadr. tollendo.* Apud Hollandos vero iterum in uſum reducta, & ſpeciali conſtitutione. Primo 22. *Decemb.* 1598. ſub nomine quædrageſimæ, poſt 18. *Decemb.* 1599. deinde 18. *Auguſti* 1640. ad viceſimam adaucta, & quotannis renovata. Cui accedit quod & ad adſcendentes in deſcendentium bonis ſuccedentes, idem onus ſit extenſum. 27. *Septemb.* 1653.

His adde quod pleriſque Hollandiæ Civitatibus à retro Principibus privilegium ſit conceſſum, quo extranei & foreſes, decimam hereditatis quam, à civibus & incolis teſtati ſive inteſtati jure percipiunt, antequam auferre eam poſſint, tributi loco perſolvere tenentur. Vulgo **Regt van True** / ſed quo jure inter ſe vix uti ſolent : niſi adverſus eos, qui idem adverſus ſe exercere ſolent : Prout nuperrime contra Medioburgum Leydenſes jure ſuo uſos vidi, propterea quod Medioburgi contra ejuſdem civitatis incolas idem exercuiſſent.

Cap. X.

De Acquirenda vel omittenda hereditate; De Jure Deliberandi, & Inventarii conficiendi beneficio.

Summaria.

1. *Sui & neceſſarii heredes qui fuerint, & an ad mores pertineat.*
2. *Omnium herodum eadem apud nos conditio & qualitas, omniſque hereditas expreſſa declaratione, aut ipſo facto acquiritur.*
3. *Filius in favorabilibus ipſo jure ſuccedit : juxta regulam,* le mort ſaiſit le vif. *in paſſivis, & ubi damnoſa futura ſit, ſecus.*
4. *Filius, ergo heres : an & quatenus procedat.*
5. *Quomodo & quatenus heres in univerſum jus defuncti ſuccedat.*
6. *Hereditas etiam non adita ad heredem tranſmittitur.*
7. *Immiſſio ſcripti heredis in bonorum poſſeſſionem defuncti an & quando obtineat.*
8. *An & quatenus æri alieno obſtringatur heres.*
9. *Juris deliberandi effectus jure veteri.*
10. *Inventaris beneficium cujus ſit effectus.*
11. *Solennitas, in Gallia & Belgio.*
12. *Non conceditur, ſi quis alius ex cognatione defuncti pure & ſimpliciter hereditatem adire ſit paratus : etiam remotior, niſi & ipſe impetrans propinquior beneficio renunciet, & pure heres eſſe maluerit.*
13. *Intra quod tempus impetrari debeat.*
14. *Quid Juris in Saxonia, aliiſque Germaniæ locis.*
15. *Quibus modis, abſtinendo vel repudiando amittitur hereditas.*

1 POſt mortem Teſtatoris teſtamento delata hereditas, haud ſufficit : niſi & eam delatæ hereditatis ſuſceptio ſubſequatur : quam omittere & repudiare cuique integrum eſt. Quod enim Jure Romano neceſſarii heredes, quorum alii ſui & neceſſarii, ut erant liberi morientis poteſtati ſubjecti, alii neceſſarii tantum, ut ſervi, qui & libertatem & hereditatem ex teſtamento domini conſequebantur, & ignorantes & inviti heredes erant, *§.* 1. 2. 3. *Inſtit. De hered. qualitat. &*
2 *differ.* ad mores non pertinet, neque in praxi eſt receptum. Sic ut omnium heredum eadem ſit conditio, & qualitas, in eo quod hereditatem ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſibi delatam, adeant, aut omittendo repudient. Arnold. Vinn. *ad princip. Inſtit. De hered. qualitate & different.* Sit itaque Regula : Ut omnis hereditas aut expreſſa declaratione aut ipſo facto per immiſſionem adiri debeat, ad hoc, ut hereditariæ actiones ſive activæ ſive paſſivæ, in heredem tranſeant, juxta *l.* 20. *in pr. §.* 1. *& tot. tit. ff. De acquir. vel omittend. hered.*

D. XXIX. II. Cod. VI. XXX. *De Acquirend. vel omittend. hereditat.* Cod. VI. XIX. Inſtit. II. XIX. *De heredum qualitate & differentia.*

3 Quod quidem in liberis primi gradus ſuis heredibus ad exemplum Juris Romani, *l.* 14. & *tot. tit. ff. de ſuis & legitim. hered.* intelligendum eſt, ut ſi de eorum favore agatur, ſtatim quidem ipſo jure heredes exiſtant. Quomodo intelligendum eſt, quod in Gallia, & nonnullis Belgii regionibus, mortuus ſaiſit vivum (ut loquuntur) in liena directa, Argentr. *ad. Conſuetud. Brittann. art.* 509. Tiraquell. *tract. le mort ſaiſit le vif. in præfat. declar.* 2. *num.* 1. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 170. *num:* 2. Gudelin. *De Jure noviſſim. lib.* 2. *cap.* 18. *verſ. qua diverſa.* Zyp. *Notit. Jur. Belgic. tit. Unde liberi. verſ. pen.* Boër. *ad Conſuetudin. Bituric. tit.* 11. *§.* 6. Ita ut in favorabilibus,

Digeſt. XXXVIII. XVI. *De ſuis & legitim. heredib.*

libus, & quum hereditas eſt lucroſa, filii quidem præſumantur heredes parentum, adeo ut præter filiationem nihil ulterius probare teneantur, minime vero in paſſivis, & ubi damnoſa aut oneroſa futura ſit hereditas, quo reſpectu præſumptio illa locum non habet, ad hoc ut aliorum contra ipſos agentium propter onera hereditaria intentio ſit fundata. Quibus ad hoc non ſuffi- 4
cit demonſtraſſe filium, ergo heredem: ſed præterea immiſſionem, aut aditionem hereditaris probare incumbit. Non enim conveniri poteſt tanquam heres, quin heres probetur. De quo ſi dubitetur an ſe immiſcuerit, an abſtinuerit, ea præſumptio capienda eſt quæ favorabilior videtur, ut ſe abſtinuiſſe credatur, ſi hereditas oneroſa ſit, adeoque creditor patris defuncti à liberis heredibus ſolutionem exigens, quum ſe in facto aditionis & immixtionis fundet, eam omnino probare teneatur, quia à parte liberorum abſtinentiæ probatio difficilior eſt, & in ſe continet negativam implicitam, cujus per rerum naturam probatio nulla eſt. *arg. l. 10. Cod. non num. pecun. junct. l. 23. Cod. De probat.* Vt late Menoch. *De præſumpt. lib. 4. præſumpt. 99. num. 4.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 128.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 12. defin. 2. 3.* & Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. Romano-Saxan. part. 3. conſtit. 14. defin. 20.* Propoſita quæſtione an ſi quis ex conſanguineis proximis ex aſſe fuerit inſtitutus, ſub onere fideicommiſſi perpetui, inſtitutionem repudiaverit, & ſua parte contentus ab inteſtato ſuccedere maluit, an eo caſu fideicommiſſum recidat? Reſpondi, repudiare eum hereditatem ſibi ex teſtamento relictam poſſe, eoque ipſam inſtitutionem ad inteſtati cauſam recidere *l. 17. ff. de acq. vel omitt. hered. l. 70. ff. eod.* Sed nihilominus fideicommiſſa deberi, & in iis ulteriorem teſtatoris voluntatem manere, quod non tantum ita ſe habet, ſi clauſula Codicillaris fuerit adjecta, ut communiter fieri ſolet, *per l. ult. Cod. de Codicillis.* Sed & ſi clauſula Codicillaris adjecta non ſit, idem dicendum eſſe putem per *l. 6. & l. 10. ff. ſi quis omiſſa cauſ. teſtam.*

Hereditate aut per expreſſam declarationem, aut per immixtionem adita, omne jus de- 5
functi ſive activum ſive paſſivum in heredes tranſit, eoque ipſo defuncti creditoribus, etiam ultra vires hereditarias obſtringitur heres. *l. 8. ff. de Acquir. vel omitt. hered. l. 2. Cod. De hered. vel act. vend. l. ult. Cod. De hered. act. §. 1. Inſtit. De perpet. & tempor. action.* Heres enim eſt qui ſuccedit in univerſum jus defuncti. *l. 24. ff. de Verb. Significat. §. 1. Inſtit. De hered. qualit. & differ. l. 59. & l. 62. ff. de Reg. Jur.* Quod fieri intelligitur, quibuſcunque vel verbis vel factis heredis animum declarantibus *l. 17. Cod. De Jure delib.* adeo ut vel ſolo animo hereditatis ſuſceptio in heredum favorem facta intelligatur, & hereditas etiam non actualiter adita ad heredem tranſeat, nec fideicommiſſi transferendi jus vitiet, quod à fideicommiſſario ſit perceptum. *l. 19. Cod. De Jure de lib.* Vt de legato eleganter diſputat Joann. à Sande *Deciſ. Friſic. lib. 4. tit. 4. defin. 7.* Et latius ſupra ſuo loco egimus.

Cod. VI. XXXIII. *De Edicto Divi Adriani tollendo, & quemadmod ſcriptus heres in poſſeſſ. mittat.*

Sed & hodie poſſeſſio bonorum defuncti in heredis perſona ſtatim ab ipſius obitu abſque ulla 6
interruptione retrotrahendo continuatur, contra *l. 52. ff. De acquir. vel omitt. hered.* Zyp. *Notit. Juris Belg. tit. Unde liberi, verſ. Succeſſio.* Gudelin. *De Iure Noviſſim. lib. 2. cap. 18. verſ. pen.* Adeoque nec legitimus, nec teſtamentarius heres per judicem in poſſeſſionem inducitur, ſed quilibet ſua ſponte hereditatem adire poteſt, & ſolo poſſidendi animo poſſeſſor intelligitur, abſque ulla alia bonorum apprehenſione. Anton. Perez. *ad tit. Cod. de Edict. Div. Adrian. tollend.* Præterquam quod in quibuſdam Hollandiæ Civitatibus, quando inter extraneos de acquirenda 7
hereditate vel poſſeſſione ex edicto Divi Adriani quæſtio eſt, per judiciariam immiſſionem heredis, in domum mortuariam introducendi, perque ejuſdem emiſſionem, ad inſtantiam adverſarii eandem poſſeſſionem petentis, factam, ſuper fiduciaria hereditatis poſſeſſione etiamnum diſceptetur, teſte Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 55. in fin.* Ut fuſius ſupra *lib. 2. cap. 9.*

Cod. IV. XVI. *De Hereditariis actionibus.*

Hereditas quæſita, etiamſi ſolvendo non ſit, heredem obligat æri alieno, qui eo nomine à cre- 8
ditoribus hereditariis conveniri poteſt, *d. l. 8. ff. de Acquir. vel omitt. hereditat.* Qui ſi plures ſint, omnes tenentur pro portionibus hereditariis. *l. 2. Cod. de hereditar. act. l. 6. Cod. famil. erciſcund.* niſi obligatio individua ſit, quo caſu quiſque eorum in ſolidum tenetur. *l. 2. §. 2. ff. de Verb. Oblig.* Pro quo tamen duæ competunt exceptiones, & remedia. Vna, ſi heres actione pœnali ex perſonali facto defuncti conveniatur, cujuſmodi actiones in heredem non dantur. *l. crimen. 26. ff. De pœnis. §. 1. Inſtit. De perpet. & tempor. act. l. 111. ff. De Reg. Jur.* Quod quomodo procedat, vide latius *ad tit. Ex delict. defunctor. in quantum hered. conv.* Altera, ſi deliberandi jure, ſive

D. XXVIII. VIII. Cod. VI. XXX. *De Jure Deliberando.*

inventarii beneficio utatur. Quo, jure veteri quidem non niſi intra deliberandi tempus gaude- 9
bat, ut interim apud ſe expendat, utrum hereditatem adire, vel repudiare velit, *§. 2. Inſtit. de hered. qualitat. & differ. l. fin. Cod. De Jure Deliber.* cui rei certum tempus legibus conſtitutum erat, ad minimum centum dierum, ad ſummum, ſi à Principe anni, ſi à Judicibus novem menſium

ſium ſpatio determinatum. *l. 1. §. ult. l. 2. 3. 4. ff. l. 9. & ult. §. 13. Cod. De Jure Deliberand.* Quo tempore, & res hereditarias inſpicere, inſtrumentorum copiam petere, *l. 5. in pr. ff. eod:* rationes ab iis penes quos depoſitæ ſunt exigere, *l. 28. ff. de Acquir. vel omitt. hered.* omneſque creditores hereditarios auctoritate magiſtratus, ut ſinguli nuncient quantum ipſis debeatur, evocare, ex cauſa adminiſtrare, & diſtrahere quæ ſervando ſervari non poterant, aut tractu temporis deteriora fierent, quæ ſunt ſumptuoſa, libere vendere, ædificia ſarcienda reficere, & familiam, aut ſi filius ſit, ſe ipſum ex hereditate alere ſine præjudicio poterat. *l. 5. §. 1. l. 6. l. 7. §. 3. ff. De Jure Delib. junct. l. 9. ff. eod.* quo tempore exacto, ſilentium, quo olim hereditas pro repudiata habebatur, *l. 69. ff. de Acquir. vel omitt. hereditat.* eos heredes faciebat. *l. ult. §. pen. Cod. De Jure Deliberand.* Ex quo duo reſultabant incommoda, unum quod creditoribus in ſolidum tenerentur, ſi inventarium conficere neglexerint, Falcidiæ beneficium amittant, haud aliter ac ſi aperte hereditatem adiiſſent. *d. l. ult. §. pen. Cod. eod.*

10 Jure vero noviſſimo, quum etiam poſt longiſſimam deliberationem homines graviſſime ſæpe circumvenirentur, *§. 6. Inſtit. De hered. qualit. & differ.* Inventarii beneficium ſucceſſit, quo hoc conſequitur heres: I. Ne ultra vires hereditarias conveniri poſſit, *d. l. ult. Cod. De Jure Deliberand. §. 6. Inſtit. De hered. qualit. & differ. l. ult. §. 2. ff. De Jure. Deliberand.* II. Quod quartam ex lege Falcidia de omnibus legatis & fideicommiſſis detrahere poſſit, quam alias citra hoc ſolenne beneficium amitteret. *l. ult. Cod. De Jure Deliberand. Novell. 1. cap. 2.* judicatum memini. III. Quod primo omnium deducat impenſas quas fecit, in deſcriptionem rerum, in confectionem, & inſinuationem inventarii, ut & impenſas funerum, aliaque neceſſaria, reliquo tantum inter creditores diſtribuendo: ſic ut omnes tam privilegiati, quam alii æque ferant ſumptus. *d. l. ult. §. 9. Cod. eod.* IV. Quod actiones quas heres habuit adverſus defunctum non confundantur, quum alioqui unus idemque non poſſit eſſe creditor & debitor ſui ipſius. *d. l. ult. §. 9. in fin.* V. Quod prius petentibus ſatisfacere, qui ſi privilegiati non ſint, ſolummodo actionem habent adverſus eos quibus ſatisfactum eſt, neque eo nomine heres inquietari poſſit. *l. ult. §. 4. Cod. eod.* VI. Quod quaſlibet res, ipſis etiam invitis creditoribus, in ſolutum dare poſſit. *d. l. ult. §. 5. 6. Cod. eod.* aliaque ejuſmodi.

11 Conficiendi Inventarii ſolennitas, & ritus hic eſt: ut intra triginta dies, quo ſibi delatam eſſe hereditatem ſciverit, incipiat, & intra ſexaginta alios, ſi res in propinquo ſint, ſi longius abſint, intra annum integre abſolvat rerum omnium hereditariarum inventarium per tabularium, teſtibus non minus tribus, item creditoribus, legatariiſque, ſi qui adſint, præſentibus, confectum, ſua manu, aut à trabulario, teſtibus præſentibus ſubſcriptum. *l. ult. Cod. De Jure Deliberand.* Plura ad inventarii confectionem pertinentia vide apud Schneiduin. *ad d. §. 5. Inſtit. De hered. qualit. & differ.* & Jul Clar. *lib. 3. ſentent. §. teſtamentum. quæſt. 4. num.* 46.

Noſtris & Gallorum moribus hoc inventarii beneficium non ipſo jure, quemadmodum Jure Romano, ſed ex ſolius Principis beneficio ex præſcripto Caroli V. 19. *Maji* 1544. *art. 39.* indulgetur. (Cujus partes hac in re Suprema Curia tuetur) intra quadraginta dies ab impetrato diplomate coram magiſtratu loci interpolando, datis fidejuſſoribus conſummandum: Ut latius vide *Inſtruct. ejuſd. Curiæ, art. 53. & 229. junct. Ampliat. art. 5.* Joann. à Sande *lib. 4. tit. 12. defin. 1.* Zyp. *notit. Jur. Belg. tit. De Jure. delib. & benefic. Inventar.* Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 22. & ſeq. & ad Conſuetud. Mechlin. tit. 16. art. 50. num. 1.* Papon. *lib. 20. tit. 10. arreſt. 1.*

12 Sed & ita demum conceditur, niſi quis alius ex cognatione defuncti pure, & ſimpliciter, omiſſo beneficio, hereditatem adire ſit paratus: quod & mandato inſeri ſolet. Vid. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. d. loco, & vol. 4. deciſ.* 210. & Zyp. *Not. Jur. Belg. d. loco in fin.* Papon. *d. tit. 2. lib. 20. arreſt. 2.* Et quidem ex cognatione defuncti ſint neceſſe eſt, ſic ut extraneus veluti maritus, uxor, &c. idem offerentes audiendi non ſint. Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. tit. des Succeſſ. in pr. rubr. 7. §. 13. num. 7.* Pecc. *De Teſtam. conjug. lib. 1. cap.* 35. Et ita ab utraque Hollandiæ Curia judicatum eſt, teſte Neoſtad. *Suprem. Cur. deciſ.* 7. Alii volunt eum in eodem, aut proximiori cum herede gradu defunctum contingere, Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 16. art. 40. num. 7. & art. 50. num. 3.* Vall. *De reb. dub. tract. 20. num. 16.* Pecc. Papon. & Neoſtad. ubi ſupra Rebuff. *ad conſtit. reg. De liter. obligat. art. 3. gloſſ. 2. num.* 34. Sed verius, & magis receptum eſt, ut cognati, ſive conſanguinei remotiores, qui pure hereditatem adire volunt, etiam proximiori hoc beneficium impetranti præferantur: Niſi & ipſe iterum beneficio renunciare, & pure heres eſſe maluerit, quod ei permittitur ne alioqui in odium ejus convertatur, quod in ejuſdem favorem introductum eſt. Charond. *lib. 6. Reſponſ.* 35. Kinſchot *Reſponſ. Jur. 30. & ſeq.* Joann. à Sande *Deciſ. Friſic. l. 4. tit. 12. defin. 3.*

Quando autem, aut intra quod tempus, illud beneficium impetrari debeat, dict. Ordinatione aut alio ſtatuto definitum non eſt: quare & hoc, quandocunque ante aditam hereditatem peti poſſe, dicendum eſt: niſi ad inſtantiam creditorum certum tempus ſit præfixum. Quum enim hic impetrandi beneficii modus Romanis legibus plane incognitus ſit, id tanquam caſus omiſſus ex Iure Romano. *d. l. ult. §. 2. 3. & §. 11. Cod. de Jure delib.* decidi aut ſuppleri haud poteſt, ſed jus dicentis poteſtati, & arbitrio potius tribuendum, quantum tempus præſtituat. *arg. l. 1. §. ult. ff. De Jure delib.* 13

Apud alios, in inventarii beneficio, ejuſque ſolennitate, & jure, jus ſcriptum obtinet: prætérquam in Germaniæ quibuſdam locis, ubi Iure Saxonico utuntur, ſecundum quod, ultra vires hereditarias heredes non teneri volunt, etiamſi inventarium conficere omiſerint, ſi modo res hereditarias jurato indicare velint. *arg. Statut. Saxon. lib. 1. art. 6.* Quod quidem de generali conſuetudine earundem Provinciarum obſervari teſtantur Henning. Goden. *Conſil. 11. num. 8.* Matth. Coler. *De Proceſſ. executiv. part. 1. conſtit. 10. num. 327.* & *part. 2. cap. 3. num. 399. & ſeqq. Ejuſdem Deciſ. part. 1. Deciſ. 68. num. 2. & ſeq.* Et poſt eos Carpzov. *Iuriſprud. Forenſ. Romano-Saxon. part. 3. conſtit. 33. defin. 18.* Sed tamen contra eoſdem Iuris Saxonici interpretes, in Regali Poloniæ Curis, ſecundum Ius ſcriptum, recte illud ſervari defendit Andr. Lipskiua à Lipe Regni Poloniæ Cancellarius, & Epiſcopus Cracovienſis *Practic. Obſerv. Iuris Civil. & Saxon. Centur. 2. obſervat. 19. num. 10. in fin. & num. 11.* Vbi jus ſcriptum hac in parte firmiter obſervari teſtatur. 14

Cod. VI. XXX. De repudianda vel abſtinenda hereditate.

Omitti autem hereditas poteſt vel abſtinendo, vel repudiando. Nam liberum cuique eſt etiam lucroſam hereditatem omittere. *l. 17. ff. Si quis omiſſ. cauſ.* 15

Abſtinent ſui & neceſſarii *§. 2. Inſtit. de hered. qual. & differ. l. 57. in pr. ff. de acq. vel omitt. hered.* Qui licet abſtinuerint, intra triennium eidem hereditati ſe immiſcere adhuc poſſunt. *l. 8. ff. de Jure delib. l. ult. Cod. de repud. vel abſtin. hered.*

Repudiant extranei poſtquam iis delata fuerit hereditas *§. 7. Inſtit. de hered. qual. & differ.* Quod per ſolam animi voluntatem factum intelligitur, dummodo de ea conſtet. *l. 6. ff. ad Senat. Trebell.* & per procuratorem fieri poſſe conſtat *l. 6. Cod. de Jure delib.* Sed qui ſemel repudiavit, poſtea ſuo jure iterum adire non poteſt *l. 4. Cod. de repud. vel abſtin. hered.*

Moribus vero, quibus ſuorum & neceſſariorum jura ſublata eſſe diximus, etiam hanc differentiam ſublatam eſſe dicamus, adeoque hæc jura eſſe confuſa, ut quilibet abſtinuiſſe & repudiaſſe hereditatem, intelligatur, ad hoc ut oneribus hereditariis liberetur, qui & donec ſe immiſcuiſſe, aut adiiſſe probetur. per ea quæ latius ſupra *num.* 4.

Hereditate repudiata, ab eo cui defertur, teſtamentum ad cauſam inteſtati recidit & in totum corruit, ita ut nec legata nec fideicommiſſa aliave in eo diſpoſita ſubſiſtant. *l. 181. ff. de leg. Reg. Jur. l. 9. ff. de teſtam. tut. l. 17. ff. Si quis omiſſa cauſa teſtament.* niſi per clauſulam Codicillarem ſuſtentetur, cujus ea vis eſt ut licet inſtitutio deficiat, aut ex eo nemo heres exiſtat, adeoque ipſa hereditas ad inteſtati cauſam recidat, legata tamen & reliqua in eo diſpoſita firma maneant. *l. ult. Cod. de Codicillis.* DD. *ad l. 3. Cod. de teſtam.* A Gabriel *commun. concluſ. tit. de teſtam. concluſ.* 5. Joann. Dauth. *De Teſtament. quaeſt* 5. Maynard. *deciſ. Tholoſan. lib. 5. deciſ. 9.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 134. num. 3.* Joann. à Sande *lib. 4. tit. 2. defin. 2. & tit. 4. defin. 10. num. 4.* Sed in fideicommiſſariis hereditatibus id proviſum erat: ut ſi ſcriptus heres nolit adire hereditatem, juſſu P.ætoris adeat & reſtituat *d. l. 17. ff. Si quis omiſſ. cauſ. teſtam.* quod Pegaſiano Senatuſconſulto cavebatur. Cujus doctrinam vide *l. 4. l. 43. ff. ad Senat. Trebell. §. 6. verſ. Sed ſi recuſabat. Inſtit. de fid. hered.*

Quæ moribus noſtris virtute clauſulæ Codicillaris, cujus eam vim eſſe diximus, ipſe jure ad heredes ab inteſtato tranſeunt; adeo ut Prætoris interventus opus non ſit. Quod & cum Galliæ moribus convenire teſtatur Groeneweg. *ad d. l. 17. ff. Si quis omiſſa cauſ. teſtam.*

D. XXIX. IV. Cod. VI. XXXIX. Si quis omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato vel alio modo poſſideat hereditatem.

Si quis in fraudem eorum quibus aliquid legato vel fideicommiſſo relictum eſt, hereditatem omiſerit, ut ab inteſtato ſuccederet, æque tenebitur ad legata vel fideicommiſſa ac ſi ex teſtamento adiiſſet. *l. 1. ff. l. 1. & 3. Cod. Si quis omiſſa cauſa teſtament.* Aut ſi pecunia accepta, prætermiſerit, ut ſubſtitutus adiret *l. 3. ff. eod.* vel ſimpliciter omiſit cauſam teſtamenti, dum per gratiam vult præſtitum ei qui ſubſtitutus eſt, vel legitimo; tam in eum quam in poſſeſſorem dabitur utilis actio. *l. 1. in fin. ff. eod.* Ita tamen ut poſſeſſor hereditatis prior excutiatur ſi lucrativam habeat poſſeſſionem. Idem obtinet in Codicillis ab inteſtato, id eſt nullo teſtamento neque ante neque poſt factionem confirmatis, quibus teſtator heredem ab inteſtato ſuccedentem legatis aut fideicommiſſis gravat, hic ſi teſtati cauſam omiſerit, nihilominus cogendus eſt legata præſtare, &

mox

mox dimiſſis legatis . ſi quid ſuperfuerit, ex dodrante fideicommiſſa præſtare cogetur. *l. 6. ff. Si quis omiſſ. cauſ. teſtament.*

CAP. XI.

Quibus modis Teſtamenta infirmentur , & de Vltimarum voluntatum mutatione.

SUMMARIA.

1. *Infirmandi teſtamenti ratio.*
2. *Ex cauſa prateritionis, aut exheredationis.*
3. *An propter inſtitutionis defectum moribus infirmetur.*
4. *An & quatenus per capitis diminutionem.*
5. *An & quatenus pœna capitali damnati teſtamentum ſubſiſtat.*
6. *Quomodo per voluntatis mutationem rumpatur, & an, aut quatenus quis eam facultatem ſibi adimere poßit.*
7. *An & quando inter conjuges ſimul teſtantes alter voluntatem ſuam mutare aut revocare non poßit?*
8. *Revocatio teſtamenti quomodo fieri debeat, ejuſque ſolennitas, an ſimpliciter per teſtes probetur.*
9. *An poſterius teſtamentum Iure perfectum ſufficiat ad rumpendum prius, ſine expreſſa revocatione. Morib.* Neg.
10. *Clauſula reſervatoria cujus ſit efficacia.*
11. *An & quando generalis revocatio ſufficiat aut non, & 12.*
13. *An & quatenus per generalem omnium diſpoſitionum revocationem, pacta antenuptialia mutata aut revocata cenſeantur.*
14. *An per inciſionem, ſive cancellationem à teſtatore factam, teſtamentum revocatum cenſeatur.*

1 INfirmandi Teſtamenti ratio duplex eſt, ipſius teſtationis vitium, & voluntas teſtatoris: loquimur enim de teſtamento rite & ſolenniter facto: nam teſtamentum non rite aut contra jus factum, per ſe nullum eſt, & perinde habetur ac ſi factum non eſſet, de quo latius ſupra *De Teſtamentis, & quomodo ordinentur.* *D. xxviii. iii. & Cod. vi. xvi. De Injuſto Rupto & Irrito facto teſtament. Inſtit. ii. xvii. Quibus modis Teſtament. infirm.*

Infirmatur teſtamentum, ex teſtationis vitio interno aut externo.

Vitium teſtamenti internum eſt, quum ex cauſis præteritionis, exheredationiſve ipſius
2 teſtamenti jus vitiatur, aut agnatione ſui heredis; nato ſcilicet poſthumo, *l. 1. 4. 5. ff. De Injuſto rupt. & irrit. fact. teſtament. §. 1. Inſtit. De exhered. lib. & §. 1. Inſtit. Quib. mod. teſtament. infirm.* aut alieno facto; puta per inofficioſi querelam ex iiſdem, id eſt præteritionis aut exheredationis cauſis reſcinditur. *tot. tit. D. & Cod. De inofficioſ teſtament.* Circa quæ iterum monemur, quamlibet præteritionem moribus pro exheredatione eſſe, nec ob id ipſius teſtamenti jus vitiari, niſi quatenus per inofficioſi querelam reſcindatur. Ut fuſius ſupra *cap. 3. ad tit. De liberis prateri.*

3 Quibus adde, quod jure ſcripto teſtamentum etiam non ſubſiſtat propter inſtitutionis defectum, &, ſi in eo nullus heres ſcriptus ſit. *l. 1. §. 3. ff. De Vulgar. & Pupill. ſubſtit. §. 34. Inſtit. De legat.* Cui vitio tamen adjecta clauſula Codicillaris moribus noſtris uſitatiſſima mederi ſolet, qua cavetur, ut valeat quod diſpoſitum eſt omni meliori modo & forma. Cujus tanta vis atque efficacia eſt, ut ſi non valeat ut perfectum, valeat tamen ut imperfectum teſtamentum, adeoque & hereditatem directam, quæ propter aliqua omiſſa ſubſiſtere non poteſt, trahat ad indirectam & ficommiſſariam. *arg. l. 29. §. 1. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 114.* Joann. à Sande *lib. 4. tit. 2. defin. 2.*

Vitium teſtamenti externum eſt, aut à teſtatore, aut ab herede.

4 Ipſius teſtatoris vitio & facto teſtamentum infirmatur, aut potius irritum fieri dicitur: Si poſt factum teſtamentum ſeſe arrogandum dederit. *§. 4. Inſtit. quib. mod. teſtam. infirm.* Si poſt conditum teſtamentum, ſuum heredem adoptaverit. *§. 1. Inſtit. eod.* Denique, ſi mutato ſtatu, capitis diminutionem patiatur, maximam, qua civitas ſimul & libertas amittitur. *§. 1. Inſtit. De capit. diminut.* mediam, qua civitate amiſſa, libertas retinetur. *§. 2. eod.* & minimam, qua utraque, & civitate & liberate retenta, ſtatus hominis tantum mutatur, *§. 4. 5. Inſtit. quib. mod. teſtam. infirm. l. 6. §. 5. 7. ff. De Injuſt. Rupt. & Irrit. fact. teſtam.* Excepto eo quod ante captivitatem factum poſtliminii Jure ſuſtinetur. *d. l. 6. §. pen. ff. De Injuſt. Rupt. & Irrit. fact. teſtam.* Pro capite minuto etiam habetur is qui reus poſtulatus, vel in ſcelere deprehenſus, metu pœnæ

imminentis mortem ſibi conſcivit. *d. l. 6. §. 7. ff. eod.* Cujus bona, quaſi damnati, fiſco applicantur. *l. 3. ff. De bon. eor. qui mort. ſibi conſciver.*

Sed quum moribus noſtris, neque adrogatio, neque pœnæ ſervitus in uſu ſint, nec hodie vetet, quo minus teſtamentum facere poſſit ab hoſtibus captus, aut pœna capitali damnatus, de his quæ per ſententiam fiſco adjudicata non ſunt, ut abunde ſupra *cap. 3. ad tit. qui teſtam. fac. poſſ.* ſola Juris Romani fundamenta obiter attigiſſe hic ſuffecerit. 5

Ipſius autem teſtatoris voluntate teſtamenta infirmantur, aut potius rumpuntur: ſi teſtator voluntatem ſuam mutaverit *§. 2. Inſtit. Quib. mod. teſtament. infirm.* Quod quandocunque in ejus poteſtate eſt, & manet: quum ambulatoria hominis ſit voluntas uſque ad extremum vitæ exitum, *l. 4. ff. De adimend. & transferend. legat.* nihilque magis hominibus debetur, quam ut ſupremæ voluntatis liber ſit ſtylus, *l. 1. Cod. De Sacroſ. Eccleſ.* & hinc Regula: Quod nemo ſibi eam facultatem adimere poſſit, deſumpta ex *l. 22. in pr. ff. de leg 3.* Vide Jul. Clar. *lib. 3. Sentent. §. teſtamentum. quæſt. 94. num. 3.* Pecc. *De Teſtam. Conjug. lib. 1. cap. 43. num. 1.* Etiamſi per derogatoriam clauſulam teſtamento ſuo expreſſerit: ſe nunquam de eadem teſtata ſua voluntate velle recedere, adeoque ſi quid ei contrarium factum apparuerit, ratum minime fore. Cujuſmodi derogatione proſpectum quidem intelligitur, contra improvidas teſtationes ſequentes, ſic ut ſi in poſteriori contraria voluntate iſti derogatoriæ clauſulæ expreſſe renunciatum non ſit, ad hoc vi, metu, aut perſuaſione, contra liberam voluntatem ſeductus intelligatur; uti tradit Jul. Clar. *§. teſtamentum, quæſt. 99. in pr.* Gomez. *ad l. Tauri. 3. num. 92.* Graſſ. *§. teſtamentum, quæſt. 89.* Menoch. *lib. 4. præſumpt. 166.* Pecc. *De Teſtam. Conjug. lib. 1. cap. 4.* Minime vero ut per hoc à priori voluntate recedendi facultas omnino illi adimeretur. Ut eſt text. *in d. l. 22. ff. de leg. 3.* Vide Grot. *Introd. lib. 2. cap. 24. verſ.* **Daer is noch**. Clauſula derogatoria ad ſequens teſtamentum an & quomodo revocetur, vid. Joann. Durant. *tract. de arte teſtandi tit. 10. caut. 1.* Conſ. JC. Bat. *part. 2. conſ. 211. & part. 3. Secund. part. conſ. 3. conſil. 326. num. 39.* 6

Quæ tamen regula limitatur (præſertim inter conjuges) caſu quo duo ſimul teſtantes, alter alterum heredem inſtituit, ſub ea conditione atque onere; ut omnia ea bona quæ poſt mortem ultimo morientis, ex mutua hereditate, **uyt haer beyder gemeenen boedel**/ ſupererunt, relinquantur huic aut illi. Quo facto ſupervivens poſtquam hereditatem primo morientis adierit, pro ſua etiam parte aliter, aut contra eandem voluntatem mutuam de novo diſponere haud poteſt, mutuo quaſi conſenſu eorundem patrimonio conſolidato, & ad unicum patrimonium redacto: Quo ſolo caſu impeditur libera teſtamentorum revocatio: quod alter cum conſenſu alterius, de utriuſque bonis, & eorum parte teſtetur, eoque diſpoſitio, quæ alias ex parte teſtantis eſſet revocabilis, ex parte conſentientis tranſit in contractum, & fit irrevocabilis. Ut late Pecc. *De Teſtam. conjug. lib. 1. cap. 43. num. 4.* per Bart. Barbat & Bald. *ibid. allegat.* facit text. in eam rem ſingularis *in l. ſicut 8. §. venditionis. 11. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. in verbis, Si legare permiſit, valeat quod conceßit*; unde ſatis conſtat, quod alter de re alterius teſtari poſſit, ejuſque conſenſu legare; idque alteri nocere, ut per Bart. & DD. ibid Quo pertinet etiam *l. ſicut. 5. Cod. De Obligat. & Action.* 7

„ Ubi, intelligere debetis, inquit Imperator, voluntariæ obligationi ſemel vos nexos, ab hac „ non conſentiente altera parte, cujus precibus feciſtis mentionem, minime poſſe diſcedere. Quod idem in teſtamenti factionem probante, & conſentiente locum habere poſt Barbat. argumentatur Pecc. *d. loco. num. 4* Ubi quoque citat auctoritatem Præſidis Everhardi *Conſil. 60. num. 2.* & per *d. text. l. 8. §. 11. ff. quib. mod. pign. vel hypothec.* & DD. etiam concludit: Quod conſentiens vel dans poteſtatem alicui de rebus ſuis diſponendi vel teſtandi, præjudicet ſibi, & ſuis ſucceſſoribus perinde ac ſi conſentiret in contractum: adeo quod ejuſmodi legata debeantur in ipſius conſentientis & ſuorum heredum præjudicium. Quod & indubitatum eſſe, inquit, quoad hoc, ut exceptionem ſive actionem pariat. Ut in iiſdem terminis concludit Bart. *ad l. cum quis. 37. ff. de leg. 3.* Ubi conſentientem teſtatori leganti rem ſuam ab herede conveniri poſſe tradit. Quam rationem inter alis quoque adfert Iohann. Decher. *lib. 1. diſſert. 1. num. 8.* quare, conjuge mortuo qui res alterius conſentientis legavit, aut per fideicommiſſum reliquit, omni revocationi interclusa ſit via: quod ſcilicet altero rem ſuam legari, ſive per fideicommiſſum relinqui, eamque voluntatem morte diſponentis confirmari permittente, rei legatæ, aut per fideicommiſſum datæ dominium in legatarium aut fideicommiſſarium tranſeat: *arg. l. Titio. 64. ff. de furtis*, dummodo ſit adita hereditas. *l. 86. §. cum ſervus. ff. de legat. 1.* Nec ſolum actionem pariat perſonalem, quæ pro legato adverſus heredem, aut alium rei hereditariæ poſſeſſorem competit, ſed & ipſum dominium, & verum emolumentum. *l. 19. §. 1. ff. quemadmod. ſerv. amitt. & l. cum pater 77. §. ſurdo. ff. de leg. 2.* Sed & æquitas, & bona fides omnem ejuſmodi revocationem reſpuunt, ut om-

nium

nium elegantiſſime idem Johann. Decher. *dict. Diſſert.* 1. *num.* 4. *verſ. Et Jure id quidem meritiſ-*
„ *ſimo.* Quid enim, inquit, conjugi poſſit acerbius aut triſtius contingere, quam irrita fieri, quo-
„ rum perpetua firmitate fretus lætior ex hac vita migravit, ut enim in elogiis ultra mortem ratis
„ ſolatii non levis cauſa, ita mœroris maxima eſt, in profana eorundem deceptione. Fatendum
„ ergo multo melius, & æquius fore, ſi ſuperſtiti conjugi non liceat voluntatem præmortui conju-
„ gis circumvenire revocato teſtamento, eo præſertim tempore quo ſuum revocare nequeat alter,
„ qui jam in humanis eſſe deſiit. Æquius utique ſuperſtes prima voluntate legatur, quam ut men-
„ tis inconſtantia revocando, ſuam & conjugis in nihilum redigat. Nec durum, cuiquam videri
„ debet conjugem ſibi teſtando legem dixiſſe, à qua poſt obitum conjugis recedere non liceat,
„ quum ex altera parte multo durius foret defunctæ conjugis voluntatem, quæ morte ſemel omne
„ ſuum pondus & robur adepta eſt, à vivente, vel corrigi vel reſcindi. Quæ, ut ita in praxi ſint
recepta, teſtatur Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 15. *in fin.* Coren *Obſerv.* 51. & 12. Chriſtin. *vol.* 6.
deciſ. 58. *num.* 6. Joann. Decher. *lib.* 1. *diſſert.* 1. *num.* 4. *& ſeq.* Bouvot. *tom.* 1. *part.* 1. *in verb. Teſtam. quæſt.* 1. *& tom.* 2. *verb. Teſtament. quæſt.* Ludovic. Charond. *Reſponſ. du Droict. Francois. lib.* 8. *reſp.* 73. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. Romano-Saxonica part.* 3. *conſtit.* 2. *defin.* 13.
Idem etiam conſtitutum Statut. Civitat. Antverp. *cap.* 41. *art.* 21. multiſque Hollandiæ Curiarum deciſionibus confirmatum eſt. Quanquam earundem quædam vapulent, apud eos qui de Iure ſuo nimium diffidentes, inque ipſa circumſtantiarum varietate hæſitantes in ipſum jus miſere impingunt, quod ubi non ſatis aperte aſſequuntur, ſtatim mutatum aut abrogatum volunt. Quo ipſo ſi alibi, certe hac in re etiam à magni nominis Iuriſconſultis ſub ſpecie rei judicatæ, cujus caſum aut circumſtantiarum rationem, quæ vel minima cauſam mutare ſolet, ne inſpexerint unquam, perperam præjudicatum ſæpiſſime pro comperto habeo. Quæ ut probe diſtinguantur, notandum: hanc limitationem reſtringi debere ad eum ſolum caſum, quo alter de alterius bonis cum conſenſu alterius, aut ambo de utriuſque bonis reciproce per conſolidationem, per ſubſtitutionem, fideicommiſſum, aut alio modo diſponens, alterum heredem inſtituit, uſumfructum, aut aliud commodum relinquit: quo caſu quin alter, hereditate adita, aut relicti commodo percepto, diſpoſitionem illam ne quidem pro parte ſua mutare nequeat, quia unica tantum duorum reputatur diſpoſitio de unico & communi patrimonio per mutuam confuſionem conſolidato facta, communis eſt DD. opinio: & receptior, (præſertim inter conjuges) teſtandi modus, quam ut ab eo jure quo quo modo receſſum cenſeatur. Si modo certum ſit alterum de alterius bonis diſpoſuiſſe, alterumque ſub ea conditione inſtituiſſe. Quod vel in eo minorem habet difficultatem, propterea, quod eo caſu, non tam libera alterutrius diſpoſitio in ſuis inhibeatur, quam per fideicommiſſum primi morientis hereditatem adeundo ſupervivens gravetur, etiam propriæ ſua bona poſt mortem ſuam in hunc vel illum reſtituere, illudque de Iure ſubſiſtere nemo negabit, quum non ſolum proprias res teſtator per fideicommiſſum relinquere, ſed & heredis, aut legatarii ſive fideicommiſſarii, aut cujuſlibet alterius, iſque legatarius, ſeu fideicommiſſarius non ſolum de ea re rogari poteſt, ut eam alicui reſtituat quæ ei relicta ſit, ſed etiam de alia, ſive ipſius, ſive aliena ſit. *§.* 1. *Inſtit. de ſing. reb. per fideicommiſſ. relict. §.* 4. *Inſtit. de legat. & l.* 10. *Cod. eod.* De quo vide Mantic. *De Conjectur. ultim. volunt. lib.* 9. *tit.* 10. & ſupra demonſtratum eſt *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 24. Si vero dubium ſit, utrum alter de alterius bonis ex ejuſdem conſenſu diſpoſuerit: velut, ſi quidem duo conjuges ſimultaneè de utriuſque eorundem bonis in una maſſa diſpoſuerint, alterque alterum fiduciarie inſtituerit: ita tamen, ut quæ poſt mortem ſuperviventis extarent, pro dividenda medietate cujuſque eorundem conſanguineis obvenirent, quo caſu, ut & in alio minimo dubio, ex libera voluntatis conjectura, licet duo ſimul & reciproce in una charta teſtentur, tot reputantur teſtamenta quot ſunt perſonæ teſtantes, pro ſua cujuſque diſpoſitione revocabilia. Ut late poſt Oldrad. Pecc. Gail. Mynſinger. Anton. Fab. & innumeros alios, Soto Major *Quotidianar. quæſtion. part.* 2. *cap.* 18. *num.* 17. Berlich. *part.* 1. *deciſ.* 92. *num.* 4. & Sigiſmund. Finckelthaus *Practicab. obſerv.* 90. *num.* 7. Everhard. *Conſil.* 79. *num.* 1. per Jura & DD. ibid. allegat. Cenſetur enim in dubio unuſquiſque de parte ſua, minime vero de parte alterius diſpoſuiſſe, ut *ibid. & num. ſeq.* Quomodo etiam Ioann. Decher. *d. diſſert.* 1. *num.* 12. *verſic. Tertius caſus*, recte diſtinguit, per *text. in l. Servi electione.* 5. *§. ult. ff. de legat.* 1. *& l. eo quod à multis.* 10. ubi Salicet. & DD. *Cod. Si cert. petat.* Atque ita in caſu ſupra propoſito propter factam poſt ſuperviventis mortem, ſeparationem, eorum alterum pro ſuis tantum conſanguineis, pro ſua cujuſque parte, non alterum de alterius bonis diſpoſuiſſe, adeoque illud pro ſua parte reſpectu ſuorum conſanguineorum, etiam poſt mortem & poſt aditam primo morientis hereditatem à ſuperviventi mutari potuiſſe deciſum memini, nec mirum.

Quod de mutata teſtatoris voluntate diximus, ita intelligendum eſt, ut de ea mutatione ſolen- 8
nitet etiam conſtet. Quomodo haud ſufficiet, ſi ſimpliciter declaret ſe voluntatem ſuam mutare,
aut ſine teſtamento decedere velle, ſed per ſecundum aut poſterius teſtamentum, aut aliud inſtru-
mentum æque perfectum, ſolennis revocatio fieri debet. *§. 7. Inſtit. Quib. mod. teſtam. infirm. l.
militu. 36. §. 3. ff. de Teſtam. milit.* niſi poſt ejuſmodi ſimplicem declarationem coram judice aut
tribus teſtibus factam decennium effluxerit. *l. ſancimus. 27. Cod. de teſtam.* Grot. *Introd. lib. 2.
cap. 24. verſ.* **indien pemandt** / quod tamen an in praxi ſit receptum, non abs re meo judicio
dubitat Groeneweg. *tractat. de legib. abrogat. ad d. l. 27. Cod. De teſtament.* & contrarium
obtinere refert Jure Saxonico Carpzov. *Iuriſprudent. Forenſ. part. 3. conſtit. 3. definit.* 42.
teſtamentum ſcilicet etiam nullo alio condito ſimpliciter revocari poſſe, modo id ſolenniter fiat.
Vide Anton. Teſſaur. *quæſt. Forenſ. lib. 1. quæſt.* 56. Jul. Clar. *lib. 3. ſententiar. §. teſtamentum.
quæſt.* 91, 92. Johan. Papon. *lib. 20. tit. 1. arreſt.* 3. Mantic. *De Conjectur. Ultimar. voluntat.
lib. 2. tit. 15. num. 28. & ſeqq.* Fachin. *lib. 4. controv. cap.* 8. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 5.
defin. 29. num.* 1. 2. Jacob. Coren *Conſil. 10. num. 24. & ſeq.* Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 1.
& *De Pact. Antenupt. obſerv. 22. verſ. quod autem.* Quidam addunt, non ſolum aliud ſolenne te-
ſtamentum, ſed & inſuper novam heredis inſtitutionem, aliaque neceſſaria in teſtamento requiſita
requiri, per ea quæ tradunt Caſtrenſ. & Fulgoſ. *ad d. l. ſancimus 27. Cod. De Teſtament*, Bart. *ad l.
Si jure 18. num. 3. ff. de leg.* 3. Fachin. *d. lib. 4. controv. cap.* 8. Quod tamen receptum non eſt,
nec moribus convenit, quibus nuda & ſimplici revocatione coram Notario & duobus teſtibus fa-
cta, prius teſtamentum infirmatur, & corruit, neque aliud teſtamentum, neque nova heredis in-
ſtitutio requiritur: quippe quod eadem ſolennitas externa ad hoc ſufficiat. *arg. l. nihil tam natura-
le 35. ff. De Reg. Jur.* ſive dixerit ſe ſine teſtamento diſcedere velle, ſive bona ſua heredibus ab
inteſtato relinquere, quo quo modo prioris voluntatis renunciationem, & mutationem expreſſe-
rit. *l. 1. §. 1. ff. Si tab. teſtam. null. extrab. junct. l. 21. §. 3. Cod. De Teſtam.* Atque ita judicatum
teſtantur Papon. *queſtion.* 200. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 5. defin.* 29. Maynard. *lib. 5. de-
ciſ.* 23. & poſt eos Groeneweg. *De legib. abrog.* in Hollandia *ad §. 7. Inſtit. Quib. mod. teſtam.
infirm. num. 4. & ad d. l. 27. Cod. de Teſtam.* quem vide.

Iure Romano quidem ad prioris teſtamenti revocationem, voluntatiſque mutationem ſuffi- 9
ciebat ſecundum aut ulterius teſtamentum jure perfectum eſſe, etiamſi in eo prioris teſtatoris nul-
la mentio facta ſit. *§. 2. Inſtit. Quib. mod. teſtam. infirm.* Sed quum moribus noſtris Codicillo-
rum teſtamentorumque Iura & ſolennitates plane ſint confuſa, duo, aut plura teſtamenta abſque
expreſſa alterius revocatione ſimul conſiſtere nihil vetat, nec prius per poſterius, ulterius muta-
tum, aut revocatum reputatur, quam in eo directe contrarium diſpoſitum eſt, quaſi in cæteris quæ
expreſſe mutata non ſunt priores tabulas virtute clauſulæ Codicillaris tanquam fideicommiſſi jure
obtinere etiam voluerit teſtator, ac ſi illud expreſſiſſet, *arg. §. 3. Inſtit. Quib. mod. teſtam. infirm.*

Quibus adde quod moribus noſtris in praxi eſt receptum, ut ipſi teſtamento inſeratur clauſula 10
reſervatoria, qua teſtator ſibi reſervat jus ac poteſtatem eandem ſuam diſpoſitionem in aliquo
ampliare aut diminuere, aliave legata de novo relinquere, prout ei viſum fuerit, citra ullam ſo-
lennitatem, modo de eo conſtet per privatam ejus alteriuſve ab eo ſubſignatam ſcripturam, duo-
bus, pluribuſve teſtibus confirmatam, aut quovis alio modo de eo conſtare poſſit, addita clauſula,
id quomodocunque conſtiterit, ſe ratum habere ac ſi totidem verbis ſuo teſtamento fuerit inſer-
tum. Quod quidem quoad legata, aliamve minorem teſtatoris voluntatem citra heredis inſtitu-
tionem aut revocationem conſiſtere videtur receptum. Sed quum talis mutatio ſua ſolennitate
deficiat, certius eſt adhibere Notarium cum duobus teſtibus, qui nobis pro omni ſolennitate eſt.
Vid. *Conſult. JC. Batav. part. 1. conſ.* 125.

Neque revocationes generales omnium anteriorum diſpoſitionum ſemper ſufficiunt, ſed & 11
quædam nominatim revocari debere notandum eſt: veluti ſunt illa, quibus derogatoria clauſula
inſerta eſt, quæque teſtator proteſtatus ſit ſe non velle, ut ea quæ poſt, aut præter ea diſponeret,
rata ſint. Qualia non niſi expreſſa & nominata revocatione mutari poſſe, ejuſque eſſe effectus
ſupra demonſtravimus, facit *l. 22. ff. de legat.* 3. & ibi DD. Vide Everhard. *Conſil. 167.
num.* 15. 16. Fachin. *lib. 4. controverſ. cap.* 92. & DD. *ubi ſupra à nobis allegat.* Quod utrobique
fere receptum, & multis ſupremorum tribunalium ſententiis firmatum. Guid. Pap. *quæſt.* 127.
Papon. *lib. 2. tit. De Teſtam. arreſt.* 4. & 5. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 5. defin.* 9. 10. *& ſeq.*
Joann. à Sande *lib. 4. tit. 1. defin.* 10.

Ita nec pacta antenuptialia moribus noſtris uſitatiſſima, etiam ea, quæ ultimæ voluntatis vice 12
funguntur, per generalem revocationem omnium anteriorum diſpoſitionum mutata aut revocata
intel-

intelliguntur: niſi in quantum per poſterius teſtamentum directe aliter & contra diſpoſitum eſt, propter indubitatam teſtatoris voluntatem, quæ pro lege eſt ſervanda. *l. 19. l. 36. ff. de Cendit. & Demonſtrat.* cæteris omnibus manentibus. Generales enim clauſulæ reſciuntur tantum ad caſus ſimiles, & quæ ejuſdem ſunt naturæ ac conditionis. Bart. *in l. legaterum. 33. §. 1. & l. Titia. 34. §. Lucius. ff. de legat. 2.* atque ita deciſum refert Neoſtad. *De pact. Antenupt. obſerv. 3.*

13 Sed, quod Jure civili teſtamentum patris inter liberos, in eorundem præjudicium, non niſi expreſſa etiam revocatione mutari poſſit, *auth. hoc inter liberes. Cod. de Teſtament.* & ab aliis in praxi ſervatur, Jul. Clar. *§. teſtamentum. quæſt. 98. num. 1.* Graſſ. *§. teſtamentum. quæſt. 86. num. 5.* Mantic. *De Conjectur. ultimar. voluntat. lib. 6. tit. 2. num. 27.* Et in Parlamento Tholoſano ſecutum teſtatur Maynard. *lib. 5. deciſ. 19.* Suprema Hollandiæ Curia generali omnium præcedentium teſtamentorum revocatione ſatis mutatum cenſuit: teſte Jacob. Coren *Obſerv. Rer. Judicat. 39.*

14 Utrum vero per interciſionem, ſive cancellationem à teſtatore factam, teſtamentum revocatum aut mutatum cenſeatur? De Jure quidem ſcripto per cancellationem teſtamentum corrumpi notant omnes, *per l. 1. & tot. tit. ff. De his quæ in teſtam. del. l. 30. Cod. De Teſtam.* quaſi eo ipſo ſatis conſtet teſtatorem prioris ſuæ voluntatis pœnituiſſe. Ferd. Vaſq. *De Succeſſ. creat. lib. 1. §. 15. num. 60. & ſeqq.* modo de interciſione, & cancellatione totali intelligatur, quia verbis ſaltem quibuſdam cancellatis, non totum infirmatur teſtamentum, ſed id tantum, quod deletum eſt *l. 2. ff. De his quæ in teſtam. del.* Quod ut ad mores & uſum applicetur, locum non habet: niſi in teſtamento ſcripto, quod eo ipſo quod à teſtatore ipſo interciſum reperiatur, aut in ignem immiſſum, flammis combuſtum ſit, etiamnum ſatis revocatum cenſetur. Grot. *Intred. lib. 2. cap. 24. verſic.* 't Selve ſoude zijn. Minime autem in teſtamentis nuncupativis, aut iis, quæ ſecundum mores omnium pœne gentium coram Notario & teſtibus nuncupative quidem celebrata, in ſcriptis tamen rediguntur, actiſque publicis inſeruntur, ejuſque varia exemplaria eduntur, quæ non niſi ſolenni revocatione mutari poſſe conſtat. *arg. l. fin. ff. De his quæ in teſtam. del.* Vid. Jul. Clar. *lib. 3. Sentent. §. teſtamentum. quæſt. 93. num. 1.* Mantic. *De Conjectur. Ultimar voluntat. lib. 12. tit. 1. num. 33.* Atque ita deciſum, Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 1.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 5. defin. 30.* referunt.

D. xxviii. iv. *De his quæ in teſtament. delentur.*

Cap. XII.

De Succeſſionibus & hereditatibus quæ ab inteſtato deferuntur.

Summaria.

1. *Succeſſio legitima quæ, & quis inteſtatus decedat.*
2. *Quotuplex, & quæ fuerit ſuorum & agnatorum differentia.*
3. *Prætoria qualis & quotuplex.*
4. *Hodierna qualis, mobilium aut immobilium, intra, aut extra territorium defuncti ſiterum.*
5. *Ubi quis domicilium ſuum habere intelligatur.*

Quandiu ex teſtamento adiri hereditas poteſt, inteſtatæ, ſive legitimæ ſucceſſioni locus non eſt. *l. 39. l. 70. ff. De acquirenda hereditate. junct. l. 89. ff. De Regul. Jur.* Ideoque percurſis obiter ſupremæ voluntatis partibus, & quomodo hereditas ex defuncti judicio deferatur, requiritur, ut videamus quomodo ex ipſa lege ab inteſtato defertur, quæ ſucceſſio legitima vocatur, & ipſi heredes legitimi.

Inſt. iii. i. *De hereditatibus quæ ab inteſtato deferuntur.* Cod. vi. xviii. *De legitimis heredibus.*

1 Lege deferri hereditas dicitur, quum ſola lege, abſque defuncti ordinatione defertur, caſu quo defunctus inteſtatus deceſſit. *l. 1. 2. in pr. & tot. tit. ff. De ſuis & legitim. §. 2. 3. Inſtit. De hereditatibus quæ ab inteſtat. defer.* Unde & ab inteſtato deferri dicitur, *l. 70. & l. 77. De acquirend. vel omitt. hereditat.* Inteſtatus autem deceſſiſſe intelligitur, qui, aut omnino non fecit teſtamentum, aut non jure fecit, aut id quod fecit, ruptum irritumve factum eſt, *pr. Inſtit. De hereditat. quæ ab inteſtat. defer. l. 1. ff. De ſuis & legitim.*

2 Hæc alia eſt, quæ ex lege XII. tabularum jure veteri, alia, quæ ex jure civili deferebatur novo, per *Novell. 118. & Novell. 127. cap. 1.*

Lex duodecim tabularum ita ſe habebat: Si inteſtatus moritur, cui ſuus heres nec exſtabit, agnatus proximus familiam habeto. Vlpian. *in Fragment. Inſtitut. tit. 26. l. pronunciatio. 195. ff.*

ab

de Verb. Significat. Quæ habito reſpectu patriæ poteſtatis, familiæ, & agnationis, duos tantum ordines & gradns ſucceſſionis conſtituit, ſuorum ſcilicet, & agnatorum. Quorum ſui etiam inviti heredes erant. Nam quod poſtea abſtinendi jure gauderent, erat ex jure prætorio, quibus deficientibus, agnatis deferebatur hereditas, ante cognatos proximiores, qui ſi recuſarent, locus erat fiſco, non proximo gradui, aut ordini. Quod poſtea correctum per Senatuſconſultum Tertullianum, & Orphicianum, quo demum fiſcus, nec ſuo agnato, aut cognato exiſtente, admittebatur. Quibus prætor ſupervenit, qui quatuor inteſtatæ ſucceſſionis gradus effecit, quibus 3
imitatus legem duodecim tabularum, hiſce deficientibus, virum & uxorem ad fiſci exclusionem vocavit. *l.* 1. *& pr. ff. Unde cognati*, *pr. Inſtit. de Succeſſ. cognat. l. unic. ff. Unde vir & uxor.* §. 4. *Inſtit. De bonor. poſſeſſ.* Unde etiam quadruplex bonorum poſſeſſio intruducta. 1. Unde liberi. 2. Unde agnati. 3. Unde cognati. 4. Unde vir & uxor. *§. 1. & ſeq. Inſtit. De Succeſſ. cognat. pr. & tot. tit. Inſtitut. De bonor. poſſeſſion.*

Sed Jure noviſſimo una eademque agnatorum, & cognatorum ratio eſt, in tres ordines divi- 4
ſa: deſcendentes ſcilicet, adſcendentes, & collaterales. *Novell.* 118. *cap.* 1. *tot. tit. Inſtitut. De gradib. cognat. & l.* 1. *ff. eod.* ab omnibus, licet pro Statutorum diverſitate diverſimode, recepta. Quare & hic locus unus totam hanc partem occupat, ac proinde ſeparato tractatu dignus eſt.

Quocirca pro præliminari hujus tractatus compendio notandum eſt, quum varia cujuſque loci hac in re ſint Statuta, & diverſæ conſuetudines: ante omnia cujuſque loci, ſtatuta, ſive leges municipales eſſe attendendas. Ita ut mobilia, nomina & actiones perſonales ſequantur perſonam, & jus loci ubi quis defunctus eſt, quum ea ex perſonarum condirione legem accipiant, ab ea dependeant, & domicilii ſui legibus ſubjiciantur, ut late Argentr. *ad Conſuetudin. Brittan. art.* 218. *Gloſſ.* 6. *num.* 30. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 16. *art.* 39. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 124. *num.* 19. Pecc. *De Teſtam. conjug. lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 7. Nicol. Burgund. *ad conſuetudin. Flandriæ tract.* 1. *num.* 36. *& tract.* 2. *num.* 33. *& ſeqq.* Joann. à Sande *Deciſ. Friſic lib.* 4. *tit.* 8. *defin.* 7. *verſic. Aliud judicium.* In bonis vero immobilibus vel ſolo cohærentibus in diverſis locis ſitis, ut & in annuis reditibus, quos immobilium loco haberi diximus, jus ſucceſſionis dignoſcitur, ſecundum ſtatuta ejus loci, ubi bona ſita ſunt. Cujus rei fundamentum eſt, quod ſtatuta de bonis & ſucceſſione inteſtati diſponentia, realia ſint, & rem haud dubie afficiant: omnes autem ſoli res, ſive bona immobilia, tantum ſub territorio ac juriſdictione ejus ſunt loci, in quo ſita ſunt, etiamſi dominus eorum alibi habeat domicilium, *l.* 1. *in fin. l.* 2. *& l. ult. Cod. Ubi in rem actio. l. unic. Cod. Ubi de hereditate agat. l.* 4. §. 2. *ff. De cenſib.* Quomodo aliquando, ſi quis forte in diverſis provinciis bona immobilia poſſideat, pro diverſitate ſtatutorum, diverſimode etiam ſucceditur. Ita tenent, & deciſum referunt Tiraquell. *De Jure primogenitura*, *quaſt.* 46. *num.* 1. *& ſeq.* Argentr. *ad Conſuetud. Brittan. d. art.* 218. *Gloſſ.* 6. *num.* 2. 3. 4. 5. *& ſeq.* Carol. Molin. *ad Conſuetudin. Pariſienſ. art.* 88. Burgund. *ad Conſuetud. Flandriæ. d. tract.* 1. *num.* 36. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 16. *in pr. num.* 4. 5. *& volum.* 1. *deciſ.* 59. *num.* 1. 2. 3. *& deciſ.* 282. *num.* 17. Hartmann. Piſtor. *obſerv.* 55. *num.* 1. Matth. Coler. *De Proceſſ. executiv. part.* 1. *cap* 3. *num.* 244. Daniel Moller. *lib.* 1. *Semeſtr.* 29. Johann. Koppen *deciſ.* 31. *num.* 9. Et poſt eos Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. Romano-Saxon. part.* 3. *conſtit.* 12. *defin.* 12. & noviſſime Chriſtophorus Philippus Richters *tract. de jure & ordine Succeſſionis ab inteſtat. in proœm. num.* 33. 34. Vid. etiam Nicol. Everhard. *Conſil.* 206. *num.* 1. Jacob. Coren *Rer. in ſuprem. Holland. Cur. judicatar. obſerv.* 20. Joann. à Sande *Deciſ. Friſicar. lib.* 4. *tit.* 8. *defin.* 7.

Quod vero mobilia perſonam, ejuſque exiſtentiam ſequantur, ad ſuum ejuſdem domicilium, 5
ubi larem, rerumque, & fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, reſtringendum eſt. Adeo ut nec ſola habitatio, quæ aliquando ad tempus ſaltem, ut puta majoris ſecuritatis, vel curandæ valetudinis, vel alia de cauſa in certo loco conſtituta, ſufficiat, ſed fixa ſedes, & deliberatus in eo loco perpetuo habitandi animus requiritur. Gloſſ. *ad l. cives.* 7. *in verb. larem. Cod. De Incolis.* Goedd. & DD. *ad l. lege cenſoria.* 203. *ff. De Verb. Significat.* Vide And. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 35. Menoch. *De Arbitr. Judic. caſ.* 85. Coler. *De Proceſſib. Executiv. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 37. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. Romano-Saxon. part.* 3. *conſtit.* 38. *defin.* 18. *num.* 6. Quia ex ſola bonorum poſſeſſione domicilium probari nec conſtitui poteſt, *l. libertus.* 17. §. 13. *ff. ad municipal.* ſed & ex animo & voluntate. *l. nullus* 4. *Cod. De Diverſ. offic. & appar. Iud. l. poſtliminii.* 5. *ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ. l.* 26. §. 2. *ff. ad municipal.* Menoch. *de Arbitrar. jud. caſ.* 86. *num.* 2. *& ſeq.* Unde etiam ſatis apparet error eorum, qui per hoc ſolum, quod quis in civitate aliqua focum & ignem teneat, domicilium probari putant. Ut contra Matth. Coler. *De Proceſſib. Executiv. part.* 2.

pars. 2. cap. 1. num. 35. & 36. argumento *l. 2. Cod. Ubi Senator. vel Clariſſim.* perperam facto, recte notat Carpzov. *Reſponſ. Jur. Electoral. lib. 2. Reſponſ. 21. num. 23. & ſeqq.*

Ita etiam ſi quis ob novam dignitatem temporalem (veluti, ſi ſit caſtri præfectus Reipublicæ cauſa delegatus, vel Principi à conſiliis, vel advocatus factus) alio ſe contulit, eo ipſo domicilium non contrahit, præſertim ſi alibi bona immobilia retineat. Non enim poſſidet ex perſona propria, ſed ratione officii, atque ita ſedes, quæ ibi eſt, non eſt ſedes ſua, ſed officii, & in eam lares poſuiſſe, vel ſummam rerum ſuarum conſtituiſſe haud dicitur. Zanger. *tract. De Exceptionib. part. 2. cap. 1. num. 26. & num. 53.* Coler. *De Proceſſ. Executiv. part. 2. cap. 1. num. 34.* Alciat. *lib. 1. Reſponſ. 51. num.* 6. Hinc etiam locus domicilii mariti, in viduæ ſucceſſione attenditur: *l. ult. Cod. de Incolis. l. mulieres. 13. Cod. De dignitatib.* Carpzov. *Reſponſor. Jur. Electoral. lib. 2. Reſp. 24. num.* 18. 20. licet ſe in alium locum ad tempus contulerit, quum in ea domicilii mutatio non præſumatur. Maſcard. *vol. 1. concluſ. 535. num.* 28. Grat. *vol. 3. diſcept. Forenſ. cap.* 569. *num.* 5. quæ magis peregrinata cenſetur, quam ut novum conſtituerit domicilium; habitare enim dicitur quis in loco, ubi reliquit familiam & bona, ſtante animo revertendi. Gratian. *d. loco. cap.* 484. *num.* 16. *& ſeq.* Et liberi ſtudiorum, educationis, aut alterius cauſa alibi degentes, donec in poteſtate & familia parentum ſunt, eorundem etiam fixum domicilium ſequuntur, & ſecundum ejuſdem loci ſtatuta, jus ſucceſſionis dignoſcitur. *arg. l. municeps. 14. ff. ad municipal.* Ut in Gallia obtinere refert Mornac. *ad tit. Cod. Ubi de hered. ag. oportet.* in Hollandia Groeneweg. *in Not. ad* Grot. *lib. 2. cap. 26. num.* 4. & in Brabantiæ ſuprema Curia judicatum refert Chriſtin. *vol. 2. deciſ. 166. num.* 6. Quod & Antverpiæ Statutis expreſſe cautum eſt *tit. 47. art.* 16.

Pari modo, & ratione, qui ex Hollandia in Indias Orientales tendunt, peregrini cenſentur. *arg. l. 7. Cod. De Incolis. & l. 203. ff. de Verb. Significat.* Eorumque mobilia, non ſecundum ſtatuta loci, quo navim hic ſolverunt, vel etiam loci, ſub cujus repartitione eſt inſula continens, vel etiam navis, in qua moriuntur, ſed in quo domicilium ſuum ultimo habuerunt, deferri, uſus probat: niſi de eo haud conſtet, quo caſu ejus loci ſtatutum attenditur, quo hîc navem ſolverint, & iter primo ſuſceperint.

Cap. XIII.

De Deſcendentium ſucceſſione, ordine, ac gradu.

Summaria.

1. *Deſcendentium nomine qui veniant: Et quomodo ſuccedant primi & ulterioris gradus.* & num. 3.
2. *Emancipationis jura, & differentia circa ſucceſſiones ſublata apud nos, & quid in* Saxonia.
3. *Æqualitas ſucceſſionis inter liberos an, & ubi non ſervetur.*
4. *Liberi plures ex diverſis matrimoniis nati, quomodo hereditatem dividant.*
5. *An & qualis differentia inter legitimos & legitimatos.*
6. *Adoptivi an, & quibus ſuccedant.*
7. *Naturales & ſpurii matri tantum, ejuſque conſanguineis ſuccedunt, ſed alimenta, ſi aliunde non habeant, ex paterna ſubſtantia petere poſſunt.*
8. *An matri nobili ſuccedant*, hîc, *in* Gallia *&* Hiſpania.
9. *Adulterini, nefarii, & inceſtuoſi, neque patri, neque matri ſuccedunt.*
10. *Collatio bonorum inter liberos, quomodo, & de quibus rebus facienda.*
11. *Conferre tenentur, etiam nepotes, ea, quæ parentes eorum perceperunt: quando procedat.*
12. *Nec ab inteſtato, ſed & in teſtamentaria ſucceſſione collationi locum eſſe, an & quando procedat.*
13. *Quæ collationi ſubjecta ſint, aut non ſint, &* num. 16.
14. *An nuptiarum ſumptus?* Neg.
15. *Nec fructus rei dotalis, aut uſura pecuniæ in dotem data.*
16. *An ſumptus ſtudiorum cauſa facti, aut donatio ſimplex?* Neg.
17. *Apud* Zelandos, *& in* Galliæ *pleriſque locis ſimplex donatio conferri debet.*
18. *An & quando ſumptus in dignitate aut munere aliquo erogati?* Diſting.
19. *Collatio bonorum tantum in deſcendentibus locum habet, nec ad adſcendentes collaterales aut alios extenditur.*
20. *In* Saxonia, *mater marito cum propriis liberis ſuccedens, dotem conferre tenetur.*
21. *An idem obtineat in* Hollandia, Zelandia, *apud* Velavienſes, *&* Mechlinienſes.

PRima ſucceſſionis cauſa eſt deſcendentium. *l. 7. in pr. ff. De bon. damnator. l. 7. §. ult. in fine*
1 *ff. Si tabul. teſtam. null. exſt. Novell. 118. in pr. & cap. 1.* eoque nomine veniunt omnes li-

beri primi vel alteriotis gradus, qui ex nobis vel immediate, vel mediate ſunt progeniti, per ìpſam naturam, vel per legem eorum numero habentur: ut ſunt, naturales, & adoptivi. Horum iterum alii ſunt legitime ex juſtis nuptiis quæſiti, aut quum naturales erant, poſtea legitimati, alii illegitime nati, qui quamvis mediate, vel immediate à nobis naſcuntur, tamen liberorum nomen non habent, nec habere poſſunt, ut ſunt naturales tantum, ſpurii, adulterini, inceſtuoſi, aut alio legibus damnato coitu nati.

Ex juſtis nuptiis quæſiti, ſi ſint primi gradus, ut ſunt filius, filia, parentibus ab inteſtato defunctis æqualiter in capita ſuccedunt, parentiſque hereditas in tot partes dividitur, quod perſonæ reperiuntur. *l. 2. §. 2. ff. De ſuis & legitim. heredib.* omni poteſtatis, emancipationis, ſexus, *Novell.* 118. *cap* 1. & ætatis differentia ſublata. Sic ut inter eos in hereditatis diviſione æqualitas ſit ſervanda, *l. 3. Cod. De comm. rer. alienat. l. 1. Cod. Commun. Divid.* & ibi Bart. & Salicet *num.* 1. & 4. nec infans tenellus, exſtantibus aliis adultis & majoribus, alimentorum ratione aliquam prærogativam habeat, ſed ſua hereditatis portione æqualiter diviſa, contentus eſſe debeat. Vide Conſult. JC. Batav. *tom. 1. conſil.* 172. Carpzov. *Juriſprud. Romano-Saxon. part. 3. conſtit.* 15. *defin.* 33. Si vero ulterioris ſint gradus; nepotes, aut ulterius deſcendentes, aut hi eum illis concurrant, ſuccedunt in ſtirpes, & nepotes eo caſu in patris ſui locum ſubintrant, jure repræſentationis, cujus vi ſucceſſio in ſtirpes defertur. Non tantum quando nepotes cum patruo ſuo concurrunt, ſed etiam quando ex duobus vel pluribus filiis ſoli nepotes exſtant, vel nepotes cum pronepotibus concurrunt, & ſic deinceps. *§. 6. & §. fin. Inſtit. De heredit. quæ ab inteſtat. defer. l. 3. Cod. de legitim. heredib. §. 2. Inſtit. De hered. qual. & differ. l. 1. §. 2. l. 2. ff. De ſuis & legitim. tot. tit. ff. & Cod. Unde liberi, Novell.* 118. *cap.* 1. Gomez. *lib. 1. Var. reſolut. cap. 1. num.* 15. Schneiduin. *ad tit. Inſtit. De heredstat. quæ ab inteſtat. defer.* Rubric. *De Succeſſ. lib. nat. & legitim num.* 19. & 20. Quod & Hollandiæ ſtatuta expreſſe probant. *Politic. Holland. Ordinat. art.* 20.

Jure veteri quidem, ſi avus moriatur relicto filio, & ex eo nepotem, filiumque dimiſerit à ſua
poteſtate, nepotem vero in poteſtate retinuerit, nepoti deferebatur hereditas, excluſo filio. Quod, 2
ſublata omni emancipationis differentia, correctum eſt jure novo, quo omnes liberi indiſtincte jure ſanguinis ſuccedunt, & filius qui nepotem gradu præcedit, eum à ſucceſſione patris excludit. *l. fin. Cod. de legitim. Hered. Novell.* 118. *cap.* 1. *auth. in ſucceſſione. Cod. de ſuis & legitim.* quo ipſo etiam ſublatus eſt titulus *ff. de conjung. cum emancipato liberis ſuis.*

Digeſt. XXXVII. VIII. *De Conjungendis cum emancipato lib.*

Sed jure Saxonico, ſucceſſio non defertur iis liberis, qui certis bonis acceptis domo parentum excedere juſſi ſunt; aut à patre, ad ſecunda vota tranſeunte, bonorum diviſione facta, & portione vel rata ſua accepta, ſeparati ſunt. *Landr. R. lib. 1. art.* 5. Quod de juſta diviſione & ſeparatione accipiendum, ſecus ſi liberi ſaltem ſubſidia aliqua acceperint, quo caſu facta ſolum collatione, adhuc cum aliis ad patris ſucceſſionem admittuntur. *Landr. R. d. lib. 1. art.* 10. 13. Chriſtoph. Philip. De Richtera *tract. De jure Succeſſion. ab inteſtato, ſect. 1. membr. 1. num.* 7. & *num.* 101.

Limitatur etiam ea regula, quod liberi parentibus æqualiter ſuccedant: in iis bonis, quæ 3
ex pacto aut ex loci conſuetudine eam habent naturam, & qualitatem, ut ad ſolos maſculos aut ad primogenitos pertineant, & devolvantur. Ut præter ſucceſſiones bonorum feudalium, quæ ex pacto & providentia domini dependent, quorundam Galliæ, Angliæ, & Italiæ locorum ſucceſſiones bonorum allodialium etiam ſunt reſtrictæ: Quorundam, ut primogenitus ſolus ſuccedat, aut duplicem aliamve portionem conſequatur, quorundam, ut maſculi fœminis ejuſdem gradus præferantur, & ſimilia. Talis enim portio hereditatis ad primogenitum, alioſve liberos veniet, qualem cujuſque ſitus, ſtatutum, aut conſuetudo præſcribit. Burgund. *ad Conſuetud. Flandr. tract. 1. num. 36. & ſeq.* Chriſtoph. Philipp. De Richters *d. tract. & loco. num.* 100. *& ſeqq.*

Si pater moriatur, relictis pluribus liberis, ex diverſis matrimoniis natis, omnes nihilominus 4
ſuccedent æqualiter: Hoc duntaxat obſervato, ut ea quæ patri obvenerunt ex ſubſtantia uxoris primi matrimonii, ejuſdem matrimonii liberis applicentur, & quod ex bonis uxoris ſecundi matrimonii obvenit, liberi etiam ſecundi matrimonii, & ſic deinceps, percipiant ea bona, quæ patri ex cujuſque matris ſubſtantia obvenerunt, reliquam patris ſubſtantiam æqualiter inter omnes dividendo. *l. 3. Cod. de Secund. Nupt. & auth. ſubject. l. 8. 9. Cod. eod.*

Legitimatos per omnia ipſis legitime natis adæquari ſuo loco diximus, ſi ſint per ſubſequens 5
matrimonium legitimati, cujus & ea vis eſt, ut eodem modo ac liberi ex juſtis nuptiis quæſiti, non ſolum patri & matri, ſed & omnibus eorundem conſanguineis legitime ſuccedant. *§. ult. Inſtit.*

ſtit. de Nupt. l. 10. *Cod. de Naturalib. lib.* Sed per reſcriptum Principis legitimati, ſoli patri tantum ſuccedunt, non etiam conſanguineis: niſi & hi eorum legitimationi in eum finem expreſſe conſenſerint, aut ad eorum petitionem reſcriptum fuerit impetratum. *Novell.* 89. *cap.* 3. *cap.* 9. *& ſeq.* Quod uſu & moribus probari, ſupra *lib.* 1. *cap.* 3. ubi de legitime & illegitime natis, diximus.

6 Liberi adoptivi patri ſuo adoptivo ſuccedunt indiſtinctè, ſive ſint adrogati, ſive adoptati, ſive ab avo paterno vel materno, ſive ab extraneo; reſervata enim illis ſunt jura ſucceſſionis, *licet* in poteſtatem extraneorum non tranſeant. *§.* 2. *Inſtit. De Adopt. §.* 2. *& §.* 14. *Inſtit. De hereditat. quæ ab inteſtat. defer. l.* 10. *Cod. de Adoptionib.* Hi ſi ſoli ſint, ſoli etiam ſuccedunt: ſi & alii exiſtant liberi ex juſtis nuptiis quæſiti, cum iis concurrunt in portione virili: Sed uxori patris adoptivi, aliiſve conſanguineis non ſuccedunt, quum & hi alios adoptare poſſint, qui ſibi ſuccedant. Sed quum adoptionibus non utamur, hoc de jure Romano notaſſe ſuffecerit.

7 Naturales tantum, ſi de patris ſucceſſione quæratur, patri una cum matre ſua ab inteſtato ſuccedunt in ſextantem, ſi nec alios legitime natos liberos, nec legitimam conjugem habeat, alias ſi pater alios liberos legitimos habuerit, ex ſubſtantia paterna nihil conſequuntur, aut ſi legitimam conjugem habuerit, quamvis ea nec marito ſuo ſuccedat, nihilominus illi excluduntur. *Novell.* 89. *cap.* 12. *§.* 4. Eo tamen caſu, quo non ſuccedunt naturales, ſi victum quærere non poſſint, & concubina ſit inops, alimenta ex ſubſtantia paterna petere poſſunt, *arg. l.* 4. *ff. De agnoſcend. & alend. lib.* Sed quum moribus omnis concubinatus non tantum ſit illicitus, ſed & juſta pœna coërceatur, arg. *Novell. Leonis* 91. Politic. Holland. Ordinat. *art.* 3. Zelandiæ *art.* 29. quod idem fere ſtatutum Ordinat. Provinc. Elector. Saxoniæ Anni 1550. & ubique fere obtinet: Chriſtin. *vol.* 2. *deciſ.* 144. *num.* 3. Zyp. *Notit. jur. Belgic. tit. de Concubin.* Autumn. *confer. du droict. Franc. ad tit. ff. & Cod. eod.* Georg. Schultz *ad tit. Inſtit. de Nupt. littera H.* hæc vix ullum habent uſum, adeoque naturales & ſpurii, ſive vulgo quæſiti, uno eodemque nomine ac jure veniunt, qui nec patri, ſed matri tantum ſuccedunt, quæ ſemper certa eſt. *l.* 2. *l.* 4. *l.* 8. *ff. Unde cognati.* Niſi quod alimenta iis etiam præſtare teneatur pater, tanquam utriuſque parentis commune debitum, *l.* 5. *§.* 1. *ff. de agnoſcend. & alend. liber.* quod etiam ad naturales, ſpurios, & adulterinos extenditur. arg. *cap.* 5. *in fin. Extr. de eo qui duxit in matrimon. quam poll. adult.* Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæſt.* 14. *num.* 4. eorumque reſpectu moribus noſtris, ſi quis cum aliqua, aliquo ſaltem tempore ſe rem habuiſſe inficiari haud poſſit, in aſſignando patre iſti mulieri juratæ habetur fides. Ut latius ſupra *lib.* 1. *cap.* 10. demonſtravimus.

8 Nec matri quæ illuſtris eſt, & alios liberos ex juſtis nuptiis quæſitos relinquit, Jure Civili ab inteſtato ſuccedunt. per *l.* 5. *Cod. ad Senat. Orfician.* Quod moribus tamen ab uſu receſſiſſe videtur, quibus matri etiam illuſtri ſpurius, una cum legitimis ſuccedit, juxta vulgare illud, quod mater nullos facit baſtardos. arg. *l.* 8. *ff. Unde Cognati. & §. pen. Inſtit. ad Senat. Orfician.* Grot. *Introd. lib.* 2. *part.* 31. *verſ.* Van de Niet-gewettigde. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 18. *art.* 3. *num.* 3. & *volum.* 4. *deciſ.* 54. *num.* 6. De Galliæ moribus teſtantur Imbert. *Enchirid. Jur. Gall. verſ. Spurio an poßit relinqui vel donari*, pag. mihi 320. *aliis* 187. Autumn. *confer. du droict. ad d. l.* 5. *Cod. ad Senat. Orfician.* & *ad l.* 4. *ff. Unde cognati.* Hiſpaniæ Gomez. *ad l.* 9. *Tauri*, *num.* 10.

9 Gutierz. *lib.* 2. *pract. quæſt.* 109. *num.* 1. Adulterini, nefarii & inceſtuoſi, aut ex alio damnato legibus coitu nati, neque patri neque matri ſuccedere poſſunt. *Novell.* 89. *cap. ultimo.* niſi quoad alimenta neceſſaria. arg. *Novell.* 12. *cap.* 2. Palæoth. *De Nothis & ſpur. cap.* 14. *cum ſeq.* Gail *lib.* 2. *obſerv.* 115. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 198. *& vol.* 4. *deciſ.* 64.

10 Liberi & nepotes plures, inter ſe ſuccedentes ante hereditatis diviſionem in communem parentem hereditatem conferre, aut in hereditatis ſuæ portionem imputare tenentur, omnia ea, quæ aut dotis, aut donationis propter nuptias, aut alterius impenſi cauſa, vivis parentibus, quoque modo perceperunt *l.* 1. *in pr. ff. de Collat. bonor. l. pen. §.* 1. *Cod. eod.* Neque refert utrum ſint ſui an emancipati. *l. fin. Cod. eod.* Quum non ſolum in ſucceſſionibus, ſed etiam in collationibus jus ſuitatis ſublatum eſſe conſtet. per *Novell.* 118. *cap.* 4. Vide Sichard. *ad Rubric. Cod. De collation. num.* 5. *circa fin.* D. xxvii. vi. & Cod. vi. xx. De Collatione Bonorum.

11 Nec filii tantum, & ſed nepotes, ſive inter ſe ſoli, ſive mixtim concurrant, conferre tenentur, *l.* 17. *& l.* 19. *Cod. eod.* Non tantum quæ ipſi, ſed & quæ parentes eorum perceperunt, quia nepotes, quum avo ſuccedunt, ſemper veniunt repræſentantes perſonam paternam. *§.* 6. *Inſtit. De hereditatib. quæ ab inteſt. defer.* late Merlin. *De legitima. lib.* 2. *tit.* 2. *quæſt.* 13. Quod tamen reſtringendum eſt ad eos, qui quatenus parentum ſuorum heredes fuerint. Quid enim ſi paternam hereditatem repudiaverint? quum hereditates patris & avi plane ſeparatæ ſint, qua-

rum una acceptari, altera repudiari poteſt. *l. qui ſe patris.* 3. *Cod. Unde liberi.* & ibi DD. Sane iniquum foret, à nepotibus, ex repudiata patris hereditate petere collationem eorum, quorum nihil ad eos pervenit: *l. 1. §. 23. l. 2. §. 2. ff. de collat. bonor.* non entis enim nullæ ſunt qualitates. *l. 2. ff. de Uſufruct. l. adeo. 7. §. 5. ff. de acq. rer. domin.* Nemo dat, quod non habet, *l. decem.* 116. *ff. De Verb. Obligat. l. Si univerſa.* 15. *Cod. de legat.* & ceſſante cauſa, ceſſat quoque effectus. *l. 6. §. 2. ff. de Jure patronat. l. 32. ff. de pact. & l. cum tale 72. §. 6. ff. De condit. & Demonſtrat.* Si ſcilicet nepotes cum nepotibus ſuccedant, quo caſu non ex parentum, ſed ex propria perſona veniunt, & gradum duntaxat repræſentant, ex quo nemo obligatur. *l. ſcripto. 7. ff. Unde liberi.* non perſonam, ut recte diſtinguit Anton. Fab. *ad Cod. lib. 2. tit. 3. defin. 1. num. 4. & defin. 14. num.* 28. ut proinde nec factum eorum præſtare teneantur. *arg. l. ex qua perſona. 149. ff.* de *Reg. Jur.* Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 2. conſtit. 35. defin. 12. circa fin.* & *part. 3. conſtit. 11. defin. 34.* ubi eam opinionem, ita communem & uſu inveterato receptam teſtatur, ut ab ea neo judex judicando, nec Juriſconſultus reſpondendo facile recedere debeat. poſt eund. Fab. *lib. 2. tit. 3. defin. 17. num.* 7. Petr. Heig. *part. 1. quæſt. 24. num.* 38. Anton. Teſſauri. *Deciſ.* 237. *num.* 15. Vaſq. *De Succeſſion. creat. lib. 3. §. 30. num 274. & ſeq.* Hartman. Piſtor. *part. 1. quæſt. 30. num.* 7. Alias ſi nepotes cum patruis vel avunculis aut materteris ſuis ſuccedant, adeoque primum locum non per ſe, ſed ex beneficio parentum defunctorum teneant, in cujus locum per repræſentationem ſubintrant, collatio eorum, quæ parentes perceperunt, omnino fieri debet, nec repudiando hereditatem paternam collationis oneri ſe ſubtrahere queunt. *arg. l. cum quo. 56. §. ult. ff. ad leg. Falcid. & l. quoniam. 29. Cod. De inofficioſ. teſtam.* Neque enim vacuus gradus videri poteſt, cui jam quid vice futuræ ſucceſſionis datum eſt, niſi omnia reſtituantur, in eum ſtatum in quo eſſent, ſi pater eorum nihil percepiſſet. Ut repræſentationis, ſi commodum velit, etiam incommodum ſentiat filius. Ut recte diſtinguit Petr. Heigius *quæſtion. Jur. Civil. & Saxoniæ, part. 1. quæſt. 24. num.* 37. & poſt eum Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. Romano-Sax. part. 3. conſtit. 11. defin.* 33.

Nec ſolum ab inteſtato locum habet hæc collatio, ſed & ſi ex teſtamento ſuccedatur, *l. 10.* 12 *ff. & l. 17. Cod. De collation.* niſi teſtator eam expreſſe remiſerit. *l. 1. & auth. ſeq. Cod. eod.* vel extraneus inſtitutus ſit, qui ab inteſtato non eſſet ſucceſſurus. *arg. l. 1. §. 5. ff. De Collation. bonor.* aut ultimæ voluntatis verba ita generaliter ſint concepta, ut per ſe ſatis conſtet eam eſſe remiſſum, *arg. l. 39. §. 1. ff. famil. erciſcund.* Quare hac in re diſtinguendum puto, utrum quis per modum & ordinem ſucceſſionis ab inteſtato vocetur, an per expreſſam ultimæ voluntatis ſpeciem quid ſit relictum. Quomodo Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 4. definit. 4. poſt. num.* 28. illud plane in confeſſo eſſe ſcribit, ea quæ per ſpeciem ultimæ voluntatis relicta ſunt, ne quidem hodie collationi ſubjacere, ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento ſuccedatur, quoniam extero jure capi omnia intelligantur. *l. 1. l. 16. Cod. De Collation. bonor. junct. l. 10. & l. ult. eod.*

Si diverſo jure veniant, id eſt, ſi plures liberi cum extraneis ſuccedant, nihilominus inter eos collationi locus eſt. *l. 6. De Collat. dotis.* quia conjunctio non poteſt neceſſitatem conferendi inter fratres adimere: extraneis vero non conferunt, nec extranei illis, *arg. l. 21. §. 1. Cod. de Teſtament.*

Huic collatione ſubjecta ſunt omnia quæ à parentibus, de quorum ſucceſſione quæritur, ſunt 13 profecta, *l. 17. Cod. de collation.* Inter quæ præcipuum locum obtinent, dotes, *l. 1. & tot. tit.*
D. XXXVII. VII. De Dotis Collatione. *ff. De collatione Dotis. l. 6. l. 12. l. 19. Cod. de collation.* Donationes propter nuptias, & aliæ res pretioſæ, quas liberi à parentibus nuptiarum tempore acceperunt: ut ſunt jocalia & feſtivæ veſtes, *arg. l. inter ſocerum 26. §. 2. ff. De pact. dotalib. l. etiamſi 8. in verb. additamenti Cod. de Jure Dot. & ibi* Gloſſ. & DD. Wurmſer. *Pract. tit. 42. obſerv. 2. num.* 3. Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 91. num.* 5. 6. Matth. Coler. *deciſ. Germ. part. 1. deciſ. 62 num.* 34. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 11. defin. 11. in fin. & defin.* 22.

A quibus tamen feſtivitatum aut conviviorum nuptiarum ſumptus, quos parentes fecere, 14 exempti videntur, quod pro ſua liberalitate à parte impenſi, nec in rem filii erogati, nec eo ipſo filii patrimonium auctum dici poſſit. Facit *l. 1. §. 16. ff. de collation. l. 20. §. 6. ff. famil. erciſcund. l. 21. §. 1. ff. ad municipal.* ſumptus enim quos quis pro ratione domeſtica fecit, nulla ratione repeti poſſunt. *l. 1. Cod. de Negot. geſt.* Vide Schneiduin. *ad §. quadam actiones 20. Inſtit. de Action. num.* 46. Secundum quam opinionem in foro Saxonico quotidie pronunciari refert Joachim. Scheplits in Commentar. ſuis ad promptuarium Juris Balthaſari Clammer. *tit. 24. num.* 8. & Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 11. defin. 21. & ſeq.*

Ita

15 Ita nec fructus rei dotalis, aut uſuras pecuniæ in dotem datæ conferri debere conſtat. Quia fructus conſumpti in bonis non ſunt, & ſolummodo ea conferenda ſunt quæ in bonis conferentis reperiuntur. *l. 4. 6. 12. Cod. de collation.* aut, quod verius reor, quia fructus percepti non ſunt dotis, ſed marito cedunt propter onera matrimonii. *l. 7. ff. de Jure dot. l. 20. Cod. eod.* Niſi ab eo ſolum tempore, quo in mora fuerint, ea ſtatim poſt parentis mortem inferre. Vide Joann. Papon. *lib. 21. tit. 7. De Collationib. arreſt. 4.* Enchirid. Jur. Galliæ *in verb. Collationis exceptio.* Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. Romano-Saxon. part. 2. conſtit. 30. defin. 19. & part. 3. conſtit. 11. defin. 14.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 178. num. 1.* Vinn. *tract. de Collat. cap. 12. in fin. & cap. 16. num. 10. & 11.*

16 Adeoque profectitia bona omnia conferenda ſint, *l. final. Cod. de Collation.* Vide late Vital. Nemauſ. *part. 2. concluſ. 2. & 3.* Duaren. *Rubric. De collationib. cap. 4. in princip.* Adventitia non utique, *d. l. ultim. Cod. eod. l. 6. Cod. de bon. quæ lib. l. 1. §. 15. ff. De collat. bonor. l. fin. Cod. famil. erciſcund.* Sichard. *ad Cod. Rubric. De collation. num. 13.* Cujac. *lib. 3. obſervat. 30. in princip.*

Sed an ſumptus ſtudiorum cauſa, aut ſimplex donatio à parentibus facta, inter liberos, conferenda ſit? Inter DD. vix convenit. Ut videre eſt, ex iis, quæ late hac de tractant Fachin. *lib. 5. cap. 80.* Bronchorſt. *centur. 3. aſſert. 68.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 4. defin. 4.* Communior tamen & receptior eſt ſententia, quod quemadmodum nec donatio ſimplex, nec in peculium, aut alterius rei cauſa data; *arg. l. pen. §. 1. Cod. De collation.* Vinn. *tract. De collationib. cap. 115. num. 1.* Gudelin. *De Jure Noviſſimo lib. 2. cap. 19.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 178. num. 12.* Afflict. *Curia Neapolitan. deciſ. 247.* ita nec ſumptus ſtudiorum cauſa facti conferri debeant, *arg. l. 1. §. 16. ff. de collation. l. 50. ff. famil. erciſcund.* Ne quidem quum impendia in rationes cedegit pater, aut filius ipſe bona habeat: niſi de contraria patris voluntate alio modo conſtet. *arg. l. ult. Cod. De Dotis promiſſione.* Fachin. *lib. 5. controv. cap. 83.* Hartmann. Piſtor. *part. 1. quæſt. 19. num. 4.* Garzias *De Expenſ. cap. 4.* Matth. Coler. *Deciſion. German. part. 1. deciſ. 62. num. 20.* Carpzov. *defin. Forenſ. Romano-Saxon. part. 3. conſtit. 11. defin. 17. 19. 20.* Gomez. *ad l. Tauri. 29. num. 16. 17.* Imbert. *Enchirid. Jur. Gallia. verb. Impenſa in ſtudiis.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 16. art. 4. num. 5.*

17 Apud Zelandos tamen, Burgundiones, & in pleraque Gallia, liberi ſimplicem etiam donationem à parentibus acceptam conferre tenentur. Zeland. Statut. *art. 21.* Everhard. *Conſil. 183. n. 10.* Chaſſan. *ad Conſuetudin. Burgund. tit. des ſucceſſ. Rubr. 7. §. 5. num. 41. & ſeq.* Carol. Molin. *conſil. 59. num. 4.* quam ſententiam etiam aliquando ſecuta eſt Brabantiæ Mechlinienſis Curia, teſte Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 178. num. 11.*

18 Ita nec conferuntur ea, quæ pater confert in dignitatem filii comparandam: ut ſunt expenſæ ad Doctoratus titulum conſequendum præſtitæ; quas filii præ aliis heredibus præcipuas habent. *d. l. 1. §. 16. ff. de Collat. l. 20. §. 6. ff. famil. erciſcund.* etiamſi propterea æs alienum conflatum probetur. *l. 39. §. 3. ff. eod.* Quia parentes iſtos ſumptus, animo donandi feciſſe intelliguntur. Matth. Coller. *deciſ. Germanicar. part. 1. deciſ. 62. num. 24.* & poſt eum Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. Romano-Saxon. part. 3. conſtit. 11. defin. 17.*

Sed quid ſi pater pecuniam contulit in munere aliquo filio ſuo comparando? Reſpondent Gallici ſcriptores, illam pecuniam eſſe conferendam. Autumn. *Confer. du droict. ad d. l. 1. §. 16. ff. De collat.* Argentr. *ad conſuetud. Brittan. art. 526. num. 3.* Mornac. *ad l. 30. §. ult. Cod. Inoffic. teſtam.* Loyſeau *Du droict des offices lib. 3. cap. 10. num. 54. & l. 1. cap. 11. num. 36. cum ſeq. & lib. 2. cap. 8. num. 30.* Quod tamen diſtinguendo intelligendum de iis muneribus, & officiis, de quibus poſt mortem filii aliquid reale ſupereſſe poteſt. Ut ſunt ea, quæ certam annuam penſionem aliumve quæſtum annexum habent, unde aliquid ſupereſſe, aut ad heredes ſuos relinqui poteſt. Cujus lucrum quæſitum, nec caſtrenſis, nec quaſi caſtrenſis peculii loco eſt: præſertim ſi talia ſint, ut in Hollandia quædam, in Gallia pleraque, quorum aut ſucceſſio & reſignatio divendi poteſt, aut poſt mortem defuncti ejus viduæ, aut liberis certa exinde ſumma à ſucceſſoribus præſtari debet. *l. ult. Cod. De pignorib. l. 30. §. 2. Cod. De Inofficioſ. teſtam. l. 7. & l. 11. Cod. De Prox. Sacr. Scrin.* Si vero ſit munus honorabile quidem, ſed viciſſim onus quoddam annexum habet, quod filius ferre tenetur, ſic ut nec commodi, aut quæſtus quicquam ad heredes ſuos ex eo tranſmittere poſſit: quæ in eo comparando à patre impenſa ſunt, non conferri debebunt. arg. *d. l. 1. §. 16. ff. de Collation.* & ibi Gloſſ. & Bartol. Cujac. *lib. 3. obſerv. cap. 30.* facit. *l. 20. §. 6. ff. famil. erciſcund. l. 39. §. 3. ff. eod. & l. 21. §. 1. ff. ad municipal.*

19 Et quidem communis utrobique recepta DD. eſt ſententia, quod inter ſolos deſcendentes

locum

locum habeat collatio, nec ad adſcendentes, collaterales, aut extraneos extendatur, qui eorum nemo per repræſentatam aut interpoſitam perſonam, ejuſque jure, ſed ſibi & ſuo jure acquirit. Gloſſ. *ad l. 1. Cod. De legitimis heredibus.* Jaſon *ad l. 9. & l. ſi emancipati. 26. Cod. De Collationib. & l. ult. Cod. Unde libert.*

Præterquam quod moribus Saxoniæ, mater licet perſona extranea ſit, marito ſuo cum pro- 20
priis liberis ex Statuto Saxonico ſuccedens, dotem illis & reliqua bona conferre cogatur. Teſte Weſenbec. *Paratit. ff. De Collat. bonor. num.* 4. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 11. defin. 26. in fin.*

Sed an non eorum, quæ aut dotis, donationis propter nuptias, aliorumve ſumptuum nuptia- 21
lium cauſa, liberi à parentibus acceperunt, collatio fieri debeat in erciſcunda familia, ſive communi hereditate cum alterutro parentum ſuperſtite dividenda? dubium eſt apud nos, aliaſque gentes. Quibus ex legali omnium bonorum cauſarumque omnium ſocietate, & communione inter conjuges, intelligi poteſt: dotem aut donationem propter nuptias, utriuſque parentis officium & liberalitatem ſpectare, contra *l. ult. Cod. De Dotis promiſsione.* Ut latius vide apud Groeneweg. *tract. de legib. abrogat. ad l. 14. Cod. De Jure Dot.* Unde procul dubio ſequitur, dotium aut donationum nuptiarum, reſpectu ſuperviventis, qui pro ſua parte in donationem quoque conſenſit, collationi locum non eſſe: niſi quatenus ſtatuto aut conſuetudine aliter cautum obtineat. Quare apud nos *Politic. Holland. Ord. art.* 29. Ut & *Zeland. Statut. munic. cap. 2. art.* 22. expreſſe cautum eſt: ejuſmodi collationem etiam reſpectu alterutrius parentum ſuperviventis faciendam. Et hoc jure utimur. Quod tamen Velaviæ Statuto *cap.* 13. *art.* 18. à collatione cum alterutro parentum eximitur. Ut & Mechliniæ Statuto tit. 16. *art.* 4. his verbis, **inbrengende d'een helft ten profyte van ſyne broeders ende ſuſters / ende niet ten profyte van de langſt-levende.** id eſt, *Semiſſem contribuens ejus fratribus & ſororibus duntaxat, non etiam parenti ſuperſtiti.*

Cap. XIV.

De Succeſſione Adſcendentium.

Summaria.

1. *Patre & filio, bello, peſte, vel naufragio eodem tempore mortuis uter ſupervixiſſe credatur.*
2. *Quo ordine & modo parentes liberis ſuis ſuccedant, in* Hollandia, Germania, Hiſpania *&* Sabaudia.
3. *An inter eos repræſentationi locus ſit.*
4. *Quomodo & cum quibus fratribus & ſororibus concurrant.*
5. *An avus & avia ac primi gradus parentes cum fratribus & ſororibus concurrant, in* Hollandia, *&* Germania.

SEcundus ordo ab inteſtato ſuccedendi adſcendentium eſt, quos mortalitatis ordine turbato, *l. 15. ff. De Inoffic. teſtam.* miſerationis ratio ad liberorum bona admittit *l. 8. ff. Si tab. teſtam. null. exſtab. junct. Novell.* 118. *cap.* 2. liberi enim parentibus ſuis ſuccedunt, ſecundum ordinem naturæ: ſed quod filius prius moriatur quam pater, contra naturæ ordinem eſt, diciturque turbari naturæ ordo, *d. l.* 15. & ibi Gloſſ. *ff. De Inofficioſ. teſtam.*

Unde patre & filio, bello, peſte, vel naufragio eodem tempore mortuis, ſic ut explorari non 1
poſſit, uter prior ſit extinctus, in dubio præſumitur, patrem prius diem ſuum obiiſſe. per *l. 9. §. 1. & §. 4. l. 16. in fin. princ. l. 22. l. 23. ff. de reb. dub. l. 26. in pr. ff. de pact. dotal.* Menoch. *De præſumptionibus lib. 6. præſumpt. 50. num.* 21. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 14. defin. 39. num.* 9. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 3. conſtit. 17. defin.* 10.

Quæ ſi quidem ſoli ſint, pater, aut mater, avus, aut avia, & deinceps cæteri, ſoli ſuccedunt: 2
Si plures, gradu proximi remotiores excludunt, & qui pares ſunt gradu, pariter admittuntur. *Novell.* 118. *cap.* 2. hereditate in duas ſemiſſes diviſa, quorum alter deſcendentibus per paternam, alter per maternam lineam tribuitur, abſque diſtinctione unde bona, aut major pars eorum provenerit, à paterna, an à materna linea. *d. cap. 2. verſ. Si autem.* Ut late defendit Joann. Harprecht. *pr. Inſtit. De hereditatib. quæ ab inteſt. def.* Fachin. *lib. 10. controv. cap.* 5. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 6. tit. 33. defin.* 2. Gudelin. *De Jure Noviſsimo, lib. 2. cap.* 14. Ita ut, ſi quis avum & aviam paternam ab una, & aviam maternam ab altera parte ſolam habeat, hereditas non in

tres

tres partes , & per capita, aut ſecundum diſtinctionem paternorum aut maternorum bonorum dividatur : ſed avia materna totius hereditatis ſemiſſem capiat. Quod & cum Jure Saxonico convenit, quo nulla bonorum diviſio attenditur , ſed omnes adſcendentes in gradu pares æqualiter ſuccedunt , niſi in linea & numero diſpares ſint : puta , ſi in linea paterna avus & avia, in materna vero tantum avus ſuperſit , quo caſu in ſtirpes, vel potius in genera ſuccedunt, & diviſio hereditatis in duas partes eſt facienda , ita ut unam avus paternus, & avia paterna, alteram vero avia materna capiat : ſecundum *d. Novell.* 118. *cap.* 2. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 17. *defin.* 2. *& defin.* 3. Et in Septentrionalis Hollandiæ Statuto ſucceſſorio *anni* 1599. *art.* 7. totidem pœne verbis eſt expreſſum, & paſſim ſervatur, contra eos qui in ſucceſſione liberorum paterna paternis, materna maternis obvenire volunt, ſic ut bona ex linea paterna provenientia, ad deſcendentes paterni generis; à matre vero, vel ex linea materna ad filium devoluta, ad adſcendentes materni generis revertantur. *arg. §.* 1. *verſic. quæ enim invidia eſt Inſtit. per quas perſon. cuiq. acquir.* Inter quos Joann. Schneiduin. *ad tit. Inſtit. De hereditat. quæ ab Inteſtat. defer. tit. De Secundo Ordin. num.* 12. Hartmann. Piſtor. *obſerv.* 52. *num.* 2. & ibi DD. & deciſum refert Anton. Teſſaur. *deciſ. Pedemontan.* 27. *num.* 2. & Carpzov. *Juriſprud Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 14. *defin.* 2. Cujus deciſionis fundamentum ſucceſſio Zelandica & Hollandiæ urbium & agrorum Meridionalium, Rhenum & Moſam interjacentium, amplexa eſſe videtur : ſecundum regulam, **'t Goed moet gaan van daar 't gekomen is/** id eſt, bona eo redire debent, unde profecta ſunt. Quibus in iis quæ ex paterna linea ad filium defunctum profecta ſunt, pater ſolus ſuccedit, matre excluſa; mater contra ſola, patre excluſo, in bonis quæ ex materna linea ad filium pervenerunt. Ut latius ſuo loco. Cæterum ut verior, ita & receptior contra ſtatuentium ſententia eſt. Secundum quam etiam hæc poſterior diſtinguentium opinio, lege Regia in Hiſpania exploſa eſt, teſte Hieron. Cævall. *Specul. commun. quæſt* 102. & Petr. Sanz. Morquechi. *tract. de diviſ. bonor. lib.* 4. *cap.* 4. & noviſſima Juſtiniani conſtitutione penitus abrogatam cenſuit Sabaudiæ Senatus apud Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 33. *defin.* 2.

3 In hoc ſucceſſionis ordine jus repræſentationis non habet locum, ut, ſi mater tantum ſuperſtes ſit, & ſint avus, & avia, mater excludat reliquos. Quia jus repræſentationis eſt jus quoddam ficticium, quod naturam imitatur. Ita ut, qui liberi ſunt, poſſint fieri parentes, at contra naturam eſt, ut qui pater eſt, fiat filius. text. *in d. Nov.* 118. *cap.* 2.

4 Cæterum ſi cum fratribus & ſororibus defuncti parentes concurrant, illi una cum primi gradus parentibus admittuntur, *d. Novell.* 118. *cap.* 3. ita ut ſinguli adſcendentium, & fratrum æqualem habeant portionem. Quod etiam in fratrum & ſororum filiis, per repræſentationem admiſſum eſt : ita tamen, ut fratres & ſorores primi gradus cum adſcendentibus in capita , filii eorum in ſtirpes admittantur. *Novell.* 127. *cap.* 1. Sed nepotes, aut alii liberi ulterioris gradus, per parentes & fratres defuncti ſuperſtitis excluduntur : quia jus repræſentationis ultra fratrum filios in linea collaterali non extenditur. *auth. poſt fratres, ubi Gloſſ. & DD Cod. De legitim. hered.* Quod de fratrum & ſororum cum parentibus concurſu dictum eſt, ad fratres & ſorores germanos germanaſque reſtringitur. Sic ut, fratribus, & ſororibus conſanguineis, aut uterinis non idem jus competat : ſed ſolo patre ſuperſtite conſanguineus, ſola matre uterinus removeatur. per *Novell.* 118. *cap.* 2. *in princip.* non obſtante *l. ult. Cod. ad Senat. Tertullian.* quæ correcta eſt per *d. Novell.* 118. Ut contra Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubr.* 7. *§.* 6. Fachin. *lib.* 6. *cap.* 8. & contra Matth. Berlich. *part.* 3. *concluſ.* 23. *num.* 9. defendit Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 17. *defin.* 5. poſt Joann. Schneidnin. *ad pr. Inſtit. De hered. quæ ab inteſtato def. tit. De Secundo Ordine ſuccedendi.* Nicol. Boër. *Deciſ. Burdigal.* 185. *num.* 2. Wurmſer. *pract. obſerv. tit.* 41. *obſerv.* 5. *&* 6. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 31. *defin.* 11. *num.* 1. Quæ in parte tamen Hollandi Septentrionales, quibus à DD. Ordinibus ſpeciale ſuccedendi jus conceſſum eſt, 18. *Decemb.* 1599. contrariam opinionem ſequuntur, *d. Statut. art.* 3. verbis : **Een van beyden/Vader ofte Moeder gebreeckende/deelt de langſt-levende de erffeniſſe met des overledens broeders ende ſuſters / heele ofte halve / ende der ſelver kinderen ende kinds-kinderen.** Id eſt, alterutro parentum deficiente, ſupervivens hereditatem dividit cum defuncti fratribus & ſororibus, utrinque & ab uno latere conjunctis, eorumque liberis & nepotibus. Inibique non tam ſuccedendi ordinem, qui in adſcendentibus, excepto fratrum germanorum concurſu, ſecundus & collaterali potior eſt, quam regulam eam ſervant, cujus fundamento totus fere eorum ſuccedendi modus nititur, hanc nimirum, **'t naaſte bloed erft het goed /** id eſt, proximior ſanguine, proximior heres aut ſucceſſor.

5 Sed, quid ſi cum fratribus & ſororibus utrinque conjunctis non concurrant pater, aut mater,

ſed

ſed avus & avia? Quidam volunt, per fratres & ſorores, avum & aviam excludi, eo quod gradu remotiores ſint, nec repræſentationi in adſcendentibus ſit locus. Quod & ex eodem, quod illi ſervant, fundamento diſponit dictum Septentrionalis Hollandiæ Statutum ſucceſſorium. *Art.* 7. quo non concurrunt, ſed demum poſt fratres & ſorores eorumque liberos & nepotes, vocantur avus, avia, & deinceps cæteri per capita. Quod de jure communi tamen affirmare non auſim. Sed contra potius parentes, ut ſunt pater, & mater, & hiſce non exſtantibus, etiam avum & aviam, etiam diſparis numeri, cum fratribus & ſororibus concurrere putem per *Novell.* 118. *cap.* 2. Primo, quod ſecundus ordo ſuccedendi ſit adſcendentium, tertius collateralium, at ſi fratres excluderent avum, & aviam, daretur caſus, quo tertii ordinis præferentur illis, quos Juſtinianus ſecundo gradu vocavit. Deinde quod *in d. Novell.* 118. *cap.* 2. vocentur fratres, & ſorores, cum proximis parentibus: At proximi ſunt, quos nemo præcedit, non poſitive, ſed negative. *l.* 92. *ff. De Verbor. Significat.* Si igitur ex adſcendentibus non ſuperſint pater, aut mater, proximi erunt avus, avia. Neque obſtat *l.* 9. *Cod. De legitim. hered.* quæ de avia materna loquitur, quæ jure antiquo per ſororem, ut agnatam, à ſucceſſione fratris excludebatur. Quod mutatum & correctum per *Novell.* 118. *cap.* 2. Vide Fachin. *lib.* 6. *controverſ. cap.* 7. Bart. Caſtrenſ. & alii DD. *in auth. Defuncto. Cod. ad Senatuſc. Tertullian.* Schneiduin. *ad tit. Inſtit. De hered. quæ ab inteſtat. deffert. tit. De Secundo ordine ſucced. num.* 25. *& ſeqq.* Joann. Papon. *lib.* 21. *tit.* 1. *arreſt.* 8.

Jure vero Saxonico, ſoli adſcendentes, liberis ſuccedunt, omneſque ac ſingulos collaterales, etiam fratres & ſorores germanos, indifferenter excludunt. Land-regt *lib.* 1. *art.* 17. Et late Carpzov. *Jurisprud. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 14. *defin.* 4. *&* 5. *& conſtit.* 17. *defin.* 6. *&* 7. Matth. Coler. *part.* 1. *deciſ.* 47. *num.* 3. *& ſeq.*

De ſucceſſione parentum illegitimorum, idem quod de liberorum illegitimorum ſucceſſione ſtatuendum eſt. Ut eorum mutua & reciproca ſit ſucceſſio. per *l. pen. Cod. de legitim. hered.* Quare & hæc eo retuliſſe ſuffecerit. Ut & de Adoptivis ex Iure Veteri, & *l. pen. Cod. de Adopt.* Quæ ad mores parum pertinere diximus.

Cap. XV.

De Collateralium, & reliquo ſucceſſionis ordine ac gradu.

Summaria.

1. *Collaterales quo ordine & gradu ſuccedant, & de fratrum ſucceſſione inter ſe. &* Num. 3.
2. *Jus repræſentationis, an & quouſque obtineat, in* Saxonia, *Archiepiſcopatu* Namburgenſi, Haberſtadienſi, Magdenburgenſi, *&c. In* Hollandia, Flandria, Brabantia.
3. *An & quatenus* Germani *conſanguineos, aut uterinos excludant. In* Saxonia, Hollandia.
4. *An idem in eorundem liberis & nepotibus.*
5. *Fratrum & ſororum liberi & nepotes ſoli exiſtentes an adhuc in ſtirpes, an in capita ſuccedant, in* Germania, Gallia *&* Belgio.
6. *Si fratrum ſororumve liberi ex utroque latere exiſtant cum liberis conſanguineorum, aut uterinorum, an cum iis concurrant? De Jure ſcripto.* Neg. *Statut.* Holland. Affirm. *& quomodo.*
7. *Interpretatio Statuti quomodo facienda.*
8. *Conſanguinei, & uterini inter ſe concurrentes æqualiter ſuccedunt: contra* Forſter. Gomez. *&* Guldelin.
9. *Collaterales reliqui ultra repræſentationem conſtituti, quomodo, & quo ordine ſuccedant.*
10. *An & quando in defectum aliorum conſanguineorum fiſcus ſuccedat: contra* Grot. *in* Gallia, Saxonia, *&* Num. 20.
11. *Naturales & ſpurii an & quibus collateralibus ſuccedant.*
12. *An, quando, & in quibus bonis conjux conjugi ſuccedat in* Hollandia, Hiſpania, Gallia, Gelria, Brabantia, Saxonia, *& ſeqq.*
13. *Statutum* Ultrajectinum.
14. *Statutum* Antverpienſe.
15. *Statutum* Mechlinienſe.
16. *Statutum civitatis* Bergæ ad Zomas.
17. *Statutum civitatis & territorii* Bruxellenſis.
18. *Jus* Saxonicum *inter conjuges quid, & quomodo intelligendum.*
19. Leodienſe.
20. *Deficientibus cognatis fiſcus bona, tanquam vacantia, vindicat.*

SEquitur tertius ordo ſuccedendi ab inteſtato, nempe Collateralium, qui omnes veniunt, 1
ſexus, poteſtatis, agnationis & cognationis differentia, ſublata. *Novell.* 118. *cap.* 3. Inter quos primum locum habent fratres, & ſorores germani, id eſt ex utroque latere conjuncti,

eorumque liberi primi gradus, qui cum thiis, id eſt patruis, aut avunculis ſuis, in prædefunctorum fratrum locum ſubintrant, per repræſentationem: ſic ut tantum ferant, quantum pater eorum habiturus fuiſſet: atque adeo in ſtirpes, non in capita, ſuccedant, cum excluſione fratrum, ex uno tantum latere conjunctorum, tam conſanguineorum, quam uterinorum. *d. Novell.* 118. *cap.* 3. *auth. itaque. Cod. commun. de Succeſſion.* eo quod duobus vinculis ſint conjuncti: Duplici enim vinculo munitus potior eſt eo, qui unico tantum jure gaudet. arg. *l.* 89. *ff. de legat.* 3. *§. ſed hodie.* 2. *Inſtit. de Adopt. junct. l. penult. Cod. eod.* Adeo, ut ſi quid ſimpliciter relinquatur fratribus, aut proximioribus ex latere conjunctis, utrimque conjunctus, conſanguineo, & uterino præferatur; per ea quæ tradit Caſtrenſ. *ad l. final. Cod. De Verb. Significat.* Surd. *Deciſ.* 239. *num.* 6. Riminald. *conſil.* 401. & Dec. *conſil.* 16. *num.* 48. *volum.* 1.

2 Contra rationem juris veteris, quo antiquitus nullum erat jus repræſentationis inter collaterales, ne quidem inter fratres, & ſorores, ſed ad patruos æque, ut ad fratrum filios legitima herditas pertinebat, nec non ad avunculos, æque atque ad filios ſororum. Eodemque jure fratres, qui tantum conſanguinei erant, idem jus habebant, quod germani, *tot. tit. Inſtit. De legitim. agnator. ſucceſſ. & tit. De Succeſſ. cognator. l.* 1. *§. pen. ff. Unde cognator.* Correct. per *Novell.* 118. *cap.* 3. *& auth. poſt fratres. Cod. De ſuis & legitimis.*

Quod quoad repræſentationem, Jure Saxonico veteri idem obtinet, quo jus repræſentationis in linea collaterali minime etiam attenditur, ſed qui proximior eſt gradu, remotiorem excludit, **Landt-regt.** *lib.* 1. *art.* 13. *ſub fin. & art.* 17. Cui conſequens eſt, ibidem filios prædefuncti fratris aut ſororis, cum patruis, avunculis, amitis, ſive materteris non ſuccedere: ſed per fratris ſororiſque defuncti, defunctæque fratres vel ſorores, utrimque conjunctos in totum excludi. Quod quidem mutatum videtur per Carolinam ſanctionem in Comitiis Wormatienſibus anno 1521. celebratam: qua expreſſe cautum, ut, non obſtante aliqua conſuetudine, fratrum filii ad ſucceſſionem patrui, cum defuncti fratribus ac ſororibus ſemper in ſtirpes admitterentur; Quæ tamen ut ut generalis, nuſquam, niſi in iis provinciis ubi manifeſte recepta, uſuque probata, veluti in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, Naumburgenſi, Halberſtadienſi, & alibi, obtinet, in cæteris jure veteri in ſuo vigore remanente, ut latius videre eſt apud Schneiduin. *ad Inſtit. de Hereditat. qua ab inteſtat. defer. tit. De tertio ordin. Succed. num.* 14. Matth. Coler. *part.* 1. *deciſ.* 48. *num.* 2. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 18. *defin.* 1. 2.

Apud Batavos non tantum repræſentatio ſecundum jus novum, *in d. Novell.* 118. *cap.* 3. *& auth. poſt fratres, Cod. de ſuis & legitimis.* in fratrum ſororumve prædefunctorum filiis locum habet: ſed & ulterius, ad eorundem nepotes, & patruorum avunculorumque filios, incluſive extenditur. Politic. Holland. Ordinat. *art.* 28. Statut. Succeſſ. *art.* 9. *&* 12. Et in Flandriæ, Brabantiæque Ducatu, repræſentatio non tantum in linea recta, ſed etiam in collaterali introducta eſt, in infinitum; quouſque quis defunctum per conſanguinitatem attingit: ut latius infra ſuo loco.

3 Sed & an fratres germani, conſanguineos, atque uterinos etiamnum hodie excludant? Jure quidem Saxonico fratres utrimque conjuncti ſive germani, fratres ſuos ex uno tantum latere junctos, ſive ſint conſanguinei, ex eodem patre, ſive uterini ex eadem matre progeniti, à ſucceſſione prorſus excludunt: qui, deficientibus demum germanis, ad defuncti fratris conſanguinei aut uterini hereditatem vocantur. **Landt-regt.** *lib.* 1. *art.* 20. ſic ut & ibidem jus ſcriptum obtineat: Schneiduin. *d. tit. Inſtit. De tertio ſucced. ordin. num.* 9. Coler. *part.* 1. *deciſ.* 49. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 18. *defin.* 8.

Moribus noſtris conſanguinei, & uterini cum germanis fratribus ac ſororibus, in defuncti fratris, aut ſororis ſucceſſione pro dimidio concurrunt: ſic ut ſemiſſem præcipiant germani, alterum vero ſemiſſem cum conſanguineis aut uterinis æqualiter dividant: quod & ſanguinis rationem habet, contra *Novell.* 84. *cap.* 1. *§.* 1. *& Novell.* 118. *cap.* 3. Vid. *Politic. Holland. Ordinat. art.* 22. *junct. Statut. Succeſſ. art.* 4.

4 Quod de fratribus & ſororibus dictum eſt, idem & in eorundem filiis locum habere diximus; per repræſentationem in prædefunctorum parentum locum, cum patruis & avunculis ſuis concurrentibus; quod juris certi.

5 Sed quid ſi fratrum filii ſoli exiſtant, utrum adhuc in ſtirpes, an in capita ſuccedant? Inter DD. uſque adeo expeditum non eſt. Ut videre licet apud Valent. Forſter. *tract. De Succeſſ. ab inteſtato.* & Fachin. *lib.* 6. *contro v. cap.* 3. Quorum affirmantium opinio: quod ſcilicet quando eos nemo præcedit, cujus reſpectu aliqua repræſentatio neceſſaria eſt, ſed omnes pari ſunt gradu, non in ſtirpes, ſed ex ſuo cujuſque proprio capite ſuccedant, (quæ Azonis contra Accurſium ſen-

tentia erat) quemadmodum probabilior, ita etiam receptior eſt. *l.* 2. *§.* 2. *ff. de ſuis & legitim. heredib. l. penult. Cod. de legitim. heredib.* Non obſtante *Novell.* 118. *cap.* 3. Quæ non procedit niſi caſu quo fratrum filii una cum ſuis thiis, id eſt patruis aut avunculis amitis aut materteris ſuccedunt. Quæ & à *Carolo V.* in Comitiis Spirenſibus *Anno* 1529. confirmata, & cum Jure Saxonico convenit, quod repræſentationem in linea collaterali non admittit, ac proinde ſecundum ejus juris fundamenta, fratrum ſororumque utrimque conjunctorum liberi non tantum inter ſe, ſed & cum fratribus ex uno latere junctis, patruo æqualiter & in capita ſuccedunt. Matth. Coler. *part.* 1. *deciſ.* 49. *num.* 22. Berlich. *part.* 3. *conſtit.* 24. *num.* 63. Carpzov. *Jurisprud. Forenſ. part.* 3. *conſtit.* 18. *defin.* 10. Galliæ Parlamentis, Papon. *lib.* 21. *tit.* 1. *arreſt.* 11. 12. Maynard. *Deciſ. Tholoſ. lib.* 6. 92. *num.* 3. Coſtal. *in l.* 1. *§. ult. ff. Si pars hered. petat.* aliiſque ſupremæ Juriſdictionis Curiis probata. Teſſaur. *Deciſ.* 162. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 33. *defin.* 2. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 194. Gudelin. *De Jure Noviſſ. lib.* 2. *cap.* 15. *verſ. Utrum & plurimi.* Franc. Bart. *De Succeſſion. lib.* 8. *tit.* 3. *num.* 5. Imbert. *Enchirid. Juris Gallia*, *verb. ſucceditur quando in ſtirpes*, *pag. mihi* 325. Quod & Septentrionalis Hollandiæ Statut. Succeſſ. expreſſe etiam cautum eſt, *art.* 11. 12. repræſentationi ſcilicet non eſſe locum, quando hi qui ad ſucceſſionem vocantur, pari ſunt gradu: ſed eos in capita ſecundum ſuccedentium numerum æqualiter ſuccedere.

Quæ cum ita ſint, quæritur, quid ſi fratrum utrimque conjunctorum liberi, cum conſanguineorum, aut uterinorum liberis concurrant? Jure ſcripto quidem, ſolos utrimque conjunctos ſuccedere conſtat, inter ſe per capita, ſed quoad excluſionem conſanguineorum aut uterinorum in prædefunctorum ſuorum parentum, fratrum utrimque conjunctorum, locum per repræſentationem quaſi ſubintrare: quo vel ipſos fratres uterinos & conſanguineos, ſi in vivis ſupereſſent, excluderent, per *Novell.* 118. *cap.* 3. multo magis eorum liberos. Quia ſi vincam vincentem te, multo magis te vinco. 6

Tota difficultas remanere videtur in iis, ubi, ex conſuetudine aut ſtatuto loci, ut hîc in Hollandia, conſanguinei ſive uterini in hereditatis ſemiſſe cum utrimque conjunctis concurrunt, an non eo caſu, quum gradu pares videantur, neque eos alius proximior præcedit, adeoque omnis repræſentatio ceſſet, ut expreſſ. text. eſt in Stat. Succeſſ. *d. art.* 11. hi per capita inter ſe concurrere æqualiter debeant, abſque ulla agnationis, aut cognationis differentia: præſertim quum eodem ſtatuto *art.* 14. cautum reperiatur; ut ſi quid incidens videri poſſit, quod dicto ſtatuto non ſatis evidenter ſit definitum, id ad rationem juris ſcripti Romanorum dirigendum ſit. Quæ ſane magna eſſet difficultas, niſi ex ipſo ſtatuto decidi poſſit: Et quidem propter expreſſa ſtatuti verba *d. art.* 11. quibus cavetur, ne repræſentationi locus ſit, quando hi qui ad ſucceſſionem vocantur, pari inter ſe ſunt gradu: negari haud poteſt, quin & hi, quos ſimul concurrere antea erat ſtatutum, in capita, & non in ſtirpes ſuccedant. Verum quum vel ipſorum fratrum & ſororum eorumve liberorum inter ſe concurrentium ſucceſſio in ipſo eodemque ſtatuto, perpetuam diſtinctionem habeat, qua germani & utrimque conjuncti cum conſanguineis concurrentes duplici ſemper manu, hi vero qui ab uno tantum latere contingunt, media tantum manu, **met een halve handt** / hereditatem dividant, *d. ſtatut. art.* 4. nec duplicis conjunctionis, ſive plenioris ſanguinis ratio jure ſcripto ceſſet: niſi in conſanguineis & uterinis ſolis inter ſe ſuccedentibus. *Novell.* 118. *cap.* 3. *in fin.* Conſequens eſt, ut & fratrum & ſororum liberi, inter ſe concurrentes, licet in capita ſuccedant, tamen utrinque conjuncti duplici portione gaudeant, ab uno vero latere media, id eſt dimidia unius capitis portione contenti eſſe debeant. Quippe quod in ſtatutis diſpoſitio prior tanquam magis ſpecialis à poſteriori generali non corrigatur, ſecundum Bart. *ad l. ſed & poſteriores* 28. *ff. de legib.* cum ſpeciei per genus non derogetur, ſed è contra. *arg. l. alimenta.* 16. *§.* 2. *ff. de Aliment. & Cibar. relict.* & ibi DD. *cap. generi per ſpeciem. De Reg. Jur. in* 6. & ibi Dyn. & DD. ſed ultima debeat intelligi ſecundum primam, & lex prior ſpecialis limitet, & reſtringat poſteriorem generalem, ut idem Bart. *d. loco.* Deinde ad ſtatutorum interpretationem plurimum poſſit mens & intentio ſtatuentium, ſecundum quam ſtatuti verba ſunt intelligenda. Ut late Joan. Baptiſt. Sever. *in repetit. l. omnes populi.* 9 *ff. de Juſtit. & Jura*, *fol.* 16a. *verſ. per Not.* Præſ. Everhard. *in loco. à veroſimili.* Quæ in hoc ſtatuto perpetua eſt, nec uno loco exprimitur; ut duplicis ſanguinis ratio habeatur in fratribus germanis, eorundemque liberis & nepotibus, cum fratribus conſanguineis atque uterinis, eorumque liberis & nepotibus concurrentibus. Quare & hanc plenioris ſanguinis, duplicisque conjunctionis rationem, etiam uſque ad eorum nepotes extendi, minime dubitem. 7

Poſt fratres germanos eorumque demortuorum filios admittuntur fratres conſanguinei, & uterini. 8

rini. *d. Novell.* 118. *cap.* 3. qui ſimpliciter & pari jure ad ſucceſſionem defuncti fratris vocantur in omnia fratris defuncti bona, ſive ea paterna ſint, ſive materna, ſive aliunde quæſita: contra eos, qui & hic paterna paternis, materna maternis, aſſignant, & aliunde quæſita tantum æqualiter inter eos diſtribuenda cenſent. Inter quos Forſter. *De Succeſſ. ab inteſtat. lib.* 8. *cap.* 8. Gomez. *ad l. Tauri* 8. & Gudelin. *de Jure Noviſſimo lib.* 2. *cap.* 15. *verſ. videam.* Quorum ſententia quamvis aliquibus Brabantiæ & Flandriæ iiſque Zelandiæ Hollandiæque quibuſdam adjacentibus locis ea inveterata conſuetudine & ſtatuto, circa ſucceſſionem quo quo modo probetur, contraria tamen mihi ſemper verior viſa, & receptior opinio eſt. Sublata enim eſt omnis ſexus, agnationis, & cognationis differentia per *Novell.* 118. *cap.* 3. Vocavitque Juſtinianus, primo ſimpliciter utrinque conjunctos, quos ex uno latere conjunctis prætulit, mox poſt illos, etiam hos, æque indiſtincte vocat: Et porro bona cujuſque, undecunque profecta, propria eſſe incipiunt, deſinuntque eſſe paterna, aut materna, unicum & ſimplex patrimonium ejus, qui ea pleno jure poſſidet, conſtituentia, in quibus ex vera juris ratione univerſalis ſucceſſio eſt, æqualique jure ſuccedentes æqualiter defunctum repræſentant: Quo eodem fundamento & ſupra parentes liberis, remota quæſtione, unde bona provenerint, ſuccedere diximus.

9 Poſt eos veniunt reliqui collaterales, tam ab uno quam ex utroque latere juncti, ex hoc perpetuo axiomate ſuccedentes: Qui proximiores ſunt gradu, remotiores excludunt, & qui pares ſunt gradu, pariter etiam admittuntur. Quo regula in infinitum obtinet, ſublata etiam omni differentia, agnationis, cognationis, & ſexus, *Novell.* 118. *cap.* 3. *& cap.* 4. adeout vel remotiſſimus excludat conjugem à conjugis ſucceſſione, & multo magis fiſcum. *§.* 3. *Inſtit. De legitim. agnator. ſucceſſione. l.* 2. *§.* 1. *ff. de ſuis & legitim.* Joann. Harprecht. *ad pr. Inſtit. de hereditat. quæ ab inteſtat. defer. num.* 474. & ibi allegat. Vinn. Weſenb. Baro. *ad §.* 5. *Inſtit. de Succeſſ. cognator.* Conſuetud. & Stat. Ultraject. *Rubric.* 17. *art.* 20. Gudelin. *de Jure Noviſſim. lib.* 2. *cap.* 15. *verſ. Sciendum* Zyp. *Notit. Jur. Belg. Rubr. Unde liberi. verſ. Denique.* contra Grot. *lib.* 2. *Introd. cap.* 30. *in fin. princip.* Ex cujus auctoritate ex putativa ibidem juris recepti relatione, quidam exiſtimaſſe videntur, in decimi conſanguineorum gradus defectum, bona tanquam vacantia ad fiſ-
10 cum devolvere. Quod an & quomodo defendi poſſit, ubi patriæ leges, & certæ conſuetudines ſilent, certe non video. In Gallia pro certo jure ſervatur, etiam ulteriores gradu fiſcum excludere, Eguinar. Baro *ad d. §.* 5. *Inſtit. De Succeſſ. cognator.* Choppin. *De Doman. Franc. lib.* 1. *tit.* 13. *num.* 7. *in fin.* Autumn. *Confer. du droict. ad tit. ff. Unde cognat. in pr.* De Saxoniæ moribus, quamvis alii ejuſmodi ſucceſſionem ſeptimum gradum ibidem non excedere putant, certi etiam nihil conſtat, ex iis quæ latius tractat Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. Romano-Saxon. part.* 3. *conſtit.* 18. *defin.* 31.

Hinc duo notanda veniunt. Unum, quod duplicis ſanguinis ratio, ultra fratres eorumque filios haud conſideretur. Alterum, quod jus repræſentationis in collateralibus ultra fratrum filios non extendatur: niſi in iis locis ubi aliter expreſſa lege cautum, ut hic: ubi & ad fratrum nepotes, & patruorum filios repræſentationem extendi, duplicisque conjunctionis rationem in germanorum conſanguineorum liberis & nepotibus haberi, ſupra diximus.

11 Quæ quidem de legitima collateralium ſucceſſione dicta ſunt. Illegitimorum lateralium ſucceſſio hæc eſt: Ut fratres naturales & ſpurii, ex diverſis matribus, licet ex eodem patre geniti, nec ſibi invicem, nec legitimis genitorum liberis, aliiſve per patrem conjunctis ſuccedere poſſint, ex eadem autem matre, licet diverſis patribus progeniti, ſibi invicem jure cognationis, itemque per matrem à latere conjunctis, & hi viciſſim illis, ſuccedunt. *l.* 2. *ff. Unde cognati. §.* 4. *Inſtit. De Succeſſ. cognator.* Niſi ex adulterino, inceſtuoſo, aut alio legibus punibili, & damnato coitu nati ſint, qui omnis ſucceſſionis, tam maternæ, quam paternæ incapaces ſunt, nec ullum jus cognationis, cum patre matreve, inter ſe ipſi, nec cum aliis, per patrem, matremve à latere conjunctis, habent. *Novell.* 74. *cap. ult. & Novell.* 89. *cap. ultim.* Gloſſ. *in l. ultim. Cod. De Naturalib. lib.* Palæoth. *De Nothis & Spuriis cap.* 43. Fachin. *lib.* 6. *controv. cap.* 10. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 33. *deciſ.* 317.8. Arnold. Vinn. *ad §. pen. Inſtit. De Senatuſconſ. Orficiano, num.* 2.

Regula, qua proximiorem in cæteris collateralibus remotiorem excludere diximus, graduum computationem reſpicit, ſed quum non unam ob cauſam cognationum gradus noſſe expediat, ea de re ſupra ubi de ſtatu & conditione hominum, etiam de conſanguinitate ejuſque computationis gradibus ex profeſſo egimus. His omnibus deficientibus, ſuccedit maritus uxori, & uxor marito.
12 *tot. tit. ff. & Cod. Unde vir. & uxor.* Quæ etiam liberis & conſanguineis exſtantibus, caſu quo maritus ſit dives, uxor inopa, & matrimonium ſine dote, in quartam mariti bonorum partem

Digeſt. xxxviii. 11. & Cod. vi. xviii. *Unde Vir & Uxor.*

ſuccedit, ſi tres liberi vel pauciores exſtent, ſi plures, in virilem portionem, quam liberis poſt mortem reſervare tenetur, ſin vero ſoli conſanguinei ſuperſint, indiſtincte quartam accipit. *auth. præterea. Cod. Unde vir & uxor.*

Quæ ſucceſſio moribus noſtris propter conjugalem bonorum communionem, quæ ejus loco ſurrogata videtur, in totum exolevit, Neoſtad. *Suprem. Cur. deciſ. 7. verſ. quanquam.* Grot. *Introd. lib. 2. part. 30. verſ.* **Want.** Chriſtin. *vol. 6. deciſ. 62.* Zyp. *Notit. Iur. Belg. tit. Unde liberi.* Frid. à Sande *ad Conſuetud. feudal. Gelriæ. tract. 1. tit. 3. cap. 1. §. 1. num. ult.* Neque ullibi locorum recepta eſt: præterquam in Hiſpania, teſte Gomez. *ad l. 8. Tauri. num. 20.* Guitierz. *lib. 2. pract. obſerv. quæſt. 113.* & quibuſdam Galliæ locis. Autumn. *ad l. 1. Cod. Unde vir & uxor.* Joann. Papon. *lib. 21. tit. 1. art. 19.* Imbert. *Enchirid. Iuris Gallia. §. Vir & Uxor.* pag. mihi 382. Boër. *ad Conſuetud. Biturig. tit. 11. §. 5.* Choppin. *de Doman. Franc. lib. 1. tit. 13. num. 8.* Vide etiam Bugnon. *de leg. abrog. l. 2. ſect. 64. l. 5. cent. 17.* Fons *pract. de Cours, ad tit. de bonor. poſſeſſ. num. 10.* Sed & Antwerpiæ Statut. *cap. 47. art. 15.* cavetur ut per defectum conſanguineorum conjuges ſibi invicem ſuccedant.

Quod quamvis ex conſilio Lambert. Goris *adverſar. Iur. tract. 3. part. 1. cap. 12. num. 12.* quidam ſecundum præſcriptum juris communis etiam obtinere velint, haud aliter tamen receptum eſt, quam in iis locis, ubi & quatenus illud lege municipali expreſſe cautum eſt. Vt idem Tetrarchiæ Ruremundenſ. *part. 3. tit. 7. §. 4. art. 12.* ſtatutum refert: deficientibus, utriuſque paterni, & materni lateris heredibus, bona defuncti conjugis vacantia devolvi, ad ſuperſtitem ſive virum ſive uxorem. Quod in aliis Gelriæ locorum ſtatutis non modo non expreſſum eſt, ſed præter bonorum inter conjuges communionem, quam & ibidem ab omni antiquitate receptam teſtatur idem Goris *adverſ. tract. 1. cap. 1. num. 26. cum ſeq.* nulla conjugum ſucceſſio recepta eſt. Niſi forte quod quibuſdam locis ex antiquo more ſuperſtes conjux uſumfructum omnium mobilium & acquæſtuum ſibi retineat: in aliis iterum in erciſcunda familia ex ſupellectili & rebus mobilibus id præcipuum habeat, quod maxime ad illum pertinuerit. Quemadmodum in diœ- 13
ceſi Vltrajectina antiquitus in marito ſupervivente receptum eſſe conſtat ex *Conſuetud. Ultraject. Rubric. 24.*

Dat een Man overlevende ſijn Vrouw / tegens ſijne Kinderen ende Erven voor uyt neemt / drie Paerden met haer toebehooren / elcks drie-en-dertig Maenden oudt / daer hy dagelijcks mede plagh te rijden / ofte ſoo hy geen drie Paerden heeft / ſoo veel min als daer zijn. Item, ſijn harnas / wapenen / ende kleederen tot ſijn lijf behoorende; noch ſijn leger-bedde / ofte beſte bedde / ſijn oor-kuſſen ende deken / een paer ſlaep-laeckens / een tafel-laecken / een dwael / ſijn mael ofte koffer. Item, een buet-nap / indien hy een heeft / anders een ſilvere ſchael / ofte beker / de beſte op een na / ſoo drie of meer zijn; ſoo twee / de beſte; ſoo een / de ſelve; noch een ſilveren lepel / een ketel die men dagelijcks beſighde / een koperen pot / twee vleſſen / ende een bijl.

Ut maritus uxorem ſupervivens, in dividenda cum liberis aut heredibus hereditate, præcipiat tres equos, ſi quos habeat in quotidiano uſu, cum ſuis appertinentiis, quorum ſinguli triginta tres ætatis menſes numerant, thoracem, arma militaria, veſteſque ad amictum pertinentes, lectum viatorium, ſive ſtratum optimum, pulvinar cum tegete, lodicum par unum, mappam, mantile, peram ſuam, & ciſtam. Item, lavacrum ſi quod extet, aut pateram ſive calicem argenteum ejus loco, ex tribus mediocrem, ex duobus optimum, ſi unicus ſit, eum ipſum qualis ſit: cochleare inſuper argenteum, cacabum quotidianum, ollam æneam, binas lagenas, & ſecurim.

Rurſum pro uxore ſupervivente.

Als een Vrouw haer Man over-leeft / neemt ſy voor uyt tegen de Kinderen ende Erven / hare beſte kleederen / hare beſte falie / ofte heuycke / ende hare dagelijckſche kleederen / haer beſte bedde als het ten Hoogh tijde ſtaet / haer tafel / haer ſchragen / 't beſte tafel-laecken / haer beſte dwael / ende kandelaer op de tafel / haer voet nap / of ſoo daer geen en is een ſilveren ſchael ofte beecker als voren / een ſilveren lepel / een kopere pot / een ketel / haer mortier-ſteen / hare water-vat / tange / hael / treeft / pan / rooſter / ende krauwel / haer ſout-vat / haer beſte kiſt ofte koffer / haer koffer met doecken / die tot haer hooft behooren / ende dit alles ſoo het daer is / want als daer eenigh voordeeligh goed niet bevonden en werdt / en ſal men 't het niet koopen.

Ooms ende Moeyen ſucce deren hunne Neven ende Nichten in de goeden / gekomen van hunlieder zijde / deficierende de Broeders oft Suſters / Broeders oft Suſters kinderen / ende hunne deſcendenten / ende deylen de ſelve Staecks-gewijs inder manieren als boven.

Art. 299.

Patrui & avunculi, deficientibus fratribus & ſororibus, eorumve deſcendentibus, nepotibus, neptibuſque ſuis ſuccedunt in iis bonis quæ ab eorum latere provenerunt, eaque per ſtirpes eo quo ſupra modo dividunt.

Art. 300.

Item, Vader ende Moeder / Groot-vader ende Groot-moeder / ende andere aſcendenten en ſucce deren niet in de goeden van hunne kinderen / kints-kinderen / ende hunne deſcendenten in vorderen graet in de rechte linie / ſoo langh ſulcke kinderen / kints-kinderen / oft deſcendenten / hebben al noch in leven Broeders oft Suſters / Broeders of Suſters kinderen / ofte van de ſelve deſcenderende hoirs in den rechten ſtruyck; maer ſoo verre hunne linie deſcendente geheel uyt-ſtierf / ſonder wettige geboorte achter te laten / in ſulcken gevalle den Vader ende Moeder / Groot-vader ende Groot-moeder / ende andere aſcendenten in de rechte linie / ſouden reſpective komen te ſucce deren den leſt-levende in alle ſijne goeden / ſoo Patrimoniale / Collaterale / geconquesteerde / als andere / ſoo ende gelijck des ſelfs overledenen naeſte erfgenamen daer in ſouden gerecht geweeſt hebben.

Art. 300.

Pater item & mater, avus, avia, ulterioreſque adſcendentes non ſuccedunt liberis ſuis, nepotibus, aut ulterioribus deſcendentibus in linea recta, uſque dum eorundem defunctorum fratres aut ſorores, eorundemve liberi & ulteriores in recta linea deſcendentes extiterint. Si vero eorundem linea deſcendens penitus fuerit extincta, nulla legitima prole relicta, eo quidem caſu defuncti pater, mater, avus, avia, ulterioreſque adſcendentes reſpective in ejuſdem bonis omnibus, tam patrimonialibus, collateralibus, conquæſtibus, quam aliis univerſaliter ſuccedunt, ſic & quomodo prædefuncti proximiores heredes in iis ſucceſſiſſent.

Apud Leodienſes fere eadem eſt, ſed alia mobilium alia immobilium ſucceſſio. Ad mobilium heredes pro hereditariis portionibus defuncti, debita vel onera perſonalia pertinent, nec tenentur, heredes immobiliares, niſi diſcuſſis pretium mobilibus. *arg. l. ultim. §. ſin autem Cod. de bon. quæ lib. & l. 15. §. 1. ff. De Re Judicat.* Realia autem & hypothecariæ actiones ad immobilium ſucceſſores ſpectant. Carol. Mæan. *ad Jus Leodienſ. obſerv. 57. num.* 8. 5

Alterutro parentum mortuo, immobilia conſtante matrimonio ab his poſſeſſa, proprietate tenus devolvuntur in liberos, remanente penes ſuperſtitem uſufructu: & mobilia, res creditæ, & actiones perſonales pleno jure dominii, etiam exſtantibus liberis, ſoluto per mortem unius ex conjugibus matrimonio ad ſuperſtitem pertinent. Extraque nudam proprietatis immobilium exſpectationem liberis nihil juris ſupereſt, ad cujus petitionem admitti poſſint, niſi alimentorum quorum onere, mobilium lucratorum, immobiliumque uſusfructus ratione parentes interim gravantur, pro quibus liberi proprietarii à parente Vſufructuario tertiam bonorum quæ proprietate tenus in eos ab inteſtato devolverentur, legitimæ loco, petere poſſunt. Eſtque hæc liberorum proprietas, nuda tantum devolutionis exſpectatio, nempe ut non aliter in liberos devolvatur cum effectu,

effectu, quam ſi parentum ſuperſtiti uſufructuario ſupervixerint, adeoque ſi eos præmori contingat, parentibus Uſufructuariis tanquam caduca cedat, & ſimilis ſit ſubſtitutioni, quæ nondum, aut nunquam competiit, nec tranſmittitur, vocaturque, flos ſine fructu, ſeu ut dicitur: *une fleur ſans fruict.*

Poſt utriuſque pareotis mortem liberi æqualiter ſuccedunt per repræſentationem in infinitum. In linea adſcendenti ſuccedunt pater & mater æqualiter ſuis liberis, vel ſolus pater, ſi ſolus ſuperſit, aut ſola mater, ſi ſola ſit ſuperſtes, & ſi plures ſint parentes diverſæ lineæ, diverſi numero, & pares gradu, veluti ſi avus & avia, paternus paterna, & avia materna ſola concurrant, ſecundum jus commune in capita, non in ſtirpes ſuccedunt.

In linea collaterali repræſeoratio tantum locum habet in primo gradu inter patruos & avunculos, & ex fratribus aut ſororibus nepotes avis ſuis per ſtirpes ſuccedentes. Et frater aut ſoror germanus germana eorumque liberi excludunt altero tantum latere junctos: inter nepotes vero & neptes, patruos, avunculos, amitas & materteras, duplicitas vinculi non attenditur.

Qua io re *cap.* 11. Juris Civilis territorii Leodienſis, quod de Succeſſione ab inteſtato tractat, ita cautum eſt.

Art. 1.

6 *Qui decede inteſtat, laiſſe deux hoirriers, l'une eſt mobilaire & l'autre immobilaire.*

Art. 1.

Qui inteſtatus decedit, duas habet hereditates, una eſt mobiliaris, altera immobiliaris.

Art. 2.

Les Heritiers mobilaires, ou apprehenſeurs du bien meuble, ne pourront etre recherchez, que pour leur quote, pour les debtes du defunct.

Art. 2.

Heredes mobiliares, ſive ſucceſſores rerum mobilium non ulterius tenentur agnoſcere debita defuncti quam pro ſua quota, ſive hereditaria portione.

Art. 3.

En ſucceſſion ſtipale ab inteſtat, le mort ſaiſit le vif, & n'eſt tenu l'heretier à aucun relief, ains peut apres la mort, entrer en poſſeſſion des biens luy obvenu, en repreſentation à lieu en quel degré que ce ſoit.

Art. 3.

In ſucceſſione ſtipali ab inteſtato, mortuus ſaiſit vivum, nec ad ullum relevium heres tenetur, poteſtque poſt defuncti mortem ſeſe immittere in poſſeſſionem bonorum ſibi obvenientium, ac repræſentatio locum habet in omni gradu qui exſtat.

Art. 4.

l'Heretier en ligne aſcendante, eſt auſſi ſaiſi, & n'eſt tenu à aucun relief.

Art. 4.

Heres in linea adſcendenti itidem ſaiſitur, neque in ullum relevium tenetur.

Art. 5.

En ligne collaterale, repreſentation n'a lieu, qu'en premier degre, ſi comme entre les Oncles & Nepveux.

Art. 5.

In linea collaterali repræſentatio non habet locum, niſi in primo gradu, ut inter patruos & avunculos, & ex fratre aut ſorore nepotes.

Art. 6.

En ſucceſſion collaterale, le germain eſt plus proche que les autres, mais en ſucceſſion de Neveux, & Nieces, Oncles & Tantes Paternels, & Maternels y ſuccedent egallement, d'autant que l'on prend pied ſeulement a la proximité, ni egard ou le bien eſt au jour de la ſucceſſion, ſoyent ils proches de deux coſtez, ou d'un ſeul.

Art. 6.

In ſucceſſione collaterali frater germanus proximior eſt aliis. Sed in ſucceſſione nepotum & neptum, patruorum, amitarum, avunculorum, & materterarum, æqualiter ſuccedent, omnes ſecundum proximitatem gradus, neque inter eos attenditur, utrum ſint ab utroque, an ab uno latere conjuncti.

Art. 15.

Ou il y a enfant de leur lit, tous biens immeubles demeurent affectez à leurs enfans en proprieté, l'uſufruict en demeurant au ſurvivant, ſoit Pere ou Mere, avec le domaine de tous meubles, credits, & actions perſonelles, ſans que les enfans puiſſent rien pretendre, à charge de les nourrir & eſlever.

Art. 15.

Altero earum, id eſt conthoralium, cum liberis mortuo, omnia bona immobilia eorum liberis in proprietate affectata manent, manente uſufructu penes ſuperſtitem patrem aut matrem, cum omnium mobilium creditorum, actionumque mobilium proprietate, ſic ut de iis liberi nihil petere poſſint, quam ut alantur.

7 Pleriſque etiam Flandriæ locis obtinet dictum Galliæ axioma, *le mort ſaiſit le vif*, alterutroque parentum mortuo, ſuperſtes bonorum ſemiſſem ſibi reſervat, alterum proximis defuncti con-

ſanguineis cedendo, qui non in capita, ſed in ſtirpes, ſecundum lineæ & gradus prærogativam defuncto ſuccedunt, per repræſentationem, tam in collaterali quam recta linea in infinitum, eorumque ab utroque latere defuncto conjuncti duplici portione gaudent, ab alterutro tantum, dimidiata tantum manu ſuccedunt. Quæ repræſentationis jura Waſiæ territorii incolis per veteratæ conſuetudinis quaſi interpretationem à Carolo V. 5. *Januar.* 1551. ad fratrum ſororumque liberos reſtricta, Philippi Regis edicto, 29. *Maji* 1550. iterum reſtituta, adque omnes alios collaterales extenſa ſunt. Quod quum ejuſdem juris per omnia Flandriæ loca relationem approbatoriam contineat, hiſce etiam inſeri curavimus.

Philips, by der gratien Gods / Koninck van Caſtilien / van Leon van Arragon / van Engelant van Vranckrijck / van Navarre van Napels / van Sicilie / van Majorcke / Ertz-Hertoge van Ooſtenrijcke / Hertoghe van Bourgonjen / van Lothier / van Brabant / van Limbourgh / van Lutſenburgh / van Gelre ende van Milanen; Grave van Vlaenderen / etc. Allen den genen die deſe onſe Letteren ſullen ſien ſaluyt: Doen te weten / dat wy ontfaen hebben de ootmoedige ſupplicatie van den Hooft-Schepenen / minder-Schepenen / Edele / Notabile / ende gemeenen Ondersaten / ende Supposten van onſen Lande van Waes / inhoudende / hoe / al iſt ſoo / datmen over al onſen Lande van Vlaenderen (immers in plaetſen contreſomme onſen voorſeyden Lande van Waes gelegen) uſeert / dat in linea collaterali repreſentatie ſtede heeft / in Succeſſie ende verſterfte / ten eerſten / tweeden / derden / vierden / ende anderen graden / by alſoo verre elck kan betoogen dat hy den overleden van bloede beſtaet. Dies niet tegenſtaende / ſoo heeft men in onſen voorſeyden Lande van Waes geuſeert: dat Suſters ende Broeders kinderen / ende geen andere / in voorderen grade en ſuccedeeren ende komen in de verſterften van haerlieder Ooms ende Moeyen / met haren Oomen ende Moeyen / in leven weſende / ende worden ander in voorder grade by der geſeyder ondeughdelijcker coſtuyme / verſteecken ende gepriveert.

Deſgelijcx Reghſweers ſucceederen ende komen in de verſterften ende Succeſſien van haren Reghſweers / ende worden de Reghſweers kinderen ende andere / daer van uytgeſloten ende gefruſtreert tot haerlieder groote ſchade / verlies ende intereſt.

Ende want de voorſeyde coſtuyme is een quaede corruptele / en onnatuerlijck / ende ontredelijck uſantie / de Supplianten compaſſie ende medelyden hebbende met die arme Wees-kinders / die niet alleene en verlieſen hare goede vrienden / maer oock haerlieder goedt / ende natuerlijcke ſucceſſie / omme daer inne te remedieren / ende de voorſeyde Wees-kinders te vertrooſten ende ſoulageren / hebben de voorſeyde Supplianten / ons de voorſeyde iniquc corruptele te kennen gegeven / ons ootmoedelijck biddende dat ons believen ſoude (in contemplatie van onſen blyder inkomſten ende huldinge in onſen voorſeyden Lande van Vlaenderen) de geſeyde ondeughdelijcke coſtuyme te niete te doen / ende den Supplianten te accorderen / ende octroyeren / dat van nu voortaen ten eeuwigen daghe / ſy henlieden ſullen reguleren in materie van Succeſſie / in linea collaterali, gelijck andere hare gebuyren onder den ſelven Lande van Vlaenderen / ende henlieden verleenen onſe behoorlijcke Brieven van Privilegie daer toe dienende.

Soo eſt / dat wy 't gene des voorſeyt es / over gemerckt / ende hier op gehadt 't adviis / eerſt van onſen lieven / ende getrouwen Preſident / ende Lieden van onſen Rade in Vlaenderen / ende daer nae van den Preſident ende Lieden van onſen Grooten Rade / den voorſeyden Supplianten genegen weſende 't haerlieder bede ende begeerte / hebben alvooren de geſeyde oude coſtuyme (geuſeert in onſen Lande van Waes) des hier boven naerder verklaringh gemaeckt

8 Philippus Dei Gratia Rex Caſtiliæ, Leonis, Arragoniæ, Angliæ, Galliæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, Majorcæ, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Gelriæ & Milani, Comes Flandriæ, &c. notum facimus. Quod, quum ad nos pervenerint ſupplicationes, majorum minorumque Scabinatuum, nobilium, ſpectabilium & plebejorum, Waſiæ territorii nobis ſubditorum, continentes: quod licet, per totam fere Flandriam (præcipue in locis circa prædictam Waſiæ diœceſin jacentibus) conſuetudine obtineat: quod in ſucceſſionibus, lineæ collateralis repræſentatio obtineat, in primo, ſecundo, tertio, quarto, & ulteriori gradu, quo modo quis defunctum ſanguine ſe contigiſſe probare poſſit. Nihilominus in prædictæ Waſiæ diœceſi obtinuerit: fratrum & ſororum liberos ſolos, nulloſque alios ulteriori gradu contingentes, ſuccedere. & in ſucceſſionibus patruorum, avunculorumve, cum aliis patruis & avunculis ſuperviventibus concurrere, alioſque ulteriori gradu contingentes per dictam abuſivam conſuetudinem, excludi, & privari.

Quemadmodum & affines in ſucceſſionibus affinium ſuorum, excluſis præmortuorum eorundem liberis ſuccedant, eoſque per illos excludi & fruſtrari, cum magno eorundem damno, tædioque.

Et quoniam dicta conſuetudo nuda tantum ſit corruptela, & iniquus, & contra naturam introductus uſus, ſupplices ſingulari miſericordia commoti adverſus orphanos, qui non tantum parentibus proximiſque conſanguineis, ſed & naturali ſucceſſione boniſque expectatitiis orbari reperiuntur, dictis orphanis ſubvenire, debitoque ſolatio mederi cupientes, prædictam iniquam corruptelam nobis remonſtrârunt, reverenter ſupplicantes, placeret nobis (reſpectu læti noſtri introitus, & ſolennis in prædicto Flandriæ Comitatu inaugurationis) dictam iniquam conſuetudinem abrogare, ſimulque ipſis ſupplicantibus conſentire, & gratioſe concedere velimus: ut in poſterum circa ſucceſſiones in linea collaterali eodem jure in perpetuum uti poſſint, quo ejuſdem ditionis Flandriæ contermini vicini, eoque in ſolenne privilegii reſcriptum concedere velimus.

Nos, quæ prædicta, conſideratis, habitoque conſilio, primo dilectorum nobis & fidelibus, Præſidi & Senatui noſtræ Curiæ Flandriæ, deinde etiam Præſidi & Senatui magni concilii noſtri, dictis ſupplicantibus gratificari cupientes, dictâ inveteratâ conſuetudine, (in VVaſiæ diœceſi, ut latius ſupra, interductâ) prius abolitâ, abrogatâque, prout eam præſentibus hiſce litteris abolemus, abrogamuſque, us inſuper permiſimus, conceſſimuſque, prout permittimus & concedimus, ex ſingulari noſtra gratia per modum perpetui edicti veniam conſenſumque largientes: ut abhinc in noſtra VVaſiæ diœceſi in perpetuum repræſentationi locus ſit, in linea collaterali, his, qui defunctum primo, aut ulteriori gradu contigerint, juxta ac per omnia ſecundum generalem Flandriæ noſtræ conſuetudinem.

Injungentes propterea dilectis & fidelibus Præſidibus ainſque ſecreti concilii ſupremi, & prædictæ curiæ Sena-

es / geabolieert ende te niet gedaen / abolieren ende doen te niet uidts deſen onſen Brieve / by den welcken wy geconſenteert / geactroyeert ende geaccordeert hebben / conſenteren / octroyeren / ende accorderen / henlieden gevende oorlof ende conſent uyt onſer ſonderlinge gratie by forme van eeuwigh Privilegie / dat van nu voortaen ten eeuwigen dage in linea collaterali repreſentatie in onſen voorſz. Lande van Waes / ſtede hebben ſal in materie van ſucceſſie / voor de gene die den levenden beſtaen ſullen hebben van bloede / ten eerſten ende andere graden / achtervolgende ende alleſints naer de generale coſtuyme van onſen voorſeyden Lande van Vlaenderen.

Ontbiedende daeromme onſen lieven ende getrouwen Hoofde / Preſidenten ende Lieden van onſen Secreten ende grooten Raden / ende van onſen Raden in Vlaenderen voorſeyt / Hoogh-Balju van Waes / ende allen anderen onſen Rechteren / Juſticieren / Officieren / ende Onderſaten / wien dit aengaen ofte eneren ſal mogen / ofte haer Stedehouderen / ende een yegelijck van hen-luyden byſonder / ſoo hen toebehooren ſal / dat ſy den voorſeyden Suppliancen van deſe onſe Gratie / Octroy ende Privilegie / ende van alle den inhouden van deſen / inder voegen ende manieren vooren verhaelt / doen laten ende gedogen ruſtelijck / vredelijck / volkomentlijck ende eeuwighlijcken genieten / ende gebruycken / ſonder hen-lieden daer inne te doen / ofte laten geſchieden / nu noch in toekomende tyden eenigh hinder / letſel / ofte maeyeniſſe ter contrarien / in eeniger manieren; want ons alſoo gelieft. Des t'oirconden ſoo hebben wy onſen Zegel hier aen doen hangen.

Gegeven in onſer Stadt van Bruſſele den negen-en-twintighſten dagh van Meye / in't Jaer ons Heeren duyſent vijf hondert ſes-en-vijftigh. Op den ploy ſtondt geſchreven; By den Koninck ende ſijne Raden. Ende geteeckent /

De Lange.

Senatoribus noſtris, Waſiæ Præfecto Prætorio, omnibuſque ac ſingulis, judicibus, magiſtratibus, ſubditiſque, ad quos hæc ſpectabunt, eorumve vicariis, omnibus ac ſingulis prout ad eos pertinebit; ut prædictis ſupplicantibus, ut hac noſtrâ gratiâ, prærogativâ, ac privilegio, ejuſque tenore & effectu omni, prout ſupra dictum, plene, ac in perpetuum uti frui ſinant, nec illis in præſenti, aut in futurum ullo tempore, in eo aliquod impedimentum aut moleſtiam aliquam faciant, aut fieri permittant in contrarium ullo modo. Quod nobis ita placitum eſt. In facti fidem ſigillum noſtrum hiſce appendi curavimus.

Datum Bruxellis, XXIX. Maji Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto. In plica ſcriptum erat, A Rege per Curiam, & ſubſignatum

de Lange.

9 Ex particularium Flandriæ civitatum ſtatutis conſuetudinibuſque, exſtat civitatis & ſcabinatus Gandavenſis conſuetudo municipalis à Philippo Hiſpaniarum rege publico diplomate confirmata 23. *Decemb.* 1583. Quæ cum pleriſque aliis Flandriæ adjacentium locorum conſuetudinibus hac in parte conveniant, hiſce etiam inſeri operæ pretium duximus. His verbis:

Rubric. 26. Van Succeſſie ende Hoiryen.

Rubric. 26. *De Succeſſionibus & hereditatibus.*

Art. 1.

Die doode erft de levende ſijnen naeſten hoyr habile om ſucecderen / ende wordt de poſſeſſie van dien by der doot op hem gecontinueert.

Art. 1.

Mortuo ſuccedit vivus heres proximus ſuccedendi habilis, & per mortem in eum ipſa poſſeſſio continuatur.

Art. 8.

Den eerſten graedt oft ordene van Succeſſie oft hoirye / ſijn gettroude kinderen / de welcke mogen erfgenamen ende hoyr ſijn van Vadere ende Moedere.

Art. 8.

Primus gradus, ſuccedendique ordo eſt liberorum legitimorum, qui parentum ſuorum heredes & ſucceſſores ſunt.

Art. 9.

Kindts-kinderen ofte andere heurlieder afkommers in rechte linie / ſuccederen den Groot-heere Groot-vrouwe / ende andere van hoogeren grade / ſoo verre datter negeen naerderen en ſijn daer af ſy deſcenderen noch levende.

Art. 9.

Nepotes ulterioreſve lineæ rectæ deſcendentes, avis, aviis, aliiſque ulteriorum graduum adſcendentibus, in defectum propiorum, unde deſcenderunt, exiſtentium, ſuccedunt.

Art. 12.

Item, de deſcendenten in den tweeden / derden / vierden / of meerderen graet / ſuccederen by repreſentatie ſonder diſtinctie van grade met heurlieder Ooms / oude-Ooms / oft vordere inde derſterfte van heurlieder aſcendenten van rechte linie / daer heurlieder Vadere / Groot-vadere / oft aude Groot-vadere / Moedere / Groot-vrauwe oft aude Groot-vrauwe die ſy repreſenteren / het goedt gehaelt ofte gedeelt ſouden hebben / met den ſelven Ooms / oude Ooms / ofte andere: ende dat in ſulck deel als den gerepreſenteerde ſoude gehadt hebben: uytgedaen van Leenen die hem ſullen regelen naer Leen-recht.

Art. 12.

Item deſcendentes ſecundi, tertii, quarti, ulterioriſve gradus per repræſentationem abſque graduum prærogativa, cum patruis, avunculis, ulterioribuſve in defunctorum rectæ lineæ adſcendentium bonis ſuccedunt, eo loco quo eorundem pater, mater, avus, avia, ulterioreſve, quos repræſentant cum dictis patruis & avunculis, ſucceſſiſſent: idque pro ea parte quam iidem repræſentati percepiſſent, excepto feudo, quod jus feudale ſequitur.

Repræ-

Art. 13.

Repreſentatie ſonder diſtinctie van grade heeft noch ſtede / in alle collaterale ſucceſſien / ende noch in ſulck deel / als de gerepreſenteerde gehad ſouden hebben : uyt genomen Leenen als boven.

Art. 13.

Repræſentatio abſque graduum prærogativa etiam obtinet in omni collaterali ſucceſſione, proque ea parte quam repræſentatus percepiſſet, excepto feudo, ut ſupra.

Art. 14.

Vadere ende Moedere in geheelen bedde ſittende / ſuccederen heuren kinderen / ſtervende ſonder deſcendenten van hemlieden / alle andere aſcendenten ende collateralen uytgeſteecken. Maer waert dat ſy Vadere nochte Moedere / broedere noch ſuſtere achter en lieten / maer wel Groot-vaders ende Grootmoeders van wat zyde het waere in geheelen bedde / die ſullen ſuccederen ſulcken overledene / in 't goedt gekommen van heurlieder troncken ende zyden. Ende aengaende de conqueſten ende meubilen / ſullen ſuccederen de broeders ende ſuſters van vullen bedde van de ſelve overleden / hooft ende hoofts gelycke / ende deſſelfs broeders oft ſuſters deſcendenten by repreſentatien niet hooft ende hoofts gelycke maer in ſtruncken : nemaer broeders oft ſuſters van halfven bedde / en ſullen maer hebben half ſoo veele / als de voorſeyde broeders oft ſuſters van vullen bedde.

Art. 14.

Pater & mater ſtante matrimonio, liberis ſuis nulla relicta prole morientibus ſuccedunt, excluſis omnibus aliis adſcendentibus & collateralibus. Sed ſi neque patrem, neque matrem fratres, ſororeſve relinquant, avus & avia, cujuſque lineæ, exſiſtentes, defuncto ſuccedent in bonis ex eorundem ſtirpe oriundis. Et in conquæſtu mobilibuſque bonis fratres & ſorores germani germanæque per capita ſuccedent, cum ejuſdem defuncti præmortuorum fratrum ſororumque liberis & deſcendentibus, per repræſentationem, non in capita, ſed in ſtirpes concurrentes: fratres vero, conſanguinei, atque uterini dimidiata tantum manu cum germanis dividunt.

Art. 15.

Als 't bedde van Vadere ende Moedere van den overleden ſonder deſcendenten geſcheeden is / ſoo ſullen de erfachtige goedingen gekommen van wegen den ſelven aſcendent noch levende / weder keeren op hem. Ende aengaende de meubile ende geconqueſteerde goeden / ſullen die gedeelt werden tuſſchen den voorſeyden aſcendenten ende collateralen van den overleden by ordene van grade ende linie : elck reſpectivelijck deel nemende van der zyde daer af hy beſtaet; ende repreſentatie ſtede hebbende / uytgedaen van Leenen / ſoo boven geſeyt is.

Art. 15.

Soluto per mortem alterutrius, ſine deſcendentibus, matrimonio, hereditaria bona à ſupervivente adſcendente oriunda, ad eundem revertentur. Mobilia vero & conquæſtus inter dictum adſcendentem, & defuncti heredes collaterales, ſecundum lineæ & gradus prærogativam ſuccedent, eorum quiſque ejus lateris, quo defunctum contingit, ſervatoque repræſentationis jure, exceptis feudis, ut ſupra dictum.

Art. 16.

In ſucceſſie van broeders ende ſuſters / oft haerlieder kinderen ende af-kommers / de broedere ende ſuſtere van beede zyden beſtaende / excludeert niet de broeders ofte ſuſters van halfven bedde beſtaende / 't zy vaderlijck ofte moederlijcke zyde / ſoo verre alſt den goede ende zyde aennegaet / daer af ſy beſtaen.

Art. 16.

In ſucceſſionibus fratrum & ſororum, eorumve liberorum & nepotum, germani germanæque conſanguineos, aut uterinos minime excludunt, quouſque defunctum, ejuſve bona, ab ea parte qua ſucceditur, contingant.

Art. 17.

De broedere van der vaderlijcke ofte moederlijcke zyde alleene beſtaende / en excludeert niet / noch en wert gepreferreert voor andere 's overledene Vrienden ende Magen van der andere zyde in voorderen grade beſtaende / 't zy Rechtſweers / Anderſweers oft andere : maer deelen met elckanderen naer qualiteyt van goeden / ende graedt van hoirgen.

Art. 17.

Fratres conſanguinei aut uterini ſoli exiſtentes, neque excludunt ipſi, neque præferuntur aliis defuncti conſanguineis ab alio latere in ulteriori gradu contingentibus, ſive germanis, ſive conſanguineis, ſed inter ſe conveniunt pro bonorum & graduum qualitate.

Art. 18.

Indiender yemandt is vander Vaderlijcker zyde alleene beſtaende / die heeft d'een helft van alle 's overledene deelſame goedinghen : ende de Vrienden ofte Magen vander ander zyde / d'andere helft. Ende de Leenen / Erven / ende patrimoniale beſette Renten / volgen de zyde / daer af dat gekomen zyn.

Art. 18.

Si quis exiſtat à paterno latere ſolus contingens, dimidiam defuncti hereditatis dividuæ partem capiet, alteram dimidiam alterius lateris conſanguineis relinquendo: feuda, hereditaria, & patrimoniales conſtituti reditus, ſequuntur latus unde provenerint.

Art. 19.

Ende waert dat de naeſte beſtaende maer en waeren / d'een van 's overledene Vaders Vaders wegen / ende d'andere van 's overledens Vaders moederlijcke zyde / ende de derde van 's Moeders Vaders

Art. 19.

Si vero proximiores defuncti conſanguinei tantum exiſtebant, alter ex paterna, alter ex materna patris linea, tertius ex paterna matris, & quartus ex materna matris linea contingentes, eo caſu hereditas in quatuor quartas

wegen / ende de vierde van 's Moeders Moeders zyden / indien gevalle ſoo ſoude hier de Succeſſie deelen in vieren, op elck van den voornoemden quartieren d'een vierendeel: den grondt ofte patrimoniale beſette / erflycke Renten / altydts der zyden volgende daer uyt dat die gekomen zyn.

quartas dividitur, quarum cuique prædictorum partium una tribuitur: ita tamen, ut hereditaria, patrimonialeſque conſtituti reditus ſemper illud latus ſequantur unde devenerint.

Art. 20.

Aſſer geen hoyr en compareert van bloede / beſtaende den graede / ſoo ſuccederen Man ende Wyf in elckanders goedingen als hoirs neceſſaire, midts dat ſy elckanders ſterfhuys niet vlieden en mogen.

Art. 20.

Si nemo conſanguineorum exſtet, vir & uxor ſibi invicem ut neceſſarii heredes ſuccedunt, ea lege, ut nec alterutrius hereditati renunciare poſſint.

1 Quibus adde quæ de generalibus Civitatis Sluſæ Flandrorum, territoriique Neomudani vulgo, **Sluys / Water-recht ende Nieu-muyden /** publico idiomate confirmarunt generales Fœderati Belgii Ordines, 23. *Julii* 1620. In hunc modum:

Rubr. 22. Van Succeſſien ende Verdeelingen.

I.

Volgende de Coſtuymen deſer Stede / den dooden erft den levenden ſynen apparentſten hoir / capable om ſuccederen.

II.

Naer 't overlyden van Man ende Wyf / ſoo deelt den langhſt levenden van hen-luyden de gerechte helft van haerlieder achter-gelaten goederen gelegen in Vlaenderen Flamingant (gereſerveert Leenen) kameren ende laſten / ende d'hoirs van den overleden / 't zy in linie directe ofte collaterale, de wederhelft / ſonder aenſchouw te nemen op de Rechten/ Coſtuymen ende Wetten van de plaetſen / Quartieren ofte Juriſdictie daer den perſoon overleden is/ noch daer de ſelve goederen geſtaen / gelegen / oft bevonden zijn / ten ware dat by contract antenuptiael anderſints beſprooken ware / in welcken gevalle ſulck contract ſoude moeten ſtede houden ende effect ſorteren.

Rubric. 22. *De Succeſſionibus & Familia Erciſcunda.*

I.

Secondum hujus civitatis conſuetudinem mortuus ſuccedit proximior heres ad ſuccedendum habilis.

II.

Poſt conjugis alterutrius obitum, ſuperſtes in bonorum Flandriæ Flamingantis territorio ſubjectorum, onerum hereditariorum, actionumque omnium dimidia ſuccedit parte, excepto feudo, alteramque dimidiam defuncti heredes ſive directæ ſive collateralis lineæ proximi capiunt, nullo reſpectu habito jurium, conſuetudinum, conſtitutionumve ejus loci, regionis, aut territorii, ubi perſona fuerit defuncta, aut ubi bona ſita reperiantur, niſi contractu antenuptiali aliter fuerit cautum, quo caſu ejuſdem contractus leges obſervabuntur.

V.

Den beſitter en vermagh het ſterf-huys van ſynen Wyve niet te renuncieren / noch daer uyt blyven/ maer moet verantwoorden / alle ſchulden ende kommeren van dien / behoudens ſyn verhael ende recoursse / aen de hoirs ende aeldingers van ſynen Wyve van haerlieder aendeel / op de welcke hy ſal mogen afwyſinge doen / ende daer mede geſtaen.

V.

Poſſeſſor bonorum ſuperſtes conjugis hereditati renunciare, sive ſe ſubtrahere non poteſt, ſed omnia hereditaria onera ſuſtinere tenetur, ſalvo regreſſu, adverſus conjugis heredes proximos pro ſua quota: quibus delegare poterit, eoque ſatisfacere.

Rubric. 23. Hoe Vader ende Moeder metter andere hoirs ſuccederen heurlieder kinderen, ende hoe kinderen van diverſche Bedden elckanderen ſuccederen.

I.

Vader ende Moeder in geheelen bedde ſittende / ſuccederen aen haerlieder kinderen/ overlydende/ ſonder achter te laten lichamelijck hoir / ter excluſie van alle andere collaterale.

II.

Indien yemandt achter laet Broeder oft Suſter van de Moederlijcke zyde alleene / ſoo deelen de ſelve Broeder ende Suſter met heurlieder Vader / hooft ende hoofts gelycke / d'een helft van de goederen van den overleden / ende d'hoirs van de Moederlycke zyde / d'ander helft.

Rubric. 23. *Quomodo pater & mater cum aliis defuncti heredibus liberis ſuis, & quomodo diverſi matrimonii liberi ſibi invicem ſuccedant.*

I.

Pater & mater ſtante matrimonio eorundem liberis ſine prole mortuis ſuccedunt cum excluſione reliquorum collateralium.

II.

Si quis relinquat fratrem ſororemve conſanguineam, idem frater aut ſoror cum eorundem patre æqualiter defuncti bonorum dimidiam in duas partes dividunt, alteram dimidiam maternæ lineæ conſanguineis relinquendo.

III.

Ende yemandt achterlatende Broeder ofte Suſter van de Moederlijcke zijde alleene / ſoo deelen de ſelve Broeder ende Suſter met haer lieder Moeder als voren / van gelijcken d'een helſt / ende d'hoirs van 's Vaders zijde / d'ander helſt.

III.

Relicto fratre, aut ſorore uterinis, iidem cum eorundem matre defuncti bonorum dimidiam æqualiter in duas partes dividunt, alteram dimidiam paternæ itidem lineæ conſanguineis relinquendo.

IV.

Indien yemandt achterlaet Broeders oft Suſters van geheelen bedde, ende noch Broeders ende Suſters van halven bedde t'ſamen, 't zy van Vaders ofte Moeders zijde / ſoo deelen de Broeder ende Suſter van vollen bedde al-voren uyt de gerechte helſt / ende de ſelve Broeder ende Suſter van geheelen bedde mette Broeder ende Suſter van halven bedde / alle t'ſamen even veele / ende gelijckelijck d'ander helſt / gereſerveert Leenen in deſen / ende andere poincten van gelijcken nature.

IV.

Exiſtentibus fratribus & ſororibus germanis, itidemque fratribus, & ſororibus conſanguineis, atque uterinis, germani germanæque alteram dimidiam præcipiunt, iidemque alteram dimidiam cum conſanguineis & uterinis æqualiter dividunt, exceptis feudis, aliiſve ejuſdem naturæ rebus.

V.

Daer Broeders ende Suſters zijn van drie bedden, te weten Broeder ofte Suſter van vollen bedde / voorts Broeder ende Suſter van halven bedde van Vaderlijcke zijde / ende noch Broeder oft Suſter van halven bedde van de Moederlijcke zijde / ſoo deelen ſy 't goedt van den overleden in deſer maniere / te weten / Broeder ende Suſter van vollen bedde / met den halven Broeder ende Suſter van de Vaderlijcke zijde d'een helſt / van den ſelven Broeder ende Suſter van den vollen bedde / ende mette halve Broeder ende Suſter van de Moederlijcke zijde d'ander helſt / alle 't welcke noch wordt geobſerveert / daer Broeders ende Suſters zijn van meer bedden dan twee ofte drie.

V.

Trium matrimoniorum liberis exiſtentibus, veluti ſi ſint, frater aut ſoror, germanus germanave, frater aut ſoror conſanguineus conſanguinea, & frater aut ſoror uterinus uterina, defuncti bona in hunc modum dividunt: Ut germani germanæque, primu cum conſanguineis unam, deinde cum uterinis alteram dimidiam æqualiter dividant, idem obſervando in plurium quam duorum triumve matrimoniorum fratribus & ſororibus concurrentibus

Rubric. 25. Van Repreſentatie.

I.

Repreſentatie heeft ſtede in materie van Succeſſie / te weten / dat de Broeders ende Suſters kinderen / als repreſenterende huerlieder Vader ende Moeder komen deelen't goet van huerlieder Grootheere ende Groot-vrouwe / met heurlieder Ooms ende Moeyen / gelijck als heurlieder Vader of Moeder doen ſouden / indien ſy noch leefden.

II.

Van gelijcken heeft repreſentatie ſtede in alle andere graden van Succeſſien / in wat linie oft graden het zy / ſoo rechte als collaterale / alſoo lange als men het Maeghſchap vinden kan.

Rubric. 25. *De repreſentatione.*

I.

In ſucceſſionis materia repræſentationi locus eſt; qua fratrum & ſororum liberi, repræſentantes parentes ſuos, in avorum, aviarumve bonis cum patruis & avunculis ſuis ſuccedunt pariter, ac ſi eorundem parentes, ſi in vivis eſſent, ſucceſſiſſent.

II.

Similiter repræſentationi locus eſt in omnibus aliis ſucceſſionis gradibus, cujuſcunque lineæ, tam directæ quam collateralis, quouſque conſanguinitas ſeſe extendit.

Cap. XIX.

De Galliæ, ſive Franciæ, Succeſſione legitima.

SUMMARIA.

1. *Quæ eſt inteſtati ſucceßio in Gallia, juris ſcripti patria.*
2. *Quæ in cæteris Provinciis conſuetudinariis.*
3. *Repreſentatio, & regula, paterna paternis, &c. quouſque ſe extendat.*
4. *Burgundiæ & circumjacentium ſtatuta.*
5. *Quouſque repræſentationi locus ſit.*
6. *Bituricenſis Septania ſtatuta.*
7. *Aurelianenſis Civitatis & Provinciæ ſtatuta.*
8. *Britanniæ Ducatus ſtatuta.*
9. *Præfectura & Comitatus Pariſienſis ſtatutum conſuetudinarium.*
10. *Normanniæ Regionis, ejuſdemque judicatus & præfecturæ ſtatutum.*
11. *Regionis & Ducatus Borbonnenſis ſtatutum.*
12. *Comitatus Pictavienſis.*
13. *Toloſæ & Albienſis ſtatutum.*

PRima etiam Galliæ ſucceſſio liberorum eſt, ex eodem matrimonio æqualiter ſuccedentium. 1
Quod generaliter obtinet in iis provinciis quæ jure ſcripto reguntur, cæterum in aliis Franciæ regio-

regionibus, quæ moribus & jure ſtatutario reguntur, in ſucceſſione Mobilium, filius primogenitus præcipuum quid ex hereditate capit, plus, quam alii fratres & ſorores. De quibus late Tiraquellus *tract. De Jure Primogenituræ*, & Joann. Papon. *Franciæ Arreſt. lib.* 21. *tit.* 5.

2 In reliquis regula, quod paterna paternis, & materna maternis cedant, ex antiquiſſimis Galliæ moribus, ubique fere obtinet, quo agnati ſuccedunt in iis prædiis quæ ex ſtirpe, & genere agnatorum, emanarunt, cognati autem in iis quæ à cognatorum linea provenêre.

Quo fundamento in Parlamento Pariſienſi 29. *Julii* 1567. Franciæ Regis conſtitutio comprobata eſt, qua matres à ſucceſſione liberorum ſuorum excluduntur, & tantum ſuccedunt in bonis mobilibus, & immobilibus, quæ earum filii acquiſiverunt aliunde quam à patre ſuo, vel latere paterno, in quibus quidem bonis ſolę ſuccedunt, excluſis fratribus, & ſororibus, qui nullam in eis partem habent, proque eo quod tota proprietas paternorum paterni generis agnatis deferatur, conſequuntur præterea dimidium uſusfructus eorum bonorum quæ ad filium ex eodem paterno latere provenerant. Papon. *lib.* 21. *tit.* 1. *art.* 25. Peleus *in Actionib. Forenſ. lib.* 5. *cap.* 12. Charond. *obſerv. in verbo (Mere.)* Quod edictum tamen regio Delphinatus, quæ hac in parte contraria conſuetudine utitur, non admittit, teſte Choppin. *De Sacr. Polit. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 19. Item nec Occitania, niſi in magnis & excelſis familiis, referente Joann. Philipp. *Reſp.* 66. *num.* 12. Neque obtinet in provinciis, in quibus pro matre conſuetudo eſt, ſed in illis tantum quæ jure ſcripto reguntur. Choppin. & Charond. ubi ſupra, & *lib.* 2. *Reſponſ. cap.* 81. *& lib.* 4. *cap.* 14. In quibus conſuetudo generalis patrem aut matrem ab antiquis hereditariis, & à bonis paternis aut maternis ex dicta regula excludit.

Hinc eſt quod in collateralibus etiam frater utrimque conjunctus non excludat conſanguineum in paternis, nec uterinum in maternis, ſed uterinus, in his, conſanguineus in illis eum utriumque conjuncto concurrat, qui eos excludunt in quæſitis mobilibus, nominibus, & aliis bonis indifferentibus certæ lineæ non affectis: ut poſt Molinæum Joann. Bacquet *cap.* 15. *num.* 8. *Desdroicts de Iuſtice.* Qui illud ita procedere dicit, quamvis conſuetudine ſit expreſſum, ut in ſucceſſione collateralium utrimq; conjunctus excludat eum, qui ex uno tantum latere conjunctus eſt. Quod etiam procedit in fratrum filiis, ſic ut fratris uterini prædefuncti filius, concurrat cum fratre alio defuncti, uno latere conjuncto: & præfertur conſanguineo vel filio conſanguinei in bonis maternis: &
3 vice verſa, filius conſanguinei eodem modo concurrit, & præfertur in paternis. Eo quod nec repræſentatio, & conſequenter nec regula illa: paterna paternis, &c. ultra fratrum filios de jure & ibidem recepta conſuetudine, extendatur, nec in patruis, avunculis, aliis collateralibus locum habeat. In quibus qui gradu propior eſt, defuncto in ſolidum ſuccedit, quamvis ex materno latere ſit. Vt in Parlamento Tholoſano Maynard. *lib.* 9. *cap.* 90. & Arreſto Pariſienſi judicatu & receptum refert Joann. Papon. *lib.* 21. *tit.* 1. *arreſt.* 9. quem etiam vide *eod. arreſt.* 15.

De his ordine, quorum primum occurrit Burgundiæ ducatus ſtatutum, circa inteſtati ſucceſſionem.

Rubric. 7. De Succeſſions.

§. 1.

Le mort ſaiſit le vif ſon plus prochain heretier, habile à luy ſucceder.

Rubric. 7. *De Succeſſionibus.*

§. 1.

Mortuus vivum conſanguinitate proximum & ad ſuccedendum habilem, poſſeſſorem facit.

Quæ regula per totam Franciam, & in plurimis Galliæ locis, in quibus jure ſcripto utuntur, generaliter obtinet.

§. 6.

Succeſſion en ligne directe ne monte point. C'eſt à ſçavoir que le Pere ou la Mere ne ſuccede point à ſon fils ou fille, ni aux enfans de ſon fils ou fille quant aux heritages anciens paternels ou maternels. Mais le Pere ſuccedera ſeul & pour le toutes biens que ſes enfans auront eu de luy, & pareillement y ſuccedera la Mere comme le Pere es biens venans à elle. Au regard des autres biens meubles & acqueſtes faicts par les dicts enfans, leur Pere & Mere y ſuccederont avec leur Freres & Seurs, & non autres, ſelon la forme de droict.

§. 6.

In recta linea ſucceſſio non adſcendit. Ita tamen ut quidem pater aut mater liberis ſuis, aut ex iis nepotibus non ſuccedant ut legitimi heredes paterni, aut materni: Sed pater iis ſuccedat in omnibus iis bonis, quæ ab eo devenerunt, ſicut & mater in iis quæ ab ea provenerint, eodem modo liberis ſuis ſuccedit. Et in aliis bonis mobilibus, & acquæſtibus, per eorundem liberos factis, pater & mater cum eorum fratribus & ſororibus, non cum aliis ſecundum juris diſpoſitionem, concurrunt.

4 Quod idem conſtitutum reperitur in Burgundiæ, & Nivernenſi Comitatu, & in patria Lorry & Aurelianenſi, *tit. Des droicts des ſucceſſions.* §. 242. Idem in præpoſitura Pariſienſi

art. 138. & 139. in patria Alverniæ *tit. Des ſucceßions.* §. 2. & 3. Borbonii Ducatu, & Ballivatu Meldenſi, quæ hic brevitatis cauſa non repeto.

§. 7.

Quand l'homme ou la femme vont de vie treſpas delaiſſent enfans de pluſieurs licts & mariages, leſdicts enfans y ſuccederont par teſte ſelon diſpoſition de droict eſcrit.

§. 7.

Si maritus aut uxor ſecundo nupti diverſi thori liberos reliquerint, hi in capita iis ſuccedent ſecundum juris ſcripti diſpoſitionem.

Quod idem in Comitatu Nivernenſi, ſed contrarium in Burgundiæ Comitatu, obtinet.

§. 8.

Les heritages enſuyvent en ſucceßion la ligne du tronc de laquelle ils ſont iſſus, c'eſt aſſavoir que les heritages procedans du coſté & ligne paternel retournent aux heritiers du defunct du coſté paternel, & ceux du coſté & ligne maternel retournent aux heritiers du defunct du coſté maternel, ſoit en prochain ou longtain degré.

§. 8.

Bona hereditaria ſequuntur ſucceſſionem ejus lineæ unde exierunt, id eſt, ut bona à paterna linea procedentia, ad defuncti heredes à paterna linea contingentes, à materno latere & linea provenientia ad heredes à materno latere contingentes, ſive propiores, ſive remotiores, revertantur.

Idem in Comitatu Burgund. & Nivern. Idem in patria Lorry & Aurelian. *art.* 250. Idem in patria Alverniæ *tit. des ſucceßions.* §. 4. 5. & 6. Ubi Pyrrh. *tit. De Succeßionib. cap.* 10.

§. 9.

S'ils ſont pluſieurs enfans de pluſieurs licts, freres ou ſeurs qui viennent à la ſucceßion de leurs oncles ou tantes, ou autres en ligne collateral, ils ſuccedent par ligne, non pas par teſte.

§. 9.

Si plures ſint liberi ex diverſo matrimonio procreati, fratres aut ſorores, ad eorundem patruorum avunculorumve aut aliorum ex latere contingentium ſucceſſionem devenientes, per ſtirpes, non in capita ſuccedent.

§. 10.

En toutes ſucceßions, repreſentation à lieu, quand la perſonne repreſentée eſt pareil degré avec celuy de ligne & branche, avec lequel il ſuccede, & autrement non. Et c'eſt ce qu'on dit en Bourgongne; que ce qui eſchoit au pere, eſchoit au fils

§. 10.

In omni ſucceſſione repræſentationi locus eſt, quando perſona repræſentans in pari gradu eſt, cum alio alterius lineæ, cum quo ſuccedit, alias non. Quod in Burgundia dicitur: qui ſuccedit patri, ſuccedit filio ejus.

In Comitatu Burgundiæ repræſentatio in ſucceſſione collateri locum habet, ſecundum diſpoſitionem juris communis, & non ultra. Idem in Comitatu Nivernenſi: niſi quo ad mobilia & acquæſtus, in quibus ſuccedunt proximiores. In præpoſitura Pariſienſi, repræſentatio locum habet in linea directa, in linea collaterali non utique, in qua tamen hodie ex conſuetudine repetitæ prælectionis etiam repræſentationi locum eſſe teſtantur Notar. ad Joann. Papon. *lib.* 21. *tit.* 1. *arreſt.* 20. In patria Aurelian. & de Lorry, repræſentatio non habet locum: niſi de conſenſu ſuccedentium, & ſic prætendentium intereſſe. In patria vero Alverniæ, repræſentatio locum habet in ſucceſſione uſque in infinitum. 5

§. 11.

Double ligne a lieu entre freres & ſœurs germains, au regard de tous leurs biens, & auſſi a lieu entre les enfans deſdicts freres & ſœurs germains, & non plus avant.

§. 11.

Duplici lineæ locus eſt inter fratres & ſorores germanos, in omnibus eorundem bonis, habetque locum inter eorundem germanorum liberos, ulterius non.

Idem in Comitatu Nivernenſi, & in Comitatu Burgundiæ ſervatur, ſed contrarium in Alverniæ patria & Borbonii Comitatu.

Jure provinciali civitatis & Septaniæ Bituricenſis circa inteſtati ſucceſſiones, ita ſcriptum repetitur.

Rubric. Des Couſtumes concernans les Teſtaments & dernieres volontez.

Rubric. *De conſuetudine circa teſtamenta & ultimas voluntates.*

§. 2.

Item, *Si aucun va de vie à treſpaſſement, inteſtat, ſans hoir deſcendant de ſon corps, les heritages anciens, & biens immeubles du defunct, & quels par le defunct non ſont acquis, ne conqueſtez, brancheront,*

§. 2.

Item, Si quis inteſtato ſuccedat, nullis relictis liberis à ſe deſcendentibus, bona hereditaria, ejuſque immobilia omnia, eaque quæ per eum acquiſita non ſunt ſuccedent obvenientque illis, qui proximi ſunt ejus ſtirpis 6

& forchoient, & viennent à celuy, ou ceulx qui eſt ſon plus prochain parent de l'eſtoc, & branche dont leſdicts heritages ſont yſſus, & venus, jaçoit ce qu'il y ait plus prochain parent du defunct d'aultre branche que de celuy de qui leſdicts heritages ſont yſſus & venuz.

pis unde eadem bona devenerint, licet proximiores ex altera ſtirpe quam unde eadem bona devenerunt, defunctum contingentes, exiſtant.

§. 3.

Mais au regard des conqueſtz, immeubles, & des biens meubles, ils adviennent au plus prochain parent du dict defunct, qui luy peult, & doit ſucceder ab inteſtat, ſi le dict defunct n'a Pere & Mere à luy ſurvivant, ou autre aſcendant en droicte ligne, au quel cas le plus prochain parent aſcendant gaigne les meubles ſeulement, franchement, & quittement, ſans eſtre tenu, cauſe d'iceux biens meubles, payer aucune choſe des deptes dudit defunct, niſi in ſubſidium, *& en defaulx des heritages, & biens immeubles.*

Conquæſtuum vero mobilia, & immobilia proximioribus defuncti conſanguineis, iiſque qui ab inteſtato ſuccedere debent, obvenient. Et ſi defunctus neque patrem, neque matrem, aliumve in linea recta adſcendentem, ſuperrelinquat, eo caſu proximior adſcendens in bonis mobilibus ſolum ſuccedit, liberis ab omni onere, æriſve alieni à defuncto contracti ſolutione, niſi in ſubſidium, & per defectum hereditariorum, & bonorum immobilium.

§. 4.

Et ſi il n'y a aucun parent qui ſoit de l'eſtoc & branche dont les heritages anciens, & non conqueſtez, par le defunct ſont yſſus & venuz, au dit cas, leſdicts heritages adviennent au plus prochain parent du dit defunct, que luy doit ſucceder ab inteſtat, & en forcloſt le fiſque.

Et ſi nullus adſcendens ſuperſit, qui ejuſdem eſt ſtirpis aut lateris unde bona hereditaria devenerint, neque per defunctum acquæſitus extent, eo caſu hereditaria bona obvenient proximo defuncti adſcendenti, qui illi ab inteſtato ſuccederet, excluſo fiſco.

Civitatis & Provinciæ Aurelianenſis conſuetudinem hiſce capitibus comprehendit Pyrrhus Anglobermeus.

Rubric. *De Succeßionibus.*

Cap. I.

7 In recto ordine directaque linea bonorum mobilium ac immobilium non feudalium ſucceſſio ad ſuos heredes æqualiter tranſmittitur, nulla antiquiori prærogativa in iſtis data. In tranſverſali vero etiam æqualiter mares, feminæque ejuſdem gradus bona quæcunque, etiam feudalia, ſucceſſionis jure inter ſe partiuntur.

Cap. II.

Profectum à parentibus patrimonium, vel liberorum proprium, mortuis liberis, ad illos reliquoſque adſcendentes non revertitur.

Cap. III.

Inter directo ſuccedentes ordine, ea quæ repræſentatio dicitur, habet locum: etiam ſi parentibus conſtante matrimonio, aut per alterum eorum eo diſſoluto expreſſim de hac reconventio facta non fuerit.

Cap. IV.

Si quis ſine liberis deceſſerit, nepoteſque collaterales ex utroque parente conjunctos babeat, iſti in illius ſucceſſione avunculos, patruoſque, amitas, materteras, & ſorores ex altero tantum latere conjunctas antecedunt.

Cap. VIII.

Repræſentatio inter collaterales locum non obtinet, niſi ex eorum omnium, quorum intereſt conſenſu.

Cap. X.

In ſucceſſione collateralium in bonis paternis, non adventitiis, proximitatis, ſanguinitatiſque ratio non habetur, ſed his qui defuncto ex eo latere unde bona profecta ſunt conjuncti eſſe reperiuntur, ea prædia adjudicari ſolent: paterna paternis, materniſque materna referendo.

Cap. XVII.

In mobilium, quæſtuumque ſucceſſione aſcendentes, deſcendenteſque fratribus, cæteriſque tranſverſalibus potiores ſunt.

Cap. XXII.

Prædium à parente quæſitum, eo mortuo, filiorum atque poſteritatis patrimonium eſt.

Cap. XXV.

Inſtitutionem heredis, ſubſtitutionemque hoc jure penitus abrogamus, exheredationem vero ex cauſis in jure comprehenſis fieri permittimus.

Quo poſteriori capite teſtandi libertas reſtringitur. Quod in multis Galliæ locis, quibus heredis inſtitutio locum non habet, obtinere teſtatur Chaſſan. *ad conſuetud. Rubric. 7. Des Succeſſions.* Argentr. *ad conſuetud. Britanniæ Ducatus. tit. 22. ad Rubric. poſt. art.* 508.

Quibus adde quod in Brittanniæ Ducatu neque ex teſtamento, neque ab inteſtato decedatur; ſed jure ſanguinis & conſuetudinario hereditates legitimæ deferantur ſecundum has regulas.

Dedans les Couſtumes Generales du Païs & Duché de Bretagne reformées en l'An. 1580.

Tit. XXIII.

Des Succeſſions & partages.

Art. 538.

8 *En ligne directe, le mort ſaiſit le vif.*

Ex conſuetudinibus territorii & Ducatus Britannici reformatis Anni 1580.

Tit. XXIII.

De Succeßione & bonorum diviſione.

Art. 538.

In linea directa mortuus vivum ſucceſſorem facit.

Art. 539.

La ligne directe, s'entend des aſcendans & deſcendans.

Art. 539.

Linea directa intelligitur adſcendentium & deſcendentium.

Art. 567.

Entre Nobles perſonnes les meubles ſont departis par moitié, au cas que la femme vueille accepter & prendre aux meubles & aux debtes, ou ſes hoirs, ſi elle eſt morte la premiere.

Art. 567.

Inter nobiles mobilia dimidiatim dividuntur, caſu quo uxor, aut heredes ejus, ſi ipſa prius fato functa ſit, mobilia & debita acceptare velit.

Art. 568.

Les harnois de guerre n'eſchéent en partage, & doivent demeurer à l'hoir principal des Nobles, & l'eſlite des chevaux, avec leur harnois.

Art. 568.

Levis armatura in familiæ erciſcundæ judicio non venier, & apud heredem præcipuum nobilium permanere debet, & cum ipſa armatura optio equorum cataphractorum.

Art. 569.

Et aura la femme Noble ſes robes & ſes joyaux.

Art. 569.

Et habebit mulier nobilis veſtimenta ſua, & reliquum mundum muliebrem.

Art. 583.

Les biens meubles des Bourgeois, & autres du tiers eſtat, ſeront partagez entre les ſurvivans & les heritiers du decedé par moitié, & payeront les debtes de la communauté par moitié, & l'heritier des frais des obſeques, & legs teſtamentaires.

Art. 583.

Bona mobilia civium paganorum aliorumque plebeorum inter ſuperviventem & heredes defuncti æqualiter dividentur, qui communia debita æqualiter ferent, ſed impenſæ funerariæ, & teſtamentarii ſumptus ab herede præſtabuntur.

Art. 586.

Aprés l'an & jour du mariage des Bourgeois ou autres du tiers Eſtat, les meubles & acqueſts ſeront communs & partagez par moitié entre les heritiers du decedé & le ſurvivant, excepté ceux qui ſont profeſſion des lettres, l'aiſné deſquels aura les livres principaux de la profeſſion du decedé.

Art. 586.

Poſt annum & diem matrimonio contracto inter plebeos aut alterius conditionis perſonas elapſum, eorundem mobilia & acquæſtus, inter defuncti heredes & ſuperviventem æqualiter dividentur, exceptis illis qui clericalis ſunt profeſſionis, quorum natu major principales profeſſionis defuncti libros præcipiet.

Art. 587.

Les enfans & autres heritiers des Bourgeois & autres du tiers Eſtat, partageront également, tant en meubles qu'heritages, en ſucceſſion directe & collaterale: & choiſiront les enfans maſles, & les maſles les deſcendans d'eux en quelque aage qu'ils ſoient, les uns apres les autres, & apres eux les filles, ſelon l'ordre de leur nativité.

Entre Bourgeois & autres du tiers Eſtat, le fils aiſné aura la principale maiſon & logis ſuffiſant, ſoit en la ville ou aux champs, à ſon choix, ſelon la quantité des biens, faiſant recompenſe aux autres, s'il la veut avoir: & s'il ne la veut avoir, le prochain apres luy la pourra avoir, faiſant ladite recompenſe. Et où il y en auroit deux, l'une aux champs, l'autre en la ville, ne pourra choiſir que l'une des deux.

Art. 587.

Liberi aliive paganorum alteriuſque vulgaris conditionis homines æqualiter divident tam mobilia, quam hereditaria in ſucceſſione directa, & collaterali, præferunturque liberi maſculi, eorumque maſculi deſcendentes cujuſmodi ſint ætatis, unus poſt alterum, poſtque eos eorundem filiæ, ſecundum nativitatis ordinem.

Inter paganos alteriuſque vilioris conditionis primogenitus principalem habebit domum & ſufficientem habitationem, ſive urbanam, ſive prædialem, pro dignitate facultatum, præſtitâ aliis compenſatione, ſi velit, & ſi habere recuſet, poſt illum proximus, ſi velit, habebit, facta eadem aliis compenſatione. Et ſi duæ exiſtant, una prædialis, altera urbana, non niſi unam ex illis eliget.

Art. 592.

Entre gens partables, toutes terres doivent eſtre departies teſte à teſte, fors le preciput cy deſſus à l'aiſné aux heritages nobles. Et en toutes ſucceſſions directes ou collaterales repreſentation a lieu, ſoit que les nepveux concurrent avec leur Oncle, ou leſdits nepveux ou couſins entr'eux. Et auront les enfans la portion que leur Pere euſt recueillie, & la departiront entr'eux teſte à teſte: & s'il y a debtes dont la ſucceſſion ſuſt chargée, chacun en payera ſelon la part & portion qu'il prendra en la ſucceſſion.

Art. 592.

Inter paganos omnia prædia in capita dividi debent, & in omni ſucceſſione directa aut collaterali repræſentationi locus erit, qua nepotes cum eorundem patruis avunculiſque eorumve liberis concurrent. Et habebunt liberi eandem portionem quam eorundem parentes habuiſſent, dividentque hereditatem inter ſe per capita: Et ſi debitis onerata fuerit hereditas, quiſque eorum partem feret, pro rata ſuæ portionis hereditariæ.

Art. 593.

Quand homme ou femme meurent ſans hoirs de leur chair, & ils ont Pere ou Mere, leurs biens meu-

Art. 593.

Quando vir aut mulier ſine herede ex ſuo corpore progenito deceſſerunt, & pater materve extiterit, eorundem

bles doivent eſtre & courver à leur Pere & leur Mere, s'ils ſont vivans, ou à celuy que ſera vivant, pourveu que le decedé ſuſt de loyal mariage. Et ſeront tenus de payer les debtes mobiliaires, & les amondements, & l'obſeque du decedé, & accomplir le teſtament: pourveu que ledit teſtament ſoit fait de la volonte du Pere, en pouvoir de qui il ſeroit. Et auſſi les conqueſts qu'il auroit faits appartiennent au Pere & à la Mere, ou à celuy qui eſt vif, comme dit eſt de meubles: & des autres heritages retourneront à la ligne, dont ils ſeroient partis. Et au cas que le decedé n'auroit enfans nez en loyal mariage, ou par mariage, ne Pere ne Mere, leurs biens meubles & leurs conqueſts ſeront à leurs hoirs prochains: c'eſt à ſçavoir, à la ligne devers le Pere, la moitié: & l'autre moitié à celle devers la Mere, à eſtre departis, le noble comme le noble, & le partable comme le partable. Et s'il y avoit conqueſt en fief noble, entre nobles, il devroit eſtre departy, comme dit eſt, la moitie à l'aiſné devers le Pere, & l'autre à la ligne devers la Mere, pour eſtre partagé, comme dit eſt. Et pour ce que la ligne vient de pluſieurs ramages, ils doivent eſtre departis chacun ramage: & le principal hoir de chacun ramage du noble, doit avoir toute l'eſchoiſte du noble, pour eſtre partagé, comme deſſus eſt dit.

rundem bona mobilia ad eos devenire & reverti debent, ſi ſuperſtites ſint, aut eorum alteri qui ſupererit, modo defunctus ex legitimo matrimonio fuerit procreatus. & tenentur exſolvere defuncti nomina, & mulctas, funeriſque impenſas præſtare, teſtamentique voluntatem exequi, modo illud teſtamentum factum fuerit conſenſu patris, in cujus fuit poteſtate. Conquæſtus etiam quos fecerit ad matrem & patrem, eorumve alterum ſuperſtitem pertinebunt, ut de mobilibus dictum eſt: & reliqua bona hereditaria ad eam lineam revertentur, unde devenerint. Caſu vero quo defunctus nec liberos, ex juſto matrimonio procreatos, aut per legitimas nuptias patrem, matremve dereliquerit, eorundem bona mobilia & conquæſtus, ad proximiores heredes deveniant, ita ut paternæ lineæ dimidium unum, maternæ alterum obveniat, nobile ut nobile, paganicum ut paganicum dividendo. Et ſi conqueſtum habebant rei feudalis, ille inter nobiles ita dividetur, ut media pars primogenito lineæ paternæ, altera maternæ obveniat. Et ſi quis ex plurium ramorum linea devenerit, in ſuo cujuſque ramo diviſio fieri debet, & heres præcipuus cujuſque ſtipitis nobilis, integram nobilium ſucceſſionem capiet.

Art. 594.

Et ſi le decedé n'a Pere ny Mere, mais ſeulement ayeul ou ayeule, freres ou ſœurs, leſdits freres ou ſœurs en leur eſtoc ſeulement, ou ceux qui les repreſentent, excluront leurs ayeuls ou ayeules auſdits acqueſts & meubles. Et où le decede n'auroit frere ny ſœur, ne autres qui les repreſentent, l'ayeul ou ayeule preferent les oncles & autres collateraux en leur eſtoc.

Art. 594.

Et ſi decedens neque patrem, neque matrem, ſed ſolummodo avum aut aviam, fratres & ſorores habuerit, ejus fratres, & ſorores, quique eos repræſentant, avum aviamve in dicto acquæſtu mobilibuſque bonis excludent. Et ſi neque fratres, neque ſorores, alioſve eos repræſentantes habeat, avus, aut avia patruis & avunculis eidemque trunco collaterali præferentur.

Dedans les Couſtumes de la Prevoſté & Vicomté du Parıs nouvellement reformé.

Ex reformatis conſuetudinibus præfecturæ & Comitatus Pariſienſis.

Tit. De Succeſſions en ligne directe & collaterale.

Tit. De Succeſſionibus in linea directa & collaterali.

Art. 302.

Les enfans heritiers d'un defunct viennent egalement
9 *à la ſucceſſion d'iceluy defunct, fors & excepté des heritages tenus en fief.*

Art. 302.

Liberi alicujus defuncti hereditarii æqualiter in ejuſdem bonis ſuccedunt, exceptis feudalibus.

Art. 311.

Pere & Mere ſuccedent à leurs enfans, nez en loyal mariage, s'ils vont de vie à treſpas ſans hoirs de leurs corps, aux meubles, acqueſts, & conqueſts immeubles: Et en defaut d'eux, l'ayeul ou l'ayeule, & autres aſcendans.

Art. 311.

Pater & mater liberis ſuis legitimis abſque legitima prole decedentibus, in mobilibus acquæſtu & conquæſtu immobilium ſuccedunt, iiſque deficientibus avus & avia, aut ulterior adſcendens.

Art. 312.

En ſucceſſion en ligne directe, propre heritage ne remonte, & n'y ſuccedent les, Pere, Mere, ayeul, ou ayeule.

Art. 312.

In ſucceſſionibus lineæ directæ, bona hereditaria non re adſcendunt. neque in iis, pater aut mater, avus, aut avia, ſuccedit.

Art. 318.

Le mort ſaiſit le vif, ſon hoir plus proche & habile à luy ſucceder.

Art. 318.

Mors in vivo herede proximo, & habili ad ſuccedendum haud interruptam continuat poſſeſſionem.

Art. 319.

En ligne directe repreſentation a lieu infiniment, & en quelque degré que ce ſoit.

Art. 319.

In linea directa repræſentationi locus eſt in infinitum, in quocunque gradu.

Art. 320.

En ligne collaterale repreſentation a lieu quand le nepveu, ou niepces viennent à la ſucceſſion de leur

Art. 320.

In linea collaterali repræſentationi locus eſt, ſi quando nepotes & neptes in ſucceſſione patruorum aut avunculo;

Digitized by Google

Oncle, ou Tante, avec les Freres, & Sœurs du decedé. Et au dit cas de repreſentation, les repreſentans ſuccedent par ſouches, & non par teſtes.

Art. 321.

Mais ſi les nepveux en ſemblable degré viennent de leur chef, & non par repreſentation, ſuccedent par teſtes, & non par ſouches, tellement que l'un ne prend non plus que l'autre.

Art. 325.

En ligne collaterale, le plus proches parens d'un enfant decede ſans hoirs, luy ſuccedent quand aux meubles & acqueſts immeubles, ſans exclurre toutesfois les Enfans des Freres & Sœurs, venans par repreſentation, comme il eſt dit cy deſſus.

Art. 326.

Et quant aux propres heritages, luy ſuccedent les parens qui ſont les plus proches du coſté & ligne dont ſont advenus & eſcheuz au deſunct leſdits heritages, encore qu'ils ne ſoyent plus proches parens du deſunct. Fors excepte qu'en fief le maſle exclud les femelles en pareil degré: ſans auſſy exclurre les enfans des freres & ſœurs venans par repreſentation, comme deſſus.

Art. 327.

Les heritiers d'un deſunct en ligne collaterale, partiſſent, & diviſent également entre eux par teſtes, & non par ſouches, les biens & ſucceſſion dudit deſunct, tant meubles, que heritages, non tenus & mouvans en fief.

Art. 328.

Excepté les enfans des freres & ſœurs, qui partiſſent, & ſont tous enſemble au lieu de pere & mere, s'ils ſuccedent avec leur oncle, & entre eux, ils partiſſent egalement.

Art. 329.

Et ſont reputez parens du coſté & ligne, ſuppoſé qu'ils ne ſoient deſcendus de celuy qui a acquis l'heritage.

Art. 330.

Et s'il n'y a aucuns heritiers du coſté & ligne dont ſont venus les heritages, ils appartiennent au plus prochain habile à ſucceder de l'autre coſté & ligne, en quelque degré ce ſoit.

Dedans les Couſtumes du Pays de Normandie, anciens reſſorts, & enclaves d'iceluy.

TIT. De Succeſſion en propre, & ancien patrimonie, tant en ligne directe, que collaterale.

Art. 237.

Le fils aiſné ſoit noble ou roturier, eſt ſaiſi de la ſucceſſion du pere & de la mere apres leur deces, pour en faire part à ſes puiſnez, & fait les fruicts ſiens juſques à ce que partage ſoit demandé par ſes freres, s'ils ſont majeurs, lors de la ſucceſſion eſcheuë, & s'ils ſont mineurs, l'aiſné eſt tenu leur rendre compte des fruicts, depuis le jour de la ſucceſſion

culorum cum eorundem defunctorum fratribus & ſororibus concurrunt. Atque eo repræſentationis caſu repræſentantes, per ſtirpes, & non per capita ſuccedunt.

Art. 321.

Sed ſi nepotes omnes æqualiter veniant inter ſe, neque per alterius repræſentationem, per capita ſuccedent, non per ſtirpes, ita ut nullus eorum plus quam alter capiat.

Art. 325.

In linea collaterali proximi alicujus abinteſtato decedentis conſanguinei illi ſuccedunt in mobilibus, & immobilium acquæſtu, idque ſemper ſine excluſione liberorum ex defuncti fratre, aut ſorore per repræſentationem venientium, ut ſupra dictum.

Art. 326.

Et in bonis propriis hereditariis proximi illis conſanguinei ſuccedent, ejus lateris & lineæ, unde ea ad defunctum per ſucceſſionem devenerunt, etiamſi proximi defuncti heredes non ſint. Excepto quod in feudis maſculi feminas excludant in pari gradu; ſine excluſione tamen liberorum ex fratre aut ſorore per repræſentationem venientium, ut ſupra.

Art. 327.

In linea collaterali defuncti heredes æqualiter inter ſe per capita, & non per ſtirpes bona ejus divident, tam mobilia, immobilia, quam hereditaria, quæ feudalia non ſunt.

Art. 328.

Exceptis fratrum & ſororum liberis qui omnes ſimul in parentum ſuorum locum cum patruis & avunculis ſuis ſuccedunt, inter ſe ſoli æqualiter hereditatem dividentes.

Art. 329.

Vocanturque conſanguinei ex latere, quod non deſcendant ab eo qui hereditatem primo acquiſivit.

Art. 330.

Et ſi non ſint heredes ejus lateris aut lineæ unde hereditas devenerit, ex altera latere, aut lineæ proximiori, ad ſuccedendum habili, obveniet, quocunque gradu exiſtat.

Ex Normandia Regionis ejuſque judicatus, & præfectura conſuetudinibus.

TIT. De Succeſſione proprii & hereditarii patrimonii, tam in linea directa, quam collaterali.

Art. 237.

Filius primogenitus, ſive nobilis, ſive plebeus, 10
continuatur in poſſeſſione per mortem patris & matris ejus, ad hoc, ut natu minoribus partem faciat, & facit fructus ſuos uſque ad diviſionis petitionem à fratribus factam, ſi majores ſint, de hereditate cavetur, ſi minores, natu maximus tenetur illis rationes reddere fructuum ab illo die quo de hereditate cautum ſit, & præter-

eſcheu : encores que partage ne luy ait eſté demandé, parce que par la couſtume il eſt tuteur naturel, & legitime de ſes freres & ſœurs.

præterea partis non petitæ: propterea quod ſecundum conſuetudinem eorundem fratrum & ſororum naturalis & legitimus ſit tutor.

Art. 238.

Pareillement le fils du fils aiſné eſt ſaiſi de la ſucceſſion de ſon ayeul, & ſa ayeule, à la repreſentation de ſon pere pour en faire part à ſes oncles, & fait les fruicts ſiens juſques à ce que ſes oncles luy demandent partage : & doivent les lots eſtre faits par le dernier des oncles, le choix demeurant audit fils de l'aiſné.

Art. 238.

Similiter & nepos ejuſdem primogeniti in bonorum poſſeſſione continuatur per avi aut aviæ ſuæ mortem, per repræſentationem in parentis ſui locum, ut cum patruis & avunculis ſuis partem faciat, fructuſque ſuos facit, uſque dum iidem patrui & avunculi diviſionis fecerint petitionem, eorumque junior per ſortem cuique ſuas aſſignaverit partes, rebus interim penes dictum nepotem remanentibus.

Art. 239.

S'il n'y a enfans de l'aiſné, vivans lors que la ſucceſſion eſcheoit, en ce cas le ſecond fils tient la place & a les droicts de l'aiſné, & ainſi ſubſecutivement des autres.

Art. 239.

Si ejuſdem primogeniti nulli liberi extent qui de hereditate cavere poſſunt, eo caſu ſecundus in ejus locum & primogenituræ jura ſuccedit, atque ita ſubſequenter in cæteris.

Art. 240.

Encores qu'il n'y euſt qu'une fille de l'aiſné, elle a par repreſentation de ſon pere en ligne directe pareil droict de prerogative d'aiſneeſſe que ſon pere euſt eu, & en ligne collaterale auſſi, pour le regard de la ſucceſſion ancienne.

Art. 240.

Item, ſi una ſit niſi filia prædefuncti filii primogeniti, habebit & illa per repræſentationem in parentis ſui locum in linea recta jus primogenituræ, quod pater ejus habuit: itidem in linea collaterali, quoad ſucceſſionem avitam.

Art. 241.

Pere & mere, ayeul ou ayeule, ou autre aſcendant tant qu'il y a aucun deſcendu de luy vivant, ne peut ſucceder à l'un de ſes enfans.

Art. 241.

Pater & mater, avus vel avia, aut alterius adſcendens, ſi quando aliquis ex deſcendentibus in vivis ſuperſit, liberis ſuis ſuccedere non poſſunt.

Art. 242.

Les pere & mere excluent les oncles & tantes à la ſucceſſion de leurs enfans : Et les oncles & tantes excluent l'ayeul & l'ayeule en la ſucceſſion de leurs nepveux & nieces, & ainſi des autres.

Art. 242.

Pater & Mater excludunt patruos & avunculos à ſucceſſione ſuorum liberorum: ſicut & patrui & avunculi avum & aviam à nepotum ſuorum ſucceſſione excludunt, & ſic in cæteris.

Art. 243.

Les oncles & tantes excluent les couſins en la ſucceſſion de leurs nepveux & nieces.

Art. 243.

Patrui & avunculi, patrueles conſobrinoſque à nepotum ſuorum ex fratre ſucceſſione excludunt,

Art. 245.

Les heritages venus de coſté paternel retournent touſiours par ſucceſſion aux parens paternels : comme auſſi ſont ceux du coſté maternel aux maternels, ſans que les biens d'un coſté puiſſent ſucceder à l'autre, en quelque degré qu'ils ſoyent parens, mais pluſtoſt les Seigneurs deſquels leſdits biens ſont tenus & mouvans y ſuccedent.

Art. 245.

Hereditas à paterna linea veniens per ſucceſſionem ſemper revertitur ad paternæ lineæ conſanguineos, quemadmodum etiam ſi à materna linea devenerit, ad maternos cognatos ſuccedit: neque bona unius lateris ad alterius lateris cognatos devolvuntur, quotocunque gradu defunctum contingant, ſic ut territorii domini ſæpius eadem bona retineant, inque iis ſuccedere prætendant.

Art. 246.

Ce qui ſe doit entendre non ſeulement des biens qui deſcendent des Peres, & Meres : mais auſſi des autres parens paternels, & maternels, pourveu que les biens fuſſent propres en la perſonne de la ſucceſſion duquel eſt queſtion.

Art. 246.

Quod intelligendum eſt, non de bonis omnibus à patre aut matre devenientibus, ſed de aliis à paternorum, maternorumve conſanguineis provenientibus, quæ propriæ ejus fuerunt de cujus ſucceſſione quæritur.

Art. 249.

Les filles ne peuvent demander ne prendre aucune partie en l'heritage de leur Pere & Mere, contre leurs freres, ne contre leurs hoirs : mais elles leur peuvent demander mariage advenant.

Art. 249.

Filiæ nullam hereditatis paternæ partem à fratribus eorumve ſucceſſoribus petere poſſunt, ſed tantummodo ut ejus reſpectu dotem accipiant.

Oo TIT.

TIT. Des ſucceſſions Collaterales en meubles, acqueſts, & conqueſts.

Art. 304.

En ſucceſſion de meubles, acqueſts & conqueſts immeubles, en ligne collaterale, repreſentation a lieu entre les Oncles & Tantes, nepveux & niepces, au premier degré tant ſeulement.

Art. 305.

Les nepveux & niepces venans à la repreſentation de leur Pere ou Mere, ſuccedent par ſouches avec leurs Oncles & Tantes, & n'ont tous les repreſentations enſemble, non plus que leur Pere, ou Mere, eut peu avoir.

Art. 306.

Et où il n'y auroit qu'une, ou pluſieurs Sœurs du deffunct ſurvivantes, les enfans des Freres decedez ne les excluront de la ſucceſſion, comme euſſent fait leurs Peres, s'ils eſtoient vivans, mais ſuccederont par ſouche avec leurſdites Tantes: auquel cas des enfans des Sœurs decedées ſuccederont à la repreſentation de leurs Meres par ſouches, comme les enfans des Freres.

Art. 307.

Les enfans des Sœurs decedees ne ſuccedent à la repreſentation de leurs Meres, avec leurs Oncles, Freres du defunct, mais bien ſuccedent avec leurs Tantes, s'il n'y a Freres du deffunct vivant.

Art. 308.

Les enfans des Freres aiſnez, venans par repreſentation de leur Pere, ne prendront aucun preciput, ou droict d'aiſneeſſe en la dite ſucceſſion de meubles, acqueſts & conqueſts en ligne collaterale, au prejudice de leurs Oncles ou Tantes.

Art. 309.

Les Freres excluent les Sœurs, & les deſcendans des Freres excluent les deſcendans des Sœurs eſtans en pareil degré.

Art. 310.

Les paternels preferent les maternels en parité de degré.

Art. 311.

Le Frere de Pere ſuccede également avec le Frere de Pere & de Mere.

Art. 312.

Le Frere uterin ſuccede également avec le Frere de Pere & de Mere.

Art. 313.

Les enfans du Frere uterin en premier degré, ſuccedent avec les enfans du Frere de Pere & de Mere.

Art. 314.

Le Frere de Pere ou de Mere ſeulement prefere les Sœurs de Pere & de Mere.

TIT. *De Succeſſione Collateralium in mobilibus, acquaeſtu, & conquaeſtu.*

Art. 304.

In ſucceſſione mobilium, acquæſtuum & conquæſtuum immobilium in linea collaterali, repræſentationi locus eſt inter patruos & avunculos, eorumque ſimul liberos primi gradus.

Art. 305.

Liberi & nepotes per repræſentationem in parentum ſuorum locum venientes per ſtirpes cum patruis & avunculis ſuis ſuccedunt, neque plures ſimul repræſentantes plus accipiunt, quam eorum parens habuiſſet.

Art. 306.

Et ubi quis non habeat niſi ſororem unam, aut plures ſuperviventes, liberi fratrum prædefunctorum eas à ſucceſſione non excludent, ſic ut pater eorum feciſſet, ſi in vivis eſſet, ſed in ſtirpes ſuccedent cum dictis ſuis amitis aut materteris: quo caſu etiam liberi ſororum prædefunctarum per matris ſuæ repræſentationem, ſic ut fratrum liberi, ſuccedit.

Art. 307.

Sororum prædefunctarum liberi non ſuccedunt per maternam repræſentationem cum patruis ſuis, ſed tantum cum amitis, aut materteris, ſi defuncti frater nullus ſuperſit.

Art. 308.

Primogenitorum liberi per repræſentationem in parentum ſuorum locum venientes, nihil præcipuum habent ex primogenituræ jure, in ſucceſſionibus mobilium, acquæſtuum, aut conquæſtuum in linea collaterali, in præjudicium eorundem patruorum, avunculorumve.

Art. 309.

Fratres excludunt ſorores, & deſcendentes ex fratribus excludunt ex ſororibus deſcendentes in pari gradu.

Art. 310.

Paterni præferuntur maternis ejuſdem gradus.

Art. 311.

Frater conſanguineus æqualiter cum fratre germano ſuccedit.

Art. 312.

Frater uterinus æqualiter cum fratre germano ſuccedit.

Art. 313.

Liberi fratrum uterinorum primi gradus ſuccedunt cum liberis fratrum germanorum.

Art. 314.

Frater germanus ſolus præfertur ſororibus germanis.

Soror

Art. 315.

La Sœur de Pere ſuccede egalement avec la Sœur de Pere & de Mere.

Art. 316.

La Sœur uterine ſuccede égalemeut avec la Sœur de Pere & de Mere.

Art. 317.

En ladite ſucceſſion, il y a repreſentation de ſexe, & les deſcendans des Freres perferetont les deſcendans nes Sœurs eſtans en pareil degre.

Art. 319.

Les Freres partengent entre eux egalement la ſucceſſion des meubles, acqueſts, & conqueſts immeubles.

Art. 320.

Les nepveux, arriere nepveux, & autres eſtans en ſemblable degré, ſuccedent à leurs Oncles, & Tantes par teſte, & non par ſouches, tellement que l'un ne prend non plus que l'autre.

Dedans les Couſtumes generales du Païs & Duché de Bourbonnois.

Chapitre XXV.

Des Succeſſions.

Art. 299.

21 *Le mort ſaiſit le vif ſon plus prochain heritier habele à luy ſucceder ab inteſtat, ſans apprehenſion de fait.*

Art. 301.

En ſucceſſion de gens nobles, le fils aiſné, ou ſon fils aiſné, apres ſon treſpas, emporte pour ſon droict d'aiſneſſe le nom & des armes du defunct, le caſtel, ou maiſon principale, en preciputte, & avantage, &c.

Art. 304.

Entre filles, n'y a point de droict d'aiſnéeſſe.

Art. 305.

Fille mariée & appanée par Pere ou par Mere, ayeul ou ayeule, paternels ou maternels apres le decez de ſes Pere ou Mere, ayeul ou ayeule paternels ou maternels, ne peut demander legitime, ne ſupplement d'icelle, ne auſſi venir à ſucceſſion collaterale dedans les termes de repreſentation, tant qu'il y ait maſle, ou deſcendant de maſle, ſoit maſle ou femelle, heritans es dites ſucceſſions, combien, qu'elle n'y ait expreſſement renoncé; mais en ſucceſſion collaterale, hors les termes de repreſentation, elle, ou ſes deſcendans, ſuccedent avec les maſles, ou leurs deſcendans, ſelon la prerogative du degre: & en deffault de maſle, ou deſcendans de maſle, ladite fille, ou ſes deſcendans, viennent à la ſucceſſion du dernier deſcendant des dits maſle, ſelon ladite prerogative.

Art. 306.

Les termes de repreſentation ſont es ſucceſſions directes des aſcendans ou deſcendans in infinitum, *& en*

Art. 315.

Soror conſanguinea æqualiter cum ſororibus germanis ſuccedit.

Art. 316.

Soror uterina æqualiter ſuccedit cum ſororibus germanis.

Art. 317.

In dicta ſucceſſione repræſentatio ſexus eſt, & deſcendentes ex fratribus illis, qui ex ſorore ſunt ejuſdem gradus, præferuntur.

Art. 319.

Fratres inter ſe æqualiter dividunt mobilia, acquæſtus, ac conquæſtuum immobilia.

Art. 320.

Nepotes ulterioreſque deſcendentes & reliqui pari gradu exiſtentes patruis & avunculis ſuis in capita ſuccedunt, & non per ſtirpes, ſic ut unus non plus capiat quam alius.

Ex conſuetudinibus generalibus Regionis & Ducatus Borbonenſis.

Cap. XXV.

De Succeſſionibus.

Art. 299.

Mortuus ſaiſit vivum proximum ſuum heredem ad ſuccedendum habilem, ſine actuali apprehenſione.

Art. 301.

In ſucceſſione mobilium, primogenitus ejuſve liberi primogeniti, ex jure primogenituræ præcipiunt nomen, & inſignia defuncti, caſtellum aliamve domum principalem, cum omni cauſa, &c.

Art. 304.

Inter filias jus primogenituræ non habet locum.

Art. 305.

Filia nupta & dotata à patre aut matre, avo aviave paterna vel materna, decedente eodem patre, matre, avo, aut avia, non poteſt petere legitimam, neque ſupplementum ejus, neque etiam infra metas repræſentationis in collaterali ſucceſſione venire poteſt, ſi ſint maſculi, aut ex maſculis deſcendentes, qui ſive maſculi ſive feminæ in dicta hereditate ſuccedunt, niſi ei expreſſe renunciaverint. Sed in laterali ſucceſſione extra repræſentationis metas, illa, ejuſdemve deſcendentes cum maſculis & eorum deſcendentibus ſuccedent, ſecundum gradus prærogativam, & deficientibus maſculis, aut ex iis deſcendentibus, dicta filia ejuſve deſcendentes venient ad ſucceſſionem ulteriorum ex dictis maſculis deſcendentium, ſecundum dictam prærogativam.

Art. 306.

Repræſentationi locus eſt in linea adſcendenti, & deſcendenti in infinitum, & in linea collaterali in fratri-

 bus

ligne collaterale des Freres & des Sœurs, ou de leurs enfans, & ſe partent deviſent les biens d'un defunct, en ſucceſſion eſtans hors les termes de repreſentation, egalement entre les heritiers d'iceluy par teſtes, & non per ſtirpes *tant meubles qu'heritages; mais dedans leſdits termes de repreſentation leſdites ſucceſſions ſe partent* per ſtirpes *tant meubles qu'heritages.*

bus & ſororibus, eorumque liberis, dividuntque bona in ſucceſſione exiſtente extra repræſentationis metas æqualiter per capita, inter ſe, & non per ſtirpes, tam mobilia quam hereditaria; ſed intra metas repræſentationis dicta hereditas tam mobilium quam hereditariorum per ſtirpes dividitur.

Art. 314.

Les aſcendans ne ſont heritiers, & ne ſuccedent à leurs deſcendans en directe ligne, reſerve les Peres ou Meres, ayeuls ou ayeules, paternels ou maternels reſpectivement, leſquels ou l'un d'eux apres le decez de l'autre, ſuccedent à leurs enfans es biens meubles & aux conqueſts faits par leurs dits enfans decedez, avec leurs autres Freres & Sœurs germains ou leurs enfans, par egale portion. Et s'il n'y a Freres ou Sœurs germains, ou enfans deſcendans d'eux, leſdits Pere ou Mere, ayeul ou ayeule deſſus dits, ſont entierement heritiers deſdits meubles & conqueſts, & en forcluent les Freres, & Sœurs uterins, & paternels, & autres parens.

Aſcendentes non ſunt heredes, neque ſuccedunt liberis ſuis deſcendentibus in recta linea, reſervata ſolum patri & matri, avo, vel aviæ paternis aut maternis, aut alterno præmortuo, alterutri eorum, mobilium, & conquæſtuum à defunctis liberis factorum ſucceſſione cum defunctorum fratribus & ſororibus germanis eorumque liberis æqualiter partienda: deficientibus fratribus & ſororibus germanis, eorumque deſcendentibus liberis, prædicti pater, & mater, aut avus & avia ſoli ſuccedunt in dictis mobilibus & conquæſtibus, cum excluſione fratrum uterinorum & conſanguineorum.

Art. 315.

Quand aucun va de vie à treſpas ſans hoirs deſcendans d'iceluy, & ſans Pere & Mere, ayeul ou ayeule, les plus prochains du coſte, & eſtoc paternel, ſuccedent pour la moitié des meubles, & conqueſts, & les plus prochains du coſte maternel en l'autre moitie: & aux heritages ſuccedent les plus prochains lignagers des eſtocs dont ils ſont venus, ſoit en ligne directe ou collaterale.

Siquis decedat, nullis neque deſcendentibus, neque patre, matre, avo, aviave relictis, proximior heres ex collaterali paterna linea ſuccedit pro dimidio in mobilibus & conquæſtibus, pro altero dimidio venit proximior ex materna linea heres, & in hereditariis bonis ſuccedunt proximiores ejus lineæ unde bona devenerunt, tam in linea directa quam collaterali.

Dedans Couſtumes du Comté & Païs du Poictou.

Ex Conſuetudinibus Regionis & Comitatus Pictavienſis.

Tit. *Des Succeſſions.*

Tit. De Succeſſionibus.

Art. 277.

En toutes ſucceſſions ſoyent nobles ou roturiers, directes ou collaterales, repreſentation à lieu infiniment, tant que lignage ſe peut compter & recognoiſtre.

In omni ſucceſſione tam nobilium quam plebejorum directæ, quam collateralis lineæ, repræſentatio 12
locum habet in infinitum, etiam linea quæ ab alio recognoſcitur.

Art. 279.

Le mort ſaiſit le vif ſon plus prochain heritier habile à luy ſucceder: & ſans autre poſſeſſion ſe peut ledict heritier complaindre en cas de ſaiſine & de nouvelleté; ou appleger dedans l'an & jour de la mort du predeceſſeur, pour avoir eſte trouble & empeſché es biens de la ſucceſſion.

Mortuus ſaiſit vivum proximum ſuum heredem ad ſuccedendum habilem: poteſtque heres ſine alia actuali immiſſione in novo poſſeſſorio agere, & intra annum & diem à morte defuncti de turbata bonorum hereditariorum poſſeſſione conqueri.

Art. 280.

Entre roturiers, ſoit en meubles, ou heritages, & ainſi entre les nobles au regard des heritages roturiers, n'y à aucune difference, ſoit en ſucceſſion directe, ou collaterale, ſoyent fils ou fille: car tous ſuccedent par teſtes; excepte que ſi eſt aucun heritage noble, &c.

Inter plebejos, ſive in mobilibus ſive hereditariis bonis, itemque inter nobiles, quoad ſucceſſiones communes nulla differentia eſt, tam in directa quam collaterali linea, ſive ſint filii ſive filiæ, omnes enim per capita ſuccedunt, exceptis feudalibus, &c.

Art. 284.

Pere, Mere, ayeul, ou ayeule, & autres aſcendans ſuccedent à leurs enfans decedez ſans hoirs procréez de leur chair, en leur meubles, & acqueſts immeubles; toutesfois ſi leſdits enfans avoyent Freres ou Sœurs, leſdits Pere, Mere, ayeul, ou ayeule, ſeront tenu leur garder leſdits acqueſts, pour eſtre entre eux partagez, comme ſuccedans à leur Frere decedé.

Pater, mater, avus aut avia, ulterioreſve aſcendentes ſuccedunt liberis ſuis ſine legitima prole decedentibus, in eorundem bonis mobilibus, & conquæſtibus immobilibus: Sed quotieſcunque iidem liberi dereliquerint fratres & ſorores, prædicti pater, mater, avus aut avia dictos acquæſtus iis conſervare tenentur, ut eos dividant, eo modo quo eidem fratri prædefuncto ſucceſſiſſent.

Simi-

13 Similis fere eſt Toloſæ & Albienſis conſuetudinaria inteſtati ſucceſſio, à Philippo Francorum Rege Anno Milleſimo ducenteſimo octuageſimo quinto publico diplomate confirmata. Rubric. *De Succeßionibus ab inteſtato:* his verbis: Noverint, &c. „ Quod uſus ſeu conſuetudo eſt „ Toloſæ: quod ſi aliquis homo, vel femina non habens patrem, ab inteſtato diſcedat, quod „ omnia bona, & res & jura, mobilia, & immobilia illius perſonæ defunctæ remanent, & de- „ volvuntur propinquiori, ſeu propinquioribus illius perſonæ defunctæ, in gradu parentelæ ex „ parte patris. Et ſi forte illa perſona defuncta patrem habet tempore ſuæ mortis, pater illius per- „ ſonæ defunctæ ſuccedit in bonis illius, & ei remanent, & devolvuntur de conſuetudine „ Toloſæ.

Poterant & his plura addi, ſed ne particularium enodatio ultra modum excreſcat, pro generali Galliæ locorum ſtatutariæ ſive conſuetudinariæ ſucceſſionis cognitione hæc ſufficere viſa ſunt.

Cap. XX.

De Angliæ Scotiæque Regnorum, inteſtati Succeſſione.

Summaria.

1. *Hereditas apud Anglos quæ & qualis.*
2. *Succedendi ordo circa feudorum Anglicorum ſucceſſionem.*
3. *Quæ ſit reliquorum bonorum inteſtata ſucceßio.*
4. *Quæ ſit Scotiæ Regni inteſtata ſucceßio.*
5. *Veteres Scotiæ leges & ſtatuta ſucceſſoria.*

1 Hereditatis apud Anglos, ab aliis plane diverſa ratio eſt, quæ non eſt in univerſum jus defuncti, ſed in feudum tantum ſucceſſio, quia allodialia, quæ Catalla vocant, ſive perſonalia, ſive realia, ad nominatos executores, aut ab inteſtato ad ordinarium, & per eum conſtitutos adminiſtratores deferuntur. Perkin. *tit. Grawnts. num.* 48. *in fin.* Glanvill. *lib.* 7. *cap.* 16. aut ſi nemo adminiſtrare velit, per ordinarium ſuo periculo ſequeſtrantur. *Statut. Ann.* 13. *Ed.* 1. *c.* 19. *& Ann.* 31. *Ed.* 3. *c.* 11. *& Ann.* 21. *Henr.* 8. *c.* 5. Fleta *lib.* 2. *cap.* 57. *§. item ſi liber.* Dyer. *fol.* 277. *num.* 57. Qui pro illa parte patrimonii heredis locum occupant, & perſonam defuncti ſubeunt, ſi ſaltem onus delatum in ſe ſuſcipiant. Brocus *Executors.* 5. 21. 22. 57. 84. 77. 122. Plowd *caſu pat amour. fol.* 943. *b.* adeo ut Viduæ teſtatoris veſtes auferri poſſint, ſi delicatioribus, aut ſumptuoſioribus utatur, quam viri conditio ferebat. Brocus *Executors.* 19.

Eſt itaque hereditas illis, ſucceſſio in univerſum jus feudale quod defunctus ex quacunque cauſa acquiſitionis vel ſucceſſionis, habuit. Quod ſemper deorſum deſcendit recta linea vel tranſverſali: & nunquam reaſcendit ea via, qua per mortem anteceſſorum deſcendit, præterquam à latere, ubi etiam quandoque aſcendit per defectum heredum inferius provenientium, Glanvil. *lib.* 7. *cap.* 1. Bract. *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 1. Fleta *lib.* 6. *cap.* 1 *§. ſucceßio, & cap.* 2. *in pr.*

2 Heres eſt qui defuncto proximus eſt conſanguineus, ſucceditúrque hoc modo atque ordine: ut primogenitus filius patri ſolus in feudo ſuccedat: ſi alter maſculus, altera femina ſit, maſculus feminæ præfertur, ſin autem filii non ſint, ſed filiæ, omnes filiæ coheredes erunt: quod idem in neptibus & proneptibus obtinet, ſi nepotes aut pronepotes deſint: & quamdiu aliquis in linea recta deſcendenti ſupereſt, tranſverſali lineæ locus non eſt. Bract. *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 1. Fleta *lib.* 6. *cap.* 2. *in princip.*

In linea tranſverſali heredes ſunt illi qui integrum defuncti ſanguinem participant, ſic ut frater germanus, uterinum, & conſanguineum excludat, Litlet. *lib.* 1. *cap.* 1. Brit. *cap.* 119. *num.* 7. Fleta *lib.* 6. *cap.* 1. *§. omnes autem*, *§. jus etiam*, *& §. quandoque.* Et nec tantum à fratre germano, ſed & à patruo aut avunculo, utrimque conjuncto, defuncti frater conſanguineus aut uterinus excludatur. Litler. *ibid.* Vide Cocum *lib.* 3. *caſu Ratclif. fol.* 40. *b.* 41. *a. b. &* 42. *a.*

In linea tranſverſali, deſcendentium etiam linea per fratrem ad ejus liberos prior & potior eſt, rurſumque ex aſcendenti per patruum, & ſic deinceps nemo ſuccedit, niſi deficientibus iis, qui è deſcendenti ſunt. Bract. *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 1. Brit. *cap.* 119. Ex deſcendenti quidem linea ſuccedit is qui propior eſt gradu, quæ linea ſi defecerit, ſuccedit is, qui in adſcendenti tranſverſali defuncto proximus eſt. Bract. *d. loco.* Fleta *lib.* 6. *cap.* 2. *§. illis autem.* Si duo in eodem gradu ſint, & ambo maſculi, præfertur natu major, ſi alter maſculus, altera femina, maſculus feminæ præfertur, ut in linea recta. Brit. *d. cap.* 119. *num.* 1. 2. *&* 7.

Ubi hereditas à parte matris venit, filio ſine liberis decedenti, proximus conſanguineus à

parte matris heres exiſtit, non ex ſolo parre frater. Brit. *d. cap.* 119. *num.* 7. ſed ſi filius feudum pecuniis ſuis acquiſiverit, & ſine liberis moritur, agnatum proximum à parte patris ſucceſſorem habet, non cognatum à parte matris, niſi ob agnationis paternæ defectum. Litlet. *lib.* 1. *cap.* 1. Cocus *lib.* 3. *caſu Ratclif. fol.* 39. *b.*

Quæ breviter de feudorum Anglicorum ſucceſſione legitima dicta ſint, reliqua bona, ut dixinus, executoribus nominatis à teſtatore aut alias ordinario, ejuſve adminiſtratoribus cum hereditatis onere cedunt: neque uxor, neque liberi de illis defuncti bonis quicquam amplius capiunt, quam iis ſpecialiter relictum eſt, quod pro jure communi ſervatur, teſte Glanvill. *lib.* 7. *cap.* 5. *&* 7. Bracton. *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 2. Niſi quod quibuſdam Comitatibus, ad partem aliquam paternorum bonotum recuperandam, conſuetudo ſit, ut Catalia, debitis defuncti, ſi quæ ſint, ſolutis, quæ ſuperſunt in tres partes dividantur, quarum una liberis, ſecunda uxori, tertia liberæ teſtatoris diſpoſitioni relinquatur, ſi liberi non ſint, dimidium defuncto, alterum dimidium uxori: ſi uxor non ſit, unum liberis, alterum defuncto reſervetur liberum: vocantque hanc partem rationabilem, teſte Johanne Cowel *Inſtit. Juris Anglicani. lib.* 2. *tit.* 18. §. 1. 3

Similis fere eſt Scotiæ Regni inteſtatorum ſucceſſio, quibus etiam primogenitus poſtnato, (exceptis paucis) maſculus feminæ præfertur, & deſcendentium cauſa prima eſt, ſecunda collateralium: ut veteribus Scotiæ legibus, quibus tit. *Regiam Majeſtatem*, cautum exſtat, *lib.* 2. *cap.* 26. *& ſeqq* His verbis: 4

Cap. XXVI. 5

De Succeſſione filii ad patrem.

Art. 1.

Cum quis hereditatem habens moritur, ſi unicum filium habuerit heredem: indiſtincte verum eſt, quod ipſe filius in totum ſuccedit patri, ex quacunque uxore, ſive prima, media vel ultimo natus.

Art. 2.

Et ideo ſi quis habuerit plures uxores, & ex qualibet filiam ſive filias genuerit: & ex poſtrema uxore genuerit unicum filium, ille ſolus filius obtinebit totam hereditatem.

Cap. XXVII.

De Succeſſione liberorum ad patrem.

Art. 1.

Si quis plures reliquerit filios, diſtinguitur, utrum fuerit miles per feudum militare, aut liber Soccomannus.

Art. 2.

Si pater fuerit miles, ejus filius primogenitus ſuccedit in totum: ita ut nullus fratrum ſuorum, partem inde, de jure petere poſſit.

Art. 3.

Si fuerit liber Soccomannus, dividetur hereditas inter omnes filios per partes æquales; ſi fuerit ſocagium illud antiquitus diviſum.

Art. 4.

Salvo tamen capitali meſſuagio primogenito ſuo, pro dignitate primogenituræ. Ita quod in aliis rebus latisfiat aliis fratribus ad valentiam.

Art. 5.

Si non fuerit antiquitus diviſum, primogenitus ſecundum quorundam conſuetudinem totam obtinebit hereditatem: & ſecundum conſuetudinem aliorum poſt natus filius heres eſt.

Art. 6.

Si autem Soccomannus unicum filium reliquerit, is erit heres in totum.

Ad cujus capitis intelligentiam nota quod Soccomanni ſint illi qui vitium aratri tenent, & Vaſallus Soccomannus dicitur qui domino ſuo, in exercenda agricultura cum ſocco & aratro inſervit, qui fere conveniunt cum colonis adſcriptitiis Romanis, & Germaniæ ruſticis colonis, quos proprios homines vocant, vulgo Lepbergen / liber Soccomannus dicitur, quaſi, liber homo plebejus, qui militi opponitur. Soccagium hic eſt reliqua hereditas, extra feudum militare, meſſugium, eſt domus habitationi idonea.

Sequitur:

Cap. XXVIII.

De Succeſſione filiarum ad patrem.

Art. 1.

Idem dicendum eſt de filia una relicta, quod dictum eſt de uno filio.

Art. 2.

Si autem quis plures habuerit filias, inter eas dividetur hereditas, ſive fuerit miles, ſive Soccomannus, ſive Burgenſis, ſive alius liber homo pater earum.

Salvo

Art. 3.

Salvo tamen meſſuagio capitali primogenitæ, ſub forma præſcripta.

Art. 4.

Notandum eſt tamen, quod ſi quis fratrum vel ſororum, inter quos vel quas hereditas diviſa fuerit ſine herede de corpore ſuo moriatur, ejus portio cæteris fratribus & ſororibus dividetur.

Cap. XXX.

Filius præfertur filiæ in Succeſſione patris.

Art. 1.

Si vero filium quis habuerit heredem, & præterea filiam vel filias, filius ſuccedit in totum.

Art. 2.

Quia generaliter verum eſt, quod mulier nunquam cum maſculo partem capit in hereditate aliqua.

Cap. XXXI.

Pro qua portione ſuccedent filiæ diverſarum uxorum.

Art. 1.

Porro contingit quandoque, quod ſi quis plures habuerit uxores, & ex qualibet filiam, vel filias generaverit, tum omnes filiæ venient pariter ad hereditatem, eodem modo ac ſi omnes eſſent ex eadem matre.

Art. 2.

Et hoc intelligendum eſt de hereditate veniente ex parte patris.

Art. 3.

Nam ſi hereditas deſcendat ex parte matris, filia illius matris ſuccedet in totam hereditatem.

Cap. XXXII.

De modo quo Nepotes & Neptes ſuccedunt.

Art. 1.

Si quis autem moritur ſine herede filio, vel filia; & habuerit nepotes, vel neptes ex filio, vel filia; tunc quidem indubitanter omnes ſuccedunt illi, eo modo quo determinatum eſt ſupra de filio & filiabus, & ſub eadem diſtinctione.

Art. 2.

Illi enim qui ex recta linea deſcendunt, ſemper præferuntur illis, qui ex tranſverſa lineâ proveniunt.

Cap. XXXIII.

De filio poſt nato, & Nepote ex primogenito filio.

Art. 1.

Quum quis moritur habens filium poſt natum, & ex primogenito jam mortuo nepotem, magna juris ſolet eſſe dubitatio, uter eorum præferendus ſit in illa ſucceſſione, ſcilicet utrum filius vel nepos?

Art. 2.

Dicunt quidam, filium poſt natum rectiorem eſſe heredem, quam nepotem talem, &c.

Art. 3.

Aliis vero viſum eſt contrarium, videlicet talem nepotem de jure, patruo eſſe præferendum.

Quod ex repræſentationis ratione receptum videtur ex iis quæ notat Johann. Skenæus *ad dict. cap. verſ. 5.*

Cap. XXXIV.

De Heredibus Collateralibus.

Art. 1.

Deficientibus iis qui ex recta linea deſcendunt, tunc frater vel fratres ſuccedunt.

Art. 2.

Et ſi non reperiantur fratres, vocandæ ſunt ſorores.

Art. 3.

Quibus præmortuis, eorum liberi vocantur.

Art. 4.

Poſt eos & eas Avunculi, vel eorum liberi.

Art. 5.

Poſtremo materteræ, vel earum liberi.

Art. 6.

Habita quoque diſtinctione ſemper obſervata ſuperius poſita inter filios militis, & filios Soccomanni, & ſuper nepotes, habita quoque diſtinctione inter maſculos & fœminas.

Sed & hîc, quod in quibuſdam Angliæ Comitatibus obtinere diximus, conſuetudinis eſſe videtur: ut de immobilibus per ultimam voluntatem nihil poſſit diſponi, in mobilibus tantum pro tertia parte, altera uxori, altera liberis relicta: ut *ibid.*

Cap. XXXVII.

In quot partes dividuntur bona teſtatoris.

Art. 1.

Cum quis in infirmitate poſitus, teſtamentum facere voluerit, ſi debitis non fuerit involutus, omnes res ejus mobiles in tres partes dividentur æquales.

Art.

Art. 2.

Quarum una debetur heredi (id eſt liberis) ſecundæ uxori, tertia reſervetur teſtatori.

Art. 3.

De qua tertia parte teſtator liberam diſponendi facultatem habebit.

Art. 4.

Verum ſi ſine uxore deceſſerit, medietas ſibi reſervatur.

Art. 5.

De hereditate vero in ultima voluntate nihil poteſt diſponere.

Cap. XXI.

De legitima Hiſpaniæ, Italiæ, adjacentiumque Regionum, inteſtatorum Succeſſione.

Summaria.

1. *De Hiſpaniæ, & Italiæ inteſtatorum ſucceſſione.*
2. *Statutum Ducatus Mediolanenſis.*
3. *Statutum Civitatis Bononienſis.*

IN Hiſpania, circa inteſtatorum Succeſſiones ubique fere jus ſcriptum ſequuntur. Qua ratione Marius Muta in Commentariis ſuis ad conſuetudines Senatus Panormitani *cap.* 47. circa finem, inteſtatorum ſucceſſionis tractatum omittit, quod in jure ejus materia ſit clara, lectoremque *ad tit. Inſtit. de Hered. ab inteſtat. venientib. & Novell.* 118. velut ejus ſedem, remittit. 1

Sed in Italiæ quibuſdam locis, ex feudali jure in cæteris etiam conſuetudinarii juris eſſe videtur, ut in ſucceſſionibus tam deſcendentium, quam collateralium maſculi fœminis præferantur. Quomodo in Mediolanenſi Ducatu maſculi deſcendentes in ſucceſſionibus adſcendentium fœminis præferuntur, & frater, fratriſque maſculus defuncti ſororem excludit, ſub onere tantum idoneè dotandi atque alimentandi eas; agnatuſque maſculus uſque ad ſeptimum gradum incluſive, cæteras mulieres à latere venientes, atque etiam adſcendentes ex linea materna, excludit, prout latius ex ſubjecto Staturorum ejuſdem Ducatus authentico textu cuique patebit. Quod ita ſe habet: 2

Rubric. De Succeſſionibus ab inteſtato.

Cap. CCLXXVIII.

Qualiter maſculi deſcendentes præferantur fœminis, in ſucceſſionibus aſcendentium, utriuſque ſexus.

In ſucceſſionibus aſcendentium ex linea maſculina, decedentium ab inteſtato, maſculi deſcendentes præferantur fœminis, natis ex eodem matrimonio, & etiam fœminis, ex alio matrimonio natis, & ab eis fœminis, tamen ex primo, quam ex alio quolibet matrimonio natis deſcendentibus, ut ſupra, & etiam ex eis fœminis natis, ex deſcendente maſculo præmortuo, ante mortem ejus aſcendentis, ex linea maſculina, de cujus hereditate tractari continget. Teneantur tamen, eo caſu, ipſi maſculi dotare temporaliter, vel ſpiritualiter decenter, ſecundum qualitatem perſonarum, & vires patrimonii ipſius decedentis, eas fœminas ex linea maſculina deſcendentes, excluſas ut ſupra, infra decimum octavum annum ſuæ ætatis completum ad minus, ſi dotatæ non fuerint. Et interim teneantur eas condecenter alimentare. Et ſi prædictæ mulieres non fuerint dotatæ infra tempus prædictum, ut ſupra, admittantur ad petendum, uſque ad tertiam partem eius, quod habituræ eſſent de jure communi, ſit deceſſiſſet aſcendens ab inteſtato, ac ſi fuiſſent heredes à principio pro ipſa tertia parte, quam tertiam partem poſſint conſequi, in, & ſuper bonis, per dictum defunctum relictis. Et eo in caſu, intelligantur fuiſſe, ſteriſſe, & perſeveraſſe in poſſeſſione, & tenuta dictæ tertiæ partis, ac ſi à principio fuiſſent heredes, non obſtante aliqua alienatione, facta per dictos maſculos excludentes. Et cridæ factæ de ipſis bonis, non præjudicent dictis mulieribus, pro ipſa tertia parte. Salvo tamen, quod, ſi prædictæ mulieris infra dictum tempus non dotatæ, & ut ſupra, elegerint potius dotari concedenter, quam dictam tertiam partem, ut ſupra, conſequi, id peragere poſſint, & ad id admittantur. Et, ſi fuerint alias dotatæ, & deſierint eſſe dotatæ propter mortem viri, quod debeant eas alimentare, & iterum dotare, ſi nubere voluerint, vel religionem intrare, computato tamen eo, quod ſuperfuerit, vel ipſæ mulieres conſequutæ fuerint, ex prima dote, & quam dotem, facta computatione, ut ſupra, teneantur prædicti maſculi dare, vel alias ſatisfacere ipſis mulieribus infra ſex menſes, à die requiſitionis factæ per ipſas mulieres nubere volentes, vel religionem intrare. Et, ſi infra dictos ſex menſes non dotaverint, vel non ſatisfecerint pro dote, ut ſupra, mittantur dictæ mulieres in poſſeſſionem tot bonorum dotare debentis, vel debentium, pro ſumma dupli primæ dotis, facta computatione, ut ſupra, in qua poſſeſſione manuteneantur, donec fuerit ſibi integre ſatisfactum, ut ſupra, nec eo caſu, fructus computentur in ſortem. Et, ſi earum mariti deducti fuerint ad inopiam, maſculi eas excludentes, ut ſupra, & eorum heredes, teneantur eas alimentare, ſi aliunde non habeant unde ſe alimentent.

Cap.

Cap. CCLXXIX.

In ſucceſſionibus vero aſcendentis, ex linea fœminina, ab inteſtato decedentis, maſculi deſcendentes ejuſdem matrimonii, præferantur fœminis, ex eodem matrimonio deſcendentibus, & ab eis fœminis deſcendentibus, ac etiam fœminis, natis ex deſcendente maſculo, ex eodem matrimonio nato, præmortuo ante mortem ejus adſcendentis, ex linea fœminina, de cujus hereditate tractari continget. Si vero deſcendens ex linea fœminina, & ut ſupra, contigerit habere deſcendentem, vel deſcendentes ex alio, vel aliis matrimoniis, quod tunc & eo caſu, maſculi alterius matrimonii, ſeu aliorum matrimoniorum, excludant fœminas, natas ex eodemmet matrimonio, & ab eis fœminis deſcendentes, & etiam deſcendentes ex filio præmortuo ante aſcendentem, ex dicta linea fœminina, de cujus hereditate tractari continget. Hoc intellecto, quod in prædicta ſucceſſione aſcendentis, vel aſcendentium, ex linea fœminina, fœminæ excluſæ per maſculos, faciant partem, per reſpectum ad alium, vel alios, deſcendentem, vel deſcendentes, maſculum, vel maſculos, & fœminas alterius matrimonii, ſeu aliorum matrimoniorum, ad commodum maſculi, vel maſculorum excludentium. Si vero contingat, ex uno matrimonio, vel pluribus ſupereſſe tantummodo fœminam, vel fœminas, ex deſcendente ex linea fœminina, deſcendentem, vel deſcendentes, & ex alio matrimonio, vel ex aliis adeſſe maſculum, vel maſculos, deſcendentes ex linea fœminina, de cujus hereditate tractari continget, quod ipſa fœmina, vel fœminæ, ſuique deſcendentes, ex earum aſcendentium perſona admittantur ad ſucceſſionem talis aſcendentis, deſcendentis ex linea fœminina, cum aliis deſcendentibus maſculis, alterius matrimonii, ſeu aliorum matrimoniorum, quemadmodum ſi fuiſſet maſculus, vel fuiſſent maſculi.

Cap. CCLXXXVI.

De muliere excluſa à ſucceßione aſcendentis, per maſculos, quod iterum admittatur.

Sed ſi contingat maſculum prælatum fœminæ in ſucceſſione aſcendentium, ut ſupra, decedere ab inteſtato, ſine deſcendente, & aſcendente maſculo legitimo, ex linea maſculina, & ſine fratribus paternis legitimis, tunc illa fœmina excluſa, ſi vivit, admittatur in capita, ad ſucceſſionem bonorum ipſius decedentis, cum fœmina, vel fœminis deſcendentibus ipſius defuncti, qui excluſit, collatis dote ejus, quæ dotata fuerit, ſi dotata fuerit, & proteſtatione bonorum paraphernalium; ejus, in cujus favorem facta fuerit dicta proteſtatio, ſi facta fuerit. Et hoc, ſi dos, vel bona paraphernalia, congrue referendo, data fuerit per adſcendentem, vel excludentem, vel alium, ſeu alios, contemplatione adſcendentis, vel excludentis. Et hoc, uſque ad concurrentem quantitatem tantum bonorum relictorum, per dictum adſcendentem, à cujus ſucceſſione excluſa fuit.

Cap. CCLXXXVII.

De ſucceßione fratrum, & ſororum ab inteſtato decedentium.

Si aliquis de cætero deceſſerit ab inteſtato, ſine aſcendente paterno maſculo, & deſcendente maſculo, vel fœmina, & reliquerit fratrem, vel fratres conjunctum, vel conjunctos, ex parte patris tantum, vel nepotem, vel nepotes, natum, vel natos ex talibus fratre, vel fratribus, & reliquerit fratrem, vel fratres, conjunctum, vel conjunctos, ex parte patris, & matris, vel nepotem, vel nepotes, natum, vel natos ex talibus fratre, vel fratribus, quod ita ſuccedat, & ſuccedant frater, & fratres, nati ex parte patris tantum, & nepos, vel nepotes, nati ex talibus fratre, vel fratribus, ſicut frater, vel fratres, conjuncti ex parte patris, & matris, & ſicut nepos, vel nepotes, nati ex talibus fratre, vel fratribus. Et hoc in bonis aliunde obventis, quam à communi aſcendente, ex linea fœminina eorum, de quorum ſucceſſione agitur. Idem ſervetur etiam, ſi deceſſerit, relictis, aſcendente paterno maſculo & ſine deſcendentibus maſculis, & fœminis, & relictis, dictis talibus fratribus, & nepotibus. Idem per omnia intelligatur in ſororibus decedentibus ab inteſtato, ut ſupra. Et in ſororibus pervenientibus ad ſucceſſionem fratris, vel ſororis.

Cap. CCLXXXVIII.

Decedente fratre ab inteſtato, ſine deſcendente maſculo, & fœmina, & aſcendente maſculo ex linea maſculina, relictis fratre, & ſorore, vel relicta ſorore, & filio maſculo fratris, quod frater, & etiam filius maſculus fratris, excludat ſororem defuncti, in ſucceſſione talis defuncti, teneatur tamen eam idoneè dotare, ſi non fuerit dotata, vel ſi deſierit eſſe dotata temporaliter, vel ſpiritualiter. Et ſalvo, quod ſi fuerit inops, quod frater, vel fratres, nepos, vel nepos, teneatur, & teneantur ipſam ſororem, vel amitam alimentare, ſecundum vires hereditatis, & , ſi contra fecerint, quod admittatur ad partem, contentam in ſtatuto incipiente, in ſucceſſionibus aſcendentium, &c. & modo, & forma, prout in dicto ſtatuto continetur. Et, ſi dubium fuerit, an dotetur, vel alimentetur, congrue, & ſufficienter diſcutiatur, & terminetur arbitrio juſdicentis; & idem ſervetur, ſi frater deceſſerit ſine deſcendente, relicto aſcendente maſculo, ex linea maſculina, fratre, & ſorore, vel ſorore, & filio maſculo fratris, ut frater, & aſcendens maſculus ex linea maſculina, & filius fratris excludant ſororem. Sed, ſi frater deceſſerit ab inteſtato, ſine deſcendente, & fratribus, & filiis maſculis fratrum, relictis aſcendente maſculo, ex linea maſculina, & ſorore, quod aſcendens prædictus excludat ſororem.

Cap. CCLXXXIX.

De ſucceßione collateralis, quod agnatus præferatur cognato.

In ſucceſſione collateralis, ab inteſtato decedentis, agnatus maſculus, uſque ad ſeptimum gradum, ſecundum Jura Civilia computandum, præferatur cognato, & cognatæ, & etiam aſcendenti, ex linea materna, ut puta avo materno, & aviæ maternæ, niſi, prout continetur in ſtatuto incipiente, Nulla mulier aſcendens, &c.

Cap. CCXC.

Qualiter excludat ſororem defuncti.

In collateralis ſucceſſione ab inteſtato, ſine deſcendente, vel aſcendente legitimo, decedentis, ſcilicet tali, qui admitteretur ad ſucceſſionem talis decedentis, ex forma præſentium Statutorum, agnatus maſculus, uſque ad ſeptimum gradum incluſive, ſecundum jura civilia computandum, excludat omnes mulieres. Salvo, quod ſi defunctus, vel defuncta habuerit ſororem, ſoror ſuccedat ſecundum diſpoſitionem juris communis, cum eo, vel ea, cum quo, vel qua, admitteretur de jure communi, exceptis caſibus, comprehenſis in Statuto, incipiente, Decedente fratre, &c. Et hoc, niſi agnatus, cum defuncto, vel defuncta, ſit in quarto gradu, vel infra quartum gradum incluſive, computando, ut ſupra. Quo caſu, admittatur cum ea prædictus agnatus, ſub forma infraſcripta, videlicet: quod ſi fuerit ſoror tantum una, quod ipſa habeat medietatem hereditatis, & alteram habeat prædictus agnatus. Si vero fuerint plures ſorores, tunc ipſæ admittantur ad duas partes ex tribus, hereditatis, quotquot ſint numero. Prædictus vero agnatus, eo caſu tantum admittatur ad reliquam tertiam. Si vero defunctus, vel defuncta non habuerit ſororem, ſed habuerit amitam, vel fratris filiam, tunc ipſa amita, vel fratris filia, admittatur ad tertiam partem. Et, ſi habuerit amitam, & fratris filiam, tunc ambæ admittantur ad dictam tertiam partem tantum. Agnatus vero, qui ſit proximior decedenti, in quocunque gradu ſit, uſque ad ſeptimum gradum incluſive, computandum ut ſupra, admittatur ad reliquas duas partes. Salvo, ſi eſſet agnatus, qui eam amitam, & fratris filiam excluderet, quo caſu, talis agnatus in totum ſuccedat. Et, ſi aliqua alia fœmina agnata, ultra prædictas fœminas, adſit, quæ de jure communi admitteretur, tunc agnatus ipſam expellens, teneatur eam dotare temporaliter, vel ſpiritualiter, ſecundum vires illius hereditatis, ſi dotata non fuerit, & non habeat aliunde, unde poſſit ſe dotare, vel teneatur eam alimentare, ſi prædicta mulier non habeat aliunde, unde ſe alimentet, & ſit in electione ipſius mulieris, utrum maluerit dotari, vel alimentari.

Quibus adde Statuta Civitatis Bononienſis. 3

Rubric. *De Succeſſione Liberorum patre vel matre, vel aliis aſcendentibus morientibus ab inteſtato.*

Statuimus & Ordinamus quod ſi quis proprie vel improprie ſumpto vocabulo inteſtatus deceſſerit, relictis filiis vel aliis liberis maſculis legitimis & naturalibus per maſculum deſcendentibus uno vel pluribus, laycis vel clericis in ſacris ordinibus non conſtitutis, vel qui non ſint profeſſi alicujus ordinis.

Et filia vel filiabus, vel aliis fœminis per maſculum deſcendentibus legitimis & naturalibus una vel pluribus. Si filia vel filiæ, ſeu aliæ fœminæ prædictæ, quæ remanſerint dotata vel dotatæ fuerint à patre, avo, vel proavo, vel matre, fatre, vel fratribus ſuis, vel patruo ſuo, etiam ſi ille, qui dotavit, non ſit ille, de cujus hereditate ageretur, filia vel filiæ, & aliæ prædictæ, quæ dotatæ ſunt, ſint contentæ de ipſa dote ſeu dotibus, & in bonis paternis vel maternis, avitis, vel proavitis, paternis amplius non petant, nec petere poſſint, ſi tales maſculi ſuperſtites, vel alter eorum hereditatem defuncti adiverint, vel in eaſe immiſcuerint ipſi, vel eorum aſcendentes maſculi, & per maſculum per ſe, vel legitimam perſonam pro eis.

Nemine vero ex ſupradictis adeunte, vel ſe immiſcente, ſuccedant dictæ fœminæ de jure communi.

Extantibus vero ſolum filiis & aliis liberis maſculis, ut ſupra, uno vel pluribus in ſacris ordinibus conſtitutis, vel religioſa profeſſis alicujus ordinis, & fœminis prædictis, tunc & eo caſu dictæ fœminæ cum dictis maſculis in ſacris ordinibus conſtitutis vel religioſis & profeſſis ſuccedant cum eo vel eis de jure communi.

Si autem ſuperſint dicti filii, vel alii liberi maſculi, ut ſupra, quorum aliquis ſeu aliqui ſint layci ſeu clerici in ſacris ordinibus non conſtituti, & alii unus vel plures ſint in ſacris ordinibus conſtituti, vel profeſſi, ut ſupra, & ſuperſint etiam dictæ fœminæ, una vel plures cum eis, tunc in eo caſu dictæ fœminæ cum dictis omnibus ſpecificatis ſupra ſuccedant de jure communi.

Sed tamen ipſarum fœminarum unius vel plurium portio dictis maſculis laycis, vel clericis non conſtitutis in ſacris, & qui non ſint profeſſi, ut ſupra, auctoritate præſentis ſtatuti totaliter acquiratur, & ab eis dotari debeant ſecundum formam noſtrorum ſtatutorum.

Volumus tamen quod mulieri decedenti ab inteſtato, quæ contraxerit plura matrimonia, & ex uno ex illis extent filii maſculi unus vel plures dictæ mulieris, vel liberi alii maſculi ex filio deſcendentes, & ex alio matrimonio extent filiæ fœminæ tantum una vel plures vel alii liberi deſcendentes ex filia, filiæ fœminæ, & deſcendentes ex filia ſuccedant in non dotalibus in quadrante tantum, ſive una, ſive plures ſint dictæ filiæ vel deſcendentes ex filia. Et in reſiduo ſuccedant dicti filii maſculi, & alii liberi maſculi deſcendentes ex filio, ſive unus, ſive plures ſint, non obſtantibus diſpoſitis in hoc ſtatuto.

Salvo ſemper in bonis dotalibus id, quod diſpoſitum eſt in ſtatuto poſito infra ſub rubrica De dotibus reſtituendis. Et in caſibus prædictis dictæ fœminæ, una vel plures intelligantur eſſe dotatæ, ſive data ſit dos ab aliquo de prædictis, ſive in ultima voluntate eiſdem, vel eidem relicta fuerit pro ea, ſeu eis dotandis. Et ipſi mulieri uni vel pluribus, vel alteri pro ea, ſeu eis fuerit ſoluta, & per mulierem vel ejus nomine viro dos data fuerit.

Et ſi plures ſint fœminæ extantibus maſculis ſupradictis, & una vel plures dotatæ fuerint ab aliquo de prædictis, & aliæ indotatæ, tunc illæ quæ dotatæ fuerint in bonis amplius petere non poſſint, & ſint de ipſa dote contentæ, ut ſupra dictum eſt.

Illæ vero quæ dotatæ non fuerint, dotari debeant, ſive maritentur, ſive religionem intraverint, vel monaſterium, vel religionem ingredi velint, in ea quantitate in qua fuerint reliquæ ſorores dotatæ pro qualibet, niſi bona patrimonialia eſſent diminuta, quod legitimis probationibus conſtare debeat domino Poteſtati Bon. vel ejus Vicario vel alteri Judici, coram quo cauſa penderet, dummodo dos conſtituenda virilem patrimonii portionem non excedat, ſed filio virilis remaneat.

Et ſi plures filii ſint, ſimiliter cuilibet filio debeat virilis remanere. Et ſi diminutæ eſſent vires patrimonii, habeatur ratio diminutionis in dote conſtituenda à die ultimæ dotis datæ.

Si vero aliqua prædictarum filiarum non fuerit dotata ab aliquo de prædictis, conſtituatur & detur ei vel eis dos in bonis patris, matris, avi vel proavi, de cujus hereditate ageretur, vel poſſeſſis per eos, vel eorum alterum tempore mortis eorum, vel alterius eorum, de cujus hereditate ageretur arbitrio quatuor bonorum virorum conjunctorum ex parte patris, qui ſint ſaltem ætatis viginti annorum. Et ſi quatuor non extarent, vel extarent, & ipſorum copia commode haberi non poſſet, arbitrio trium, & ſecundum poſſibilitatem, & facultatem bonorum patris, matris, avi vel proavi, de cujus hereditate ageretur. Et ſi tres non extarent, vel eorum copia commode haberi non poſſit, tunc arbitrio duorum vel unius tantum, ut præmittitur conjunctorum. Et ſi duo vel unus non extarent vel ipſorum copia commode haberi non poſſit, tunc arbitrio conjunctorum maſculorum ætatis, ut ſupra, ex parte matris ſi plures extant, in eis ſervanda omnia ſupradicta de agnatis.

Uno vero tantum cognato exiſtente, tunc arbitrio ipſius, & domini Poteſtatis, ſeu ejus Vicarii cum ipſo cognato, & tribus vicinis ejus, in cujus bonis dicta dos conſtitui & dari deber.

Et nullo cognato extante, tunc arbitrio domini Poteſtatis, ſeu ejus Vicarii cum conſilio trium vicinorum, ut ſupra prædicta dos conſtituatur, & detur ut ſupra: Quam dotem poſſint etiam heredes talis mulieris petere, taxari, & conſtitui, & declarari, & taxatam, & conſtitutam, & declaratam, ſive in pecunia, ſive in aliis rebus petere ſibi dari, ſi eidem mulieri ſoluta vel conſtituta non fuerit ſimilibus modis, quibus ſupra ipſa mulier petere potuiſſet tempore ſuæ vitæ, quod locum habeat etiam in caſibus præſentibus & præteritis non deciſis, & aliud petere non poſſint.

Et ſi mater morietur ſuperſtitibus filiis & aliis liberis maſculis per maſculum deſcendentibus, & filia vel filiabus una vel pluribus & ſuperſtite patre ipſorum filiorum vel avo paterno, eo caſu filiæ vel filia dotari debeant de bonis patris vel avi locupletis ad dotem conſtituendam.

Si vero ex facultatibus eorum dos conſtitui non poſſit, tunc dos conſtitui debeat de bonis matris, de cujus hereditate ageretur modo prædicto. Et ad prædictam dotem ſic conſtituendam ei vel eis, ſeu ejus, vel eorum heredibus in quolibet caſuum prædictorum compellantur conjuncti prædicti & alii ſupradicti. Et ad ipſam dotem conſtitutam ſolvendam maſculi ſupradicti unus vel plures dominum Poteſtatem civitatis Bononienſis vel ejus Vicarium; vel alium Judicem, coram quo cauſa ageretur ſummarie ſine ſtrepitu & figura judicii. Et quibuſcunque juris & facti remediis opportunis compellantur ad requiſitionem unius vel plurium pro ea, vel eis legitime venientium ſi vellent nubere, & eſſent habiles ad nubendum, & nubiles.

Quo caſu debeat dicta dos poni ad partem, ita & taliter quod conſtare poſſit quantum habere debeat in dotem, & unde, qui matrimonium contrahere vellet cum tali fœmina, vel ſi jam nuptæ eſſent non dotatæ, vel ſi religionem intrare vellent ſeu voluerint, quo caſu religionis intrandæ non conſideretur dos ſororis, quæ fuerit maritata, ſed conſtituatur arbitrio conjunctorum, vel Poteſtatis, ſeu ejus Vicarii, ut ſupra dictum eſt, quando nulla fuerit dotata.

Et etiam ante tempus nubile vel ad religionem intrandam ex eo quod maſculi prædicti, vel alter eorum qui heredes fuerint male inchoarent, vel inchoare dicerentur uti ſubſtantia ſua.

Iis vero caſibus, & quolibet eorum filiæ, quæ dotatæ eſſent ab hereditate prædicta excludantur.

Aliæ vero fœminæ, quæ dotatæ non eſſent eodem modo à prædicta hereditate excludantur, & ejuſdem, vel earum heredibus ſolummodo competat jus petendi ſibi dotem conſtitui & dari, ut dictum eſt, & bona defuncti, vel per eum poſſeſſa tempore mortis pro dicta dote conſtituenda, & danda ex die mortis illius ſine & eſſe intelligantur eiſdem fœminis, ſeu earum heredibus, & expreſſe, & ſpecialiter obligata.

De quibus dicti propinqui, vel Poteſtas, ſeu ejus Vicarius, aut alii Judices, ut ſupra, cum ſupradictis, ut ſupra dictum eſt, poſſint eiſdem fœminis indotatis, vel earum heredibus adjudicare inſolutum, pro quantitate dotis ſic conſtituendæ, & ipſas vel alium pro eis in poſſeſſionem ipſarum inducere, & induci facere, etiam nulla excuſſione facta. Salvo jure cuilibet competenti in bonis ipſius quæſito ante mortem dicti defuncti. Et valeat quod fiet, etiam ſi juris vel ſtatutorum ſolennitates non fuerint obſervatæ, dum tamen hujus ſtatuti ſolennitas obſervetur.

Et in quolibet caſuum prædictorum antequam dictis mulieribus, ſeu ipſarum nominibus dotes fuerint conſtitutæ & datæ, præſtari & dari debeant alimenta decentia ipſis mulieribus de bonis heredis ipſius, de quibus dos conſtitui debuerit, arbitrio conjunctorum, & Poteſtatis, & aliorum, ut ſupra dictum eſt, in dote conſtituenda. Et pro ipſis alimentis bona dictæ hereditatis ſint ſpecialiter obligata pro illis tantum annis, quibus appareret ipſam interpellaſſe obligatum ſeu obligatos, & ad hoc, & in eis procedi poſſit, ut ſupra dictum eſt, in dote conſtituenda.

Præterea, quia ſatis eſt notum, & hactenus in judiciis, & extra uſitatum, quod alimenta dotium, quæ dantur ſeu debentur pro dotibus communiter taxantur pro quolibet anno, & ad rationem anni in quantitate librarum ſeptem Bononienſ. pro quolibet centenario dotis debendæ. Et de iſta taxatione jus non appareat ſcriptum. Et in judiciis eſt neceſſarium hunc uſum habere ſeu probare, ideo ad ſublevandum litigantes, & alios quoſcunque ab onere probandi, Statuimus quod de cætero per quemcunque Judicem, ſeu Arbitrum vel Arbitratorem in quocunque caſu quo debita alimenta dotium prædictarum petantur: taxentur ipſa alimenta ad rationem ſeptem pro centenario in anno, & ad rationem anni, & non minus nec ultra, cui taxationi ſtari debeat.

Item, quod dictum eſt de filiabus & maſculis remanentibus, ut ſupra patre vel matre decedentibus ab inteſtato, obtineat per omnia in nepte ex filio, & aliis fœminis deſcendentibus per maſculum extantibus dictis maſculis, dum tamen dotes conſtituendæ non excedant portionem, quæ à patre deberent ſi ipſe viveret.

Neptes autem vel nepotes ex filia, & cæteri alii maſculi & fœminæ deſcendentes per fœminam remanentibus filiis, & aliis liberis maſculis deſcendentibus per maſculum ex defuncto, vel defuncta ab inteſtato à ſucceſſione paterna, vel materna, avita, vel proavita per dictos maſculos penitus excludantur.

Filiabus autem, vel aliis fœminis per maſculum deſcendentibus extantibus, & nullis extantibus filiis vel aliis maſculis per maſculum deſcendentibus inter eos ſuccedant, & ſucceſſio procedat de jure communi.

Declarantes inſuper quod ubicunque in aliquo caſuum prædictorum in hoc, vel præcedenti ſtatuto contentarum, mulier à ſucceſſione ab inteſtato, vel ex teſtamento repellitur. Si inter maſculos ad invicem, vel cum aliis quæſtio oriatur ſuper debita jure naturæ quota ſeu quanta intelligatur propter numerum liberorum, tales fœminæ quoad ipſam legitimam in numero Liberorum non contineantur ſeu computentur.

Item, dicimus quod ſi quis promittens vel ſolvens dotem, eſſet debitor mulieris pro qua promiſerit ſeu

ſolverit, intelligatur promiſiſſe vel ſolviſſe de eo in quo eſſet debitor ipſius mulieris uſque ad concurrentem quantitatem.

Et hoc non vendicet ſibi locum in aſcendentibus maſculis, vel fratre ſeu filio talis mulieris, qui intelligatur de ſuo dotaſſe, niſi contrarium appareat.

Rubric. *De Succeſſione ab inteſtato Aſcendentium, & Collateralium.*

Statuimus quod ſi quis, vel ſi qua inteſtatus, vel inteſtata in quacunque ætate, ſive teſtabilis fuerit, ſive non, deceſſerit, quod in ſuccedendo ſerventur ſibi jura communia, ſalvo ſuperiori ſtatuto, & ſalvo quam in caſibus infra ſcriptis, videlicet quod aſcendentes maſculi, & per maſculum præferantur in ſuccedendo omnibus aliis aſcendentibus perſonæ defunctæ fœmineis, & etiam maſculis per fœminam, excepta matre vel avia paterna, vel deinceps ſimiliter paterna vidua ex eo matrimonio ex quo talem filium vel filiam, nepotem vel neptem, vel deinceps, de cujus ſucceſſione ageretur, habuerit.

Quæ vidua, ut ſupra, extantibus aſcendentibus prædictis maſculis, & per maſculum, vel altero eorum habeat ſolum uſumfructum ejus, quod ſibi à jure communi civili deferetur donec vixerit, vel ad alia vota tranſiverit, vel uſusfructus aliter fuerit extinctus, ita quod ſatiſdare teneatur infra menſem à die, quo vel qua fuerit requiſita per publicum inſtrumentum, cujus copia dimitti, & dari debeat dictæ mulieri, vel ad domum ejus ultimæ ſolitæ habitationis. Salvo tamen jure cujuſcunque perſonæ, cui quæſitus eſſet uſusfructus prædictus jure patriæ poteſtatis, vel alia quacunque de cauſa.

Item, præferantur prædicti aſcendentes maſculi, & per maſculum deſcendentibus defunctæ perſonæ per fœminam. Salvo quod omne id, quod alias de jure ipſis deſcendentibus per fœminam obvenire deberet, reſervare teneantur dictis per fœminam poſt eorum aſcendentium mortem ſi deceſſerint ſine liberis maſculis, & per maſculum, vel cum liberis maſculis, & repudiantibus ſeu abſtinentibus vel minime adeuntibus ſeu immiſcentibus.

Nec non fratres mares perſonæ defunctæ ex utroque parente, vel ex parte tantum conjuncti. Et filii maſculi talium fratrum, ſeu alter ex eis præferantur dictis deſcendentibus defunctæ perſonæ per fœminam in totum. Et ſimiliter deſcendentibus prædictis per fœminam præferantur patrui defunctæ perſonæ, & etiam filii maſculi eorum, vel alter ex dictis patruis vel filiis eorum, vel alterius eorum, niſi in legitima eis debita jure naturæ, dote tamen ſua vel materna, ſive avita, vel deinceps in ea non computata.

Ipſi quidem fratres eorumque filii maſculi, patrui, eorumque filii maſculi, ſeu ex eis alter, præferantur prædictis aſcendentibus defunctæ perſonæ fœmininis & etiam maſculis per fœminam, niſi matri vel aviæ paternæ, matre non extante, ſeu extante & repudiante vel non adeunte, vel proaviæ paternæ, matre, & avia paterna non extantibus, & repudiantibus, vel non adeuntibus viduis ex eo matrimonio immediate, ex quo talem filium, nepotem, vel neptem, pronepotem, vel proneptem, de cujus ſucceſſione ageretur, habuerit, quæ tunc habeat uſumfructum ſolum virilis partis, ſi cum dictis fratribus concurrat. Et cum filiis eorum concurrat, ipſi filii fratrum in ſtirpem. Et cum patruis vel eorum filiis maſculis, tunc uſumfructum habeat totius hereditatis donec vixerit, vel ad alia vota tranſiverit, vel uſusfructus aliter fuerit extinctus, ita quod ſatiſdare teneatur, prout & ſicut, ut ſupra.

Ac etiam ſubire pro rata parte, ſeu toto, ut ſupra, omnia onera, & gravamina Communis Bononiæ ipſi hereditati vel bonis impoſita vel imponenda, quatenus patiatur uſusfructus & non ultra, donec ipſe uſusfructus duraverit.

Aſcendentesque præfati maſculi, & per maſculum etiam præferantur ſororibus defunctæ perſonæ earumque deſcendentibus etiam maſculis & filiabus fratrum defunctæ, & deſcendentibus etiam maſculis ex ipſis filiabus, exceptis bonis, quæ ad perſonam defunctam pervenerint ex dote vel titulo lucrativo à matre, vel conjuncto per matrem defunctæ perſonæ, in quibus inter eos jus conſervetur.

Dicti vero fratres mares ex utroque parente vel ex patre tantum conjuncti filiique maſculi eorum, ſeu alter ex eis præferantur ſororibus defunctæ perſonæ, etiam utrinque conjunctis eorumque liberis, etiam maſculis, ac filiabus fratrum maſculorum, & earum liberis, etiam maſculis, & etiam fratribus & ſororibus uterinis tantum, & eorum, & earum liberis, etiam maſculis, exceptis bonis, quæ ad defunctam perſonam pervenerint ex dote, vel titulo lucrativo, ut ſupra, à matre vel conjuncta perſona per matrem dictarum ſororum vel uterinorum, in quibus bonis jus commune ſervetur.

Agnati namque maſculi tranſverſales, ſeu alter ex illis uſque ad quartum gradum incluſive, gradum numerando in qualibet parte noſtrorum ſtatutorum ſecundum jus civile, præferantur omnibus fœmininis tranſverſalibus agnatis, etiam infra dictum gradum exiſtentibus, præterquam ſororibus perſonæ defunctæ utrinque conjunctis, vel ex parte tantum vel filiabus fratrum maſculorum perſonæ defunctæ ſimiliter conjunctorum, ſalvis diſpoſitis in hoc ſtatuto. Et ſalvo ſi ipſa vel aliqua earum concurrerent cum patruo ſeu patruis defunctæ perſonæ, quo caſu cum eo ſeu eis pariter admittantur, niſi in bonis perventis, ut ſupra, ad defunctam perſonam à matre vel à conjuncta perſona per matrem dictarum ſororum vel filiarum, in quibus jus commune ſervetur.

Et etiam prædicti agnati præferantur omnibus tranſverſalibus cognatis, etiam maſculis, & etiam in jus agnationis tranſlatis, ut puta natis ex ſorore vel amita defuncti, & aliis à jure declaratis & expreſſis, exceptis bonis, quæ ad defunctam perſonam pervenerint ex dote vel titulo lucrativo, ut dictum eſt, à matre vel à conjuncta perſona per matrem defunctæ perſonæ, in quibus jus commune ſervetur, niſi filii maſculi vel fœminæ, vel alii liberi ſororum utrinque conjunctarum concurrerent cum fratribus maribus defunctæ utrinque conjunctis, ſeu eorum liberis maſculis vel altero eorum, quo caſu ipſi fratres vel liberi, etiam in dictis bonis præferantur.

Volentes quod naturalibus tantum, & etiam ſpuriis ſuccedatur, & ſuccedi poſſit ab inteſtato per quoſcunque, perinde ac ſi forent legitimi & naturales, ſecundum tamen ſupra ſcriptam & infraſcriptam diſpoſitionem, in quantum adaptari poteſt. Et quoad ipſam ſucceſſionem eis faciendam legitimi & naturales cenſeantur, niſi extarent ex ipſis naturalibus tantum, vel ſpuriis, ut ſupra, liberi etiam naturales tantum ut ſupra, qui tunc admittantur & omnibus præferantur, præterquam liberis legitimis & naturalibus, quo caſu inter eos jus commune & noſtra ſtatuta ſerventur.

Declarantes quod leges de ſecundis nuptiis loquentes ſeu tractantes in ſupradictis & infraſcriptis omnibus vindicent ſibi locum, niſi in ſupradictis vel infraſcriptis caſibus aliud ſpecialiter ſit proviſum.

Inſuper

Inſuper Statuimus quod quilibet homicida, ſeu ille cujus dolo malo aliqua perſona deceſſerit, non ſuccedat nec ſuccedere poſſit ex teſtamento, vel ab inteſtato ipſi defunctæ perſonæ, nec alicui ejus aſcendenti vel deſcendenti, niſi ex teſtamento poſtea confecto, nec aliquid de bonis talium capere poſſit ex teſtamento eorum, niſi poſtea confecto, ut ſupra, vel ab inteſtato proprie vel improprie ſumpto vocabulo.

Item uxor, filii, vel nepotes talis homicidæ, ſeu cujus dolo malo deceſſerit, eodem malo prædictis non ſuccedant, nec capere poſſint de bonis prædictorum, ut ſupra, donec vixerit ille talis homicida, ſeu cujus dolo malo deceſſerit. Et de prædictis homicidio & dolo probari ſufficiat per bannum ſuper inde formatum & exemplatum in libris bannitorum Communis Bononienſis poſitis ad diſchum bannitorum.

Decernentes hereditatem prædictam, etiam interim ad ſequentes pervenire debere ſecundum formam juris & ſtatutorum noſtrorum. Quæ tamen hereditas ſic ad ſequentes devoluta ex cauſis prædictis revertatur ipſo jure ad perſonas prædictas excluſas, ut ſupra, quandocunque poſtea mortuo tali homicida, vel cujus dolo malo deceſſerit talis perſona defuncta, ut ſupra.

Et de omnibus bonis dictæ hereditatis teneatur ipſa perſona ad quam ſic interim pervenerint Inventarium conficere, & ſatiſdare ad omnem requiſitionem perſonæ excluſæ de utendo & fruendo eis arbitrio boni viri. Et de cuſtodiendo & ſalvando, & de reſtituendo ea omnia, & æſtimationem eorum, quæ ſervando ſervari non poſſunt, ſeu non potuerunt perſonæ ſic excluſæ poſt mortem talis homicidæ, vel cujus dolo malo deceſſerit perſona defuncta. Fructus tamen quicunque percepti à tali ſequente ad quem devoluta fuerit hereditas, ut ſupra, ex cauſis ſupradictis ante ſecutam mortem dicti homicidæ, vel cujus dolo malo deceſſerit perſona defuncta, ut ſupra, cedant lucro ipſius percipientis, ſatiſdatione, ut præmittitur præſtita, & alias non.

Declarantes quod in omnibus caſibus prædictis, quæ dicta ſunt de homicida, locum habeant in parricida quocunque.

Mandantes quod in quolibet caſuum prædictorum ubi fœminæ de linea agnationis contra jus commune excluduntur, ſi tales fœminæ dotatæ non eſſent, vel non ſufficienter, dotari poſſint & debeant, & ejus dotes augeri in bonis, & de bonis perſonæ defunctæ modo & forma tradita in ſtatuto noſtro proxime præcedenti, ſi alium, qui eas dotare debent non haberent, vel minus ſufficientem.

Si vero aliqua fœmina de linea agnationis vel cognationis excludatur à ſucceſſione contra jus commune, & ſit pauper & indotata, nec extent de bonis alicuius, in quibus poſſit vel debeat dotari, tunc poſſit ipſa fœmina de linea agnationis vel cognationis petere ſe dotari in bonis, ut ſupra, & de bonis talis perſonæ defunctæ à cujus ſucceſſione excluditur, ut ſupra. Et ſe alimentari modo & forma tradita in ſtatuto proxime præcedenti.

Et idem ſi tales fœminæ de linea agnationis vel cognationis excluſæ, ut ſupra religionem intraſſent vel intrare vellent, tamen quod prædicta non excedant portionem à qua excluduntur vigore præſentis ſtatuti.

Ubi vero in matrimonio vel religione conſtitutæ non eſſent nec eſſe vellent, & ex eo quod haberent decenter vivere non poſſent, decernantur, & dentur eis alimenta in bonis prædictis quamdiu vixerint in tali ſtatu honeſto modo, dum tamen dicta alimenta non excedant uſumfructum ejus portionis a qua excluſæ ſunt, ut ſupra.

Et ſi antequam dotentur, ut ſupra, moriantur nuptæ vel non nuptæ, tranſmutatur illud jus petendi dotari ad heredes earum, qui heredes poſſunt petere modo & forma contentis in præcedenti ſtatuto, omne id & totum quod petere poterat ipſa perſona defuncta, quæ poterat, ut ſupra, petere dotari.

Volentes inſuper & declarantes, quod omnia contenta in præſenti ſtatuto, & diſpoſita in caſibus ſuprascriptis, ſi ſeparatim ſeu disjunctim contingant, locum habeant in dictis caſibus, ſi ſimul vel conjunctim contingant quotcunque ſint caſus inſimul vel conjunctim contingentes quatenus poſſint adaptari.

Item quod omnis hereditas delata alicui ex teſtamento vel ab inteſtato ſi moriatur ante aditam hereditatem vel immiſſionem factam, tranſmittatur ad ejus heredes. Et heredes heredis in infinitum ex teſtamento vel ab inteſtato, etiam improprie ſumpto vocabulo ſecundum diſpoſitionem ſupradictam. Et ſimiliter jus quod competebat alicui aſcendenti vel deſcendenti dicendi aliquam ultimam voluntatem nullam propter præteritionem de eo factam in aliqua ultima voluntate tranſmittatur ad quoſcunque ejus heredes deſcendentes vel collaterales maſculos per lineam maſculinam conjunctos uſque ad quartum gradum incluſive gradus numerando, ut ſupra.

Declarantes quod in quacunque parte parentis ſtatuti ſit mentio de patruo, intelligantur tantum de fratre parentis utrinque conjuncto, vel ex patre tantum.

Cap. XXII.

De Germaniæ, Pruſſiæ, Poloniæ, Hungariæque Inteſtatorum Succeſſione.

Summaria.

1. *Juris Saxonici inteſtatorum ſucceſſio.*
2. *Conſtitutio Electoralis Saxoniæ.*
3. *Jus Lubecenſe.*
4. *Halberſtadienſ. Magdeburg. & Naumburg. ſucceſſio.*
5. *Ducatus Pruſſiæ ſtatutaria ſucceſſio.*
6. *Statuta.*
7. *Regni Poloniæ inteſtatorum ſucceſſio.*
8. *Hungariæ regni conſuetudinaria inteſtatorum ſucceſſio, & ſtatuta.*

1 Jure Saxonico, quod fere per totam Germaniam, ubi contrariæ leges non exſtant, ſervari diximus, circa inteſtati ſucceſſionem illud obtinet: ut poſt liberos, eorumque deſcendentes, adſcendentibus proximis hereditas deferatur, ſecundum gradus prærogativam: ejuſdemque gradus

diverſæ lineæ, paternæ ſcilicet aut maternæ, vel etiam diſparis numeri exiſtentibus, ut ſi à paterna linea avus paternus ſolus, à materna avus & avia ſuperſint, eo caſu per capita inter eos hereditas æqualiter dividatur, nulla de paternis aut maternis bonis, aut unde illa devenerint habita differentia. Eaque adſcendentium prærogativa eſt, ut his exſtantibus, collaterales omnes à defuncti ſucceſſione excludantur, etiam fratres & ſorores germani germanæque. contra *Novell.* 118. *cap.* 8.

Poſt adſcendentes, fratres & ſorores defuncto utrimque conjuncti conjunctæve, æqualiter in capita ſuccedunt, cum ea gradus prærogativa, ut per eos conſanguinei & uterini tanquam gradu remotiores penitus excludantur, qui poſt eos demum admittuntur. Quorum porro in eo par cauſa eſt, ut inter eos repræſentationi locus non ſit, ut latius ſuo loco notatum, ſed prææmortuorum fratrum liberi per alios defuncti fratres ſuperexiſtentes à patruorum ſucceſſione excludantur, nec in parentum ſuorum locum ſubintrare eo caſu poſſint. contra *d. Novell.* 118. *cap.* 3.

Fratribus & ſororibus utrimque conjunctis deficientibus, eorundem liberi primi gradus, ſi ſuperſint, velut pari gradu contingentes, cum fratribus & ſororibus ab uno tantum latere junctis concurrunt, & æqualiter ad hereditatem vocantur. Quos tamen (non obſtante regula, quod pares ſint gradu ac propterea pariter debeant ſuccedere) tanquam ex linea deſcendenti adſcendentibus potiores, defuncti patruum à ſucceſſione excludere Electorali ſanctione conſtitutum eſt. *Conſtit.* 18. *part.* 3.

Fratres & ſorores ab uno tantum latere juncti inter ſe, eo quod de Jure Saxonico nulla diſtinctio bonorum, ejuſve lateris unde provenerint, obtineat, in omnibus bonis allodialibus defuncto æqualiter ſuccedunt, ſola proximitate, & graduum prærogativa attenta, ſecundum quam & omnes ulteriores conſanguinei ad hereditatem cujuſque defuncti admittuntur, ſic ut propior gradu prior ſit in ſucceſſione, & pari gradu pariter etiam & æqualiter in capita ſuccedant. De his late tractant Georg. Schultz, *ad tit. Inſtit. De hereditat. quæ ab inteſtat. deferuntur.* Carpzov. *defin. forenſ. part.* 3. *conſt.* 17. *defin.* 1. 2. 6. 7. *conſtit.* 18. *defin.* 1. 5. 8. 10. 13. *& paſſim & noviſſime* Chriſtoph. Philipp. de Richters *tract. De Jure & Ordine Succeſſ. ab inteſtat.*

Sequuntur ipſius conſtitutionis D. Auguſti Electoris, Saxoniæ Ducis anno 1557. ad interpretationem & dilucidationem veteris Juris Saxonici latæ, verba:

CONSTITUTIO XIV.

PARTIS TERTIÆ.

Ob in den Erbfallen eine *Diſtinction* vnd Vnterſcheid der Güter zumachen, wohero ſie kommen.

Wann einer ſtirbet / vnd leſt nach ſich halbe Geſchwiſter von Vatter an einem / vnd halbe Geſchwiſter von der Mutter am andern theil / ſo wird nach gemeinem Kaiſerlichen Recht / ein Vnterſcheid gemacht / zwiſchen den Gütern / welche der Verſtorbene von dem Vatter oder deſſelben Blutsfreunden ererbet / vnd denen / ſo ihme von der Mutter / oder derſelbigen Blutsverwanten / zu kommen ſeynd.

Dieweil aber ſolcher Vnterſcheid zu Sachſenrecht nicht gehalten wird / ſo willen wir es dabey bleiben laſſen / vnd ſollen vnſere Hoffgerichte / Juriſten / Facultaten vnd Schöppenſtule / diſzfals in vnſern Landen nach Sachſiſchen Rechten erkennen vnd ſprechen.

In ſucceſſionibus num attendendum ſit, unde bona hereditaria provenerint.

Jure Communi, ubi quis moritur relictis poſt ſe fratribus uterinis ex una, & conſanguineis ex altera parte, diſtinguitur inter bona, quæ ex linea paterna, & quæ ex materna, ad defunctum pervenerunt.

Quia vero diſtinctio hæc in foro Saxonico obſervata hactenus non fuit, ideo ſecundum juris Saxonici diſpoſitionem, deinceps quoque hoc caſu, in noſtris ditionibus judicari & reſponderi mandamus.

CONSTITUTIO XVII.

PARTIS TERTIÆ.

Ob der Vatter nach Sächſiſchen Rechten, die Mutter von der Kinder Erbſchafft auſzſchlieſſe.

Ob wol der Text deſz ſiebenzehenden Artickels im erſten Buch deſz Landrechten das anſehen hat / daſz der Vatter / wann ein Kind verſtirbet / allein ſuccedieren / vnd die Mutter auſzſchlieſſen ſol: Dieweil aber ſolcher Text mehr / dann auff einen Verſtand gezogen vnd gedeutet wird / ſo ſeynd vnſere

Jure Saxonico pater in ſucceſſione liberorum, an matri præferendus.

Videtur quidem primo intuitu, textus articuli 17. libri 1. Juris Saxonici, uno quopiam ex liberis decedente, patrem ſolum, excluſa matre, ad ſucceſſionem ejus vocare. Quia vero non eodem modo is textus ab omnibus intelligitur: Igitur deputatis noſtris viſum fuit, ſecundum juris communis diſpoſitionem & uſum

ſori

Verordnete hier innen eing / daſz nach gemeinen Keyſerlichen Rechten vnd gebrauch dieſer Lande / Vatter vnd Mutter zugleich inder Erbſchafft ihrer Kinde / zugelaſſen werden ſollen / welches wir vns auch alſo gefallen laſſen.

fori hactenus uſurpatum, utrumque parentem ad ſucceſſionem liberorum ſimul admittendum eſſe, quod & nosprobamus.

Conſtitutio XVIII.

Partis Tertiæ.

Von *ſucceſſion* der halben Brüder vnd Schweſtern, vollbürtiger Gebrüder oder Schweſter Kinder, vnd Vatters oder Mutters Brüder vnd Schweſter.

In ſucceſſione defuncti fratribus ejus & ſororibus ex uno latere, & utrinque conjunctorum liberis, matertera item, amita & avunculo ex uno vel utroque latere conjunctis, concurrentibus, qui illorum præferendi?

Es haben biſzhero vnſere Schoppenſtule / der halb Geſchwiſter / auch Vatters vnd Mutters Bruder vnd Schweſter ſucceſſion halben / vngleich geſprochen / So iſt auch deſz Vatters Bruder vnd voller Geſchweſter Kinder halben keine Gewiſzheit gehalten. Damit dann ſolches alles zu rechter Richtigkeit gelange / So ordnen / Conſtituiren vnd ſetzen wir / würde ein Mann oder Weibesperſon verſterben / vnd hinter ſich einen Bruder oder Schweſter von halber Geburt / vnd deſz Vatters oder Mutter Geſchwiſter von voller Geburt verlaſſen / So ſoll das Erbe auff den halben Bruder oder Schweſter allein verfallen / vnd deſz Vattern oder der Mutter Geſchwiſter davon auſzgeſchloſſen werden. Stürbe dann ein Mann oder Weibsperſon / vnd verlieſſe hinder ſich ſeiner vollbürtigen Geſchwiſter Kinder / vnd deſz Vatters vnd der Mutter vollbürtigen Bruder vnd Schweſter / ſo ſollen Bruder vnd Schweſter Kinde in der ſucceſſion vorgezogen / vnd das Erbe auff der Geſchwiſter Kinder allein verfellet werden.

Wann aber ein halber Bruder vnd Schweſter / vnd vollbürtigen Geſchwiſter Kinder verblieben / ſo ſollen dieſelbigen zugleich zugelaſſen werden / vnd das Erbe nach Perſonen anzahl *in capita* nehmen vnd theilen / vnd alſo ſämbtlich deſz Vatters oder Mutter Brüdere vnd Schweſtere davon auſzſchlieſſen. Deſz Vatters vollbürtiger Bruder vnd Schweſter ſollen auch hinwieder der halben Bruder Kinder der vollbürtigen Geſchwiſter Kinder Kind auſzſchlieſſen / vnd den ſelbigen vorgezogen werden.

Wir wollen aber mit dieſem vnſern Geſetze vnd Conſtitution das jus repræſentationis auff Sachſiſchen boden vnſerer Landen nicht eingeführet haben / Sondern vnſer meinung vnd gemüt iſt / daſz es ſolches juris repræſentandi, auch anderer Perſonen vnd Fälle ſucceſſion halben / auff Gleichheit oder Ordnung der Graden / allenthalben gehalten / geſprochen vnd erkandt werden ſoll / wie es nach Sächſiſchen Rechten verſehn / vnd in vnſern Landen gebräuchlich vnd herkommen iſt.

In quæſtione de ſucceſſione fratrum ex uno latere, & fratribus & ſororibus parentum defuncti, diverſimodè in Scabinatibus noſtris reſponſum intelligimus; quemadmodum nec de patruo defuncti, fratrum ejus ex utroque latere liberi, inter ipſos convenit. Ambiguitatem igitur per Conſtitutionem & Ordinationem hanc noſtram tollentes, volumus, ut ſi vir vel mulier moriatur, relictis fratre vel ſorore ex uno latere, & fratribus vel ſororibus ex utroque latere parentibus ſuis conjunctis, his excluſis, frater vel ſoror ex uno latere ſoli ſuccedant. Quod ipſum & ad fratrum & ſororum, quos diximus liberos extendimus, ut & hi fratres & ſorores ex utroque latere defuncti parenti conjunctos excludant.

Concurrentibus autem fratre & ſorore ex uno, cum liberis aliorum, qui ex utroque latere defuncto conjuncti ſunt, ſimul illos in capita admitti volumus, excluſis iisdem defuncti, parentem fratribus & ſororibus ex utroque latere, qui tamen viciſſim defuncti fratrum ex uno latere liberis & illorum, qui ex utroque latere illi conjuncti fuerunt, Nepotibus in ſucceſſione præferentur. Nec tamen per hanc Conſtitutionem noſtram jus repræſentationis in forum Saxonicum noſtrarum ditionum introductum volumus. Quin potius id nobis propoſitum eſt, ut ad jus hoc repræſentationis, perſonas item & gradus ſuccedentium quod attinet, in judicando & reſpondendo id obſervetur, quod tam jure Saxonico conſtitutum, quàm moribus ditionum noſtrarum receptum hactenus & uſurpatum conſtat.

A quo tamen differunt quotundam Germaniæ locorum municipalia jura.

Quomodo circa adſcendentium & fratrum ſororumque defuncti ſucceſſionem, contra jus Saxonicum, quo per adſcendentes indiſtincte omnes collaterales excludi diximus, ſtatuto Civitatis Zeizenſis dimidia bonorum pars adſcendentibus, altera vero dimidia collateralibus proximioribus debetur, *Zeiziſcher Statut. art. 17.* referente Chriſtoph. Philipp. de Richtero *de Succeſſ. ab inteſt. Sect. 2. membr. 1. num. 25.*

Quod jure Lubecenſi, ex bonorum inter liberos & parentes ſeparatione dependet, cujus vi fratres & ſorores ſibi invicem cum excluſione ſuccedunt, ſecundum hunc ſuccedendi modum atque ordinem:

Ex Jure Lubecenſi. Part. II. Tit. II.

Rubrik.

Von Succeſſionem.

Art. 1.

3 Wann einer ſtirbt / ſein Gut das er nachlaſſet / das empfahn ſeine neheſten Erben / oder Erbneh-

Rubric. *De Succeſſionibus ab inteſtato, & hereditatis diviſione.*

Art. 1.

Bona defuncti proximi heredes capiunto. Eorum primi ſunt filii & filiæ; Secundi, nepotes & neptes; Ter-

men: Die Erſten ſeynd des Menſchen Kindere / Sohne vnd Tochter; die Andern / Kindts-kinder; die Dritten / Bruder vnd Schweſter / wann ſie abgeſondert ſein; die Vierdten / Vatter vnd Mutter; die Funfften / halbe Bruder vnd halbe Schweſtern; die Sechſten / Groſzvatter vnd Groſzmutter; die Siebenden / Vatter vnd Mutter, Bruder vnd Schweſter; die Achten / der ſelben Kinder. Hierinnen ſeynd beſchloſſen alle Erben vnd Erbnehmen.

Tertii. fratres & ſorores quando ſeparati ſunt; Quarti, Pater & Mater; Quinti, frater & ſoror, ex uno latere juncti; Sexti, Avus & Avia; Septimi, patruus & amita, avunculus & matertera; Octavi, horum liberi. Atque hoc numero omnes heredes continentur.

Art. 6.

Wann ein Mann vnd Fraw Kinder mit einander haben / verſtirbet jhr eins / es ſey Mann oder Weib / welches vberbleibet / das theilet dat Gut met den Kinderen / ſo nicht afgeſondert ſein; Verſturbe nun der Kinder eins / mit welchen die Eltern dermaſſen getheilet / ehe vnd zuvorn die Kinder vnter ſich ſelbſt getheilet hetten / ſo vnzerbet daſſelbe ſein Theil auff die anderen / welche mit jhm im geſampten Gute geſeſſen / zu gleichen theilen / wes Alters ſie auch ſeyn / jung oder alt. Hetten ſich die Eltern aber nicht abgetheilet von den Kindern / ſo verfellet das Gut auff die Eltern / ſo noch im leben.

Art. 6.

Soluto per mortem alterutrius conjugis matrimonio, ex quo liberi ſuperſunt, conjunx ſuperſtes bona cum liberis ſuis, qui ſeparati non ſunt, dividere tenetur. Quòd ſi ex liberis ita ſegregatis aliquis moriatur, antequam ipſi bona rurſum inter ſe diviſerunt, hereditatem ejus reliqui liberi, qui cum defuncto in communione perſeveraverint, ſine ullâ ætatis differentiâ accipiunt, & in partes viriles dividunt. Si verò parens ſuperſtes non diviſerit bona cum liberis, iſti ea deferuntur.

Art. 7.

Seynd Kinder von jhren Eltern abgeſondert / vnd der eins ohne Leibes Erben vorſturbe / das vorerbet ſein nachgelaſſen Gut auff ſeine mit abgeſonderte Bruder vnd Schweſtern; Wo aber derſelben keine vorhanden / alsdann auff die vnabgeſonderten. Were aber kein abgeſondertes / oder vnabgeſondertes Kind / oder der ſelben Leibes-erben mehr im leben / ſo fellet das Gut auff die Eltern.

Art. 7.

Liberis à parentibus ſeparatis ſine prole decedentibus fratres ſororeſque ſeparati proximè ſuccedant. His deficientibus, ii, qui non ſeparati ſunt. Si neque ſeparati, neque non ſeparati eorumve liberi ſuperſint, ad parentes pertinet hereditas.

Sic & in Epiſcopatu Halberſtadienſi, Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, & Epiſcopatu Naumburgenſi contra dictum jus Saxonicum, repræſentationi locus eſt, ubi conſtitutio Caroli V. Anno 1521. C. M. ſubjectis lata, recepta eſt: ejuſque vigore, prædefunctorum ibidem fratrum, ſororumque liberi cum fratribus & ſororibus ſuperſtitibus jure repræſentationis ſuccedunt, referente eodem Chriſtoph. Philipp. de Richters *d. tract. De Succeſſionib. ab inteſt. ſect. 3. membr. 1. num. 9. & num. 23.* 4

Jure Provinciali Ducatus Pruſſiæ (quod alias ad jus commune Saxonicum & Culmenſe quam proxime accedit) poſt deſcendentes quoque adſcendentium proximior remotiorem ſecundum gradus prærogativam excludit. Si pari gradu, ſed diſpari ſint numero, hereditas in duos ſemiſſes dividitur, quorum unus paternæ, alter maternæ lineæ parenti, aut parentibus uni aut pluribus tribuitur. 5

Per parentes cæteroſque adſcendentes, collaterales alii excluduntur, exceptis fratribus & ſororibus germanis, qui cum parentibus primi gradus concurrunt, & ſecundum perſonarum numerum æqualiter cum iis in capita ſuccedunt.

Sed parentum alterutro defuncto, fratres & ſorores germani germanæque ſoli ſuccedunt, excluſo patre aut matre: qui iterum, uterinis aut conſanguineis præferuntur, ſive uterque, ſive alteruter in vivis exiſtat.

Inter fratres & ſorores eorumque liberos repræſentationi locus eſt, qua præmortuorum fratrum liberi pariter cum patruis & avunculis ſuis admittuntur, tam inter germanos & utrimque, quam alterutro tantum latere contingentes inter ſe; Germani enim eorumque liberi conſanguineos atque uterinos à defunctorum fratrum ſuorum germanorum ſucceſſione excludunt; qui, eorumque liberi per repræſentationem poſt germanos demum eorumque liberos admittuntur.

Poſt eos reliqui veniunt conſanguinei proximiores ſecundum gradus prærogativam, prout latius hiſce etiam Juris Provincialis Ducatus Pruſſiæ ab Electore Johanne Zigiſmundo Marchione Brandenburgenſi, & Pruſſiæ Duce Anno 1620. conſtituti renovatique articulis continetur:

Ex Jure Provinciali Ducatus Pruſſiæ,

LIB. QUINTO.

Titulo XII.

De Hereditatibus quæ ab inteſtato deferuntur.

Artic. I.

De Succeſſione Deſcendentium.

§. 3.

Si quis teſtamentum planè non fecit, vel quod fecit, nullum declaratum eſt, hereditas ejus proximis cognatis defertur, ſive ii per maſculos ſive per fœminas cognati ſint: Nam quoad ſucceſſionem in allodialibus bonis, Jure Culmenſi differentia agnationis & cognationis nulla eſt.

§. 4.

Prima autem cauſa in legitima cognatorum ſucceſſione eſt liberorum, quos natura & parentum commune votum ad ſucceſſionem genitorum admittit. Et quamdiu hi ſuperſunt, omnes alii cognati excluduntur.

§. 6.

Quod ſi cum liberis primi gradus etiam nepotes, neptesve ex filio filiave præmortuis nati, adſunt, adſumunt hi locum ſui patris matrisve, & cum liberis primi gradus concurrentes, in ſtirpes, non autem in capita, jure repræſentationis ſuccedunt. Ita ut omnes iſti nepotes tantundem accipiant, quantum ipſorum parentes, ſi in vivis eſſent, capere potuiſſent.

6 Non ſolum autem Nepotes & Neptes in defuncti ſui parentis locum ſuccedunt, ſed & cæteri omnes deſcendentes quocunque tandem gradu defuncto cognati ſint, ita ut remotiores cum propinquioribus in ſtirpes ſuccedant. Nam in hoc ad gradus non reſpicimus, ſed ad ſtirpes, unde pronepotes, abnepotes, aliique inferiores deſcendunt. Quamdiu igitur in linea deſcendenti nepos, pronepos, aut alii valde remoti exiſtunt, tamdiu ſui avi, proavi abavique heredes ſunt, licet in aſcendenti aut collaterali linea proximiores quidam reperiantur.

§. 7.

Similiter ſi defuncto ſunt tantum Nepotes & Neptes, ex ſtirpibus fit ſucceſſio. Quare ſi ex duobus vel pluribus filiis Nepotes Neptesve exiſtant: ex altero unus fortè aut ſex: ad unum aut duos dimidia pars hereditatis pertinet, ad quatuor vel ſex, aut plures, non niſi pariter dimidia. Et ſic deinceps in aliis caſibus lineæ deſcendentis obſervandum.

§. 8.

Quod ſi liberi ſint diverſi matrimonii, unaquæque ſoboles patris ſui bona accipit: Matris autem bona, ſi utriuſque conjugii liberorum mater eſt, ad liberos ejus omnes ex æquo pertinent: Viciſſim unaquæque ſoboles matris ſuæ bona accipit, patris autem bona, ſi utriuſque conjugii liberorum pater eſt, ad liberos ejus omnes, ex utraque conjuge, ex æquo pertinent.

Artic. II.

De Succeſſione Aſcendentium.

§. 1.

Si nulli deſcendentes exiſtant, proximo demum ordine aſcendentes ad hereditatem liberorum ſuorum admittantur in infinitum, idque eo modo ut ſequitur. Principio igitur tenendum eſt, parentes & alios aſcendentes non admitti ad liberorum & deſcendentium ſucceſſionem, niſi hi ſine liberis deceſſerint. Naturæ enim is ordo eſt, ut hereditas ad deſcendentes devolvatur, iiſque non exiſtentibus, tum demum parentes admittantur. Itaque ſi contingat, liberos ante parentes decedere, nullis relictis liberis legitimis aut nepotibus, ſed patre & matre duntaxat ſuperſtitibus, tunc hereditas, ſive vel matrimonio non ſoluto, ſi propria bona habuerint, ad patrem & matrem ſimul, licet Avus vel Avia ſuperſtites ſint, aut ad alterutrum ſuperſtitem defertur. Quare ſi pater aut mater antè deceſſerit, ſuperſtes ſolum ſuccedit, aſcendentibus reliquis excluſis.

§. 2.

Quod ſi pater & mater liberis ſuperſtites non ſint, ſed ſoli ſuperiores avus paternus & maternus, aviaque paterna & materna, tum hi quatuor ſimul in capita ſuccedunt.

§. 3.

Eadem ratio eſt in aſcendentibus ſuperioribus avo aut avia: Ita tamen ut proximior gradu perpetuo remotiorem excludat: Ut ſi defuncto ſit pater & mater, ii excludant avum & aviam, & deinceps hi proavum & proaviam, alioſque ulteriores.

§. 4.

Sed ſi diſpari ſunt numero & pari gradu aſcendentes, puta avus & avia paterna, & ſolus avus maternus vel ſola avia materna, vel contra, tantundem capit ex hereditate nepotis avus maternus, quantum paternus avus & avia, id eſt, ut diximus, dimidia hereditatis pars paternis, altera dimidia maternis tribuitur.

§. 5.

Omnes autem Collaterales per parentes in recta linea aſcendentes excluduntur: *Exceptis* fratribus & ſororibus defuncto utrimque conjunctis. Nam ſi cum parentibus ſimul indiviſo concurrant defuncti fratres & ſorores utrimque conjuncti, hereditas inter eos ſecundum perſonarum numerum æqualiter in capita dividi debet.

Item ſi ſint defuncto cum parentibus & fratribus, etiam mortuorum fratrum & ſororum liberi, tunc hi omnes in locum ſuorum parentum unà jure repræſentationis in ſtirpes ſuccedunt. Quod etiam in avo aut avia, proavo aut proavia, & ſic deinceps, locum habere debet.

Cum verò defunctus nullos liberos legitimos lineæ deſcendentis, aut etiam ſorores fratreſque latere ſibi con-

conjunctos, nec eorum liberos relinquit, tunc hereditas recta linea ad aſcendentes pervenit, ejuſque pater & mater ſoli ſuccedunt: vel ſi pater aut mater ſuperſtes non ſit, ad avum & aviam alioſve ſuperiores ab inteſtato ſucceſſio devolvitur. Verùm alterutro ex parentibus defuncto, & ſic vinculo ita rupto, ſive diviſio bonorum facta ſit, ſive non, tunc fratres & ſorores, excluſo patre vel matre, defuncto ſuccedunt, in omnibus bonis relictis, ſive paterna fuerint ſive materna.

Sanè ſi defunctus extra bona paterna vel materna, alia bona, puta adventitia, Caſtrenſia vel quaſi Caſtrenſia, aut alia quocunque nomine vocentur, reliquerit, tunc in iis etiam pater vel mater uter eorum ſuperſtes erit, unà cum fratribus vel ſororibus defuncti in capita ſuccedunt. Cæterum quod de parentibus, fratribus ſororibuſque diximus, de utrimque tantum conjunctis intelligendum eſt. Nam iis qui liberis ſuis ab uno ſaltem latere conjuncti ſunt, pater & mater præfertur, ita, ut unuſquiſque eorum propriorum liberorum heres exiſtat. Exempli cauſa, ſi quis quatuor vel quinque uxores ordine duxerit, vel mulier quater vel quinquies nupſerit, atque ita ex unoquoque matrimonio liberos ſuſceperit, qui patri aut matri ſupervixerint, hoc caſu hereditas filii filiæve, cujus pater vel mater tantum ſuperſtes eſt, non ad fratres ſororeſve alterius conjugii, & ex uno ſaltem latere conjunctos, ſed ad patrem vel matrem defuncti pertinet.

§. 6.

Quod verò fratres & ſorores ex uno ſaltem latere defuncto conjunctos eorumque liberos attinet, ii cum parentibus non admittuntur, ſed ab iis aut aliis fratribus & ſororibus, eorumque liberis excluduntur. Ideoque ſi defunctus fratrem vel ſororem ex uno tantum latere conjunctum reliquerit, is admitti non debet, quamdiu fratres & ſorores utrinque conjuncti eorumve liberi, vel etiam, uti ſuprà dictum, parentes in linea aſcendenti ſuperſunt.

Artic. III.

De Succeßione Collateralium.

§. 1.

Tertium ordinem Collateralium quod attinet, ei tum demum locus eſt, ſi defuncto neque liberi ſint neque parentes, adeoque tàm deſcendentium quàm aſcendentium ordo deficiat: Nam tum cognatos tranſverſi ordinis defuncto ſuccedere volumus: Et primò quidem omnium fratres ſororeſque, utpote qui defuncto cognati ſunt proximi. Neque hoc tamen indiſtinctè omnes, ſed utroque tantùm parente conjunctos, excluſis illis fratribus & ſororibus eorumque liberis, qui per patrem aut matrem tantùm defuncto conjunguntur. Non ſolum autem hi, qui altero tantùm latere conjuncti ſunt, per utrinque conjunctos fratres ſororeſque excluduntur: ſed etiam per eorum liberos jure repræſentationis, quamvis uno gradu remotiores ſint: Non attento quod Jure Culmenſi fortè aliud conſtitutum, aut contra omnem rationem & apertiſſimos juris textus antehac in Judiciis aliter pronunciatum ſit.

§. 2.

Quod ſi cum fratribus & ſororibus utrinque conjunctis etiam fratrum ſororumque utrinque conjunctorum liberi legitimi concurrant, pariter ad hereditatem defuncti fratris & patrui admittendi ſunt: hoc tamen cum diſcrimine, ut ſi ſoli adſint fratres & ſorores, tunc in capita ſuccedant: At ſi fratrum ſororumve liberi concurrant, hi cum illis patruis & avunculis ſuis, ſive amitis & materteris, in ſtirpes ita admittuntur, ut parentum ſuorum præmortuorum portionem capiant.

§. 3.

Si defuncto aut defunctæ nullus frater aut ſoror ab utroque latere ſit, ſed tantum duorum aut plurium fratrum filii aut filiæ, numero æquales aut diſpares, tum hi patruo ſuo vel avunculo, amitæ vel materteræ, utpote æquali gradu defuncto conjuncti, non in ſtirpes, ſed in capita ſuccedunt.

§. 4.

Quod ſi defuncto, de cujus hereditate agitur, neque in deſcendenti, neque aſcendenti linea, nec frater aut ſoror, utroque parente conjunctus conjunctave, aut horum filius vel filia, ſed tantum frater aut ſoror altero tantùm parente, vel matre conjuncti ſuperſint: Tum hi, eorumque liberi ad defuncti hereditatem, ut de fratribus eorumque liberis utrinque conjunctis ſuprà ſtatuimus, diverſo reſpectu vel in capita vel in ſtirpes admittuntur, excluſis etiam Patruo, Avunculo, Amita & Matertera, & cum his defuncti ejuſdem conditionis fratris vel ſororis filii in ſtirpes.

§. 5.

Si defunctus relinquat præmortui fratris aut ſororis utrinque conjuncti conjunctæve nepotem aut neptem, & fratrem vel ſororem altero tantùm parente conjunctum conjunctamve: Tum neque fratrem hunc vel ſororem, nepoti vel nepti, neque hoc viciſſim illis præferri volumus, ſed fratrem vel ſororem unam partem, nepotes vero, ſive plures ſint, ſive pauciores, alteram partem accipere debent.

§. 6.

Quod ſi defuncto nulli fratres & ſorores utrinque conjuncti, vel eorum liberi, ſed ex altero tantum parente fratres & ſorores ex diverſis matrimoniis ſuſcepti ſuperſint, quorum aliqui conjungantur per patrem, aliqui per matrem: tum ad bona à communi patre profecta ſoli vocantur fratres & ſorores per patrem conjuncti: Similiter ad bona à communi matre delata, fratres & ſorores ſoli qui per matrem conjuncti ſunt.

§. 7.

Quod ſi defuncto neque fratres, neque ſorores ex utroque aut altero tantum latere erunt, neque horum filii aut filiæ, tum cæteris collateralibus gradu proximioribus ejus hereditas defertur. Proinde ſi ex collateralibus plures pari gradu defuncto conjuncti ſint, utpote ſi duo patrui & tres vel quatuor Avunculi exiſtant, hi æqualiter ad ſucceſſionem admittuntur.

Regni Poloniæ inteſtatorum ſucceſſio cum quibuſdam Galliæ locorum conſtitutionibus convenit in eo, quod mortuo patre exiſtentibus filiis & filiabus, filii ſoli in paternis bonis ſuccedant, 7
dote

dote pecuniaria tantum filiabus, pro modo facultatum, reſervata. Kaſimir. Mag. *in Convent. Viſlicien. anno* 1347. *Statut. Laſc. pag.* 29. *Statut. Herborn. Sub nomine, D^{or} Sigiſmund. III. in Convent. Cracovienſ. ann.* 1588. Atque ita uſu obtinere teſtatur Thomas Dreſnerus Leopolitanus *Inſtit. Juris regni Poloniæ lib.* 2. *tit.* 24. Filiis nullis exiſtentibus, filiæ paterna gaudent hereditate, Kaſimir. Mag. *d. Convent. Viſlic. ann.* 1347. *Stat. Herb. d. loco & ſub nomine filiæ.* Uladiſl. Hagel. *in Convent. Varteuſ. anno.* 1423.

Secundus ſuccedendi ordo etiam deſcendentium eſt, inibique jus ſcriptum obtinere videtur, propterea quod ea de re, nec quicquam ſpecialiter ſtatutum reperiatur.

Si vero quis ex hac luce decedat, neque deſcendentibus, neque aſcendentibus relictis, reliqui ad ſucceſſionem cognati, collaterales ſcilicet, ut ſunt fratres & ſorores, aut ii qui ex iis generantur, ut patrui, amitæ, avunculi, materteræ, aliive remotiores proximioribus deficientibus, ſecundum gradus prærogativam, *arg. Novell.* 118. *cap. ſi igitur. auth. ceſſante, Cod. de legitim. hered. Statut. Priluſc. lib.* 3. *cap.* 3.

8 In Hungariæ regno, jura poſſeſſionaria, ut ſunt Caſtra, Caſtella, fortaliria, civitates, oppida, villæ, portiones, poſſeſſionariæ terræ, ſylvæ, & prædia paterna, & avita qualitercunque acquiſita, ſolummodo juri maſculino deſerviunt, eorumque ſoli filii, excluſis filiabus, legitimi heredes & ſucceſſores ſunt: niſi ex regia donatione, expreſſoque Regis conſenſu, bona & jura poſſeſſionaria paterna, vel materna, utrumque ſexum, tam mares quam etiam fœminas concernere dignoſcantur, vel eadem jura poſſeſſionaria non ex avita ſucceſſione aut propriis ſervitiis militaribus, ſed pecuniis paternis aut maternis fuerint empta, aut comparata, quibus ſolum caſibus ea ad utrumque ſexum pertinere intelliguntur: ſervato tamen filiabus ex dictis poſſeſſionariis, aut æſtimationis ejus quartalitii jure, dotis nomine exſolvendo.

Atque ea continuo jurium poſſeſſionariorum ſuccedendi ratio habetur, ut ad radicem, atque originem acquiſitionis, ſemper ſit referenda. Sic ut univerſa bona & jura poſſeſſionaria paterna, & avita, inter filios defunctorum fratres carnales, ut vocant, æqualiter dividantur, & quot ſunt fratres, in tot ſequeſtrentur partes, iiſque ita inter fratres diviſis, altero ipſorum heredibus carente, etiam poſt centum aut plures annos in cæteros fratres ſuperſtites, & heredibus gaudentes, hujuſmodi bona & jura devolvantur.

Neque pater hujuſmodi bona avita poſſeſſionataque, in præjudicium filiorum, aut fœminarum, ſi ea quoque jus fœmineum ſequantur, & ſimiliter nec frater in præjudicium fratris, ea alteri vendere, aliove modo alienare, aut alio modo quicquam diſponere poteſt, niſi de iis, quæ propriis ſervitiis ſuis acquiſivit, aut propriis pecuniis comparavit.

Quod quidem de Nobilibus, civibuſque originariis, qui hac in parte eodem cum iis jure gaudent: Cæterum inter ruſticos nulla inter filios filiaſve ſucceſſionis differentia eſt, ſed omnes ſimul remotâ ſexus differentiâ æqualiter ſuccedunt: In quibus ut pro ratione inſtituti noſtri brevis ſim, ipſas etiam regni Hungariæ conſtitutiones, plura inibi ſcitu digna continentes, hiſce inſeri dignum judicavi: His verbis,

Ex Tripartito Opere Juris Conſuetudinarii inclyti Regni Hungariæ.

PARTE PRIMA.

Titulo XVII.

Qui ſint, & intelligantur Heredes, & poſteritates, & qualia bona ſolum maſculinum, qualiave utrumque ſexum concernant.

Cæterùm, quia ab inceptæ materiæ proſecutione (ob occurrentem, & quidem neceſſariam notæ, & ſententiæ hoc in loco declarationem, pariter & diſtinctionem) digreſſionem feci: Igitur ad Donationum regiarum evidentiorem explanationem revertendo, & primò clauſulam illam (ſine herede) decedentium, vel in ſemine deficientium declarando. Notandum eſt, quòd quamvis appellatione poſteritatum, omnes de jure patri, vel matri ſuccedere debentes, etiam poſthumis incluſis, ſive mares, ſive fœminæ ſint, intelligantur: prolium verò nominatione, tam filii, quàm filiæ jam nati, vel natæ, poſthumis excluſis, ſignificentur: liberorum autem nuncupatione & filii & filiæ, nepoteſque & neptes pariter continentur: tamen de vetuſta & approbata regni hujus noſtri conſuetudine, heredes ſolummodo filii legitimi, qui juribus paternis hereditariis ſuccedere ſolent, intelliguntur: licet in caſu, quo bona, & jura poſſeſſionaria paterna, vel etiam materna, utrumque ſexum, tam ſcilicet mares, quàm etiam fœmellas concernere dignoſcuntur. Heredis nomen ipſæ quoque filiæ (licet impropriè) gerere permittantur. Filiæ itaque quia non omnibus bonis, & juribus paternis participant, ideò rectè non heredes, ſed poſteritates potiùs nuncupantur. Et poſteritates quoque dici nuncupari, non quantum ad jurium paternorum communiter, & ſemper devolutionem: ſed

ſed quantum ad ſanguinis propagationem, & in caſibus, quibus legitimè ſortiuntur bonorum paternorum, vel maternorum ſucceſſionem. Nam jura duntaxat poſſeſſionaria pecuniis paternis, aut maternis empta, & comparata, præterea in homagium alicujus interempti nobilis data, & obligata, cæterum pro jure Quartalitio, ſeu in ſortem refuſionis, & reſtitutionis quartæ puellaris perpetuò collata, & inſcripta, dummodo hujuſmodi perennalis inſcriptio Quartalitii non ſit in præjudicium fratrum, vel aliorum ritè ſuccedentium facta. Ita etiam illa jura poſſeſſionaria, in quibus aliquæ puellæ, vel fœminæ per Regiam majeſtatem (ſine etiam præjudicio fratrum generationalium) in veros ſucceſſores, quæ ad utrumque ſexum, præficiuntur: jus fœmineum æquè, veluti maſculinum ſequuntur, alia verò univerſa jura poſſeſſionaria, qualitercunque acquiſita, ſolummodo juri maſculino deſerviunt. Et dixi notanter, pecuniis paternis, vel maternis empta, quoniam in bonis, & juribus poſſeſſionariis pecuniis aliquorum fratrum comparatis, puellæ, ſeu fœminæ, ſorores videlicet eorum, nil juris habere poſſunt, neque collaterali modo ipſæ fœminæ ſuccedere, aut portionem congruentem in caſibus immediatè præſcriptis, aut jus Quartalitium pro ſe requirendi habent auctoritatem. Dixi enim, quo ad utrumque ſexum pari modo notanter. Nam in caſu, quo Regia majeſtas puellam, ſeu mulierem aliquam, in juribus paternis, vel etiam fraternis (ſi frater ipſe heredibus careat, & præfectioni conſentiat) in verum heredem, & ſucceſſorem maſculinum ſimpliciter, præfecerit, non inſerendo ſcilicet in literis præfectionalibus, utrumque ſexum: tunc hujuſmodi jura poſſeſſionaria, mortua ipſa muliere, ſolummodo in filios (ſi habuerit, alıter autem rurſus in Fiſcum regium) devolvuntur, & filiæ ſuæ juribus duntaxat earum Quartalitiis, de eiſdem juxta hujus regni conſuetudinem provenire debentibus, contentari debebunt.

Tit. XXI.

An bona tum pro ſervitiis, tum pecuniis ſimul collata, utrumque ſexum ſequantur.

Quæritur ulterius, ſi Regia majeſtas, aut quiſpiam Dominorum, vel Nobilium, jus aliquod poſſeſſionarium, ſive caſtrum, aut fortalitium, ſive oppidum, villa, vel prædium contulerit, tum pro ſervitiorum exhibitione, vel beneficiorum & complacentiarum impenſione, tum verò pro certa pecuniarum ſumma, in literis ſuper inde Donationalibus, aut etiam Faſſionalibus expreſſa, ſimul cuipiam perpetuò contulerit, & inſcripſerit: utrum hujuſmodi jus poſſeſſionarium utrumque ſexum ſequatur, an autem maſculino duntaxat ſexui deſerviat? Dicendum, quod virilem ſolummodo ſexum concernat: eò, quòd bonorum acquiſitio radicem ſemper adeptionis, & conſecutionis eorundem, non autem appendiculum, vel ramum reſpicit: propterea à radice acquiſitionis, hereditarium, & non emptitium jus eſſe comprobetur. Veruntamen filiæ, ſeu fœminei ſexus homines, de ejuſcemodi pecuniarum ſumma, portiones ſuas meritò habere poſſunt. Ubi autem ſumma ipſa pecuniarum grandis adeò, & notabilis eſſe videretur, ut jus illud poſſeſſionarium modo prælato collatum, vix tanti valoris reputaretur: tunc jus idem poſſeſſionarium, per judicia, & alicujus teſtimonialis loci homines, communi æſtimatione medianti æſtimari, & ſecundum hujuſmodi æſtimationis exigentiam, portio pecuniaria filiabus cedens, per filios reddi debet.

Tit. LXXXVIII.

Quid ſit Jus Quartalitium definitivè, & quibus ſolvi debeat.

Præhabita jurium poſſeſſionariorum tum perpetuitatis jure, tum verò pignoris titulo conſervationis, ſed & metalium Reambulationum, rectificationumque deſcriptione: jam conſequenter ſuper quarta puellari, ſeu jurium Quartalitiorum, nec non Dotium, & rerum Paraffernalium ſolutione, reſtitutioneque diſſerendum eſt. Ubi ſcias, quòd jus Quartalitium eſt jus poſſeſſionarium puellis, & mulieribus de bonis, ac juribus paternis hereditariis in ſignum parentelæ propagationis non perennali vel hereditaria, ſed redemptibili lege, conditioneque deputatum. Quare autem jura poſſeſſionaria paterna ſervitiis acquiſita, jus fœmineum non concernant, & filiæ de illis, cum filiis pariter, & heredibus legitimis portiones habere nequeant, & quibus de poſſeſſionibus, portiones hereditarias habere debeant: ſuperiùs, ubi de ſucceſſione heredum in bonis paternis fienda deſcriptio facta eſt, expreſſe reperies.

Tit. XXVIII.

Quod bona Donatione Regia acquiſita, ſi etiam pecuniarum ſumma contradictoribus ſolvatur, jus fœmineum non concernant.

Idem ſæpenumero contingit impetratores aliquorum bonorum, & jurium poſſeſſionariorum, aut per defectum ſeminis quorumcunque decedentium, aut per aliam quamvis notam, vel etiam juris Regii titulo, cum contradictoribus illis, qui tempore executionis hujuſmodi Donationum apparuerunt, & Statutioni earum contradictionis velamine obviaverunt concordare, & in unionem devenire, atque ſummam aliquam pecuniarum, eiſdem contradictoribus ſolvere, ut citius, faciliuſque dominium bonorum impetratorum adipiſcerentur, aut eadem bona ab omni prorſus ampliori ſolutione, cui fortè prætextu jurium Quartalitiorum, aut dotum, & rerum Paraffernalium, & aliorum hujuſmodi negotiorum ſubjacebant, liberarent. Unde putaverunt nonnulli talia bona jus fœmineum perinde, atque maſculinum ſequi debere, quod minimè verum videtur. Nam jurium poſſeſſionariorum proprietas ad radicem, atque originem acquiſitionis ſemper eſt referenda, prout ſuperius quoque breviter declaratum eſt; & ob hoc ex ſtipite Donationis acquiſititia bona, & non ramo ſolutionis emptitia eſſe cenſentur. Donatio enim, quæ præceſſit, in cauſa fuit, ut ſolutio pecuniaria ſubſequeretur.

Tit.

Tit. XLVII.

Quod univerſa bona inter fratres diviſa, altero fratrum deficiente, in alterum devolvantur, etiam matrimonio interveniente.

Sciendum ulteriùs, quòd univerſa hujuſmodi bona, & jura poſſeſſionaria inter fratres diviſa, altero ipſorum heredibus carente, etiam poſt centum, ducentoa, & etiam plures annos (ſi matrimonia quoque poſt quartum generationis ipſorum gradum inter eos, vel alterum eorum celebrata fuiſſent) in cæteros fratres ſuperſtites, heredibus gaudentes devolvuntur: dummodo fratres ipſi in humanis agentes, per rectam generationis lineam, fratrem defunctum, & heredibus deſtitutum, de ſua vero progenie fuiſſe, & cum progenitore illius in bonis, & juribus poſſeſſionaria ab ipſo derelictis, progenitores eorum diviſionem habuiſſe, vel feciſſe, valeant literali documento comprobare. Deficientibus verò literis, etiam humano teſtimonio ad ſexaginta annorum curricula, ſed non amplius, proſapiam & genealogiæ ſuæ ſtirpem, tamumque de jure poterunt verificare. Unde ſequitur, quòd bona, & jura poſſeſſionaria poſt diviſionem inter fratres factam, per aliquem fratrum acquiſita, & inventa, eodem fratre acquiſitore præmortuo, & heredibus deſtituto, non in fratres condiviſionales derivantur, ſed Fisco regio applicantur. Hoc quoque neceſſariò interſerendum occurrit, quòd bona, & jura poſſeſſionaria, duobus, aut tribus perſonis alienis ſanguine, non fratribus, nec conſanguineis, per Regiam majeſtatem qualitercunque donata, aut aliter per eoſdem acquiſita: altero eorum decedente, & hæredibus carente, rurſus ad collationem Regiam devolvuntur. Sola enim ſanguinis propago, & fraternalis mutua diviſio, efficit ex ſe mutuam, & reciprocam bonorum in alterutrum condeſcenſionem, atque devolutionem, allegatione cujuſvis præſcriptionis non obſtante.

Tit. LVIII.

Quod Pater bona avita in præjudicium filiorum, alienare non poteſt.

Verum tamen ſuper bonis, ac juribus poſſeſſionariis avitis, pater in præjudicium filiorum, vel etiam filiarum, ſi ea jus quoque fœmineum ſequantur, & ſimiliter frater, in præjudicium fratris ſuper bonis, ac juribus poſſeſſionariis paternis, vel avitis, ſine conſenſu filiorum, ac filiarum, vel fratrum, quantum ad alienationem, aut venditionem eorundem bonorum ſimpliciter, nullam penitùs Faſſionem facere poteſt. Quæ ſi etiam fieret, nullius cenſeretur eſſe vigoris, neque firmitatis. Solent namque nonnulli bona, & jura poſſeſſionaria paterna, & avita ſæpè neceſſitate cogente, interdum verò nulla rationabili cauſa adurgente, ſed gula dontaxat, & crapula, comeſſationeque movente, interdum autem damnabili invidia contra fratrem concepta inſtigante, partiee, & diabolo cooperante: aliquando verò benè, & rectè, ſæpius tamen malitiosè, quibus poſſunt, impignorare, aut perpetuò vendere, inſcribere, & diverſis titulis, exquiſitiſque coloribus obligare: &, ut facta ſuper eo Faſſio majoris firmitatis exiſtat, & invalidari nequeat: onera filiorum, ſi iaſumque, & fratrum ſuper ſe & heredirates ſuas in ſerie Faſſionis aſſumere, atque levare.

Tit. LVII.

Quod quilibet dominorum & nobilium ſuper bonis ſuis propriis, liberam diſponendi habeat facultatem.

Sciendum eſt autem, quòd quilibet Dominus, Baro, Magnas, ac Nobilis, & poſſeſſionatus homo, filios & filias habens, ſine omni conſenſu, immò & contra voluntatem eorundem, de, & ſuper rebus, ac bonis & juribus ſuis poſſeſſionariis, per eum propriis ſervitiis ſuis acquiſitis, & adeptis, ſive propriis pecuniis, quæ etiam ſervitiis acquiri conſueverunt, comparatis, & emptis, vita ſua comite, liberam (prout voluerit) diſponendi, & ea etiam alienandi, plenariam habet poteſtatis facultatem, filiorum, vel filiarum contradictione, inhibitione, vel alia quavis repugnatione non obſtante. Et ſi quam pater ipſe diviſionem in eiſdem rebus, ac bonis, juribuſque ſuis poſſeſſionariis, in humanis agens inter filios filiaſque fecerit, ne, eo è medio ſublato, diſſenſiones, odia, contentioneſque, & differentiarum materiæ inter eoſdem, prævia ratione ſuboriantur, etiam poſt obitum patris, filii & filiæ diviſionem ipſam ratam habere, & in eadem perpetuò permanere tenebuntur. Et hoc idem eſt etiam de bonis, & juribus poſſeſſionariis, vigore alicujus contractus, ſeu fraternalis adoptionis, vel etiam præfectionis in aliquem virum, aut aliquam fœminam redactis, & derivatis tenendum. Quia ſolus, vel ſola ejuſmodi bona conſecutus, aut adepta eſſe intelligitur, atque comprobatur.

PARTE TERTIA.

Tit. XXIX.

Quomodo res mobiles, & immobiles ruſticorum inter filios, & filias dividantur.

Item ſi ruſticus filium genuerit, filiam quoque nondum emaritatam habens, tunc uterque in rebus paternis tàm mobilibus, quàm immobilibus æquali jure ſuccedit. Si tamen de rebus mobilibus filia emaritata fuerit, tunc advertendum eſt, quia illæ res aut avitæ, aut paternæ fuerunt. Si avitæ: fraus nulla in emaritatione ſequi poteſt: quoniam filia æqualem portionem ſortiri debet. Si autem res paternæ extiterint, tunc pater juxta condecentiam ſtatus & honoris ſui poterit eam emaritare, & amplius portionem rebus de eiſdem non habebit, ſed mortuo patre ad filium devolventur, & illo quoque decedente, ad fratres & conſanguineos ſuos,

ſuos, ab eodem ſtipite derivatos, condeſcendent. Varum ſi pater de ſua portione teſtamentum condere voluerit, id quidem facere poterit, abſque tamen fraude uxoris. Nam uxor, in rebus per maritum ſuum ſtante conjugio conquiſitis, ſemper particeps & condiviſionalis efficietur. Ita quòd viro, inteſtato decedente, ad eam univerſa bona ſua per ipſum, ut præfertur, conquiſita devolventur. Ubi verò pater, mortua prima uxore ſua aliam duxerit conſortem, tunc filius ex prima uxore natus, ſi cum patre ſuo in rebus mobilibus & immobilibus diviſus fuerit, ſecunda uxor ejus de portione filii pro ſe nullam portionem habere permittitur, & neque fratres ſui ex ipſa ſecunda uxore patris generati, ſeſe ad illam ingerere poſſunt: ſed de eiſdem filius ipſe prout voluerit, liberam diſponendi habet facultatem.

Tit. XXX.

Qualiter bona ruſtici inteſtati in dominum terreſtrem devolvantur.

Item ruſticus unica, & ſingularis perſona exiſtens, nullumque poſt ſe heredem & ſucceſſorem legitimum relinquens, ſuper rebus ſuis mobilibus liberè teſtari poteſt: hereditates tamen ſi avitæ fuerint, omnino in dominum terreſtrem devolvuntur. Si verò per ſemetipſum extiterint acquiſitæ, in duas dividentur partes: quarum una Domino ipſi terreſtri: altera verò cui teſtamentaliter legaverit, effectivè cedet. Si autem inteſtatus deceſſerit, omnia ipſius bona tàm mobilia, quàm etiam immobilia ad dominum terreſtrem devolvuntur. Qui ante omnia de eiſdem bonis pro exequiis & ſepultura illius providere, cunctos deinde creditores ſuos contentos reddere, & debita ſua perſolvere tenetur, & reſiduum bonorum pro ſe tandem tollere poteſt. Ubi tamen ruſticus heredem poſt ſe reliquerit legitimum, & heres parvulus fuerit, ac ætatem duodecim annorum non attigerit: tunc poterit pater non ſolùm de portione ſua teſtari, verùm etiam heredi parvulo infra ipſam duodecim annorum ætatem forſitan decedenti, heredem alium (quem maluerit) ſubſtituere, ita ut ſi interim heredem ipſum legitimum præmori contingat, ſubſtitutus heres ſuccedat. Si tamen verus heres ætatem poſteà prædictam attigerit, vel tranſcenderit, ejuſcemodi ſubſtitutio extinguetur, & in heredis poteſtatem bonorum omnium conſervatio pariter & diſpenſatio reponetur. Verum tamen colonorum quemadmodum multiplex eſt conditio; ita & conſuetudo juris, quæ juxta locorum veterem uſum obſervanda cenſetur. Per hoc tamen non eſt intelligendum, ut hereditas per ruſticum cuipiam legata vel vendita, jure perpetuo à Domino terreſtri alienari poſſit. Nam ruſticus præter laboris mercedem & premium in terris Domini ſui, quantum ad perpetuitatem, nil juris habet, ſed totius terræ proprietas ad Dominum terreſtrem ſpectat & pertinet. Per hujuſmodi igitur legationem, aut venditionem, colonus non niſi laboris ſui mercedem & præmium, condignam ſcilicet æſtimationem terræ, prati, molendini vel vineæ cuipiam legare vel vendere poteſt, perpetuitate Domino terreſtri ſalva ſemper remanente, qui dum voluerit, terras, prata & molendina ſecundum æſtimationem communem, vineas verò juxta condignum earum valorem ad ſe recipiendi habet facultatem.

CEN-

CENSURA FORENSIS,

&c.

LIBER QUARTUS.

D E

OBLIGATIONIBUS & CONTRACTIBUS, tam nominatis, quam innominatis, & Actionibus inde reſultantibus.

Cap. I.

De Obligationibus.

Summaria.

1. *Quid, & quo reſpectu, quid dicatur noſtrum.*
2. *Obligatio quid, & quotuplex.*
3. *Naturalis quid, & quotuplex. 5.*
4. *Obligatio Civilis quid, & quotuplex. 7.*
6. *An & cujus effectus ſit naturalis obligatio.*

1 QUamvis id quod cuique debetur, proprie loquendo conſiſtat in eo quod meum, tuum, aut ſuum eſt, eaque tantum comprehendat, quæ vindicari poſſunt: effectu juris tamen penitius inſpecto, etiam id noſtrum vocamus, ad quod conſequendum efficax competit actio: qui enim actionem habet ad rem aliquam conſequendam, ipſam rem habere videtur. *l. 15. ff. De Reg. Jur.* & apud ſe quiſque habere videtur id, de quo actionem habet, *l. 143. ff. de Verb. Significat.* Quare, quum hactenus tractatum ſit de eo quod cujuſque proprium eſt, tam in perſona quam rebus extra perſonam jure gentium vel civili acquiſitis, ſequitur nunc ut videamus quid cuique tanquam ſuum debeatur, in quibus conſiſtat, & quo remedio obtineatur: quod in obligationum jure verſatur. *D. xliv. vii. & Cod. v. iv. x. De Obligationibus & Actionibus. Inſt. iii. x. v. De Obligationibus.*

2 Obligatio eſt juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur ad aliquid præſtandum, vel faciendum. *pr. Inſtit. De Obligat. & l. 3. in pr. ff. eod. junct. l. 2. ff. de Verb. Oblig. & l. 1. ff. De reb. credit.*

Alia Naturalis, alia Civilis, alia mixta, ſive naturalis & civilis ſimul.

3 Naturalis obligatio eſt, qua adſtringitur quis ad ſolvendum id, quod naturaliter tantum debet. *l. 95. §. 4. ff. De ſolut. l. 84. §. 1. ff. De Reg. Jur. & l. 25. §. 11. ff. de heredit. petit.*

4 Obligatio Civilis eſt, qua quis Jure Civili adſtringitur ad ſolvendum id, quod civiliter debet. Quo pertinet definitio obligationis à Juſtiniano propoſitæ *in pr. Inſtit. De Obligation.*

5 Naturalis obligatio iterum duplex eſt, alia cui nullus effectus à Jure Civili tributus eſt, ejuſque nomine nulla jure civili prodita eſt actio. *l. 10. ff. de Obligat. & Action. l. 16. §. 4. ff. de fidejuſſorib.* eſtque ea quæ citra conventionem oritur ex facto aliquo præcedente: Ut eſt obligatio, beneficii accepti cauſa, remuneratoria, in qua nulla eſt neceſſitas, præter honeſtatis, & æquitatis naturalis vinculum; quo ad gratitudinem & remunerationem adſtringitur ia, qui beneficium accepit. *d. l. 25. §. 11. ff. De hered. petit. l. 54. ff. De furtis.* aut ex conventione tali, cui nulla ſubeſt cauſa præter nudam conventionem, ex qua non datur actio. *l. 7. §. 4. ff. De pact.* vel ea qua ia qui contraxit, civiliter ſe ex conventione obligare non potuit. Ut ſunt pupilli, itque omnes quibus bonorum adminiſtratio haud competit, qui abſque tutorum vel curatorum authoritate contrahentes efficaciter obligari non poſſunt. *l. 127. ff. De Verb. Oblig. l. 1. in fin. ff. De Novat. l. 25. §. 1. ff. Quand. dies legator.*

6 Alia Naturalis obligatio eſt, quæ quamvis actionem non patiat, alicujus tamen effectus eſt: Ut ad impediendam ſoluti repetitionem, *l. 13. l. 26. §. libertus. l. 60. & l. 64. in pr. ff. De Condict.*

indeb.

indeb. l. 10. ff. Obligat. & Act. l. 16. §. naturales. ff. de fidejuſſor. l. 3. §. fin. ff. Quod cujuſque jur. ad compenſandum *l. 6. & l. 10. ff. de compenſat.* Quibus accedit conſtitutum *l. 1. §. pen. ff. de Conſtit. pecun.* Novatio præcedentis obligationis. *l. 1. ff. de Novat.* fidejuſſio *l. 1. l. 6. in fin. l. 7. ff. de fidejuſſ. §. 1. Inſtit. eod.* pignus. *l. 14. §. 1. ff. de pignorib. l. 59. in pr. verſ. remanet ergo. ff. ad Senat. Trebell.* quæ omnia naturali obligationi efficaciter adſumi, & accedere poſſunt.

De cujuſmodi effectu intelligendum eſt quod Juriſconſulti ajunt, aut negant aliquem naturaliter obligari. Ut recte monet Weſenbec. *Paratit. ff. De Obligat. num.* 5. Quomodo eum cui bonis interdictum eſt, ſi quid promiſerit, naturaliter obligatum negant, eo quod fidejuſſores quidem pro eo intervenire poſſint. *l. 6. ff. de Verb. Oblig.* quaſi negotium nullum geſtum ſit. *l. 70. §. pen. ff. de fidejuſſ.* Quod etiam dici poteſt de tranſactione alimentorum per teſtamenta aut Codicillos relictorum. *l. 8. §. 2. ff de tranſaction. l. 23. §. 2. ff de Condict. indebit.* Item in minorum mutuo, & mulierum interceſſione, quorum alterum perpetua Macedoniani, alterum Vellejani exceptio inefficax reddit, admitti volunt. Quod inibi tamen re vera non ita ſe habere volunt alii, eo quod efficere Senatus non potuerit quo minus naturaliter obligentur, *l. 2. §. 1. ff. De Uſu ear. rer. l. 9. in fin. & l. 10. ff. ad Senatuſconſ. Macedonian.* Quod verius eſt, vel ex eo, quod, quamvis ex ſubtilitate Juris Romani defendi poſſit, fidejuſſorem pro minorum mutuo, & mulierum interceſſione non teneri (quod an receptum, ſuo loco vide) tamen negari haud poteſt, eos eorumque fidejuſſores in tantum obligari in quantum in rem verſum, & per hoc locupletiores facti ſunt. Cujus reſpectu & ipſos minores teneri conſtat, quo facit *l. 5. in pr. & §. 1. ff. De author. tutor. & l. 3. §. pupill. ff. De negot. geſt. & tot. tit. ff. De in rem verſo.*

Obligatio civilis iterum eſt alia mere civilis, ut quæ ex aliqua juris ſcripti parte proficiſcitur, 7
alia prætoria, ex juriſdictione prætoris vel alterius cujuſvis magiſtratus, cui id jus eſt, deſcendens, aliis deficientibus in ſubſidium, aut earum quæ ſunt, confirmandarum, aut etiam reprimendæ improbitatis hominum cauſa reſtringendarum, introducta, quæ & honoraria dicitur. *l. 1. §. per. ff. de Exercitoria actione. l. 8. §. fin. ff. De Acceptilat. l. 8. §. 1. ff. de fidejuſſor.* Et hinc eſt quod obligatio Civilis, & quæ jure Civili actionem parit, per exceptionem jure prætorio introductam repellatur. *l. 3. §. 1. ff. De Conſtitut. pecun. & tot. tit. Inſtit. de Exception.* Quare & talem obligationem, quæ per exceptionem peremptoriam elidi poteſt, quidam nudam vocant, ad differentiam obligationis efficacis, quæ jure Civili conſtituta, efficacem actionem parit eam, quæ per exceptionem perpetuam non poteſt removeri. Quæ ſola plenam præſtandi neceſſitatem habet, adeoque in uſu juris proprie & abſolute vocatur obligatio, neque naſcitur niſi ex cauſa aliqua & facto obligati præcedente, *arg. l. 27. ff. De Obligat. & Action.* eaque vel ex contractu, aut quaſi, vel ex maleficio vel quaſi proveniente. *§. 2. Inſtit. De Obligat. & l. 1. ff. eod.* De quibus ſingulis ſuo ordine.

CAP. II.

De Pactis, & Conventionibus.

SUMMARIA.

1. *Pactum, Conventio, Pactio quid.*
2. *Nuda Conventio, Pactum nudum quid, & an ex eo detur actio.*
3. *Contractus quid.*
4. *Quotuplex.*

Lib. II. tit. Cod. II. III. De Pactis.

OBligationibus ex Contractu, unica eſt cauſa: conventio ſcilicet ſive pactum, eſtque duorum in idem placitum conſenſus, *l. 1. §. 1. ff. De Pact.* in hoc, ut unus alteri quid det, aut faciat. *l. 19. ff. de Verb. Significat. & ibi DD.* quæ etiam pactionis definitio eſt. *l. 3. in pr. ff. De pollicitat.* & ita intelligenda *l. 1. §. 2. 3. ff. De pact.* Ita ut nihil prorſus differant, pactum, pactio, & conventio. 1

Conventio ſive pactum aliud eſt in ſpecie ita dictum, aliud quod dicitur pactum nudum, vel conventio nuda. *l. 1. §. 4. l. 7. §. 1. & §. 4. ff. De pact. l. 15. ff. de præſcript. verb. l. 10. Cod. De pact.*

Nuda conventio eſt, quæ in nudis placiti finibus ſtat, neque certum nomen, neque ullam 2
obligandi cauſam habens præter conventionem. *dd. ll. juncta l. 27. Cod. de locat.* ad cujus differentiam pactum in ſpecie ſic dictum ab interpretibus veſtitum dicitur, diſtinguiturque pactum nudum

nudum iterum à temerariis, inconſultis, joculatoriis, aut ſimulatis, aulicis, & officioſis promiſſionibus, quæ ne nomen quidem pacti merentur.

Quæ nuda Conventio ſeu pactum nudum, licet revera & proprie pactum ſit, & quam maxime ſerio & deliberato animo ineatur, eam tamen vim non habet, ut ex eo actio detur. *d. l. 27. Cod. de locat.* Hinc vulgaris regula: Ex nudo pacto non datur actio. *l. 7. §. 4. l. 45. ff. De pact. d. l. 15. ff. de præſcript. verb. l. 10. l. 21. l. 28. Cod. De pact. l. 28. Cod. de tranſact. l. 1. Cod. De pact. convent. tam ſuper dot. l. 5. Cod. De Inutil. Stipul. l. 2. Cod. De Evict. l. 3. Cod. de rer. permut.* Quod & in praxi eſt receptum, ſecundum quam inutilis etiam eſt obligatio, quæ nullam continet debiti cauſam, per *l. 25. in fin. ff. De probat. & l. 13. Cod. non num. pecun.* Coſtal. *ad l. 40. num. 24. 25. ff. De pact. & ad l. 25. ff. De probat.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 13. num. 9.* Matth. Coler. *De proceſſ. executiv. part. 3. cap. 1. num. 7. & ſeq.* nec ex ea agi poteſt, niſi aliunde probetur. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 1. conſtit. 17. definit. 39.* & Anton. Faber. *ad Cod. lib. 4. tit. 22. defin. 5. num. 2. in allegat.* Berlich. *practicab. concluſ. part. 1. concluſ. 80. num. 80.* & *Deciſ. 96.* Andr. Gail. *lib. 2. obſerv. 132. num. 5.* niſi quod inter Mercatores quibuſdam locis conſuetudine ſit receptum, ut inter eos cautio Chirographaria excutionem habeat;
2 licet debiti cauſa expreſſa non ſit. Conſuetudo Civitat. Antwerp. *tit. 53. num. 5.* Joann. Papon. *lib. 10. tit. 2. art. 2.* Damhoud. *Prax. Civil. cap. 175.* Rebuff. *ad Conſtit. Reg. De Chirograph. in Præfat num. 67.*

Pactum in ſpecie ita dictum, ſive pactum veſtitum eſt, quod puri placiti fines egreditur in eo quod proprium nomen habeat, aut conventioni ſubſit debita agendi cauſa. Et hæc conventio uno verbo dicitur contractus, *l. 7. §. 2. ff. de pact.* & in jure actionem, & obligationem parit.

3 Contractus igitur nihil aliud eſt, quam conventio habens propium nomen, aut eo deficiente cauſam, text. eſt *in d. l. 7. §. 1. & 2. ff. De pact.* Indeque eſt quod contractus, qui certum nomen habent, dicuntur nominati, ut ſunt emptio venditio, locatio conductio, ſocietas, mandatum, commodatum, depoſitum, & cæteri ſimiles, qui actionem producunt nomini ſuo conſonam: qui vero ſpecisli nomine carent, ſed ejus loco præter conſenſum cauſam expreſſam habent, innominati dicuntur: *l. 1. §. ult. l. 7. §. 1. ff. de pact.* pariuntque æque obligationem & actionem, non vulgarem quidem, & uſitatam, aut nimini ſuo conſonam: ſed in factum præſcriptia verbis *d. l. 7. §. 2. ff. eod. l. 1. & tot. tit. ff. De præſcriptis verbis.* Hi fere ſunt quator, Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.

4 Contractus etiam alius eſt monopleuros; & ab uno latere obligatorius, ut ſtipulatio alius dupleuros, qui ab utroque latere obligat, ut eſt emptio venditio; quare pupillus quum à ſua parte deficiat, ſine tutoris authoritate haud valide contrahit. *pr. Inſtit. De Author. Tutor.* Alius iterum qui re perficitur, alius qui verbis contrahitur, alius qui literis, alius qui conſenſu, *l. 2. in pr. ff. De pact. §. ult. Inſtit. de Obligat.*

Denique alius eſt bonæ fidei, in quo cenſetur conventum non ſolum de eo quod communiter, & veriſimiliter ſenſerunt contrahentes, ſed etiam de iis quæ communiter inſunt negotio celebrato. Ut ſunt omnea contractus qui conſenſu ineuntur, *§. 28. 29. Inſtit. De Action. l. 11. §. 1. ff. De Act. empt.* Alius ſtricti juris, in quibus conventum cenſetur non ſuper iis omnibus quæ ipſi negotio per ſe inſunt, ſed de iis tantum de quibus expreſſe & nominatim actum eſt, ut eſt ſtipulatio. *§. fin. Inſtit. De Obligat. ex conſenſ. l. 99. in pr. ff. De Verb. Obligat.* Sed de his ſingulis ſuo ordine.

Cap. III.

De perſonis contrahentium, & per quas perſonas cuique obligatio & actio naſcatur, & de quibus rebus.

Summaria.

1. *Creditoris & debitoris definitio.*
2. *Qui contrahere & paciſci poßint, vel non.*
3. *Quibus, & an alteri paciſci poßit.*
4. *Quatenus per liberos noſtras obligamur.*
5. *Exercitoria actio, exercitor, magiſter navis.*
6. *Inſtitaria actio quæ ſit.*
7. *Quando inſtitor ſuo aut alieno nomine teneatur. 9.*
8. *Proxeneta an ſuo nomine obligetur.*
9. *Mandatarius quando ſuo aut mandantis nomi-*

ne contraxiſſe intelligatur..

10. *An plures exercitores, aut plures mercatores ſimul negotiantes ſinguli in ſolidum teneantur: & quid moribus.*

11. *Tributoria actio quæ ſit.*

12. *Senatusconſultum Macedonianum cujus ſit effectus, & an hodie obtineat, in* Hollandia, Gallia, Germania.

13. *Actio de peculio, de in rem verſo, & Quod juſſu.*

14. *De quibus rebus contrahere, & paciſci licet.*

15. *An de futura hereditate aut ſucceſſione liceat paciſci, & quid moribus.*

16. *Pactum de quota lite.*

17. *Pœna Conventionalis an & quatenus ſubſiſtat.*

18. *Sponſiones nullam obligationem inducunt.*

ANtequam ad ipſarum obligationum ſpecifica deveniamus, de perſonis contrahentium deſpiciendum eſt. 1

In omni enim obligatione creditor unus eſt, alter debitor. Creditor hic non eſt is cui debetur, debitor qui debet, ut quidam definiunt ex *l.* 10. & *l.* 108. *ff. de Verb. Significat.* ſed is, qui fidem alterius ſequitur creditor nominatur, debitor, cujus quis fidem ſequitur. *arg. l.* 1. *ff. De reb. cred. & d. l.* 19. *in fin. de Verb. Significat. l.* 3. *§. is autem. ff. ad Senatusconſult. Macedon.*

Contrahere & paciſci poſſunt omnes qui non impediuntur aut prohibentur. 2

Impediuntur furioſi & reliqui mente capti. *l.* 2. *§.* 3. *ff. de Jure Codicillor. l.* 40. *ff. De Reg. Jur. l.* 5. *ff. eod. l.* 1. *§.* 12. *ff. de Obligat. & Act.* qui etiam à delictis excuſantur, *l.* 12. *ff. ad leg. Corn. de Sicariis.* infantes, *§.* 10. *Inſtit. De Inutil. ſtipul.* abſentes, muti, ſurdi, *§.* 7. *& §.* 12. *Inſtit. eod.* Prohibentur contrahere & paciſci prodigi, quibus bonis interdictum eſt, *l.* 1. *in pr. ff. De Curat. furioſ. l.* 10. *in pr. ff. eod.* pupilli, ſine authoritate tutorum, *pr. Inſtit. De author. tut. l.* 9. *ff. eod.* & minores adulti, ſine curatorum conſenſu. *l.* 3. *Cod. De integr. reſtitut. minorum.* Quod tamen hanc limitationem habet, ut alios ſibi obligent, & ſe aliis in quantum locupletiores facti ſunt. *l.* 9. *l.* 5. *ff. De author. tutor.* neque à delictis vel quaſi excuſentur, licet ætatis commiſeratione pœna ſubinde mitigetur. *§. pen. Inſtit. De obligat quæ ex delict. l.* 37. *§.* 1. *ff. de minor.* Deinde quod naturaliter obligentur, ad hoc, ut fidejuſſores dati efficaciter teneantur. *l.* 2. *& l.* 25. *ff. de fidejuſſor.*

Prohibentur etiam ſervi extra peculii cauſam. *l.* 30. *§.* 1. *ff. De pact. mulier.* intercedendi cauſa, *tot. tit. ff. & Cod. ad Sen. Vellejan.* conjuges inter ſe donandi cauſa contrahere prohibentur. *tot. tit. ff. De Donat. inter Vir. & Uxor.*

Paciſcimur nobis & heredibus noſtris, *l.* 17. *§.* 4. *ff. De pact. l.* 38. *§.* 17. *l.* 126. *§. Chryſogonus ff. De Obligat. §.* 4. *Inſtit. de Inutilib. Stipulat. l.* 73. *§. fin. ff. De Reg. Jur.* non aliis, niſi vel interſit ipſius paciſcentis. *arg. §.* 18. *Inſtit. De Inutilib. Stipulat.* vel de re aliena domino reſtituenda, *l. pen. Cod. ad exhibend.* vel de re propria alteri reddenda quis pactus fuerit. *l.* 26. *ff depoſiti. l.* 3. *Cod. De Donat. quæ ſub modo.* aut is qui pactus eſt ſit in poteſtate ejus cui paciſcitur. *l.* 17. *§. fin. & l.* 18. *ff. De pact.* 3

Inſtit. lib. IV. tit. VII. Cod. lib. IV. tit. XXVI. *Quod cum eo qui in aliena poteſtate eſt negotium geſtum eſſe dicitur.* Inſt. III. XXIX. Cod. IV. XXVII. *Per quas perſonas cuique acquiritur.* D. XIV. I. Cod. IV. XXV. *De Exercitoria actione.* D. XIV. III. Cod. IV. XXV. *De Inſtitoria actione.*

Quomodo per liberos noſtros, alioſque quos in poteſtate habemus, item per miniſtros, negociorum geſtores, mandatarios, alioſque nobis obligatio & actio acquiritur, rurſumque ex eorundem conventione aliis obligari nos conſtat. *tot. tit. Inſtit. Quod cum eo qui aliena poteſt. junct. tit. Per quas perſon. cuique obligat. acq.* Vide Jacob. Coren *Obſerv. rer. in Suprem. Holland. Curia judicatar. obſerv.* 25. & ſupra a nobis *lib.* 2 *cap.* 12. fuſius actum eſt. 4

Ita etiam ex tacita quaſi voluntate mutua obligatio naſcitur, inter exercitorem navis, & eum qui cum navis magiſtro, ſive præpoſito ejus contrahit, quæ ob id exercitoria dicitur. *§.* 2. *Inſtit. Quod cum eo qui in alien. poteſtat.* Quod ut clarius explicetur, notandum, quod exercitor navis ſit is, ad quem quotidianus navis quæſtus pertinet, ſive is dominus navis ſit, ſive per averſionem conduxerit, *l.* 1. *§.* 15. *ff. De Exercitor. act.* Magiſter vero ſit is, cui totius cura navis mandata eſt. *d. l.* 1. *§.* 1. *ff. eod.* nec tantum is quem exercitor præpoſuit, ſed etiam is qui à magiſtro, locandis navibus, aut vendendis & emendis mercibus præpoſitus eſt, *d. l.* 1. *§.* 3. 5. 5

Similiter in eum qui tabernam, aut aliam quamlibet negotiationem exercet, efficax competit actio, pro eo quod contractum eſt cum inſtitore ejus rei cauſa, cui præpoſitus eſt, quæ inſtitoria nominatur, *d. §.* 2. *Inſtit. Quod cum eo qui in alien. poteſtat. l.* 3. 4. 5. *ff. De Inſtitor. action.* nobis **Factoor**. Neque refert, is qui præpoſitus eſt, cujus ſit ætatis, conditionis, aut ſexus, ſive maſculus, ſive fœmina: imo & impubes inſtitor eſſe poteſt. *l.* 7. *§.* 1. *&* 2. *l.* 8. *ff. de Inſtitor. act.* ex quorum omnium facto inſtitoria competit. *dd. ll junct. l.* 3. *§.* 11. *ff. De minorib.* 6

Jure quidem Romano, qui cum magiſtro navis, ſive negotiationi præpoſito inſtitore in rebus ad gubernationem navis aut negotiationem ſubjectam pertinentibus contraxit, habet optionem, utrum

utrum exercitorem navis, vel ejus magiſtrum, ipſum dominum mercatorem, an ejus inſtitorem negotiationi præpoſitum convenire velit. *l. 1. §. 17. ff. de Exercitor. act. l. 6. §. ult. ff. Naut. Caupon. Stabul.* modo inſtitorem, ſive præpoſitum, tanquam inſtrumentum conſideres. *§. ult. Inſtit. quod cum eo qui in alien. poteſtat.* Alias enim is qui inſtitorio nomine egit ex eo contractu proprio nomine conveniri nequit, ſufficitque ei ſi ſe talem præſtet, *l. ult. ff. de Inſtitor. action. & ibi Bart.* Quomodo ſuprema Hollandiæ Curia cenſuit, teſte Jacob. Coren *obſerv. 28. num. 47. 48.* Ubi eandem quoque ſententiam à Senatu Pariſienſi ſecutam refert ex Coſtalio *ad l. 1. ff. de Exerc. action.* & Joan. Papon. *lib. 6. tit. des proc. art. 5.*

7 Niſi inſtitor ſimpliciter contraxerit cum eo qui non ſcivit eſſe inſtitorem, quo caſu etiam nomine proprio obligatur, & conveniri poteſt, quum in talibus contractibus ſemper inſpiciatur cujus fides ſit ſecuta. *l. 6. §. 1. ff. de Negot. geſt.* Coſtal. *in l. 61. ff. De procuratorib.* Hinc regula, quod inſtitor ſine expreſſione qualitatis, ſemper proprio nomine contraxiſſe præſumitur, per ea quæ tradit Menoch. *lib. 3. præſumpt. 46. num. 1. & ſeq. & præſumpt. 49. num. 16.* Vide quoque Bart. *ad l. qui in aliena. 6. §. ſi qui 4. ff. de acq. hered.* Alciat. *præſumpt. 24. num. 4.* Niſi inſtitor cum eo contraxit qui ſcivit eum eſſe inſtitorem: nam eo ipſo quod ſciens cum inſtitore contrahit, fidem domini ſequi videtur. *§. eadem ratione 2. Inſtit. Quod cum eo qui in alien. poteſt & ibi DD.* Aut ſi cum proxenetico publico ſit contractum, qui ſemper alieno nomine contraxiſſe præſumitur, proque iis acquirit quorum nomine & cauſa officium ſuum gerit, etiamſi mandantis nomen non exprimat: ut eſt doctrina Bartoli *in d. l. qui in aliena. 6. §. ſi qui 4. ff. De acquir. hered.* Alciat. *dict. præſumpt. 24. num 4.* & Menoch. *d. præſumpt. 46. num. 9. & DD. ibi alleg.*

8 *Digeſt. 1. x. 9 De proxenetic.*

9 Quæ cum ita ſint, quæritur, quid ſi inſtitor cum aliquo contraxit, qui eum inſtitorem eſſe ignorat, nec is expreſſerit ſe pro alio contrahere, utrum nobis aliquid acquiratur? Et quidem ſi inter mandantem & mandatarium quæſtio ſit, res dubio non caret, quin mandanti competat actio adverſus inſtitorem, pro tradenda re, mandato ſuo empta, quum vel contrahens alieno nomine contraxiſſe præſumatur, ſi ad id erat obligatus: ut per Bald. *ad l. ſi patruus. 4. Cod. commun. Utriuſ. Judic. num. 5.* Alciat. *de præſumpt. 46. num. 8.* Sed major difficultas eſt ſi de jure prælationis concurſu creditorum inſtituto quæratur inter dominum mandantem, & alios creditores procuratoris, aut inſtitoris ſui (ut aliquoties in judicio diſceptatum vide) an per tale inſtitoris, aut mandatarii factum, ipſum verum rei emptæ dominium acquiratur mandanti, ſic ut adverſus alios creditores rei vindicatione uti poſſit? Quo in caſu præcipue attendendum eſt, an hoc egerit mandatarius, ut domino mandanti contrahat; quum ad acquirendum dominium mandanti ſufficiat, procuratorem in contrahendo ejus fuiſſe intentionis ut domino ſuo acquirat. Bart. & Caſtrenſ. *ad l. qui mihi donatum 13. ff. De Donat.* Anton. Fab. *ad Cod. tit. Si quis alt. vel ſibi. defin. 14. & ad tit. De Rei vendicat. defin. 6.* Atque ita de Conſuetudine Amſtelodamenſi, *5. Octob. Anni* 1619. in facto fuiſſe reſponſum legimus. **Hand-veſten van Amſterdam** / *noviſſ. edit. pag.* 101. Quod quum difficilis probationis ſit, quid ſcilicet mandatarius in animo habuerit, circumſtantiis & conjecturis probari poteſt. Ut in ſimili notat Hector Felic. *tract. de Societat. cap. 3. num. 45. & cap. 14. num. 88.* Ut ſi conſtiterit rem emptam mandantis pecunia eſſe ſolutam: dominus enim pecuniam in emptionem mercium, aliis eſt præferendus in re ſua pecunia empta. Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 12. num. 3. & obſerv. 25. num. 13.* Hattmann. *tit. 27. obſerv. 8. num. 15.* per Gloſſ. & DD. *in auth. quo Jure. Cod. qui pot. in pignor.* aut ſi emens rem emptam retulerit in rationes mandantis. Idem Felic. *De Societat. d. cap. 3. num. 56.* Quo præſuppoſito à ſuprema Hollandiæ Curia in ſimili caſu judicatum refert Jacob. Coren *obſerv. 25.* per procuratorem mandanti acquiri poſſeſſionem, & proprietatem in contrahendo, etiamſi nulla mandati mentio fuerit facta, neque nova traditio, aut ceſſio interceſſerit, eoque domino mandanti, rei, pecunia, & mandato ſuo emptæ vindicationem jure competere.

10 Sed & inter plures exercitores navis, aut plures mercatores præponentes ſimul negociantes, quiſque eorum in ſolidum tenetur, ne in plures adverſarios diſtringeretur qui cum uno contraxit. *l. 1. §. fin. l. 2. 3. 4. ff. de Exercitor. act. l. 13. §. ult. & ſeq. ff. de Inſtitor. act.*

A quibus tamen moribus noſtris in tantum receditur, ut non in inſtitores aut præpoſitos directa detur actio, ſed adverſus ipſos dominos præponentes agi debeat, qui inſtitorum nomine tenentur, niſi cum iis ſit actum quos inſtitores aut præpoſitos ſuos negant. Coſtal. *ad d. l. ult. ff. de Inſtitor. act. & ad l. 1. §. 17. ff. de exercitor. act.* Chriſtin. *vol. 3. deciſ. 33. num. 9* Jacob. Coren *dict. obſerv. 28. num. 47. & ſeq.* Neque in Hollandia obtinet, ut plures exercitores ſimul negociantes, ſinguli in ſolidum teneantur, ſed hi neque ultra navis, & mercium contentarum

æſtimationem, neque eorum ſinguli, ultra vires ſuarum portionum, obſtricti ſunt. Grot. *tract. de Jure Belli lib. 2. cap. 11. num. 13. Introduct. lib. 3. pars. 1. num. 39.* Neque aliter in ſolidum tenentur, quam eo caſu, quo tantundem in ipſo communione ſive ſocietate impoſitum reperitur, adeoque præſtando eo quod in communione habent pro totius condemnatione ſinguli liberentur. Ut à ſupremo Holland. Senat. judicatum refert Jacob. Coren *obſerv. 40. verſ.* **Des Gedaagdens.** Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 165. num. 11. & deciſ. 108. num. 9.* Vide etiam Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 24. num. 9.* Hector. Felie. *De Societat. cap. 30. num. 32.*

D. XIV. IV. De Tributoria actione.

Sed & ſi non præpoſuerimus navi aut tabernæ mercique noſtræ filios, alioſque quos in pote- 11
ſtate noſtra habemus, eos tamen merce noſtra ſcienter negociari permiſimus, poſtulantibus creditoribus mercis tributoria actione diſtribuitur quaſi peculiaris illa merx, ſi quid etiam nobis debeatur inter nos & creditores mercis, ſine privilegio deductionis, ſed pro rata cujuſque portionis neque meliorem hæc actio occupantis cauſam facit, ſed æqualem omnium agentium conditionem. *l. 1. §. 2. l. 5. § fin. l. 6. ff. de tributor. act.*

Quod tamen per eos, quos in poteſtate noſtra habemus, efficaciter aliis obligari diximus, hanc 12
limitationem habet: ut, ne filiifamilias mutuam pecuniam ſumendo, rem patris præter ejus voluntatem minuant, is, qui filiofamilias non conſentiente, aut approbante patre mutuam pecuniam dederit, eam nunquam, nec à patre, nec à filio exigere poſſit. *§. pen Inſtit. Quod cum eo qui in alien. poteſtat. l. 1. & tot. tit. ff. Ad Senat. Macedon.* Cui, ut pro beneficio patri principaliter dato, à filio renunciari non poteſt. *arg. l. 3. §. 3. ff. eod.*

Dig. XIV. VI. C. IV. XXVIII. De Senatusconſulto Macedoniano.

Quod etiamnum obtinet, & variis locorum ſtatutis firmatur, quibus ſupra certam minutorum nummorum ſummam minoribus quid credi, ſub perditi pœna expreſſa prohibetur.

Limitatur tamen contra, *l. 9. §. 2. ff. eod.* Ut ſi quando nummi, à minore mutuo accepti adhuc exſtent, aut ex iis locupletior factus probetur, Senatuſconſulto locus non ſit, eoque caſu creditori moribus noſtris actio deneganda haud ſit. Quo facit *l. 5. l. 7. §. 13. & ſeq. l. ult. §. 1. in fin. ff. ad Senat. Macedon.* Atque ita in Pariſienſi Senatu judicatum Autumn. *Cenſur. Gall. ad d. l. 9. ff. eod.* Et in foro Germano-Saxonico receptum teſtatur Carpzov. *definit. Forenſ. part. 2. conſtit. 11. defin. 44.*

Ceſſat etiam Senatuſconſultum in filiofamilias mercatore, *l. 1. §. 1. l. 3. §. ult. ff. eod.* aut eo qui vectigalia habet conducta. Anton. Perez. *ad tit. Cod. Si minor ſe majorem dixerit, in fin.* Joann. à Sande *lib. 2. tit. 9. defin. 16.*

D. XV. I. De Peculio.

Sunt & actiones prætoriæ perſonales De peculio, de in rem verſo, & quod juſſu, compe- 13
tentes iis qui cum filio vel ſervo contraxerunt adverſus patrem vel dominum, quatenus in peculio filii vel ſervi eſt, vel in rem patris, aut domini, verſum, aut juſſu ejus actum eſt.

Peculium eſt patrimonium quod ſervus vel filius ſeparatum à bonis patris aut domini habet.

Quod in filiis quadruplex eſt, aliud caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe, aliud adventitium, aliud profectitium.

Caſtrenſe eſt quod filius familias intuitu militiæ habet. *l. 11. ff. de Caſtrenſ. peculio.*

Quaſi caſtrenſe quod ſibi acquiſivit ex militia togata, & ex profeſſione liberalis alicujus diſciplinæ habet. Quale habent adſeſſores, qui provinciarum adminiſtratores juvare ſuis conſiliis conſueverunt. *l. 7. Cod. de Adſeſſor.* Item advocati qui glorioſæ vocis munimine, & patrociniis ſuis vitam ac poſteros defendendo non minus provident humano generi, quam ſi præliis, atque vulneribus patriam, parenteſque ſalvarent. *l. 4. l. 14. Cod. de advocat. diverſ jud. junct. l. 4. Cod. eod.*

Adventitium eſt quod extra militiam armatam aut togatam, aliunde quam ex re patris filio obvenit, veluti ex hereditate vel donatione matris aut propinquorum. *pr. Inſtit. per quas perſon. cuiq. acq. Novell. 117. cap. 1.* aut ſimili cauſa, in qua pater nihil redimere poteſt, niſi ſolum uſumfructum, qui ei competit, niſi filio ſit relictum ea conditione, ne pater ex eo uſumfructum habeat. *Novell. 117. cap. 1.* aut ſi filius invito aut reluctante patre hereditatem adierit. *l. 8. Cod. de bon. quæ lib.*

Profectitium eſt, quod aut cauſatum eſt ex re aut ſubſtantia patris. *d. §. 1. Inſtit. per quas perſon. junct. l. 5. ff. de Jure dot.* In quo ſolo actio de peculio datur olim etiam contra dominum (quæ moribus rejecta omni ſervitute, & poteſtate dominica, in tempore abrogata) hodie adverſus patrem datur, ex contractu vel quaſi contractu filii ſui in tantum quantum vires peculii patiuntur, quouſque pater filii contractus probare creditur. *l. 46. ff. de peculio*, deducto prius eo quod patri debetur quatenus prævenisse creditorem pater intelligitur. *l. 9. §. 2. ff. eod. l. 5. §. ult. ff. eod. §. 4. Inſtit. quod cum eo qui in alien. pot. §. 38. Inſtit. de Actionib.* Ratio hujus actio-

nis

nis eſt: quod quum pater filio peculium concedat, ex ipſo conſentire videatur, & ſe obligare in id quod intuitu peculii contrahitur, eatenus quatenus vires peculii patiuntur, in quo differt à peculiarium mercium actione quæ Exercitoria & Inſtitoria, dicitur, de quibus diximus, quod ſi ſcientibus nobis extra mercem negotiati ſunt filiifamilias vel aliæ perſonæ quas enumeravimus, propter neceſſitatem commerciorum receptum eſſe ut ultra peculium teneantur, deducta tantum per actionem tributoriam merce peculiari contingente nobis portione, non integra debiti quantitate, ut hic.

Eſtque hæc actio perpetua, quamdiu filius ſub poteſtate patris eſt, aut quamdiu durat peculium, quod extinguitur ſi filiusfamilias ſui juris fiat, ut moriatur *l. 1. ff. Quando de peculio actio annua eſt.* Itemque ademptione & nuda patris voluntate contraria, ſine dolo interveniente, à quo tempore incipit eſſe annalis. *d. l. 1. ff. eod.*

D. xv. II. *Quando de peculio actio annalis eſt.*

Non tamen ex omni cauſa hanc actionem competere placet: ſed ob ea tantum quæ ex contractu vel quaſi cum filio acta ſunt. *l. 44. ff. de peculio. l. 14. ff. de Negot. geſt.* non propter ea quæ ex delicto vel quaſi filius debet, ad quæ voluntas patris extendi non poteſt. *l. 1. §. 7. ff. de his qui ejec. vel effud. junct. l. 58. ff. de Reg. Jur.*

Pro reliquo peculio, veluti adventicio, caſtrenſi vel quaſi, ipſe filius conveniri debet, niſi quod pro adventicio peculio pater tanquam legitimus adminiſtrator defendat, *l. 1. Cod. de bon. matern.* In caſtrenſi vel quaſi filiusfamilias loco patris habetur. *l. 2. Cod. ad Senat. Macedon.*

Sed moribus noſtris, quibus nec pater adventiciorum bonorum uſumfructum habet, ſecundum ea quæ notavimus ſupra *lib. 1. cap. 9. num. 6.* hæc fere confunduntur, quibus peculium dicitur omne id quod quiſque pro patrimonio ſuo habet. *arg. l. 52. in fin. ff. de peculio.* Neque aliter filiorum nomine patres conveniri ſolent, quam tanquam legitimi bonorum eorundem tutores, atque adminiſtratores, & condemnati ex univerſis filiorum bonis perſolvere compelluntur. Vid. Groeneweg. *ad tit. ff. de peculio.*

Si de peculio actio non competat adverſus patrem eo quo diximus modo videndum num filiusfamilias quum patris negotium principaliter gereret, patrem locupletiorem fecerit, & id quod geſſit in patris patrimonium ſit redactum, quo caſu de in rem verſo competit actio adverſus patrem, ut quantum in rem patris verſum ſit ex eo negocio præſtetur. *l. 1. l. 3. & tot. tit. ff. de in rem verſo.*

D. xv. III. *De in rem verſo.*

Si nec illa competat, aut ea experiri non expediat videndum, num filius juſſu patris egerit, veluti, ſi pater juſſerit, mandaverit, vel ratum habuerit quod geſtum eſt. Quo caſu pater in ſolidum tenetur. *l. 1. & tot. tit. ff. Quod juſſu.*

D. xv. IV. *Quod juſſu.*

14 Contrahere & paciſci licet, de omnibus omnino rebus, de quibus nulla prohibitio obſtat. Quomodo I. paciſci non licet de rebus quæ ad aliquam læſionem publicam pertinent. *l. 38. ff. de pact.* II. non valet pactum remotum à jure communi. *l. 28. in pr. ff. eod.* III. quod turpitudinem aliquam continet. *l. 27. §. 4. ff. eod.* Quomodo nunquam dolus futurus remittitur. *d. l. 27. §. 3.* adeo ut nec ſtipulatio expreſſa, nec juramentum turpe pactum, aut quod contra bonos mores eſt, confirmet. *l. 7. §. 16. ff. de pact. l. 7. Cod. de legib.*

15 Hinc etiam de futura ſucceſſione hominis adhuc viventis ſi quis de certi hereditate ſive cum tertio, ſive cum illo ipſo de cujus hereditate agitur, paciſcatur, pactum ipſo jure nullum eſt. *l. 61. ff. de Verb. Oblig. l. 19. & l. ult. Cod. De pact.* præterquam de hereditate certi inter alios cui certus ille conſenſit, & in eadem voluntate ad extremum perſeveraverit, *l. fin. Cod. de pact.* Quod adeo verum eſt, ut non procedat, etiamſi ſit pactum reciprocum de hereditate acquirenda, niſi inter milites, *l. 19. Cod. eod.* Nullumque eſt pactum quod promittenti liberam teſtandi facultatem auferat. Et quemadmodum de acquirenda, ita nec de conſervanda hereditate licet paciſci, *l. ult. ff. de ſuis & legitim.* Nec de repudianda futura hereditate pactum ſubſiſtit, *l. 35. §. 1. in pr. ff. De inoffic. teſtam. l. 94. ff. de acquir. hered.* etiamſi aliquid ejus nomine datum ſit, *l. 3. Cod. de collat. l. 15. Cod. de pact.* De incerti autem hereditate quolibet modo paciſci licet. *l. 3. §. 2. ff. pro Socio. junct. §. 1. ff. eod.*

Quod limitatur inter conjuges, quorum alter alteri reciproce facultatem tribuit, de bonis ſuis diſponendi, quod in irrevocabile pactum tranſit, per ea quæ tradit Pecc. *De Teſtam. Conjug. lib. 1. cap. 43.* & late ſupra *lib. 3. tit. 11.* tractavimus. Et porro noſtris & aliorum moribus de futura ſervanda & acquirenda hereditate inter conjuges per pacta nuptialia, itemque inter eorundem parentes, liberos, itemque agnatos & cognatos, ad quos, alioqui hereditas pertineret, valide paciſci ſupra *lib. 1. cap. 12.* ſufficienter demonſtravimus.

16 Deinde, velut contra bonos mores, prohibetur pactum Advocati cum cliente de quota litis,

 l. litem

l. litem. 15. *Cod. de Procurator. l. 6. §. fin. & l. 7. ff. mandati.* Quod Advocati noſtri ſecundum Cur. Holland. Inſtruct. *art. 71.* Juramenti ſacramento ſolenniter quotannis compromittunt.

Neque pœna conventionalis, quatenus debitum uſurarum modum, & commune cujuſque intereſſe excedit, velut bonis moribus contraria ſubſiſtit: ſed pro ſuperfluo rejicitur. *arg. §. alteri.* 19. *Inſtit. de Inutilib. ſtipulat. junct. l. 61. & l. 69. ff. de Verb. Obligat. junct. l. 13. §. 26. ff. de act. empt.* Quæ licet ſubtili jure ab interpretibus, pro ſimplo ejus quod in pœnam promittitur, quaſi non ſit duplum, aut tripulum alterius rei, nec ad id quod intereſt aut alterum ſimplum referri debeat, defendi ſoleat: judicis tamen moderationi, atque arbitrio pro ejus exceſſu ſubjacere æquius eſt, & ubique fere receptum, prout fuſius infra, an & quatenus ejuſmodi ſtipulatio procedat, & moribus ſit recepta, tractatum vide, *hoc eod. lib. cap. 15.* 17

Quo pertinet quod Sponſiones à ſola fortuna dependentes, nec utrimque obligatoriæ, moribus noſtris nullam obligationem inducunt. per ea quæ tradunt Grot. *Introd. lib. 3. cap. 3. verſ.* Alhier. & ibi Groeneweg. *in Not. & ad l. 108. ff. de Verb. obligat.* Confer infra *cap.* 14. num. 11. Et quæ de Aliæ luſu ibid. 18

Neque tantum res, ſed & facta in obligationem deduci poſſunt. *l. 2. ff. de Verb. Obligat. de quibus. infra cap.* XIII.

CAP. IV.

De Mutuo, & Uſuris.

SUMMARIA.

1. *Quomodo, & in quibus re contrahitur obligatio, ejuſque obligationis ſpecies.*
2. *Mutuum quid, & in quibus conſiſtat, an & quatenus ſit alienatio.*
3. *Quæ res mutuari poſſint.*
4. *Quando mutuum contractum præſumatur, & de fictione brevis manus.*
5. *Quotuplex ſit mutuum, & an recte dicatur Uſurarium.*
6. *Uſura quid ſit hodie, & quomodo ab illicito fœnere diſtinguenda.*
7. *Uſurarum definitio, & quomodo ab intereſſe & annuis redditibus diſtinguenda, quomodo, à fructibus cauſa & reditu.*
8. *An recte dicantur aliæ lucratoriæ, aliæ punitoriæ, aliæ compenſatoriæ.* Neg.
9. *Quis ſit legitimus communium uſurarum modus hodiernus in* Hollandia, Friſia, Saxonia.
10. *Fœnoris nautici & pecuniæ trajectitiæ uſuræ certo æſtimari non poſſunt.*
11. *Communem etiam modum excedit menſa fœnebris.*
12. *Quomodo & ex qua cauſa debentur uſuræ.*
13. *Quid ſit pactum in continenti adjectum, & quando ex mora ſolvendi uſuræ debentur in bon. fid. judiciis. ut in emptione vend. in* Belgio, Germania.
14. *An uſuræ poſt moram, in emptione vend. fructuum, an intereſſe venditoris ſint compenſatoriæ.*
15. *Si dos promiſſa numerata non ſit non tantum pro ipſa dote, ſed & pro uſuris actio competit.*
16. *An & quando in ſtricti juris judiciis uſuræ ex mora aut pactum in continenti adjectum debeantur.*
17. *Quare in mutuo hodie etiam citra ſtipulationem, ex mora debeantur uſuræ* Elect. Saxon. exemplo.
18. *In legatis & fideicommiſſis etiam uſuræ ex mora debentur.*
19. *Uſurarum præſtatio per aliquot annos continuata, an ſufficiat ad inducendam obligationem in futurum.* Diſting.
20. *An uſura pro certo tempore promiſſa, per ſortis continuationem etiam tacite continuata cenſeatur. In* Friſiæ, Hollandiæ, *&* Sabaudiæ Curia, *& foro* Saxonico.
21. *Mora quid, & quotuplex.*
22. *Mora ex re quando aut quomodo contrahatur, per varia exempla.*
23. *Mora ex perſona quando, aut quomodo intelligatur, tam in favorem creditoris, citra interpellationem, quam ex interpellata perſona debitoris.*
24. *Quando dies interpellat pro homine ut aliquem in mora conſtituat.*
25. *Ad moram inducendam non ſufficit ſimplex interpellatio, ſed judicialis per litiſconteſtationem.*
26. *Quantæ, aut quales debeantur uſuræ, ubi in ſtipulationem deductæ non ſunt.*
27. *Uſuræ Uſurarum an, aut quando, & quibus caſibus debeantur.*
28. *Quibus modis ceſſant uſuræ, aut deberi deſinunt,* & 30.
29. *Creditor ſolutionem ſortis ſimpliciter accipiens an uſuras remiſiſſe videatur, eoque ſibi præjudicet.*

30. Cre-

30. *Creditor, debitore nan exprimente, utrum uſuratum, an ſortis nomine ſalvat, in uſuras imputare poteſt quod ſolutus eſt.*
31. *An ſemper & amni die ſolvi poteſt quod debetur.*
32. *Quomodo per ablationem & depoſitianem curſus uſuratnm ſolvitur.*
33. *An pecunia penes debitarem arreſtata, aut ex cauſa retenta, ſiſtatur uſuratum curſus.* & 34.
35. *An & quando ſiſtatur curſus uſurarum ſi ad ſortem excreverint. Et quid obtineat in* Hollandia, Friſia, Gallia, Germania.
36. *An & quando per praſcriptionem ſiſtantur, & deberi deſinant uſuræ.*
37. *Quamada per remiſſionem tacitam.*

1 RE contrahitur obligatio iu iis, quæ ſolo conſenſu uon conſtant, ſed quibus ut perfectæ intelligantur, ipſa rei traditio ad conventionem accedere debet. Quo iu genere ſunt quiuque nominati contractus mutuum, commodatum, depoſitum, pignus, & donatio. De quibus ordine.

2 Mutuum eſt contractus, quo quantitas, pondere, numero, aut menſura conſtans, ea lege datur ut accipientis fiat, & poſt aliquod tempus tantundem generis aut valoris reſtituatur. *l.* 2. *§.* 1. 2. 3. *l.* 3. *l.* 4 *l.* 8. *cum ſimilib. ff. h. t.* In qua definitione, pondere, numero, aut menſura conſtare nihil aliud eſt, quam tam ex ſui natura, quam communi hominum uſu in commercium venire ad numerum, pondus, vel menſuram. Quare etiam dicuntur res fungibiles, quod aliæ ejuſdem generis à debitore reſtitutæ creditori idem præſtant, quod illæ præſtitiſſent, ſi mutuo datæ non fuiſſent: quomodo accipiendum eſt quod quidam volunt illud ipſum reſtitui quod datur *per, l.* 2. *§.* 1. *ff. De reb. credit.* idem, nempe in genere ejuſdem quantitatis, numeri, ponderis, aut menſuræ, in ſpecie nequaquam, quomodo conciliandum; quod de mutui alienatione, doctiſſimorum alias virorum ingenia, ad calumnias & convitia uſque, ultra modum tantopere torſit. Qui ſi rem ipſam ejuſque uſum penitius inſpiciant, haud inficiari poſſunt, in mutuo rei mutuatæ, dominium utendum & in ſpecie conſumendum transferri, ea lege, ut tantundem reſtituatur, ſive ſit idem, ſive ſit aliud æquivalens, *pr. Inſtit. Quib. mod. re cantrah. abligat. l.* 2. *§.* 3. *&* 4. *ff. de Reb. cred. l.* 55. *ff. de obligat. & Action. junct. l.* 18. *§.* 1. *ff. de reb. cred.* Quod & adeo hujus contractus proprium eſt, ut & inde nomen acceperit, mutuum dictum, quaſi, de meo tuum. *d. l.* 2. *§.* 2. *ff. ead.* Quamvis alioqui ab etymologia in jure noſtro non uſque adeo valida ſit argumentatio. Vide latius Arnold. Vinn. *ad pr. Inſtit. Quib. mod. re contrah. oblig.* *D. XII. I. & Cod. IV. I. De Rebus Creditis.*

3 Mutuari itaque poſſunt omues res quæ pondere, uumero, & menſura conſtant, vel quarum natura comparatum eſt, ut vulgo ac regulariter, pondere, numero & menſura in commercium deducantur: ut ſunt oleum, frumentum, pecunia numerata, &c. *l.* 35. *§.* 5. *ff. de cantrah. empt.* etiam panes ſi ad certum pondus ſecundum loci ſtatuta fiant, ſecundum diſtinctionem Bartoli *in l.* 2. *§.* 1. *ff. de reb. cred.* Quod idem de cereviſia dicendum, ſi in eodem genere & eadem quantitate reſtituatur, quo caſu & illa functionem recipere recte dici poteſt: haud alia ratione quam pecunia numerata in aliqua ſpecie mutuo data, in alia minori vel majori nummorum ſpecie ad juſtam debitæ quantitatis valorem adæquata, indifferenter reſtituitur: niſi contrahentes expreſſe hoc egerint, ut ipſa ſors ſive debita quantitas in certa nummorum ſpecie reſtitui debeat: quo caſu ipſius monetæ mutatio, quæ alias debitæ quantitatis valorem & æſtimationem non mutat, creditori mutuanti nocet & prodeſt: ut latius ſupra *lib.* 2. *cap.* 18. Vide Grot. *Intrad. lib.* 3. *cap.* 10. *verſ.* 't Selve Geſlagt. *& cap.* 14. *verſ.* Soo wel. Chriſtin. *val.* 1. *deciſ.* 215. *num.* 8. *& num.* 10. *& deciſ.* 391. *vol.* 3. *deciſ.* 1. *& deciſ.* 43. *num.* 2. Zyp. *Not. Jur. Belg. tit. Da Reditub. Conſuetud.* Antwerp. *tit.* 64. *art.* 5. 6.

4 Contrahitur mutuum non tantum expreſſis verbis, ſed & tacite per conjecturas: ſic ut in dubio, mutuum contractum intelligatur, ex eo ſolo quod acceptæ pecuniæ mentio facta ſit: quo caſu mutationis verbum errore ſcriptoris omiſſum cenſetur, quod omnino ſupplendum volunt: propterea quod ubicunque magnæ pecuniæ quantitas abſque cauſæ adjectione alicui datur, in dubio data videtur ex mutui cauſa, per Gloſſ. *in l. cum quid.* 3. *ff. De Reb. cred.* Ut poſt Hartmann. Piſtor. *abſerv.* 39. *num.* 2. *in fin.* deciſum refert Carpzov. *defin. forenſ. part.* 1. *conſtit.* 17. *defin.* 39. Nec actualis ipſius rei traditio, ſecundum *l.* 11. *§.* 1. *l.* 30. *ff. De reb. credit.* ſemper neceſſaria eſt, ſed quanduque nuda rei, antea traditæ, ceſſio, aut per alium tradendæ voluntas aut mandatum ſufficit, ut mutuum per fictionem brevis manus, ut vocant ſubſiſtat, veluti ſi vel tecum, quod ex cauſa mandati mihi debes, convenerit, ut illud crediti nomine retineas, vel ſi mandavero debitori meo, ut quod mihi debet, tibi mutuo det meo nomine, perinde ac ſi ipſemet tibi tradidiſſem, quomodo intelligenda eſt *l.* 9. *§. fin. l.* 11. *& l.* 15. *ff. De reb. cred. junct. §.* 44. *Inſtit. De Rer. Diviſ.*

Mutuum aliud eſt gratuitum, aliud fœneraticium. *l. 34. §. 1. ff. De reb. cred. l. 3. Cod. Si cert.* 5
petat. Quæ diſtributio, quamvis ex mutui natura petita non ſit, ſed plane ex accedenti, eo quod
omne mutuum ſit gratuitum, nec uſuræ debeantur, niſi per ſtipulationem adjectæ, *l. 3. l. 6. Cod.
Si cert. petat. l. 3. Cod. De Uſuris*, virtute ſecundi contractus, ut eleganter exprimit *l. 8. ff. De
eo quod certa loco.* tam crebra tamen eſt uſurarum in mutuo adjectio, ut quoad uſum, proprieta-
tem quandam quaſi ipſius contractus inducere videatur, & vix inveniatur mutuum, per vim cre-
diti contractum, quod non uſurarum ſtipulatione ſit munitum, nullusque magis contractus uſu-
rarum tractationis neceſſitatem habeat: maxime quum mutui dationes moribus noſtris in pecunia
numerata conſiſtant, quæ hanc functionem recipit, ut non intelligatur tantundem reſtitutum,
niſi & ultra ſortem, id eſt, principalem mutui ſummam, reſtituatur id, quod alteri deeſt, pecu-
nia ſua caruiſſe. Uſuris enim proprie dictis non utimur, ſed ſi quid ſit, alterius generis, eſt, pa- 6
ctum de damno repenſando, aut lucro ceſſante, quod quamvis ad uſurarum ſpeciem quam
proxime accedat: quum tamen lucri ceſſantis, aut damni emergentis fines haud excedat,
quod ejus rei cauſa exigitur, proprie dicta uſura non eſt, nec ad improbum, & Jure Canonico
reprobatum lucrum nullo modo pertinet noſtratibus **Intereſt** / quaſi dicas quidquid mihi tuo
nomine abeſt.

Uſuras enim tanquam damni, aut lucri ceſſantis intereſſe, etiam Jus Pontificium admittit, ut
recte defendit Petr. Heig *part. 2. quæſt. 2. num.* 141. eaſque cum naturali æquitate & juſtitia con-
venire multis probant Molin. *tract. De Uſuris. art.* 75. Leonard. Leſſ. *De Juſtitia & Jure lib.* 2.
cap. 20. *dubit.* 4. Et noviſſime Grot. *Introduct. lib. 3. cap.* 10. *verſ.* **Eenige meenen** / *per tot.*
Quare & hic de Uſuria nobis eſt deſpiciendum.

D. xxi. 1. Cod. iv. xxx. 1. *De Uſuris.*

Uſuræ ſunt certum & definitum pretium uſus, quantitatis debitæ. Dico certum & definitum 7
pretium, ut diſtinguantur ab eo quod intereſt, quod ſemper indefinitum, & indeterminatum eſt
§. ult. Inſtit. de Verb. Oblig. quod quidem in ipſis uſuris ineſt, ſed certo & determinate, *l. 26.
Cod. de Uſuris. l. unic. De Sentent. quæ pro eo quod intereſt.* Dicitur quantitatis debitæ, quia uſuræ
non præſtantur niſi propter quantitatem, id eſt, res pondere, numero, & menſura conſtantes, &
quidem quantitatis debitæ, non propriæ, quomodo ab annuis reditibus diſtinguuntur, in quibus
ſors & ſumma capitalis abſolute alienatur, pretiique locum obtinet, & ob id à creditore ipſius ſor-
tis redemptio, ſive reſtitutio, invito debitore exigi non poſſit. Ut latius ſupra *lib. 2. cap.* 18. quum
uſurariæ ſortis reſtitutio, ſemper & quolibet tempore peti poſſit: niſi aliter expreſſe fuerit actum.
Sic ut in annuis reditibus uſuræ non præſtentur propter quantitatem debitam, ſed propter vendi-
tum quotannis exigendi. In mutuo alienatur quidem res, ſed non abſolute, & irrevocabiliter,
nam qui mutuum dat, ſervat ſibi condictionem certi ex mutuo, & quod ex eo ſolvitur, proprie venit
appellatione uſurarum.

Diſtinguuntur à fructibus, cauſis & reditu. Ut fructus ſint, omnia emolumenta ex rebus,
quas is, ad quem fructus pertinent detinet, quibusque utitur fruitur. *§. 35. Inſtit. de rer. diviſ.*

Cauſæ ſive acceſſiones ſunt omnia emolumenta quæ ad rem debitam ſive ex re ipſa, ſive ex
occaſione rei ſpectant. *l. 17. §. 7. ff. de Uſur. §. 3. Inſtit. de Offic. Jud.*

Reditus eſt præſtatio ex rebus ab alio poſſeſſis, vel à perſona obligata præſtanda. *l. 38. ff. de
Uſu Uſufruct. & redit. legat.*

Veteres Canoniſtæ, & aliqui Juris Civilis interpretes uſuras diſtinguunt in lucratorias, quas 8
quis accipit quum ipſius nullo modo interſit pecunia debita carere, punitorias, quas in pœnam
quaſi retardatæ ſolutionis veniunt, & compenſatorias, quæ ad juſtam & æquabilem compenſatio-
nem ejus quod intereſt æſtimatæ ſunt. Quæ tamen revera non ſunt niſi compenſatoriæ, quia
nunquam non intereſſe poteſt pecunia ſua in alterius commodum carere, quum crediti periculum,
& deſtituta, pecuniæ, quolibet tempore utendæ facultas, certam alicujus intereſſe æſtimationem
ſemper præbeant: quemadmodum argumentatur Leonard. Leſſ. *de Juſtit. & Iure d. loco.*

Ne nimia uſurarum extenſione ſimplicioris converſationis homines illudantur, uſurarum legi-
timus modus eſt ſervandus, ſive is qui ex publica authoritate conſtitutus, *arg. l. 26. Cod. De Uſu-
ris*, ſive alius, qui moribus vel conſuetudine introductus, *l. 1. ff. eod.* ultra quem major quanti- 9
tas, etiam tum quum de proventu conſtare poteſt. *l. 14. l. 17. & l. 23. Cod. de Uſur.* nec ex pœ-
na in vicem uſurarum promiſſa. *l. 44. ff. ead.* deberi non poteſt. Quomodo *edicto 4. Octob.*
1540. ſancitum, ne mercatores pecuniam fœnebrem ad majorem quantitatem, quam duodecim
ad centum quotannis ſolvenda, elocent, ſecundum *d. l. 26. Cod. de Uſur.* Zyp. *Notit. Iur. Belg.
tit. De Uſuris.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 293. in fin.* Grot. *Introduct. lib. 3. part. 10. in fin.* Et pro
more regionis noſtræ invaluit, ut cæteris extra commercium conſtitutis non niſi uſuras beſſes, id
eſt,

eſt, octo in centum ſtipulari liceat, & creditoribus, pignoribus vel hypothecis innitentibus haud majores adjudicentur uſuræ, quam ad ſedecimum nummum, id eſt, unius pro ſedecim. Coren *Obſerv. Rer. à Suprem. Holland. Cur. Judicatar.* 4. Atque ita quoque Amſtelodamenſi ſtatuto 25. *April.* 1614. expreſſe cautum eſt. Quod fere convenit cum Statutario Friſiæ Jure, quo ſeptunces uſuræ ſunt conſuetæ, teſte Joann. à Sande *lib.* 3. *tit.* 14. *definit.* 3. Quæ quidem uſuræ olim erant communes, ſed tractu temporis ad quincunces, & noviſſime uſque ad quatuor in centum diductæ, & diminutæ ſunt. Quapropter quum nec alienum à jure ſit ut & uſurarum quantitas, & taxatio pro ratione temporis mutetur, quemadmodum tenet Covarruv. *var. reſolut. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 6. *circa fin.* haud majores quam quicunces uſuras, extra commercia publica, adjudicandas putem: Qua ratione & Jure Saxonico uſuræ quincunces hodie ordinariæ, & conſuetudinariæ ſunt, nec majores debentur, etiamſi promiſſæ: ut tam ex generali conſuetudine, quam Imperii lege, ex variis Imper. Receſſ. receptum probat Carpzov. *Juriſprud. forenſ. part.* 2. *conſtit.* 30. *defin.* 1.

10 A quo communi uſurarum curſu, *contra l.* 26. *§.* 1. *Cod. de Uſuris*, tamen excipitur fœnus nauticum, pecuniæ trajecticiæ, & quæ in mercium transferendarum aſſecurationem elocantur, in quibus pro diverſitate loci & temporis certa æſtimatio ejus quod intereſt, vix haberi poteſt, ideoque non modo centeſima uſura, & longe plus pro periculi ratione ſtipulari ſolet. *tot. tit. ff. & Cod. De Nautic. fœnore.* Grot. *Introd. lib.* 3. *part.* 11. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 47. *Dig. xxii. 2. C. iv. xxxiii. De Nautico Fœnore.*

11 Similiter & illud quod in menſa fœnebri, vulgo **Lombard** / ex ſuperiorum permiſſu, ad pauperum ſuſtentationem in vulgaria pignora erogatur, cui pro ſumptuum ratione etiam ultra communes uſuras certa quantitas, pro eo quod intereſt, addicta eſt.

12 Uſuræ debentur aut ex conventione, aut ex mora ſolvendi. *l.* 3. *l.* 4. *Cod. De Uſur. l.* 2. *Cod. Depoſiti l.* 17. *Cod. locati.* Ex conventione quidem in bonæ fidei contractibus non tantum per ſtipulationem, ſed etiam per pactum in continenti adjectum promiſſæ. *d. l.* 3. *&* 4. *Cod. De Uſur. l.* 13. *Cod. De pact. l.* 24. *l.* 26. *§.* 1. *ff. depoſit. l.* 34. *§.* 1. *ff. mandati. l.* 5. *Cod. de pact. inter empt. & vend. compoſit.*

13 Pactum in continenti adjectum, hic eſt, id quod ipſi contractui ex neceſſaria quadam conſequentia ineſt, & ex ſui natura uſurarum obligationem producit: uti ſunt in emptione & venditione uſuræ pretii non ſoluti, quarum debitum ipſi contractui tacite ineſt, quod fundatum eſt in mutua aut reciproca obligatione ipſi emptioni venditioni in continenti adjecta, ut quatenus unus contrahentium implet, alter viciſſim impleat, aut lucrum implementi recepti reddat, vel compenſet, ne fructus venditoris percipiat emptor, eiſque non ſolvendo empti pretium, cum ejus jactura locupletetur. *l. curabit.* 5. *Cod. De Action. empt. l.* 2. *Cod. De Uſur. & l. Julianus* 13. *§. ex vendito. ff. De Action. empt.* Quod & ex communi DD. opinione ubique fere obtinet, ſive certus terminus ſolutioni conſtitutus ſit, ſive non, ut poſtquam terminus venerit, uſuræ ipſo jure currere incipiant. Videlat. Dan. Moller. *lib.* 1. *Semeſtrium. cap.* 28. *num.* 2. Niſi expreſſe aliter ſtatuto cautum reperiatur. Habent enim quorundam locorum ſtatuta, ut non niſi poſt tres menſes à dato termino elapſos, uſuræ pretii non ſoluti currere incipiant. Inter quæ Civitat. Leidenſ. Statut. Noviſſ. *art.* 124.

Hoc uſque adeo in Germania procedit, ut uſuræ quoque pretii non ſoluti, in concurſu creditorum hypothecariæ prælationis privilegio indiſtincte gaudeant, & unà cum ſorte exſolvi debeant, etiamſi reliqui creditores ſortem ſuam conſequi non poſſint. Vt poſt Dan. Moller. *d. loco* Berlich. *part.* 1. *concluſ.* 66. *num.* 12. Hartmann. Piſt. *part.* 3. *quæſt.* 108. *num.* 13. *& ſeq.* & alios, teſtatur Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 28. *defin.* 167. Quod tamen in Hollandiæ Curia non niſi in expreſſim ſtipulatis uſuris locum habet, ut deciſum 11. Novemb. 1609. **Inder ſaake van Jan Dircxſz. van Keulen** / contra **Willem Willemſz. van Nieupoort.**

14 Eſtque hæc uſurarum pretii non ſoluti præſtatio, non tam fructuum, ut quidam putant, quam intereſſe venditoris compenſatoria: ſic ut uſuræ pretii non ſoluti à venditore peti poſſint, licet emptor ex re vendita tot fructus non perceperit, qui ad uſurarum quantitatem adſcendant, imo ſi vel nullos omnino fructus perceperit, aut percipere potuit, & vel ipſe venditor nullos percepturus fuiſſet. Ut recte Molin. *De Uſur. quæſt.* 548. & in foro Saxonico deciſum refert. Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 30. *defin.* 6. Vide etiam Dan. Moller. *ad l. Saxon. Aug. conſtit.* 30. *num.* 5. contra Fachin. *lib.* 2. *controv. cap.* 32. Berlich. *part.* 2. *concluſ.* 38.

15 Et ex hoc eodem fundamento, ſi dos aut donatio nuptialis promiſſa in matrimonium collata non ſit, ex ſtipulatu actio competit, non tantum pro ipſa dotis aut donationis promiſſæ exactione, ſed & pro uſuris, & eo quod intereſt, quæ pro eo introducta, ut naturam bonæ fidei judicii

ſequatur: *§. fuerat.* 29. *Inſtit. de Actionib.* Vide Grot. *Introd. lib.* 2. *cap.* 12. Neoſtad. *De Pact. Antenupt. obſerv.* 11. *&* 14. Pecc. *De Teſtam. conjug. lib.* 2. *cap.* 4.

In ſtricti Juris autem judiciis, non debentur, niſi in ſtipulationem deductæ. *l. Titius* 24. *ff. De* 16 *praſcript. verb. l.* 11. *§.* 1. *ff. De reb. credit.* Neque pactum in continenti adjectum aut mora ſufficit ad producendum uſurarum obligationem. *d. l.* 3. 4. *Cod. de Uſuris. l.* 6. *Cod. Si certum petat. l.* 8. *in med. ff. De eo quod cert. loc.*

Quæ regula tamen tot habet limitationes, & exceptiones, ut, quomodo pro generali regula defendi poſſit vix videam. Quod aliis defendendum relinquimus. Nobis ſufficit quod in praxi, pro communi exceptionis regula ſit receptum, toties in ſtricti juris judiciis ex tempore moræ uſuras deberi, quotieſcunque lucri ceſſantis aut damni emergentis ratio intervenit. Quæ cum in 17 mutuo fere ſit perpetua, ſic ut nunquam fere non interſit pecunia, aut alia refungibili ſua carere: perpetuam etiam facit regulam, in mutuo quod per ſe gratuitum, & ſtricti juris, etiam citra ſtipulationem ex pacto in continenti adjecto, mora ſcilicet, & quod ejus cauſa intereſt, uſuras exigi poſſe & deberi. Quo fundamento etiam Illuſtriſſim. Saxon. Elect. D. Auguſtus antiquata & immutata priori conſtitut. in *Ordinat. Torgenſ. de Anno* 1583. omnibus omnino creditoribus, ex tempore moræ uſuras quincunces loco intereſſe petentibus, eas abſque ulla liquidatione aut probatione adjudicari juſſit, quantumvis inter partes, de hoc conventum non fuerit, teſte Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 30. *defin.* 8. quem vide & DD. ibid. allegat.

In legatis etiam & fideicommiſſis uſuras ex mora deberi, expediti juris eſt, per *l.* 3. *l.* 17. 18 *& l.* 34. *ff. De Uſur. l.* 1. 2. *Cod. De Uſur. & fruct. legator.* & ea quæ diximus ſupra *lib.* 2. *cap.* 8. *in fin.*

Utrum vero uſurarum præſtatio per aliquot annos continuata ſufficiet ad inducendam obliga- 19 tionem in futurum? Affirmat Anton. Fab. *lib.* 7. *conjectur.* 8. *&* 9. *arg. l. cum de in rem verſ.* 6. *ff. de Uſur.* & eum ſecutus Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 30. *defin.* 5. *in fin.* Sed contrarium verius eſt per *l.* 7. *Cod. De Uſuris. & l.* 28. *Cod. De Pact.* ſub hac diſtinctione, quod in facti quæſtione qua quæritur, utrum, uſuræ ex aliqua legitima cauſa & obligatione debeantur, eo ipſo quidem quod ex juſta & legitima cauſa per decennium aut ulterius fuerint ſolutæ, debitè ſolutæ præſumantur, eaſdemque debitor etiam in futurum ſolvere obſtrictus ſit: Niſi contrarium probetur; ad quod non obſtante continuata uſurarum quaſi debita ſolutione, debitor admitti debet, adeoque nec eam vim habet continuatæ ſolutionis debita præſumptio, ut actionem aut obligationem parere poſſit, quæ ab initio non fuit, & ſecundum eandem diſtinctionem intelligenda eſt *d. l.* 6. *ff. De Uſuris*, ubi non quæritur an ex continuata ſolutione uſuræ deberi incipiant, quæ antea non debebantur: ſed an uſuræ fuerint debitæ, vel non, id eſt, an ex juſta & legitima cauſa fuerint ſolutæ? Quod videtur, adeoque & in futurum debitorem obligat juris præſumptio: quia nemo præſumitur per continuationem ſolviſſe, quod non debuerit, niſi, & donec contrarium probaverit. Vide Nicol. de Paſſerib. *Tract. de Conciliat. leg. in diſſolut. antinomia inter d. l. cum de in rem verſo* 6. *ff. & l. creditor.* 7. *Cod. De Uſuris.* Pyrrh. Maur. *Tract. De ſolut. cap.* 37. Coſtal. *ad d. l.* 6. *ff. De Uſur.* Bronchorſt. *Cent.* 2. *aſſert.* 83. Atque ita deciſum referunt Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 4. *defin.* 7. & Johann. à Sande *Deciſ. Friſic. lib.* 3. *tit.* 14. *defin.* 4.

Sed an ſufficiat Vſuras pro certo tempore in ſtipulationem veniſſe, ad hoc ut ex tacita contra- 20 hentium voluntate in poſterum quoque exigi queant, dubium videtur; veluti, ſi quis pecuniam cum ſuis uſuris intra annum ſolvere promiſit, nec ad diem ſolvit. Negative à Friſiæ Senatu deciſum refert Joann. à Sande *lib.* 3. *tit.* 14. *defin.* 1. *&* 4. *arg. l.* 7. *Cod. De Uſur.* niſi per plures annos eaſdem ſolverit debitor, quaſi ex eo ſolo voluntas contrahentium colligatur. *l.* 5. *l.* 8. *Cod. De Solut.* Sed quum ex præcedenti uſurarum ſtipulatione, licet in unum tantum annum concepta, ſatis appareat, contrahentes voluiſſe ſortem eſſe uſurariam pro ratione temporis decurrendi, idque actum videatur, ut quamdiu ſors ſoluta non eſſet, eædem præſtarentur uſuræ, ſi de aliis nova conventio non fiat, *l.* 12. *ff. de Uſuris*, & præterea dies ſolutioni adjectus pro homine interpellet, debitoremque in mora ſolvendi conſtituat, ad hoc ut ex eo tempore non ſolutæ ſortis uſuræ etiam citra ſtipulationem deberi incipiant, *l.* 12. *Cod. de contrah. ſtipulat.* rectius ab Hollandiæ Curia, *Inder ſaake van Dirck Janſz. Pijt* judicatum, & à ſupremo Senatu in caſu appellationis 4. *Jan.* 1620. probatum eſt, etiam ulterioris temporis uſuras, indiſtincte deberi. Quomodo etiam à Sabaudiæ Senatu judicatum refert Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 24. *defin.* 1. Et in foro Saxonico obtinere refert Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 30. *defin.* 5. Quamvis cautius fore aliquando reſponderim, uſuras ad luitionis ſive ſolutionis uſque tempora extendere hac clauſula: *metten Intereſt van dien/ van dato deſes tot de effectuele voldoeninge toe.*

Ut

Ut ſciatur an mora contracta eſſe intelligatur, & à quo tempore ex cauſa moræ uſuræ currere incipiant, videndum eſt, quid ſit mora, & quotuplex.

21 Mora hic definitur fruſtratoria ſolvendi ejus quod ſolvi debuit dilatio, *l. 32. in pr. ff. De Uſuris.* eſtque duplex, alia quæ ex re ipſa, alia quæ ex perſona contrahitur.

22 Mora ex re eſt illa, quæ ex rei natura, & manifeſta aliqua æquitate aut favore contrahitur. *arg. l. ult. Cod. De Condict. ob turp. cauſ. l. 3. Cod. in quib. cauſ. in integr. reſtit. l. 8. §. 1. ff. de Condict. furtiv. & ſimul.* Quomodo in bonæ fidei negotiis ex eo tempore quo alteri quid abeſſe cœpit mora inducitur, & uſuræ deberi incipiunt, veluti in emptione venditione, in qua, ex eo ſtatim tempore quo res tradita eſt, emptor in mora ſolvendi pretii conſtituitur, ejuſque tardius illati uſuras debet. *l. 5. l. 13. Cod. de Action. empti. l. 13. §. 20. ff. eod.* uti ſupra de uſuris ex pacto in continenti bonæ fidei contractibus adjecto: In negotiorum geſtione, qua is, qui pecuniam ſuam, in negotia abſentis impendit, uſuras petere poteſt, quas ab alio probabiliter fuiſſet conſecutus, *l. 19. §. 4. ff. de negot. geſt. l. 18. Cod. eod.* Quas viciſſim & ipſe negotiorum geſtor debet illius pecuniæ quam purgatis neceſſariis ſumptibus ex abſentis negotiis redegit, & aliis ſub uſuris elocavit, aut veriſimiliter elocare potuerit. *l. 31. §. 3. l. 37. §. 1. ff. de negot. geſt. l. 13. & l. 24. Cod. de Uſuris.* Quod idem in procuratore & mandatario juris eſt. *l. 12. §. 9. ff mandati.* Item in tutelæ adminiſtratione, in qua tutor, qui pecuniam pupillarem, quum opportune potuerit, in emptionem utilium rerum non impendit, aut ſub uſuris elocare neglexit, uſuras inferre; *l. 7. §. 3. & ſeq. ff. De adminiſtrat. tutor.* & viciſſim ipſe illius pecuniæ quam de ſuo in utilitatem pupilli erogavit, uſuras exigere debet, & poteſt. *l. 3. §. 1. ff De Contrar. Tutel. act.* Et ex eodem jure in hereditatis petitione malæ fidei poſſeſſor qui res hereditarias diſtraxit, pro earum pretii uſuris conveniri poteſt. *l. 20. §. 11. ff De hered. petit.* & eadem ratione in pignoratitia actione, creditor qui pignora diſtraxit, ab eo ipſo diſtractionis tempore uſuras debet. *l. 40. ff. de Uſuris.* Quibus adde, quod pro dote cauta non numerata, ex ipſa re quoque uſuræ velut in compenſationem ferendorum matrimonii onerum debeantur ab extraneo poſt biennium, *l. ult. §. præterea. Cod. de Jure Dot.* ab uxore aut ejus nomine promiſſa ſtatim. *d. l. ult. §. præterea. Cod. l. 7. l. 73. ff. de Jure Dot.* Quod & indiſtincte jam in donatione propter nuptias, quam dote moribus obtinere diximus ſupra.

Mora ex perſona, iterum dupliciter conſideratur, vel in favorem perſonæ creditoris, vel ex interpellatione perſonæ debitoris, quod debet, ſolvere ceſſantis, introducta.

23 Mora in favorem perſonæ creditoris, quam alii perperam meo judicio ad moram ex ipſa re provenientem referunt, introducta eſt. I. Favore libertatis, quia ex eo die quo libertas peti potuit, ab eo qui eam debet mora contrahitur. *l. 26. §. 1. in pr. ff. De fideicommiſſ. libert. l. 53. in pr. ff. eod. l. 5. ff. de minor.* Quod ad mores noſtros non pertinet. II. Favore minorum, quorum intuitu, ubi in majoribus interpellatio requiritur, ipſo jure mora contracta intelligitur. *l. 3. Cod. in quib. cauſ. in integr. reſtit. & d. l. 26. §. 1. ff. de fideicommiſſ. libert.* III. Favore Eccleſiæ, *arg. cap. 1. & cap. auditis. extra, De in integr. reſtitut.* Covarruv. *lib. 3. Variar. Reſolut. cap. 17. num. 4.* Menoch. *De arbitrar. Judic. quæſt. lib. 2. quæſt.* 220. *num.* 18. Favore Reipublicæ. *arg. l. 4. Cod. Ex quib. cauſ major. l. fin. Cod. de SS. Eccleſ.* & favore fiſci, uſuræ citra ullam interpellationem ex ſolvendi mora debentur. *l. 17. §. 5. ff. De Uſuris.*

Mora ex perſona debitoris inducitur, quum opportuno loco, & tempore interpellatus non ſolvit. *l. 32. in princip. ff. De Uſuris. l. 23. ff. de Verb. Obligat. l. 24. ff. Quando dies legator. l. 16. §. ult. ff. De fidejuſſorib.* A quo demum tempore, mora contrahi, & uſuræ in ſtricti juris negotiis deberi incipiunt. Ad quod extrajudicialis interpellatio per privatam creditoris, alteriuſve cui id mandavit, *l. 24. §. 2. ff. de Uſur.* denunciationem, *d. l. 32. ff. eod. l. 23. ff. De Verb. Obligat.* facta ſufficit, modo teſtato fiat, & claris verbis, *arg. l. 122. in pr. & §. coheredes. ff. De Verb. Obligat.* Bart. *ad l. 8. §. morte ejus. ff. de Oper. Nov. nunciat.* Vide Menoch. *De arbitrar. Jud. lib. 2. caſ. 461. num. 6.* adeoque per ſolam libelli oblationem: ſic ut nec litiſconteſtatio neceſſaria ſit. *l. 1. Cod. de Condict. indeb. d. l. 32. §. 2. ff. De Vſur. l. 3. in pr. ff. eod. §. 15. Inſtit. de Action.*

24 Et porro ubicunque dies certus ſolutioni adjectus venerit, dies interpellat pro homine, eoque ipſo debitor, quaſi interpellatus à creditore eſſet, in mora conſtituitur. *l. 12. Cod. de contrah. & commit. Stip. l. 2. Cod. De Jure Emphyt.* Nec refert ex conventione, *d. l. 12. Cod. de contrah. ſtipulat. l. 9. §. 1. ff. de Uſur.* an à lege, judice, vel arbitrio dies conſtitutus ſit. *l. 2. Cod. de Vſur. rei jud. l. 23. ff. de recept. qui arbitr. & l. 23. ff. de obligat. & act.* Coſtal. *ad d. l. 9. §. Vſurarum. num. 15. ff. De Vſur.* Bronchorſt *Centur. 2. Aſſert. 81.* Anton. Teſſaur. *deciſ.* 212.

Quod

Quod tamen cum diſtinctione accipiendum de iis tantum contractibus, in quibus mora ex
ipſa re contrahitur, aut in his, ubi pœna contractui appoſita eſt: In cæteris vero ea ſimplici par- 25
tium interpellatione uſuræ non addici ſolent, nec aliter deberi incipiunt, quam à tempore litiſ-
conteſtationis, aut ut alii volunt, à die Juridicæ interpellationis, & hoc eſt quod diximus, teſtato
fieri debere, *arg. l. 122. in pr. & §. cohæredes. ff. de Verb. Oblig.* Vide Chriſtin. *vol. 3. deſin. 45.
num. 2. 3. & vol. 4. deciſ. 176. num. 9.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 26. deſin. 6. 7. 8.* Zyp.
Notit. Jur. Belg. tit. De Uſur. in fin. Mornac. & Autumn. *ad l. 3. Cod. In quib. cauſ. in integr.
reſtit. neceſſ. non eſt.* Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 2. conſtit. 30. deſin. 17.* Merul. *prax. Civil.
Holland. Curia, lib. 4. tit. 42. cap. 5. num. 3.* Joann. à Sande *lib. 3. tit. 14. deſin. 1.*

Quantæ autem & quales uſuræ debeantur, caſu quo ſtipulatæ non ſunt, aut ſtipulatæ quidem 26
ſunt, ſed non ſit expreſſum quantæ aut quales, eas deberi receptum eſt, quæ ſecundum loci conſue-
tudinem, in eodem negotio ſunt communes. *arg. l. 1. & l. 37. ff. de Vſur.* Non obſtante *l. 31.
& l. 41. ff. eod.* Ubi, ſi Uſuræ incertæ promiſſæ ſunt, nullæ debentur. Quia Uſuræ ad com-
munem uſurarum uſum, & modum in ſtipulationem deductæ incertæ dici non poſſunt, ut quæ
ſemper & ſecundum cujuſque loci uſum & conſuetudinem certæ ſunt. Vid. Chriſtin. *vol. 1. de-
ciſ. 293. num. 1. & ſeq.* Neoſtad. *suprem. Holland. Curia deciſ. 3.* Carpzov. *deſin. forenſ. part. 2.
conſtit. 30. deſin. 8.* Anton: Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 24. deſin. 2. & 7.* Sande *deciſ. Friſicar. lib. 3.
tit. 14. deſin. 3.*

Uſuræ uſurarum non debentur, neque in ſtipulationem venire poſſunt; *l. 29. ff. & l. 28. Cod.* 27
De Vſuri. ſed & tanquam debitæ ſolutæ indebiti condictione repeti poſſunt. *l. 26. in pr. ff. De
condict. indeb.* quia acceſſionis acceſſio præſtanda non eſt, Anton. Fab *ad Cod. lib. 4. tit. 24.
deſin. 4. num. 1.* Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 2. conſtit. 30. deſin. 29.* Præterquam in fiſci
& civitatum debitis, quorum uſuras in ſortem redigere, ejuſque iterum uſuras exigere receptum
eſſe teſtatur Groeneweg. *De legib. abrogat. ad d. l. 28. Cod. De Vſur.* Fallit etiam in annuis redi-
tibus, ex quorum penſionibus decurſis novis iterum reditus conſtitui poteſt, quia novus reditus
non eſt acceſſio, ſed ipſum principale debitum. Groeneweg. *d. loco.* poſt Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 49.
& vol. 3. deciſ. 43. num. 6. & ad leg. Mechlin. tit. 12. art. 5. in addit.* Eademque ratione uſuræ
uſurarum à novo debitore exigi poſſunt, in cujus perſona ſortis vicem obtinent: facit *l. 58. §. ex
duobus in fin. & §. ult. in fin. ff. De adminiſtrat. tutor. l. 7. §. 3. 7. 12. ff. eod.* Vid. Berlich. *de-
ciſ. 268. num. 8.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 24. deſin. 11.* Carpzov. *Juriſprud. Forenſ.
part. 2. conſtit. 30. deſin. ult:* Molin. *De Vſur. num. 602.* Quemadmodum & in perſona tutoris
uſuræ aliunde acceptæ pars ſortis intelliguntur, eoque caſu, quo tutor eas rurſum aliis in uſuras
elocare, & in ſortem convertere neglexerit, ipſe earundem uſuras præſtare tenetur. *per l. 7. §. 11.
& ſeq. l. 15. & l. 58. §. 1. ff. De Adminiſtrat.* Grot. *Introd. lib. 1. cap. 9. verſ.* **De Pen-
ningen.** Neoſtad. *ſuprem. Holland. Cur. deciſ. 51.* Joann. à Sande *lib. 3. tit. 14. deſin. 6.* Car-
pzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 2. conſtit. 30. deſin. 30. 31.*

Ceſſant uſuræ per ſolutionem ſortis, iiſdemque fere modis deberi deſinunt, quibus tollitur 28
obligatio. Sublata enim obligatione, etiam uſurarum obligatio ſublata eſt, ſive actualis ſolutio fa-
cta ſit, ſive acceptilatio, ſive novatio, ſive compenſatio, ſive ſolennis conſignatio & depoſitio,
l. 9. l. 11. l. 19. Cod. De Vſuris. §. 1. Inſtit. quib. mod. toll. obligat. In futurum quidem, abſque ulla
diſtinctione: ſed tota difficultas eſt de uſuris præteritis, an & illæ per ſortis ſolutionem & acce-
ptilationem remiſſæ videantur.

Hinc quæri ſolet, utrum ſi creditor ſolutionem ſortis ſimpliciter, & abſque proteſtatione 29
acceperit, ſibi præjudicet, & per hoc uſurarum obligationem remiſiſſe videatur? Quod quidem
affirmandum de iis uſuris quæ citra ſtipulationem ex mora non ſolutæ ſortis deberentur: Quarum
reſpectu ſublata, per ſolutionem obligatione ſortis, uſurarum petitio ſupereſſe non poteſt, *l. 49.
§. 1. ff. de act. empt. l. 4. Cod. Depoſiti,* quia ſolutio ſine proteſtatione accepta moram præceden-
tem purgat, & commiſſam præcedentis moræ pœnam diluit. *l. 8. in fin. & l. ult. ff. de eo quod cer-
to loco. l. 6. §. ult. cum ſeq. ff. de leg. commiſſor. l. 4. Cod. de pact. inter empt. & vendit. compoſ. l. 58.
verſ. debebam ff. de minorib.*

Cæterum uſuræ per ſtipulationem, aliamve expreſſam conventionem debitæ, haud aliter pro 30
præterito deberi deſinunt, quam ſi una cum ſorte etiam præteriti temporis uſuræ ſolvantur. *arg.
princip. Inſtit. Quib. mod. toll. oblig.* Neque per ſortis acceptilationem, etiam abſque proteſtatio-
ne factam, remiſſæ intelliguntur, quia non acceſſoriæ, ſed principaliter ſunt in obligatione, quæ
ex ſortis ſolutione ſublata videri non poteſt, quum ſolutio non tollat aliam obligationem, quam
in cujus cauſam facta eſt. *l. 49. §. 1. ff. de act. empt. l. 8. verſ. ibi enim dua. ff. De eo quod cert.
loco.*

loco. junct. l. 1. & ſeq. ff. De ſolut. eamque habent prærogativam uſuræ per ſtipulationem promiſſæ: ut ſi debitor non expreſſerit utrum ſortis an uſurarum nomine ſolvat, creditor in uſuras imputare poterit quod ſolvitur, *l. 21. Cod. De Vſuris.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 30. defin. 31.* Vide pro hac noſtra ſolutæ ſortis, & per eam uſurarum remiſſionis diſtinctione, Coſtal. *ad l. ſi poſt moram. ff. De eo quod certo loco.* Pyrrh. Maur. *tract. De ſolut. oblat. & Retent. cap. 12.* Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 33. num. 15. & ſeq. & cap. 244. num. 34. & ſeq.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 24. defin. 5.* Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 14. defin. 10.* Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 2. conſtit. 30. defin. 12. 13.*

31 Quando & quo tempore ſolutio fieri poſſit aut debeat, ſi de eo conventum non ſit? ſemper & omni die deberi, & offerri poſſe dicendum eſt, quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præſenti die debetur. *§. 2. Inſtit. De Verb. obligat. l. 41. §. 1. l. 56. §. 4. ff. eod. l. 14. ff. De Reg. Jur. & l. 213. ff. De Verb. Signific. & ibi DD.* Quod tamen ita limitatur, ut nihilominus ſolennis inſinuatio cum ſex ad minimum ſeptimanarum intervallo præcedat, ubi vero dies ſolutioni appoſitus eſt, adhuc in debitoris electione eſt, utrum diem exſpectare, an vero eum anticipare velit, ſi ut etiam ante diem creditori invito ſolvi poſſit, *per text. in l. 137. §. 2. verſ. nam quod. ff. De Verb. oblig. l. 98. §. 4. ff. de Solut. l. 49. ff. De obligat. & act. l. 70. ff. de Solut. l. 7. ff. de re Judic.* quia diei dilatio in debitore adjecta intelligitur, cui integrum medium tempus ad ſolvendum liberum relinquitur. *l. 17. ff. de Reg. Jur. & l. 38. §. 16. ff. De Verb. obligat.* Gomez. *tom. 2. Variar. Reſol. cap. 11. num. 22.* Donell. *lib. 15. Commentar. cap. 8. & lib. 16. cap. 9.* Anton. Fab. *lib. 1. conjectur. cap. 1.* niſi dies propter uſurarum commodum in favorem & gratiam creditoris ſit adjectus, & nominatim dictum, ne debitor ante diem ſolvat. Atque ita deciſum. Vide Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 16. defin. 1.* & receptum referunt Guid. Pap. *quæſt. 291. & ibi* Ranchin. Bugnon. *De legib. abrogat. lib. 4. lem. 14.*

32 Alioqui ſi creditor ſolutionem acceptare noluerit, ſolenni oblatione & depoſitione ſiſtitur uſurarum curſus. *l. 6. l. 9. l. 19. Cod. Vſuris. l. 1. in fin. & l. 7. eod.*

Dico oblatione & depoſitione, quia ſola oblatio uſurarum curſum ſiſtere non poteſt, *d. l. 19. Cod. De Vſuris, & ibi* Bart. Caſtrenſ. Saliect. Vide Neguzant. *De pignorib. part. 3 membr. 3. quint. part. princ. num. 2. verſ. quartus effectus.* Molin. *tract. De Vſur. num. 39.* Boer. *deciſ. 124. num. 25. & ſeq.* Menoch. *De Arbitr. Judic. caſ. 232.* Cui tamen hanc limitationem addunt alii; niſi pecunia habeatur pro depoſita, ſive à creditore, ſive à judice, apud quem deponenda eſt.

33 Unde quæſtio orta, utrum ſi pecunia apud debitorem arreſtata fuerit, aut illi de non exſolvendo debito per præceptum judicis interdictum ſit, debitor interim ab uſuris & intereſſe liberetur? pro qua affirmative poſt Alberic. De Roſat. *ad l. ſi quis 9. ff. De Juriſdict. num. 6. & ſeq.* & Felin. *in cap. conſtitutus. 19. extr. De Reſcript. num. 12.* communiter reſpondent, quod præceptum judicis à mora, pœna, & intereſſe excuſet, per Gloſſ. *in l. in hoc 4. ff. De condict. tritic.* Cardin. Tuſch. *concluſ. practicab. tom. 6. concluſ. 480. in verb. præceptum. num. 10. & ſeq.* Atque ita deciſum referunt Guid. Pap. *deciſ. 340. num. 3.* Berlich. *Lipſenſ. deciſ. 25. num. 2.* & Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 2. conſtit. 30. defin. 24.* Quod tamen reſtringendum ad eum caſum, quo debitor interim pecuniam vacuam & otioſam, ut vocant penes ſe retinuerit, nec interim potuerit uti: alias ſi durante judiciali præcepto, pecuniam illam in uſus ſuos converterit, aut commodo ſuo habuerit debitor, ad uſurarum, ſive intereſſe exſolutionem nihilominus tenebitur. *arg. l. 14. ff. de Condict. indeb. & l. 206. ff. De Reg. Jur. junct. l. 34. ff. De Uſur. & l. 23. ff. De pignorat. act.* Ut recte diſtinguit Carpzov. *d. defin. 24 num. 9.* & a ſuprema Hollandiæ Curia Anno 1652. judicatum memini, **In der ſaake van de Erfgenamen van Adriaen Janſz. van Koudekerck** / contra **Mr. Philips van Cromſtrÿen** / in qua cauſa, quod dictus Cromſtryen, pecunia heredum Koudekerek interim uſu, & commodo ſuo habuiſſe propoſitus, eam ipſam pecuniam interim penes ſe otioſam & vacuam manſiſſe probare ſufficienter non potuerit, non obſtante arreſto, & judicis mandato de non exſolvendo, in uſuris communibus pro intereſſe condemnatus eſt.

34 Quemadmodum nec propter imminentem evictionem, aut non præſtitam à venditore cautionem, ab uſuris pretii, propterea retenti aut præfixo die non ſoluti liberatur emptor, niſi poſt ſolennem oblationem in judicio depoſuerit. Ut ex communi opinione receptum teſtantur Covarruv. *Var. Reſolut. lib. 2. cap. 4. num. 6.* Fachin. *lib. 2. Controverſ. cap. 32.* Berlich. *Practic. concluſ. part. 2. concluſ. 38. num. 15.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 34. defin. 38.* Cavalcan. *Deciſ. 4. num. 5.* Matth. de Afflict. *Deciſ. Neapol. 20. num. 4.* Hartmann. Piſtor. *part. 3. quæſt. 6. num. 14.* Joann. à Sande *Deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 14. defin. 8.*

Siſtitur etiam uſurarum curſus quatenus ultra ſortem ſunt accumulatæ, tam quæ ex conventio- 35
ne & pacto, quam quæ ex mora debeotur, quia ultra alterum tantum uſuræ peti aut exigi noo
poſſunt. *l. 26. §. 1. ff. De Cond. indeb. l. 4. §. 1. ff. De Nautic fænor. l. 10. l. 27. §. 1. Cod. De*
Uſuris. Quod tam in præteritis & ſolutis, quam ſolvendis locum habet, *d. l. 27. §. 1. Cod. de*
Uſur. quæ ſolutæ, condictione indebiti repeti, aut in ſortem imputari poſſunt, per text. *d. l. 26.*
in princip. & §. 1. ff de Condict. indebiti. Nec refert an uſuræ ſortem adæquantes particulariter
per tempora ſolutæ ſint, nec ne, per text. *Novell. 121. cap. 2.* qua corrigitur *d. l. 10. Cod. De*
Uſur. Sed poſtquam moribus nullæ uſuræ lucratoriæ manſerint, ſed omnes quotquot ſunt com-
penſatoriæ factæ ſint, nec ut uſuræ, ſed ut intereſſe peti cœperunt, id ipſum ad uſuras præteri-
tas & ſolutas referri etiam deſiit: quo ipſo regula illa, quia uſuræ ultra duplum non currunt, limi-
tatur, ut non habeat locum in annuis reditibus, de quibus etiam eſt textus in *Novell. 160.* & in
uſuris per tempora ſolutis, quæ debitori ad dupli computationem non proficiunt, ſed tunc de-
mum uſuræ ſortis ſummam excedentes exigi non poſſunt moribus noſtris, quum tempore peti-
tionis aut ſolutionis, ipſa uſurarum ſumma, eam computationem excedit, quibus *d. l. 10. Cod.*
De Uſuris correcta per *Novell. 121.* & *Novell. 138.* iterum in uſum revocata eſt. Vide Gudelin.
de Jure Noviſſ. lib. 3. cap. 3. verſ. utrum. Joann. à Sande *lib. 3. tit. 14. defin. 5. in fin.* Mornac.
ad d. l. 27. §. 1. Cod de Uſur. & ad l. 26. §. 1. ff. de Condict. indebit. Et hanc limitationem fa-
cit etiam Carpzov. *Defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 30. defin. 28.*

Nec ſolum per accumulationem aut ſortis adæquationem, eo quo diximus modo, in futurum, 36
ſed & per præſcriptionem longi temporis in præteritum uſuræ deberi deſinunt, caſu, quo princi-
palis actio per temporis lapſum, extinguitur. *l. 26. in pr. Cod. De Uſur.* Et qui per decem annos uſuras
petere negligit, eas remiſiſſe videtur, poteſtque debitor intendere ſe temporis lapſu ab iis libera-
tum, *per l. 13. & l. 17. §. 1. ff. De Uſuris.* Quod quum de uſuris odioſis, fœneratitiis, & lucrati-
vis intelligendum, ut recte poſt Alciatum interpretatur Menoch. *lib. 3. præſumpt. 125. num. 3.*
& Coſtal. *ad l. cum de in rem verſo. 6. ff. de Uſuris.* & moribus una eademque trientis ſeculi in
omnibus ſit præſcriptio, ad nos, quibus omnes uſuras compenſatorias eſſe diximus, non pertinet.

Ceſſat etiam uſura per earundem remiſſionem expreſſam *§. 1. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.*
Sed an non quandoque tacitè remiſſa videatur uſurarum præſtatio? Ita videtur. Quomodo cre-
ditor qui majores uſuras ſtipulatus per aliquot annos quibuſdam tres, aliis decem, minores accepit,
reſiduum remiſiſſe intelligitur, & ex diutina minorum receptione ſibi præjudicat in poſterum
etiam minores accipere, haud aliter, ac ſi per novationem ita ſit contractum. Bart. Bald. Caſtrenſ.
& alii DD. *in l. adverſus 5. & l. quamvis. 8. Cod. De Uſuris.* Bronchorſt *Centur. 2. aſſert. 83. verſ.*
Tertio obſtat. Carpzov. *Defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 2. defin. 5.* Hartmann. Piſtor. *obſerv. 144.*

CAP. V.

De Commodato.

SUMMARIA.

1. *Commodati definitio.*
2. *Quomodo differt à mutuo, locatione & precario.*
3. *Qui commodare & commodato accipere poſſint.*
4. *Actio commodati qua & quotuplex, & quid in ea præſtandum.*

D. XIII. VI. Cod. IV. XXIII. Commodati vel contra.

COmmodatum eſt contractus, quo certa ſpecies alicui gratuito utendo conceditur, ea lege, 1
ut eadem finito uſu reſtituatur. *§. 2. Inſtit. Quib. mod. re contrah. obligat.* quod cum in ſpecie
non fungibili & certo corpore conſiſtat, finito uſu, in eadem ſpecie reſtitui debet, *l. 8. & ſeq. ff.*
commodati. & in eo à mutuo differt, in quo dominium transfertur. *pr. Inſtit. Quib. mod. re con-* 2
trah. oblig. l. 2. §. 2. ff. reb. credit. & cujus uſus in abuſu eſt, & tantundem in genere reſtitui
ſufficit. *d. l. 2. in pr. ff. De reb. cred.* Differt à locatione, quod ſit gratuitum quum & illa merce-
dem requirat. *l. 5. §. 12. ff. commod.* à precario, quod certo uſu, & tempore determinatum ſit,
nec interim repeti poſſit. *l. 17. §. 3. ff. commodat.* precarium autem à nutu dantis dependens
ſemper repeti poſſit. *l. 1. l. 2. §. 2. ff. de precario.*

Commodare & commodato accipere poſſunt omnes, qui contrahere, & efficaciter obligati 3
poſſunt, omneſque res, ſive mobiles, *l. 5. §. 6.* ſive immobiles, *l. 1. §. 1. ff. commodat.* modo
tales quæ ipſo uſu non conſumuntur. *l. 3. §. ult. ff. eod.*

Ex

Ex commodato duplex oritur actio, directa & contraria.

4 Directa datur commodanti adverſus commodatarium, ad hoc, ut ei finito uſu rem ſuam æquè bonam reſtituat, cum omnibus ſuis acceſſionibus. *l. 2. Cod. Mandat. l. 2. in pr. ff. De reb. cred. l. 38. §. 10. ff. De Uſuris. l. 5. §. 9. l. 13. §. 1. ff. commodat.* In qua actione regulariter præſtanda veniunt, dolus, lata, levis, & leviſſima culpa. *l. 5. §. 2. ff. commodat. l. 10. in pr. l. 18. in pr. ff. eod. §. 2. Inſtit. quib. mod. re contrab. obligat.* In tantum, ut ſi commodans propter commodatarii dolum, aut culpam damnum aliquod paſſus ſit, quantum ejus re vera interſit, in litem juret, tantumque ei præſtet commodatarius, *l. 3. §. 2. ff. commodat.* cum hac diſtinctione: Vt, ſi ſolius commodatarii gratia mandatum ſit contractum, ut communiter fieri ſolet, pro omnibus teneatur. Sed ſi utriuſque gratia initum ſit, dolum tantum, latam & levem culpam præſtare tenetur. *l. 18. in pr. ff. eod.* Sin vero ſolius commodantis gratia commodatum ſit coutractum, veluti ſi veſtes meas tibi commodaverim, quo comtior & ornatior nuptiis meis inter amicos meos connumereris, præſtatur tantum dolus, & culpa quæ dolo comparatur, *d. l. 5. §. 10. ff. commodat.*

De caſu fortuito commodatarius nunquam tenetur, *l. 18. in pr. §. 1. & §. ult. ff. commodat.* Niſi expreſſe ita convenerit. *d. l. 5. §. 2. & ſeq. & §. ult. in fin. ff. eod.* aut ſi culpa caſui occaſionem aut cauſam dederit, veluti ſi ex alio uſu in quem commodaveram res perierit, aut in mora fueris, rem commodatam reſtituere, & interim res perierit. *l. 5. §. 4. & §. 7. & d. l. 18. in pr. ff. commodat. §. 2. Inſtit. quib. mod. re contrab. obligat. l. 52. §. 1. ff. ad leg. Aquil.* Grot. *Introd. lib. 3. cap. 9. verſ.* **Den aennemer.** Sed hoc caſu, non tam propter caſum, quam propter culpam tenetur.

Contraria commodati actio competit illi, qui aliquid commodato accepit, adverſus commodantem, ad omne id quod æquum eſt ex cauſa commodati illi præſtari. Veluti ſi forte ſciens volenſque rem vitioſam mihi commodaveris, & exinde damnum paſſus fuerim, ad intereſſe damni dati teneberis. *l. 17. §. 3. l. 18. §. pen. l. pen. ff. commod. l. 31. ff. de pignor. act. l. ult. Cod. De furt. §. 16. Inſtit. De oblig. quæ ex delict. naſc.* Item ſi majores impenſas in rem commodatam fecero quam pro uſu rei compenſari queunt, eas mihi reſtituere teneris. *d. l. 18. §. 2. 3. ff. commod.* Vide etiam Grot. *Introd. lib. 3. cap. 9. in fin.*

CAP. VI.

De Depoſito.

SUMMARIA.

1. *Depoſiti definitio, & diviſio.*
2. *Sequeſtratio poſſeſſionis, aut alterius rei, quando & quibus caſibus obtineat. In* Hollandia, Brabantia & Gallia.
3. *Qui deponere, & ex eo obligari, & quæ res deponi poſſint, & an etiam res immobiles.*
4. *Depoſiti actio quæ, cui, & ad quid competat.*
5. *Quid de rei vindicatione, & retentione.*
6. *Quid de noſtris &* Saxoniæ *moribus.*

1 DEpoſitum eſt contractus, quo res aliqua gratuito cuſtodienda traditur, & ſuſcipitur. *§. 3. Inſtit. Quib. mod. re contr. obligat.* D. tit. III. Cod. IV. XXXIV. Depoſiti vel contra.

Aliud eſt in ſpecie ita dictum, aliud, quod ſequeſtrum dicitur, eſtque rei litigioſæ à pluribus facta depoſitio. *l. 110. ff. De Verb. Signif. & l. 6. ff. Depoſ.*

Hoc iterum aliud voluntarium, aliud neceſſarium eſt. Illud quod inter partes, *l. 17. ff. depoſit.* hoc quod ex authoritate judicis apud tertium cuſtodiendum deponitur, quod regulariter eſt prohibitum, per *l. unic. Cod. De prohibit. ſeq. pecun.*

2 Qualis tamen pecuniæ depoſitio moribus noſtris non tantum apud tertium ſequeſtranda, ſecundum *Cur. Holl. Inſtruct. art. 38.* ſed & totius debiti proviſionalis adjudicatio, ſub cautione de reſtituendo, ſi in principali cauſa ita judicatum fuerit, obtinet. ex *Ampliat. ejuſdem Inſtruct. art. 11.* vulgo **Namptiſſement** / de quo ſuo loco. Cod. IV. De prohibita ſequeſtratione pecuniæ.

Et in cæteris pro indifferenti remedio eſt, ut ſi verbi cauſa de poſſeſſione communium inſtrumentorum inter partes certetur, aut partes pro poſſeſſione rei alicujus in procinctu armorum ſint, aut alias dubium ſit, utri partium lite pendente poſſeſſio foret adjudicanda, judex ex officio rem litigioſam ſequeſtret, hoc eſt, utriſque poſſeſſionem adimat, eamque alteri tertio concredat, donec cauſa in judicio finiatur; ut ex ea depoſitione ei qui vicerit, actio depoſiti ſequeſtraria de-

tur.

tur. *arg. l. 5. & ſeq. & l. 17. ff. depoſiti.* Quod variis ex cauſis judici conſultum videri poteſt, veluti ſi periculum ſit ut partes ad arma & violentas manus procedant, *arg. l. 13. §. 3. ff. de Uſufruct.* Si metus ſit dilapidationis, *l. 22. §. 8. ff. Solut. matrimon.* Si caveri non poſſit, & perſona ſit ſuſpecta, & res mobilis. *l. 7. §. fin. ff. qui ſatiſd. cog.* Dicitur autem is apud quem deponitur Sequeſter, quia occurrenti & ſequenti quaſi res committitur, ut eſt definitio Modeſtini *in d. l. Sequeſter. 110. ff. de Verb. Significat.* Quod Galliæ & Brabantiæ moribus convenire teſtatur Rebuff. *ad Conſtitut. Reg. Rubr. De Sequeſtrat.* & Chriſtin. *vol. 3. deciſ. 7.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de ſentent. & re Judicat. verſ. frequens.*

Deponere, & ex depoſito obligari, etiam poſſunt omnes qui contrahere, & efficaciter obligari. 3
Deponi poſſunt omnes res, tam mobiles, quam immobiles, quæ etiam cuſtodia indigent, & cuſtodiæ dari poſſunt. *l. 11. ff. De pericul. & commod. rei vendit. §. 3. Inſtit. quib. mod. re contrah. obligat.* contra Grot. *Introduct. lib. 3. part. 7. verſ.* Tilbaar goedt.

Actio depoſiti, alia etiam directa, alia contraria eſt.

Directa deponenti competit adverſus depoſitarium, ad hoc, ut rem ſuſceptam reſtituat, cum 4
omni acceſſione, *l. 1. §. 24. ff. depoſiti.* & præterea damnum ex ejus dolo & lata culpa cauſatum reſtituat, *l. 32. ff. eod.* In quo differt à commodatario, quod tantum dolum & latam culpam præſtet, quia ſolius ſemper deponentis gratia contrahitur. Iniquum enim eſſet, ut is, qui alienam rem gratuito cuſtodiendam ſuſcepit ad arctiorem cuſtodiam conſtringeretur, quam quiſque diligens paterfamilias, circa rem ſuam adhibere conſuevit. *d. l. 32. ff. depoſiti.* Nec aliter convenit. *l. 1. §. 6. ff. eod.* aut ipſemet ſe depoſito obtulerit, deponentemque ut penes ipſum deponeret perſuaſit, quo caſu etiam de levi & leviſſima culpa tenetur. *l. 1. §. 35.* Non vero de caſu fortuito: quia res ſuo domino perit, niſi & ipſe reſtituendi moram fecerit, & ex illa mora res perierit. *l. 13. ff. de Verb. obligat. l. 5. ff. De reb. credit.*

Præter directam depoſitariam, etiam rei vindicatio competit depoſitario, adverſus quemlibet 5
rei ſuæ poſſeſſorem. *l. 9. ff. De Rei vindic.* quæ etiam commodatario pro recuperanda re ſua competit. *d. l. 9.* Quæ enim in his contractibus alterum alteri ex bona fide præſtare oportet, ejuſdem generis ſunt, & communia, eorumque eædem proditæ ſunt actiones.

Adeoque & contraria depoſiti actio adverſus deponentem competit, ad id, quod ex bono & æquo præſtandum eſt, veluti, damni ex dolo vel culpa deponentis: Item de reſtituendis impenſis in rem depoſitam factis. *l. 5. l. 23. ff. depoſiti.*

Rei vindicationi fere correſpondet Jus retentionis, quo ſibi pro impenſis aliove intereſſe reali actione conſulere deſpoſitarius poteſt. *l. pen. in med. pr. Cod. Depoſ.*

Jure Saxonico, quidam dominium & poſſeſſionem in commodatarium pariter, ac depoſita- 6
rium tranſire volunt, ex invetarato Juris Saxonici Statut. Land-R. *lib. 2. art. 60.* Inter quos Matth. Colet. *part. 1. deciſ. 7. num. 7.* Ludov. Faſch. *differ. Jur. Civ. & Saxon. lib. 1. tit. 1.* Reinhard. *tract. eod. lib. 2. differ. 14.* Joann. Sneiduin. *ad §. qua de Fullone. 16. Inſt. De obligat. quæ ex delict.* Weſenbec. *in paratit. ff. commodat. num. 7.* quos ſequitur Groeneweg. *ad d. §. qua de Fullone. 16. Inſtit. de oblig. quæ ex delicto.* Quod tamen, rigore dicti ſtatuti neglecto, per communem fori Saxonici obſervantiam aliud introductum rectius animadvertit Carpzov. *defin. forenſ. part. 2. conſtit. 26. defin. 5.* Ubi in foro Saxonico Scabinos hac in parte ſecundum jus civile pronunciare refert: ſcilicet ut ſi res commodata vel depoſita fuerit ſurrepta, vel quovis modo fuerit alienata, domino electio competat, utrum velit agere contra furem, vel alium in quem rei alienatio facta eſt, vel ipſum commodatarium, aut depoſitarium. *per l. ult. §. tales. 1. Cod. De furt. & d. §. 16. Inſtit. De obligat. quæ ex delict.* Quod de moribus noſtris, quum rei noſtræ dominium aut poſſeſſionem in commodato aut depoſito tranſire nemo vere dixerit, idem procedere nullus dubitem. Contra Groeneweg. *ad d. §. 16.* Cui mox ſequenti capite fuſius reſpondebimus.

Quod in depoſito, idem etiam in ſequeſtratione juris eſt, *l. 5. §. 1. l. 6. l. 17. §. 1. ff. depoſiti* excepto quod ſemper & omni tempore res depoſita deponenti reſtitui debeat, *l. 1. §. 22. & §. 45. & ſeq. ff. eod.* Depoſitum autem ſequeſtre, non niſi finita lite.

Cap. VII.

De Pignoribus & Hypothecis.

Summaria.

1. *Pignoris definitio.*
2. *An aliud ſit pignus, aliud hypotheca.*
3. *Quotuplex ſit pignus.*
4. *Rei mobilis quomodo conſtituatur.*
5. *Actio ſerviana, ſive hypothecaria, an & quando competat, adverſus tertium.*
6. *In re mobili, in* Belgio, *&* Gallia, *adverſus tertium poſſeſſorem non datur.* In Germania, *&* Sabaudiæ Ducatu *jus ſcriptum ſequitur, quibuſdam exceptis.*
7. *Pignus, ſive hypotheca, alia generalis, alia ſpecialis.*
8. *Speciale pignus rei mobilis quomodo contrahatur, & cujus effectus.* In Hollandia, Friſia, Germania.
9. *Hypotheca, ſive pignus rei immobilis, generalis quomodo conſtituatur, & cujus effectus ſit, moribus noſtris.*
10. *Specialis quomodo, & cujus ſit effectus, in* Hollandia.
11. *In* Saxonia.
12. *In* Friſia.
13. *Feuda quomodo oppignorentur.*
14. *An & quando res aliena pignus conſtitui poſſit.*
15. Groeneweg. *reprehenſus.*
16. *Scabinatus* Lipſienſis *obſervantia.*
17. *Suprema* Hollandiæ *Curia deciſio.*
18. *Oppignoratio non requirit abſolutum in oppignorante dominium, ſed aliquod jus in rem habere ſufficit quod oppignorari poteſt.*
19. *Pignus pignori obligari poteſt.*
20. *An maritus prædium dotale pignori obligare valeat.*
21. *An res communis à ſocio oppignorari poßit, & cujus ſit effectus.*
22. *Quid moribus obtineat, in* Hollandia, Friſia, Gallia.
23. *An oppignorari poßint jumenta, militum arma, libri ſtudiorum.* Morib. Affirm.

1 Pignus, eſt jus alicui in aliqua re conſtitutum, in ſecuritatem ejus quod ſibi debetur. *§. 7. Inſtit. de action. §. fin. Inſtit. Quib. mod. re contrah. oblig. l. 238. §. 2. ff. de Verb. Signific.* diſtinguitur vulgo in pignus quod eſt rei mobilis, quaſi quod in pugnum creditori detur, & hypothe- D. xx. t. Cod. viii. t. v. De Pignoribus & Hypothecis, & qualiter ea contrahantur.
2 cam, quæ eſt rei immobilis. *l. 4. ff. de pignorib. & l. 9. § proprie. ff. de pignoratit. act.* In actione tamen hypothecaria hæc nomina promiſcue veniunt. *l. 7. l. 5. §. 1. ff. de pignor.* quæ tamen moribus noſtris perpetuam diſtinctionem habent.

3 Pignus aliud eſt conventionale quod per pactum contrahitur, aliud quod ea ſola legis diſpoſitione eſt, unde & legale dicitur. *tot. tit. ff. & Cod. In quib. cauſ. pign. vel hypoth.* Aliud judiciale, quod in judicati cauſam capitur per ſententiæ executionem. *tot. tit. Cod. Si in cauſ. judicati pignus captum ſit.* De quo ſuo loco.

4 Pignus rei mobilis conſtituitur, aut per ſolam nudam conventionem, nulla rei traditione, aut aliqua ſolennitate intercedente, *l. 1. in pr. ff. de pignor. act. l. 17. §. 2. ff. De pact.* ejuſque juris perſequendi cauſa, acquiritur creditori actio in rem ſerviana, aut hypothecaria, qua rem ſibi pignoratam adverſus poſſeſſores perſequatur. *§. 7. Inſtit. De action. l. 3. in fin. ff. De Interdict.*
5 *l. 7. in quib. cauſ. pign. tac.* Quod quidem quoad ipſos contrahentes procedit, quocunque modo ſit contractum, modo de eo conſtet *d. l. 1. ff. de pignor. act. l. 34. §. 1. ff. de pignor.* non tamen quoad alios creditores, niſi publico inſtrumento ſit corroboratum. l. 11. *Cod. qui potior. in pignor.* Jacob. Coren. *Obſerv. Rer. in ſuprema Holland. Curia judic.* 38. aut per actualem ipſius rei traditionem ei creditor incumbat, donec ſuum conſequatur: quæ prius vera, & abſoluta pignoris
6 conſtitutio eſt, eaque conſideratione realis dicitur: Eoque magis obtinet, quod res mobilis ſecundum vulgare axioma apud nos ſequelam non habeat, adeoque ſi à tertio interim quod pignori ex ſimplici tantum conventione alicui obligata ſit, per emptionem, aut alio juſto alienandi titulo acquiratur, ab alienationis nexu liberetur, acquirentiſque cauſa potior ſit. contra *l. 14. Cod. de obligat. & action.* Grot. *Introduct. lib. 2. part. 48. num. 34.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 7. art. 8. & vol. 1. deciſ. 274.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. De pignorat. act. in fin.* Ut & Galliæ moribus obtinere reſtantur Rebuff. *ad conſtit. Reg. de litter. oblig. art. 4. gloſſ. 2. num. 38.* Chaſſan. *ad conſuetud. Burgund. Rubr. 5. §. 3.* Boër. *ad conſuetud. Bituricenſ. tit. 7. §. 2.* Quod tamen in Sabaudiæ Ducatu referente Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 6. defin. 21.* neque in Germania locum habet, ubi ſecundum jus ſcriptum creditor res mobiles generaliter ſibi oppignoratas,

poſtea vero à debitore alienatas, jure ſuo vindicat: teſte Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 25. *defin.* 12. exceptis ſolum mercibus in taberna oppignoratis, ac poſtea ſingulatim venditis, quæ in eo à cæteris rebus mobilibus differunt, quod licet hæ poſt oppignorationem alienatæ à tertio poſſeſſore actione hypothecaria peti poſſint, merces tamen oppignoratas, ac poſtea ſingulatim in taberna venditas creditor vindicare, aut harum nomine adverſus emptorem actione hypothecaria experiri nequeat. *arg. l.* 34. *in pr. ff. de pignor.* Referente eod. Carpzov. *part.* 2. *conſtit.* 13. Quæſitum tamen memini, circa mobilium pignorum tranſlationes, in Hollandia uſitatas, (vulgo **Transporten**) An non illæ tanquam in fraudem creditorum factæ, ſi non ipſa actualis traditio intercedat, ſed ipſa bona conſtituti & precarii nomine apud debitorem remanſerint, reſcindi & pro ſimplici oppignoratione & conſequendi jure ſive actione ſint habendæ. Quod multorum conſtitutionibus ita conſtitutum eſt, & de jure reſpondendum videtur, neque mobilia in alium tranſlata, quoad tertium creditorem jus pignoris in iis habentem, ejus, in quem tranſlata ſunt, facta eſſe, donec in dominio & poſſeſſione debitoris remanſerint. *d. l.* 14. *Cod. de oblig. & act. l.* 1. *§.* 1. *ff. de Salvian. interdict.* Sed conſuetudine aliter inductum volunt, dummodo de precaria conceſſione in ipſo translationis inſtrumento conſtiterit. Vide tamen Grot. *Introduct. Juriſprud. Batav. lib.* 2. *cap.* 48. *verſ.* **Sonder ter handſetting.** In verbis: **Maar niet tot nadeel.** & verſ. **Maar indien.** Quare conſultum mibi videtur, ipſam rem mobilem in ipſa tranſlatione actualiter, aut ad minimum imaginarie, per clavium traditionem, aut ſimili modo per immiſſionem vacuæ poſſeſſionis tradi, iterumque à debitore precario accipi. Vide etiam Groeneweg. *ad l.* 14. *Cod. de obligat.* Rhenoland. Conſuetud. *art.* 48. *& ſeqq.*

Pignus aliud generale eſt omnium bonorum, aliud ſpeciale, quod nominatim & in ſpecie obligat, cujus cauſa generali prior & potior eſt, nec tantum in rebus immobilibus, ſed & in re mobili obtinet, per ea quæ tradit Joann. à Sande *deciſ. Friſicar. lib.* 3. *tit.* 12. *defin.* 9. De cujus prærogativa poſt modo ſuo loco. 7.

Pignus rei mobilis ut ſpecialiter obliget, & generali præferatur, publicum inſtrumentum requirit, *l.* 11. *Cod. qui pot. in pign.* cujus ea vis eſt apud nos, ut licet non in ſpecie nominentur mobilia, attamen ſpecialiter obligentur per generalem clauſulam omnium bonorum tam mobilium, quam immobilium: tum quia mobilium, quæ moribus noſtris ſequelam non habent, certa aut fixa corpora adſcribi non poſſint, donec in dominio aut poſſeſſione debitoris ſint, tum quia perpetuus apud nos Tabellionum ſit ſtylus, ut obligationis firmiſſimo etiam modo conſtituendæ alia clauſula non addatur. Quod in tantum in praxi receptum eſt, ut de eo jure nunquam dubitetur, contra quam in Friſia, teſte Joann. à Sande *deciſ. Friſicar. lib.* 3. *tit.* 12. *defin.* 9. & in Germania, teſte Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 25. *num.* 2. obtinere videtur, ubi ut ſuppellex pignori ſit, ſpecialem & nominatam obligationem requiri volunt. 8.

Pignus rei immobilis, ſive hypotheca, ſi generalis ſit omnium bonorum, haud valide conſtituitur moribus noſtris, quam coram Magiſtratu, aut judice ordinario ejus loci, ubi contrahitur, neque refert ubinam bona illa ſita ſint. *Politic. Holland. Ordin. art.* 28. Quæ cum Jure Romano indiſtincte cum ſuo onere tranſeant: ſic ut nec alienationis cauſa immobili pignoratitiæ potior ſit, ſed res obambulet cum ſua cauſa, per *Novell.* 112. *cap* 1. *in fin. l.* 15. *Cod. De pignor. & l.* 12. *Cod. De diſtract. pignor.* Moribus tamen noſtris non ulterius locum habet, quam bona oppignorata in dominio debitoris permanent; ut ab Hollandiæ Curia judicatum 4. *Decemb.* 1615. **In de ſaake van Jacob Cornelisz. Paes / Impetrant /** contra **Dignam Maertens / Gedaegde;** & in praxi paſſim eſt receptum, niſi forte in fraudem hypothecæ, alicui tertio ex lucrativa cauſa obvenerint. *arg. l.* 6. *§.* 11. *ff. De his quæ in fraud. credit. l.* 5. *§.* 28. *cum ſeq. ff. De doli mali & met. except. l.* 41. *§.* 1. *ff. De Reg. Jur.* Vide Boër. *ad Conſuetud. Bituricenſ. tit.* 7. *§. ult.* Neguzant. *De pignorib. in* 2. *membr.* 7. *part. num.* 6. & poſt eos Rebuff. *ad Conſtit. Reg. Rubr. De litter. Obligat. art.* 4. *Gloſſ.* 2. *num.* 39. Grot. Introduct. *ad Juriſprud. Batav. lib.* 2. *cap.* 48. *verſ.* **Algemeen.** 9.

Specialis vero hypothecæ conſtitutio, quæ generali potior eſt, non aliter conſiſtit, quam coram Magiſtratu loci ubi bona illa ſita ſunt. *Placit.* 9. *Maji* 1519. *Politic. Holland. ordinat. art.* 35. Cui poſtea ſolennis regiſtratura, & inſuper quadrageſimi, hypothecariæ quantitatis tributum, ſub nullitatis pœna acceſſit. Cujus demum ea vis eſt, ut creditor bona in ſecuritatem debiti ſpecialiter oppignorata exſequi poſſit, non obſtante eo quod dominio eorum exciderit debitor, aut in tertiam aut ulteriorem manum devenerint, juxta *l.* 14. *l.* 15. *Cod. De pignorib. & l.* 12. *Cod. De diſtract. pignor.* Amſtelodami in favorem Mercaturæ ex ſpeciali privilegio 8. Martii 1594. 10.

rece-

receptum fuit: ut generalis hypotheca eandem vim habeat quam ſpecialis: Sed huic *Holland, Ord. placita. 5. Feb.* 1655. inter cætera derogatum ut latius infra *cap. XI. num.* 16.

11 Idem fere excepta ſolum quadrageſima, tam in generali quam in ſpeciali hypotheca in Electorat. Saxonico obtinet. Ut videre eſt apud Dan. Moller. & Carpzov. *ad Conſtitut. Electorat. Saxon. part.* 2. *conſtit.* 23.

12 Sed in Friſia ſolennis regiſtratio ſufficit, ſecundum formam præſcriptam *Ordinat.* 18. *Feb.* 1601. relata inter Friſiæ Ordinat. & Statuta ſub. *lib.* 1. *tit.* 10. *§.* 1. *art* 4. qua cavetur: ut omnes immobilium hypothecationes à Secretario vel ejus amanuenſi jurato, uno ex Magiſtratu vel Judicibus præſente, ſpeciales quidem in loco judicii in quo bona ſita ſunt, generales in loco domicilii debitoris debite & ſolenniter actis publicis inſinuentur, & regiſtrentur.

Quod favorem creditorum potiſſimum concernit, quo caute & circumſpecte in creditum ire poſſint, poſtquam ex inſpectione publicorum librorum hujuſmodi hypothecas continentium explorati fuerint, quot, quibus, & qualibus hypothecis obnoxia ſint bona eorum qui ſibi pecuniam credi volunt. Ut diſertis verbis exprimit *d. Plac.* 9. *Maji* 1529. & de rationabili Saxoniæ conſtitutionis cauſa teſtatur Procem. *d. conſtit.* his verbis: **Damit ein gut nicht vielen verſezt/ und alſo die Leuthe betrogen werden** / id eſt, ne hoc modo eadem res pluribus ſimul obligetur, hominesque ita decipiantur.

13 Feuda eodem quidem modo ac forma, ſed coram domino directo & paribus Curiæ oppignorari ſufficit. *d. Plac.* 9. *Maji* 1529. *&* *Placit.* 21. *Feb.* 1564.

14 Ut quis pignus conſtituat, oppignorandæ rei dominus ſit neceſſe eſt, quum in re aliena pignus conſtitui non poſſit. *l.* 2. *ff. De pignor. act. l.* 6. *Cod. quæ res pignori oblig. l.* 2. *l. ult. Cod. Si aliena res pignor. dat. ſit*, niſi probante & conſentiente domino *l.* 20. *l.* 41. *ff. De pignor. act. l.* 1. *& tot. tit. Cod. Si alien. res pignor. dat.* aut ſi dominus oppignoratori rem ſuam mutuo dederit, aut alio modo plenam ei circa rem ſuam, fidem habuerit. *arg. l. ſi procurat.* 10. *§. fin. Cod. De procurat.*

Cod. VIII. XVI. *Si res aliena pignori data ſit.* & XVII. *Quæ res pignori obligari poſſunt, vel non.*

Quod probe intelligendum de mutuo, aut plena fide oppignoratori habita, & de eo caſu ubi dominium, aut ſaltem abſoluta rei noſtræ poſſeſſio in oppignoratorem tranſlata eſt.

15 Qua in re, non admodum perſpecte judicaſſe mihi videtur Groeneweg. *in tract. ſua de legib. abrogat. ad §. quæ de Fullone.* 16. *Inſtit. De obligat. quæ ex delict. naſc.* Ubi contra *d. §.* 16. *& §.* 12. *Inſtit. ead. junct. l.* 22. *§.* 7. *ff. mandati.* indiſtincte de moribus noſtris obtinere refert: ut, ſi quis rem ſibi creditam, commodatam, aut cuſtodiendo depoſitam, citra formam mandati vendat, aut quovis modo alienet adverſus eum, qui rem juſto titulo & bona fide accepit, rei dominus nullam actionem habeat, aut ſi res non alienata, ſed tantummodo pignori data ſit, rei vindicationem non habeat, dominus, niſi prius luat. Quod, qua ratione, quibusve auctoritatibus procedere velit, non aſſequor. Et ſi vel aſſequerer, non ideo magis verum eſt ejuſdem hac de re aſſertum. Quod ut liquido oſtendam: primo, illud argumentari videtur ex Antwerpienſi ſtatuto: ubi ita *tit.* 58. *art.* 5. (fateor) cautum videtur. Sed irrationabilis, & odioſa mehercule hac in re eſt dicti ſtatuti ratio, in favorem forte mercaturæ ibidem contra diſpoſitionem juris communis introducti, quod ſane ultra ejuſdem civitatis territorium extendi minime poteſt, quum vel alias ſtatuta juris communis correctoria ſtrictiſſimam accipiant interpretationem. *arg. cap. quæ à jure. De Regul. Jur. in* 6. *junct. l.* 14. *ff. De legib.*

16 Quod & Scabinatum Lipſienſem movit, ut in hiſce terminis, neglecto veteri Electorat. Saxon. Statuto, in obſervantiam introduxerint: ut dominus rem depoſitam vel commodatam, perinde ac rem oppignoratam à tertio poſſeſſore vindicare poſſit: referente Carpzov. *defin forenſ. part.* 2. *conſtit,* 26. *defin.* 5.

17 Neque magis quadrat quod pro ſua opinione in ſupremo Hollandiæ Senatu ex Neoſtad. *deciſ.* 85. judicatum refert: ubi hoc ſolum agitur, ut magiſter navis in tantum dominus fiat rerum ſibi ab exercitore commiſſarum, ut eaſdem etiam intervertendo accipientis faciat: in quo negotio, quemadmodum & in inſtitoria actione, quod perſonæ induſtria palam & plene electa ſit, ſingulare eſt, ut quodlibet inſtitoris factum præponens dominus præſtet. Sed in contrarium ab eodem ſupremo Hollandiæ Senatu in cæteris *Menſ. Aprili.* 1652. pro confirmatorio Provincialis Curiæ judicio judicatum eſt, **In de ſaake van Johan van Leeuwen / Schepen der Stadt Leyden/ als geſtelde Curateur over de Boedel van Jan Wyngaert den ouden**/contra **Catharina van Coorn-vliedt / Wed. van Dirck Segertſz. van Campen:** In qua cauſa quum quædam Geertruida Buya, Meretrix Leydenſis à dicto Johanne van Wijngaerden tunc temporis Trajecti ad Moſam degente, in mandatis haberet annuos reditus, Domanii Hol-

landici nomine, à Leydenſi ſtatione illi competentes, exigere, eumque in finem principales litterarum obligationes dictæ Geertruidæ eſſent traditæ, illa eas ſibi ſuo jure competere diſſimulans, dicto Theodoro van Campen pro certa florenorum ſumma, ſibi numerata, oppignorat: quo facto, non longo poſt tempore foro cedit, relicta lite inter earundem litterarum verum Dominum Johannem de Wijngaerden, & Theodorum van Campen pignoris creditorem, illo quod dictæ Geertruidæ factum extra ejus mandatum ſibi ut vero litterarum domino quam minime nocere poſſit, hoc quod cum earundem exhibitrice bona fide, & juſto titulo egiſſet contendente: Senatus, dictas litterarum obligationes à nexu pignoris tanquam in re aliena conſtituti, liberas declarat, reſervata dicto Theodoro van Campen ſolummodo actione, adverſus dictam Geertruidam inſtituenda.

Ad hoc tamen ut quis pignori obliget, ut verus & abſolutus rei dominus ſit, non eſt neceſſarium, ſed aliquod tantum jus in iis eum habere ſufficit, ut pro eo obligetur, per ea quæ tradunt Gloſſ. Bart. & DD. *ad. l. 1. §. 1. ff. De Pignorib. l. 3. §. 1. ff. qui pot. in pignor. & l. 13. §. 3. ff. De pignor.* quomodo etiam jus futurum pignori dari poteſt, & in generali omnium bonorum hypotheca continetur. *l. ult. Cod. quæ res pignor. oblig. poſſ.* Quo reſpectu & rei alienæ pignus conſiſtit, ſi poſtea ejus dominium nactus fuerim, *l. 41. ff. De pignor. act. l. 22. ff. De pignor.* Neguzant. *de pignorib. 2. part. 3. membr. num 21.* Menoch. *vol. 1. conſil. 77. col. 1.* 18

Cod. VIII. XXIV. *Si pignus pignori datum ſit.*

Quomodo etiam rei alienæ pignori nobis obligatæ, iterum alteri creditori meo pignus conſtitui, & pignus pignori dari poteſt. *l. 1. 2. Cod. Si pign. pignor. dat. ſit.* ubi DD. eoque caſu creditor cui pignus ſecundo obligatum eſt, utilem hypothecariam, primus directam actionem habet. Moſſ. *de Contract. tit. De pignor. & hypot. verſ. De Reb. quæ pignor. dari poſſ. num. 35.* Eodemque fundamento uſumfructum & habitationem, *l. 11. §. 2. ff. De pign. l. ult. ff. de Uſuris.* & res fideicommiſſo ſubjectas, pro jure concedentis pignori obligari poſſe conſtat. *l. 3. §. 2. & 3. Cod. commun. de legat.* 19

Prædium tamen dotale maritus, licet pro gubernandis & adminiſtrandis rebus uxoris jus & poteſtatem habeat, ex ſpeciali privilegio valide oppignorare haud poteſt. *l. unic. §. 15. Cod. De Rei Uxor. act. & pr. Inſt. Quib. alien. licet vel non.* 20

Cod. VIII. XXI. *Si res communis pignori data ſit.*

Hæc de re aliena pignori data. Quæritur porro an res communis ab altero ſociorum pignori dari, aut hypothecæ ſubjici poſſit? Quod videtur: eoque ipſo, licet vel invito ſocio factum fuerit, tota & integra res communis pro indiviſo obligata eſt, eo quod unius rei una tantum poſſit eſſe univerſitas, *l. 3. ff. pro derelicto*, quæ licet pro uſu & commodo ejus communionem, & diviſionem recipiat, pignoris tamen cauſa individua eſſe dicitur. *l. 65. ff. de Evict.* adeoque illa res pro indiviſo obligata manet, ut, ſi poſtea illam obligationem ſocii diviſerint, non ſola portio quæ ei obvenit pignori erit, ſed utriuſque partis dimidia pro indiviſo, per *text. in l. 7. §. ult. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv. l. 31. ff. de Uſu & Uſufruct. legat. l. 3. §. ult. ff. qui potior. in pignore, l. 6. §. 8. l. 7. §. ult. ff. communi dividundo*, reſervata alteri ſolummodo contra ſocium pro indemnitate de communi dividundo actione. *l. 10. §. ult. l. 20. ff. de commun. divid.* quod in annuis reditibus etiamnum admittit Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 4.* Vide Moſſ. *De contractib. tit. de pignor. & hypoth. verſ. de Reb. quæ pignor. dari poſſ. vel non, num. 36.* 21

Sed licet res quæ pro indiviſo communis eſt, altero ſociorum pro indiviſo obligari poſſit, is tamen ſuam partem tantum obligare poteſt, non ſocii. *l. unic. Cod. Si commun. res pignor.* Adeo ut res communis in totum pro indiviſo obligetur: non plus tamen per executionem ex ea conſequi poteſt creditor, quam pro rato partis & communionis, quam in ea habet, qui pignus irrequiſito altero conſtituit, licet id ipſum ex toto, aut ex qualibet ejus parte conſequi poſſit. *arg. d. l. unic. Cod. Si res commun. pignor. dat.* & Scalicet. *ibid.*

Moribus tamen remota juris ſubtilitate invaluit diviſione rei communis facta, eam partem tantum pignoris nexui eſſe obligatam, quæ conſtituentis propria facta eſt, *arg. l. 13. §. 17. ff. De Act. empt.* atque ita deciſum refert Neoſtad. *deciſ. Cur. Holl. 16.* Sande *deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 12. defin. 27.* & arreſto Pariſienſi concluſum teſtatur Mornac. *ad d. l. 7. §. ult. ff. quib. mod. pig. vel hypoth.* & Ann. Robert. *Rer. judicat. lib. 3. cap. ult.* 22

De Jure Civili non poſſunt oppignorari jumenta, aliaque aratoria inſtrumenta, ne tali modo agricultura impediatur. *l. 7. 8. & auth. ſeq. Cod. Quæ res pignor.* Eodemque ſenſu nec militum arma, *arg. l. 2. §. ult. ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* nec ſtudiorum libri oppignorari poſſunt. *arg. d. l. 7. & l. 8. Cod. quæ res pignor. oblig. junct. auth. habita. Cod. ne filius pro patre.* Sed quum agriculturæ inſtrumenta aliaque ibidem enumerata in ſubſidium & aliis bonis deficientibus hodie executioni ſubjiciantur, per ea quæ tradunt Autumn. *ad d. l. 7.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. lib. 2. De* 23

Execut.

Execut. rei judicat. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 6. *defin.* 16. & de Hiſpanorũm moribus Guitierz. *lib.* 4. *pract. quæſt.* 12. conſequens eſt, hodie etiam in iis pignus valide conſtitui poſſe.

Cap. VIII.

De Pactis Pignorum.

Summaria.

1. *Antichreſis quid, & quomodo conſiſtat.*
2. *Pactum de pignore pro reſiduo pretii non ſoluti, an & quomodo ſubſiſtat.*
3. *Et quid moribus circa immobilium traditiones obtineat.*
4. *Quid in foro* Saxonico, *&* Friſia.
5. *An ex intervallo adjici poſſit.* Neg.
6. *An aque in re mobili obtineat.* *In* Sabaudia, Saxonia, Gallia, & Belgio.
7. *Pactum commiſſorium quid, an, & quomodo ſubſiſtat.*

SEd & pacta quædam pignoribus adjiciuntur, aut tacite in continenti adjecta cenſentur. *tot. tit Cod. De pact. pignor.*

1 Primum eſt pactum Antichreſis, quo inter debitorem, & creditorem convenit, ut quamdiu debitor creditori non ſatisfaciat, creditori pignore uti liceat, & fructus ſuos facere in compenſationem uſurarum pecuniæ ipſi debitæ. *l.* 11. *§.* 1. *ff. de pignor. & hypoth. l.* 33. *ff. De pignor. act.* Molin. *tract. De Uſuris. quæſt.* 35. *num.* 259. *& ſeq.* Hartmann. *obſerv. tit.* 27. *obſerv.* 2. *num.* 4. Andr. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 3. *num.* 1. modo debitor, quandocunque voluerit pignus luere, liberum maneat, quæ facultas illi adimi haud poteſt, etiamſi expreſſe ita convenerit, per ea quæ tradit Moſſ. *De contract. tit. De pinorib. & hypoth. verſ. De Accidentalib. pignor. num.* 20. per Gloſſ. *in l. qui Roma.* 122. *ff. De Verb. Obligat.* Molin. *De Uſuris, quæſt.* 55. *num.* 385. cujus ſententiam à Senatu Friſiæ ſecutam refert Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib.* 3. *tit.* 12. *defin.* 11.

Cod. VIII. XXXV. *De pactis pignor. & de lege commiſſor. in pignoribus reſcindenda.*

Quid ſi fructus legitimum uſurarum modum excedant, an adhuc pactum antichreſis ſubſiſtit? Diſtinguendum eſt, ut nihilominus ſubſiſtat, ſi incertus ſit fructuum eventus, quod innuit text. *in l.* 17. *Cod. De Uſuris.* Cæterum ſi certa ſi fructuum-quantitas, ſorti imputandum eſt, quicquid legitimum uſurarum modum excedit. *arg. l.* 14. *Cod. de Uſuris.* & ibi Mornac. & *ad l. prædiorum.* 36. *ff. De Uſur.* Ubi poſt Ann. Robert. *Rer. judicat. lib.* 2. *cap.* 8. ſecundum eandem diſtinctionem apud Gallos in urbanis prædiis antichreſin tolerari refert, licet penſio domus quæ creditori à debitore in habitanda conceſſa eſt, legitimum uſurarum modum excedat, quia habitationis certum pretium non ſit: ſecus in prædiis ruſticis, ut ſecundum ea in Friſia receptum teſtatur Johan. à Sande *lib.* 3. *tit.* 12. *defin.* 10.

2 Ita etiam pignus conſtitui, aut potius retineri poteſt in re immobili vendita pro reſiduo pretii non ſoluti, *arg. l. ult. in fin. Cod. De pact. inter empt. & venditor. compoſit. l.* 13. *§.* 8. *ff. de act. empt. l.* 2. *ff. De Reb. eor. qui ſub. tut. junct. l.* 7. *Cod. qui pot. in pign.* Cujac. *tract. ad Africanum* 8. *in l. qui balneum.* 9. *ff. Qui pot. in pign* Neguzant. *De pignorib. part. quart. princip. num.* 34. Thom. Herbaj. *rer. quotidianar. cap.* 3. Joann. à Sande *deciſ. Friſicar. lib.* 3. *tit.* 12. *defin.* 16. Carpzov. *defin. forenſ. part.* 2. *conſtit.* 23. *defin.* 16. *& ſeqq.*

3 Quo nihil frequentius moribus noſtris, quibus caſu quo rei venditæ ſolutionis pretium in diem differtur, juxta ipſius rei traditionem, à parte emptoris etiam hypothecaria cautio præſtari ſolet, quæ res vendita pro reſiduo pretii pignori & hypothecæ ſit. Quæ tamen neceſſaria non eſt, ſi ſolutioni nullus dies adjectus ſit, & ſolennis traditio ſub ſpe futuræ numerarionis facta ſit: quo caſu res vendita per ſe pignori eſt, aut potius in dominio venditoris manet, donec pretium ſit ſolutum: quum actus agentium non debeant operari ultra eorum intentionem, neque res vendita & tradita aliter emptori acquiratur, quam ſi is venditori pretium ſolverit, vel alio modo ſatisfecerit, puta ex promiſſore vel pignore, per text. *in l.* 19. *ff. de contrah. empt. & §.* 41. *Inſtit. De rer. diviſ. l.* 5. *§.* 18. *ff. De Tribut. Act. l.* 5. *ff. De Jure fiſci.* adeoque ipſi contractui ineſſe videtur, ſi quidem non aliter venditor jus ſuum in emptorem transtulit, quam hac conditione fretus, ut ei ſolvatur pretium: Niſi ſolutioni ipſe diem adjecerit, quo caſu niſi nominatim ante traditionem ſibi pro reſiduo pretii per pignoris reſervationem proſpexerit, emptoris fidem ſecutus videtur. Quæ quum ipſam rem ſpeciali hypotheca afficiat, ideoque nec generalis hypotheca ad hoc ſufficiat. Ut ex veriori DD. opinione receptum eſſe teſtatur Joann. à Sande *deciſ. Friſicar. lib.* 3.

tit. 12. *defin.* 16. *in fin.* & ne quidem Ruſticis abſque ſpeciali hypotecæ reſervatione competere referi Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 23. *defin.* 19. Conſequens eſt, ut non minus neceſſitatium, quam receptum ſit, excepta ſolum nova quadrageſimi exſolutione, eandem ſolennitatem adhibere quam in ſpeciali immobilium hypotheca requiri diximus.

Quale tamen pignus in re immobili vendita pro pretii reſiduo, citra judicis conſenſum, in qualibet rei immobilia affectatione neceſſarium, in foro Saxonico, unda partium conventione contractum ſubſiſtere contendit Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 23. *defin.* 16. Et ex communi Friſiæ ſtylo receptum teſtatur, ut hujuſmodi hypotheca, quamvis non regiſtrata, hypothecis regiſtratis anterioribus præferatur. 4

In cæteria omnes conveniunt, tale pactum tum demum procedere, quum in ipſo contractu ante traditionem, aut in ipſa traditione pignus conſtituitur, nec contractui venditionis jam perfecto ex intervallo ejuſmodi pactum pignoris adjici poſſe, in præjudicium anteriorum creditorum. Herbaj. *rer. quotidinar. d. cap.* 3. Neguzant. *de pignor. d. part.* 4. *num.* 33. Atque ita deciſum referunt Grivell. *deciſ. Dolana.* 56. *num.* 4. 5. Carpzov. *d. part.* 2. *conſtit.* 23. *defin.* 17. 5

Utrum vero in re mobili æquo ac in re immobili tale pignus valide conſtitui poſſit ipſo jure, nihil eſt quod vetat, per *l.* 9. *§.* 1. *ff. de pinorib.* ad hoc ut etiam ex eo venditori pro pretii reſiduo bonorum ſibi oppignoratorum perſecutio detur adverſus tertium poſſeſſorem, *arg. l.* 26. *§. ult. ff. de pignor.* Ut ſecundum jus commune deciſum, & in Sabaudiæ Ducatu obſervari refert Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 6. *defin.* 21. Quod & in Saxonia exceptis mercibus in taberna oppignoratis, & poſtea ſigillatim venditis, etiamnum ſervari teſtatur Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 23. *defin.* 12. & 13. Sed quum noſtris, & Gallorum moribus pro communi regula ſit receptum, mobilia contra tertios eorundem poſſeſſores ſequelam non habere, ut *pr. hujus capitis* monuimus, conſequens eſt, neque ejuſmodi pactum pignoratitium pro reſiduo pretii non ſoluti adverſus tertium poſſeſſorem obtinere: præterquam in iis locis ubi ita nominatim ſtatutum reperitur. Ut in Rhenolandiæ Diœceſi, cujus Statuto generali *art.* 48. hac in parte expreſſe cautum eſt: **Dat als yemant is koopende/Schip/Schuyt/Koe-beeſt/Paert/of yet anders/ende van de ſchult van dien/Obligatie paſſeert/ſtellende de ſelve gekofte Goeden ſpecialyk daar in ten onderpande/alſdan heeft hy regt van preferentie op 't ſelve goed/ſoo verre hy dat weet te bekomen.** Id eſt, ſi quis emens navem, ſcapham, pecudem, equum, aut quid ſimile pro empti debito, rem emptam ſpecialiter oppignoret, creditori eo ipſo competit jus prælationis, in eadem re, ubicunque eam invenerit; cujus ſtatuti etiam mentionem facit Grot. *Introduct. lib.* 2. *tit.* 48. *verſ.* **Maar indien:** *in verb.* **Ten waar.** 6

Cod. VIII. XXXV. *De lege Commiſſoria.*

Alterum eſt pactum commiſſorium, quo convenit inter debitorem, & creditorem, ut ſi debitor ſuo die non ſolvat, res oppignorata creditori cedat, quod ipſo jure prohibitum eſt. *l. ult. Cod. De pact. pignor. l.* 26. *Cod. De Uſuris.* Quod tamen ceſſante prohibitionis ratione toleratur in eum finem, ut pignus conſtitutum creditori in ſolutionem debiti cedat, ſecundum juſtam ipſius pretii æſtimationem. Coſtal. *ad l. Titius* 34. *ff. De pignor. act.* Molin. *De Vſuris quæſt.* 52. Bronchorſt *Miſcell. controv. cent.* 1. *aſſert.* 77. Neguzant. *De pignorib.* 4. *part. princip. num.* 6. *verſ. Secundo fallet.* Covarruv. *Variar. reſolut. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 7. *verſ. Secundo.* Atque ita à Pariſienſi teſte Georg. Tholoſan. *Syntagm. Jur. Univerſ. lib.* 22. *cap.* 9. *num.* 14. & Sabaudiæ Senatu judicatum, referente Anton. Fabr. *ad Cod. De pact. pignor. lib.* 8. *tit.* 23. *defin.* 1. eamque rationem habet, ut potius ſit pactum de retro vendendo, ut eſt ſenſus *l.* 16. *§. ult. ff. De pignorib. & l. ult. in pr. ff. De contrah. empt.* in quo lex commiſſoria locum habet, nec conſtitutioni ulla fraus quæritur: poteſt enim debitor non ſolum tertio, ſed & creditori pignus ſuum vendere. *l.* 12. *in pr. ff. de diſtract. pignor. l.* 9. *in pr. ff. quib. mod. pign. l.* 20. *§.* 3. *ff. de pignor. act.* Ac pari modo ceſſat etiam legis commiſſoriæ prohibitiva ratio, ſi debitor juri ex *l. fin. Cod. de pact. pignor.* quæſito, expreſſe renunciaverit, ut ſi juris ſui gnarus, creditori rem nexui pignoris ſuppoſitam, pro debita quantitate ſciens volenſque ceſſerit. *arg. l.* 1. *§.* 5. *ff. De injur. junct. l. pen. Cod. de pact. l.* 41. *ff. de minorib.* Anton. Fab. *ad Cod. d. tit. defin.* 5. 7

Cap. IX.

De Tacito ſive Legali Pignore.

Summaria.

1. *Tacitum pignus uxori competit pro recuperanda dote.*
2. *Fiſco.*
3. *Locatoribus adverſus conductores prædiorum in invecta & illata in prædium, hodie tam ruſticum quam urbanum.*
4. *An & quatenus alterius aut ſecundi conductoris res invecta tacite obligetur locatori primo.*
5. *Minoribus & pupillis tacitum competit pignus in bonis tutorum, curatorum, aliorumque adminiſtratorum ſuorum, in bonis item vitrici & parentis ſuperſtitis.*
6. *Idem privilegium civitati competit adverſus eos qui rerum civitatis adminiſtrationem habent, quod & ad Eccleſiaſtica & pauperum collegia extenditur.*
7. *Qui credit ad refectionem domus, navis, aut cujuſlibet alterius rei tacite gaudet pignore.*
8. *Funeris impenſæ prælationis pignus habent.*
9. *An ſub impenſis funerum connumerentur etiam pharmaca, & medicorum mercedes.*
10. *Datur tacitum ſive legale pignus defuncti creditoribus in ejuſdem bonis ab herede poſſeſſis ſeparationis jure.*
11. *An veſtes lugubres viduæ aut liberis pro funerum ſumptibus eroganda.*
12. *Legatariis & fideicommiſſariis an & quam hypothecam habeant in bonis à teſtatore relictis.*
13. *Conſuetudo* Amſtelodamenſis.
14. *An & quatenus arreſtum ſive pignus judiciale tribuat privilegium taciti pignoris, in* Hollandia, Saxonia, & Tranſiſulania.

1 TAcite, & ex ſola legis diſpoſitione variis modis pignus conſtituitur. Quomodo I. tacitum pignus uxori competit, in omnibus mariti bonis, in ſecuritatem reſtituendæ dotis, *l. unic. §. 5. Cod. de Rei uxor. act. l. 12. §. 5. Cod. qui pot. in pign.*

2 II. Conſtituitur tacitum ſive legale pignus in omnibus bonis eorum qui cum fiſco ſive ærario publico contrahunt, in ſecuritatem ejus quod ex Contractu vel quaſi, ipſi fiſco aut ærario debetur. *l. 46. §. 3. ff. De Jure Fiſci l. 1. & 2. Cod. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. tac. contr.* Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 12. defin. 1.*

Dig. tit. Cod. *In quib. cauſ. pignus vel hypothec. tacite contrah.*

3 Competit tacitum pignus locatoribus adverſus conductores prædiorum in invecta & illata in ſecuritatem mercedis, & penſionis conſtitutæ. *l. 2. 3. 4. 6. ff. In quib. cauſ. pign. vel hypoth. tac.* Quod Jure Romano ad urbana prædia reſtringitur, nec in prædiis ruſticis locum habet, in quibus fructus pignoris loco ſunt, & locatoribus ſufficientem præſtant ſecuritatem. *l. 4. in pr. ff. In quib. cauſ. pign. vel hypoth. & l. 7. in pr. ff. eod.* Moribus tamen indiſtincte tam in ruſticis, quam urbanis prædiis obtinet, præſertim in paſcuis, in quibus pecora invecta tacite pro conductionis mercede obligari, recepti apud nos juris eſt. Quibus & agriculturæ inſtrumenta, aliaque enumerata in *l. 7. 8. Cod. quæ res pigner. oblig. poſſ.* in ſubſidium, & aliis bonis deficientibus executioni & pignori ſubjici, præcedenti capite diximus, eaque indiſtincte pro mercedibus locatorum pignori eſſe Hollandiæ Curia cenſuit, **In de ſaake van Jeronimus van Staelkercken / contra Adriaan Vincent** / 20. *Novembr.* 1607.

Ut autem invecta & illata pro locationis mercede tacite pignori ſint, ut ea conductoris propria, nec alterius ſint requiritur; niſi conſenſu domini, eoque animo, ut ibi ſint & maneant invecta & illata probentur. Neguzant. *de Pignorib. 4. membr. 2. part. num.* 152. *& ſeq.* Chriſtin. *ad leg.*
4 *Mechlin. tit. 8. art. 14. num.* 8. Afflict. *deciſ. Neapol.* 184. *& DD. in l. 5. Cod. locat.* Quomodo & ſecundi conductoris bona in prædium, ſive ruſticum, ſive urbanum invecta locatori primo, pignori ſunt pro quantitate mercedis ſecundæ, cujus ſolummodo intuitu ibi ſunt. *l. 11. §. 5. ff. De pignor. act. junct. l. 5. §. 1. ff. In quib. cauſ. pign. vel hypoth. tac. & l. 7. §. 1. ff eod.*

Et hæc jure civili obligata manent, licet poſtea mutato propoſito amoveantur, *arg. §. 7. Inſtit. de act. & l. 17. ff. De pignor. act.* Quod tamen moribus, quibus mobilia nullam ſequelam habere diximus receptum non eſt, niſi in fundo aut prædio locato reperiantur, aut, in fraudem legis devecta, ilico & in continenti perſequantur. Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 48. verſ.* **Inſgelijks.** *in fin.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ.* 274. Zyp. *Notit. Jur. de pignor. act. in fin.* Quomodo etiam Hollandiæ Curia in dicta cauſa Hieronymi van Staelkercken, cenſuit fructus pro mercedibus prædiorum locatorum pignori eſſe, licet devecti in horreis & clauſtris repoſitos.

IV. Mi-

Digitized by Google

IV. Minoribus & pupillis, tacito legali pignore proſpectum eſt, in bonis tutorum vel cura- 5
torum ſuorum, in ſecuritatem ejus quod ex cauſa adminiſtrationis tutelæ, aut curationis nomine ipſis debetur. *l.* 20. *Cod. de adminiſtrat. & peric. tutor.* Uti & in bonis vitrici cui mater tutrix nupſit. *l.* 1. *Cod. Quando Mater Tutela officio. l. pen. Cod. In quib. cauſ. pign.* Quod non tantum ad veros & legitime conſtitutos tutores, ſed & ad eos, qui ſe pro tutore vel curatore gerunt, extenditur, per Gloſſ. & DD. *ad l. pro officio.* 20. *Cod. De Adminiſtrat. tutor. junct. l.* 41. *in fin. ff. De pign. act. & l. ult. ff. de Rei Vind.* Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 7. *defin.* 2. *num.* 1. Quod & in Elect. Saxon. expreſſe cautum refert Carpzov. *lib.* 4. *reſponſ. elector. tit.* 4. *Reſponſ.* 34. *in fin.*

Et pro liberis prioris matrimonii in bonis parentis ſuperſtitis competit, non tantum pro ſervandis rebus quæ ipſis liberis ex prædefuncta patris vel matris ſubſtantia debentur, *l.* 6. *§. ult. Cod. de bon. quæ lib. l.* 8. *§.* 1. *Cod. De Secund. Nupt.* Neguzant. *de pignor.* 2. *part. membr.* 4. *num.* 19. 20. ſed & in ſecuritatem præſtandarum vel conſervandarum earum rerum, quæ patri vel matri à priori conjuge obvenerunt. *l.* 8. *§. ult. Cod. De Secund. Nupt.*

Sed & pupilli tacitum habent pignus in bonis omnibus ex ſua pecunia comparatis. *l.* 7. *in pr. ff. Qui pot. in pignor. l.* 3. *de reb. eor. qui ſub tutel.*

Hoc prælationis privilegium ad eos etiam refertur, qui rerum civitatis adminiſtrationem ha- 6
buerunt, quæ hac in parte minori comparatur, ejuſdemque juris eſt. *arg. l.* 4. *Cod. ex quib. cauſ. major. junct. l.* 20. *Cod. de Adminiſtrat. tutor. & l. fin. Cod. quo quiſq. ord. conv.* Neguzant. *De pignorib.* 4. *membr.* 2. *part. num.* 119. Munnos *de Raticion. cap.* 39. *num.* 6. 7. Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib.* 3. *tit.* 12. *defin.* 1. Item ad Eccleſias, & Eccleſiaſtica collegia, ut ſunt Mnoſocomia, Xenodochia, aliaque pauperum & miſerabilium collegia, quæ in omnibus minorum jure, adeoque & legali hypotheca gaudent, in bonis eorum qui rerum ſuarum adminiſtrationem habent, per text. *in l.* 35 *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* & ibi Bart. *l.* 5. *Cod. de Excuſat. tutor. & ibi Gloſſ. final.* & Salicet. quo facit etiam *arg. ex l.* 19. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Vide Nicol. Everhard. *loc. à pupillo ad Eccleſiam, & ab Eccleſia ad pia loca.* Munnos de Eſcobar *dicto tract. cap.* 39. *num.* 14. Aymon Cravett. *conſil.* 132. *num.* 9. & 323. *num.* 9. *tom.* 1. & *conſil.* 642. *num.* 13. Montan. *de Tutelis cap.* 31. *effect.* 2. *num.* 29. Merlin. *de pignorib. lib.* 3. *tit.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 8. 9. 14. 17. Berlich. *pract. concluſ. part.* 1. *concluſ.* 67. *num.* 42. Ferd. Vaſq. *Illuſtr. quæſt. tom.* 2. *lib.* 3. *tit.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 17. Bacchov. *de pignorib. lib.* 1. *cap.* 9. *num* 3. De Germaniæ moribus teſtantur Berlich. *d. loco.* Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 28. *defin.* 115. Henric. Hahnius ad Weſenbec. *tit. ff. In quib. cauſ. pignus vel hypoth. tac. contrah. num.* 5. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 130. *in fin.* Hartmann. Hartmann. *prax. Forenſ. lib.* 2. *tit.* 27. *obſerv.* 21. *in fin.* Idem in Hiſpania ſervari tradit Alphonſ. Aſſevedo *ad conſtit. Reg. Hiſpania tom.* 3. *lib.* 7. *tit.* 5. *ad l.* 4. *recopilat.* In Italia Marc. Anton. de Amat. *deciſ. Rota* 109. In Gallia Rebuff. *ad conſtit. Reg. Gall. tom.* 2. *tit. de conſtit. redit. art.* 1. *Gloſſ.* 14. In Friſia Joann. à Sande *d. lib.* 3. *tit.* 12. *defin.* 1. In Hollandia Grot. *Introduct. lib.* 2. *cap.* 48. *verſ.* **Ten agtſten.** Groeneweg. *de legib. abrogat. ad l.* 10. *ff. ad leg. Municipal.*

V. Is qui credidit ad refectionem domus, tacitum habet pignus in illa domo, in ſecuritatem 7
ejus quod in refectionem credidit. *l.* 24. *§.* 1. *ff. de reb. auth. jud. poſſ. l.* 25. *ff. de reb. cred. l.* 1. *ff. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. l.* 46. *ff. de damn. infect. l.* 2. *ff. de ædific. privat. l.* 52. *§.* 10. *ff. pro ſocio.* quia ſcilicet pecunia creditoris ſalvam fecit totius rei cauſam, *l.* 5. & 6. *ff. qui pot. in pignor.* Quod quamvis DD. communiter ad ſolam domus aut ædificii refectionem reſtringant, nec ad navem aliamve rem extendi poſſe putent, propterea quod textus expreſſus deficiat, tamen benigno jure in praxi propter eandem finalem & diſpoſitivam rationem, eſt receptum, etiam in navi & qualibet alia re, cui quid in neceſſariam ejus refectionem impenſum eſt, idem juris eſſe. Vide Grot. *Introduct. lib.* 2. *cap.* 48. *verſ.* **Ten derden.** Statut. Antverp. *tit.* 66. *art.* 44. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 7. *defin.* 10. *num.* 1. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 12. *num.* 4. dummodo ad neceſſariam rei conſervationem, pecunia credita & impenſa probetur. Ut poſt Mornac. *ad l.* 3. & *ſeq. Cod. Qui pot. in pignore.* Joann. à Sande *deciſ. Friſie. lib.* 3. *tit.* 12. *defin.* 5. Andr. Gail *d. lib.* 2. *obſerv.* 12. *num.* 4. Matth. Berlich. *part.* 1. *concluſ.* 65. *num.* 133. & *ſeq.* Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 28. *defin.* 105. & 106. Quare nec ei jus taciti pignoris competit, qui ad emendam vel noviter conſtruendam domum aliamve rem pecuniam credidit, niſi expreſſa ſtipulatione de hypotheca ſibi proſpexerit, *arg. l.* 17. *Cod. de pignorib. & l.* 7. *Cod. qui pot. in pignor. l.* 5. *§.* 6. *ff. de Tributor. act. l. qui in navem* 26. & *l.* 34. *ff. de reb. auth. jud. poſſid.* Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 8. *defin.* 10. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 28. *defin.* 107. Joann. à Sande *dict. defin.* 5. Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 35.

9 Eademque fere ratione impenſæ funeris, quas aliquis ad neceſſariam funeris exhibitionem defuncti impendit, tacitum pignus tribuunt ei qui credidit. ex *l.* 14. *§.* 3. *& ſeq. l.* 15. *& 45. ff de Religioſ. & ſumpt. funer.* Quibus, licet de Jure vix defendi poſſit, de conſuetudine tamen annumerari ſolent pharmaca & Medicorum mercedes, aliaque in morbo, ex quo defunctus decubuit, tanquam ad refectionem & conſervationem corporis impenſa. Vide Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 16. *art.* 35. *num.* 4. *& tit.* 13. *art.* 13. *in addit.* Chaſſan. *ad Conſuet. Burgund. Rubr.* 4. *§.* 9. *in verb. ſumptuſve funebres.* Surd. *deciſ.* 259. *num.* 25. *& ſeq.* Gratian. *diſcep. Forenſ. cap.* 94. *num.* 14. *& ſeq.* Carpzov. *defin Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 28. *defin.* 43. 45. Atque ita Hollandiæ Curia cenſuit, in cauſa crediorum Theodori Schout. 21. *Maji*, 1612. quotidieque ſervatur.

D. xl. vii. Cod. iii. xliv. De Religioſis & ſumptibus funerum.

10 Et his veſtes lugubres viduæ liberiſve defuncti pro funerum ſumptibus erogandas annumerari quidam volunt, per ea qua tradunt Chriſtin. *ad leg. Mechlin. d. tit.* 16. *art.* 35. *num.* 11. Nicol. Everhard. *conſil.* 198. *num.* 19. Jacob. Coren *obſerv.* 38. *num.* 29. 30. *in Not.* Sed has, ſi quis in honorem defuncti geſtare velit, propriis ſumptibus erogandas Hollandiæ Curia jure cenſuit, in cauſa creditorum Ulrici **vander Duſſen** 19. **Octob.** 1615. & à ſuprema Hollandiæ Curia viduæ Branduvini de Vaux petenti abdicatas, probat idem Jacob. Coren 7. *April.* 1629. *d. obſerv.* 38. *num.* 41.

VI. Datur tacitum ſive legale pignus defuncti creditoribus in bonis ejus ab herede poſſeſſis necdum alienatis, contra heredis creditores, jure ſeparationis intra quinquennium à defuncti morte inſtituto. *l.* 1. *& tot. tit. ff. de Separat.* Etiam contra eos quibus bona illa interim pignori aut hypothecæ obligata ſunt. *d. l.* 1. *§.* 3. 4. *ff. de Separat.* Quo caſu chirographarii creditores defuncti potiores ſunt hypothecariis heredis, in bonis hereditatis. Ut recte notant Zaſ. *in d. l.* 1. *§.* 3. *ff. de Separat.* Hillig. *in not. ad Donell. enucleat. lib.* 22. *cap.* 16. Atque ita deciſum in Senatu Neapolitano teſte Joann. Petr. Surd. *deciſ. Neapolitan.* 310. *ubi num.* 8. *&* 12.

11 VII. Et ultimo legatarii & fideicommiſſarii tacitam habent hypothecam in omnibus bonis à teſtatore relictis, pro conſequendis legatis aut fideicommiſſis ſibi relictis. *§.* 2. *Inſtit. de legat. l.* 1. *Cod. commun. de legat.* Vid. M. Merlin. *de pignorib. deciſ. Rot. Roman.* 4. *num.* 1. Quod quum perquam durum ſit tertio bonæ fidei poſſeſſori, ut ei per rei vindicationem à fideicommiſſario poſt multos annos ex cauſa teſtatori res, ei emptionis aut alio oneroſo titulo acquiſita, & bona fide poſſeſſa avocetur, ab Hollandiæ quidem Ordinibus 30. *Julii* 1624. cautum erat, **Dat geene clauſulen van** fideicommis, **ſubſtitutie / verbiedinge van alienatie of van eenige andere diergelijke belaſtingen van onroerende goederen of gehypothequeerde Renten / geſtelt in eenige Teſtamenten / Codicillen / Huwelijckſche Voorwaerden / Scheydingen / Donatien** inter vivos, cauſa mortis, **ofte eenige andere Contracten / effect van realiſatie / ofte affectatie ſouden hebben: ten zy de ſelve aengebracht waren ter plaetſe / ende aan den Geregte onder de welke de ſelve onroerende goederen gelegen / ende de Renten geconſtitueert waren.** Id eſt: Ut nullæ clauſulæ, fideicommiſſorum, ſubſtitutionum, prohibitionum alienationis, aut alterius immobilium rerum, aut redituum affectationis, Teſtamentis aut Codicillis, Nuptialibus pactis, hereditatum diviſionibus inter vivos, aut mortis cauſa donationibus, alteriuſve generis contractibus inſertæ, aliquem realis hypothecæ aut affectationis effectum ſortiantur: niſi coram Magiſtratu ubi immobilia, redituſque iis comprehenſa ſita ſunt, ſolenniter actis inſinuentur: Quod tamen uſu receptum non eſt, & contraria obſervatione denuo abrogatum. Vid. Joann. Sande.

12 Qua in re tamen notandum, quod Amſtelodami in mercaturæ mercantiumque favorem introductum, & longa conſuetudine firmatum ſit, ut generalis & ſimplex alienationis prohibitio, heredem, bona ſub eo onere relicta vendere, alienare, & in tertium valide transferre, ut pro venditi nummis mercaturam exerceat, haud impediat: eoque non obſtante, de iis per ultimam voluntatem pro lubitu diſponere poſſit heres, ut per atteſtantium turbinem 27. *Auguſti* 1567. *&* 4. *Martii* 1597. ibid. declaratum refert Gerar. Roſenboom, *Recueil van verſcheyde Keuren ende Coſtumen van Amſterdam, cap.* 44. *art.* 7.

13 Sed an Arreſtum & pignus judiciale, ſive prætorium, veluti, ſi in cauſam judicati pignus captum ſit, non tribuat actori taciti pignoris privilegium, ut poſteriori præferatur is qui prior exequitur? Haud ſufficit noſtris & Galliæ moribus, pignus in cauſam judicati eſſe captum, ſed & actualis diſtractio & nummorum diſtributio interceſſiſſe requiritur: ſecundum regulam, **Arreſt en geeft geen preferentie** / quo facit text *in l.* 15. *ff. de reb. auth. jud. poſſid. & l.* 5. *§.* 2. *cum. ſeq. ff. Ut in poſſeſſ. legator. vel fideicommiſſ.* adeoque cuilibet creditori liberum eſt, pendente executione, ad ſolennem creditorum concurſum provocare, (vulgo **preferentie / ofte**

Cod. viii. xxiii. Si in cauſa judicati pignus captum ſit.

concurrentie) quo non ejus, qui prior egit, cauſa potior eſt, ſed omnes qui ejuſdem ſunt juris pariter admittuntur: Nec ſola diſtractio, ſed & actualis nummorum diſtributio & tranſlatio requiritur. Quomodo à ſuprema Hollandiæ Curia **in de ſaake van Aelbert Eraſmuſz. Heerman** / contra **de Poldermeeſteren van de Groote Polder in Aelſmeer / Impetranten van Arreſt ende executie.** 27. *Februar.* 1652. poſt ipſam diſtractionem, judicati executionem factam, dicto Alberto Heerman mandato pœnali fuit proviſum, ne diſtracti pignoris nummi adhuc penes apparitorem exſtantes, in ejus præjudicium actoribus diſtribuantur, ſed hic cum illis pariter concurrat. Quo ſpectat Anton. Fab. deciſio *ad tit. Cod. De Execut. rei judicat. lib.* 7. *tit.* 20. *defin.* 5. Ubi ita quoque diſtinguit, quod judicati actio non habeat privilegium taciti pignoris, neque aliter condemnati bona pignori cedant, quam ſi hoc ipſum judex ſtatuat: Eoque pertinent quædam locorum ſtatuta, quibus expreſſe cavetur, ne capta pignora, aut nummi ex eorum diſtractione provenientes, aliter victori cedant, quam ſolenni creditorum, ad hoc publico programmate vocatorum concurſu, (vulgo **preferentie)** præcedente, judex ipſi adjudicaverit. Vide Statut. Diœceſ. Ultraject. *Rubric.* 16. *art.* 1. Statut. Leydenſ. *art.* 197. *in fin.* Quod tamen in foro Saxonico non itidem obtinet, ubi ſimplex arreſtum, ſive nuda, in judicati cauſam, bonorum apprehenſio, tacitum actori pignus & jus prælationis tribuit. Ut late Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 28. *defin.* 43. & Matth. Coler. *de Proceſſ. executiv. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 191. Quod & Tranſyſulaniæ Statuta ſequuntur, *tit.* 5. *art.* 28.

CAP. X.

De Pignoratitia actione, & Diſſolutione Pignorum.

SUMMARIA.

1. *Pignoratitia actio quæ ſit & quotuplex, perſonalis & realis.*
2. *Actio Serviana.*
3. *Quaſi Serviana.*
4. *Interdictum Salvianum.*
5. *Solvitur pignus per ſolutionem veram vel fictam.*
6. *An per oblationem alterius pignoris æque idonei.*
7. *An & pro alio debito pignus, poſt ſolutionem ejus pro quo oppignoratum erat, retineri poßit.* Affirm.
8. *An & quatenus debitor arreſtatus, arreſtanti creditore ſatisfacto ab alio creditore recommendationem, ut vocant, retineri poßit.*
9. *An & quando pignus tacite liberatum intelligatur.*
10. *An & quatenus, interitu rei oppignoratæ ipſum pignoris jus ſolvatur.*
11. *An & quomodo probandum creditoris culpa interiiſſe.*
12. *An & quatenus per diſtractionem pignus ſolvatur: & an prohiberi poßit diſtractio.*
13. *Quomodo pignus diſtrahi debeat, & quid moribus obtineat.*
14. *Hypothecaria actio, an ſit dividua.*
15. *Cujus ſit effectus, & an per læſionem ultra dimidium reſcindi poßit.* In Hollandia, Gallia, Friſia, Brabantia, *&* Sabaudiæ *Ducatu.*

D. XIII. VII. & Cod. IV. XXIV. *De pignoratitia Actione.*

EX pignoribus mutuo conſenſu contractis oriuntur actiones perſonales vel reales.

1 Perſonales ſunt actiones immediate ex contractu reſultantes, aliæ directæ quæ pignoris domino dantur pro re pignorata poſt ſatisfactionem non deteriorata reſtituenda, *§. ult. Inſtit. Quib. mod. re cont. oblig.* aliæ contrariæ quæ dantur creditori adverſus debitorem, ut pignus luat, *l.* 4. *ff. de pignorat. act.* deinde ut præſtet, quicquid pignoris nomine abeſt, *l.* 8. *l.* 9. *l.* 32. *l.* 36. *§.* 1. *ff. eod.*

2 Reales pignoratitiæ actiones ſunt Serviana, vel quaſi, quæ etiam hypothecaria dicitur. Quæ quidem ita diſtingui ſolent, ut dicatur actio Serviana, actio in rem prætoria, quæ de rebus in prædium urbanum invectis & illatis, quæ tacito pignoris jure locatori pro penſione obligantur, proponitur. *§. item Serviana.* 7. *Inſtit. de actionibus.* Ita dicta à Servio Sulpicio, Juriſconſulto, qui primus ejus actionis formulam conſtituiſſe videtur.

3 Quæ vero ejus exemplo de ceteris rebus pignori obligatis datur *actio*, *quaſi Serviana* ſive hypothecaria appellatur *l.* 13. *§.* 1. *ff. ad Senat. Velleian.* Vel Utilis Serviana *l.* 1. *§. cum prædium ff. de pignor.* Sed plerumque confunditur hæc differentia, & cujuſlibet pignoris perſecutioni Servianæ actionis nomen accommodatur. Ut in *l.* 3. *l.* 10. *l.* 11. *l.* 21. *ff. de pignor.*

Dici-

4 Dicitur etiam interdictum Salvianum à Salvio prætore, qui eandem actionem in rem conceptam interdicto ſuo etiam in perſonam exerceri præcepit, ejus nimirum apprehendendi gratia quod pignoris cauſa jam ante invectum aut illatum, ex conducta domo, aut fundo amotum, & avectum eſt, directum etiam in colonum, inquilinumve qui amovit, utile in extraneum qui vel ipſe … it, vel apud ſe habet rem amotam. *l. 1. ff. de interdict. Salv. junct. l. 1. Cod. eod.*

D. xliii. xxxiii. Cod viii. ix. De Salviano interdicto.

5 Solvitur pignus per luitionem, ſive debiti ſolutionem à debitore factam, *l. 9. §. 3. ff. De pignoratit. action.* quæ ſemper etiam invito & reluctante creditore fieri poteſt, adeo ut pactum, ne liceat debitori pignus ſuum luere, non conſiſtat: per ea quæ ſupra ex Moſſio, Molinæo, & Joanne à Sande retulimus. Nec huic juri præſcribi poſſit, per lapſum triginta vel quadraginta annorum, quum creditor ſuo nomine non poſſideat, & ſine poſſeſſione præſcriptio nulla ſit. *l. 15. ff. de Uſurp. & Uſucap.* Bronchorſt. *Centur. 4. aſſert.* 4. Wurmſer. *Pract. tit.* 28. *obſerv.* 3. Andr. Gail *lib. 2. obſerv.* 48. *num.* 4. Mynſinger. Cent. 1. *obſerv.* 16. *in fin.* & quemadmodum per ſolutionem veram, ita etiam per ſolutionem fictam, oblationem ſcilicet & obſignationem, creditore in mora accipiendi conſtituto, *l. 2. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. l. 6. in pr. ff. eod. junct. l. 19. in medio. Cod. De Uſuris. l. 9. Cod. De Solut.*

D. xx. vi. Quib. mod. pign. vel hypoth. ſolvitur. Cod viii. xxxi. De luitione pignoris.

6 Sed an per oblationem alterius pignoris æque idonei prius pignus ſolvatur, aut ad prioris pignoris luitionem creditor conſtringi poſſit? leges vix admittunt, ut aliud pro alio invito creditori obtrudi poſſit. *l. 9. §. 3. ff. De pignor. act. junct. l. 14. §. 1. ff. De conſtit. pecun.* Eman. Suar. *Syntagm. commun. opin. lib. 8. tit. 19. num.* 2. Caſtill. *De conjectur. & interpret. ultimar. volunt. cap. 10. num.* 56. Si tamen certo conſtet, creditorem ex eo damnum pati non poſſe, & debitori proſit, denegari haud poteſt: quum quod nobis non nocet, & alteri prodeſt, concedi oporteat. *arg. l. 38. ff. De Evict.* ſic ut hoc plane arbitrarium ſit.

7 Non ſolvitur tamen pignus ipſius debiti oppignorati exſolutione, ſi ex alia cauſa aliud creditori debeat idem debitor, qui enim in pignoris poſſeſſione eſt, niſi illud quoque quod ſine pignore debetur offeratur, ad reſtituendum pignus compelli non poteſt. *l. unic. Cod. etiam ob Chirograph. pec. pign. retineri.* adeoque id quod ex certa cauſa obligatum eſt, pro alio etiam debito liquido retinere licet: etiam quod poſt contractum pignus interceſſerit. *arg. d. l. unic. & ibi* Salicet. Pyth. Maur. *De retent. num.* 11. Bronchorſt *miſcellan. controv. Cent. 1. aſſert.* 81. Coſtal. *ad l. 5. num. 6. ff. in quib. cauſ. pign. vel. hypoth. tacit. contrah.* Matth. Colet. *De Proceſſib. executiv. part. 1. cap. 2. num. 158. & ſeq.* atque ita deciſum, referentibus Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 15. defin. 1. num.* 3. Chriſtin. *vol. 4. deciſ.* 169. Carpzov. *defin. forenſ. part. 2. conſtit. 25. defin. 25. & 26.* Niſi expreſſe convenerit, ut certa quantitate ſoluta, pignus reſtituatur: ſecundum ea quæ tradit idem Anton. Fab. *d. loco defin.* 2.

Cod. viii. xxvii. Etiam ob Chirographariam pecuniam pignus retineri poſſe.

8 Quæ pignoris quaſi renovatio tantum apud nos locum habet, ut etiam in pignorationibus, ſive arreſtis perſonalibus, creditore arreſtanti ſatisfacto, ante actualem liberationem debitor ab alio quocunque creditore detineri poſſit. Quod ironica locutione recommendationem vocant. De qua materia late Berlich. *practicab. concluſ. part. 2. concluſ. 28. num.* 96. Mort. *digeſt. Noviſſim. tom. 2. tit. carcer. cap.* 33. Kinſchot *De Securitate corporis, cap.* 3. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 2. art.* 40. Statut. Antverp. tit. 27. *art. 28. & ſeq.*

Cod. viii. xxvi. De Remiſſione pignoris.

9 Poteſt etiam pignus remitti, non tantum expreſſe, per expreſſam conventionem, & pactum de non petendo. *l. 5. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.* ſed & tacite, quum aliquid facit creditor, ex quo voluntas renunciandi manifeſte colligitur. *l. 9. §. 15. ff. Quib. mod. pign. toll. l. fin. Cod. De Remiſſ. pignor.* veluti, ſi creditor debitori principale debitum donet, *l. 1. §. 1. ff. eod.* aut chirographum vel cautionem reddat *l. 7. Cod. De Remiſſ. pignor.* etiam ſi pignus patiatur vendi. *l. 2. Cod. eod.* aut ſi eo tempore, quo prædium diſtrahebatur, præſens, de jure ſuo ſiluerit, aut ut adeſſet publico programmate admonitus non comparuerit. *l. 6. l. 8. Cod. eod.* Rebuff. *ad conſtitut. reg. tom. 2. in fin. De præcon. art. 5. num.* 20. 21. Chriſtin. *vol. 4. deciſ.* 168. Quod quomodo procedat, vide Carpzov. *Reſponſ. elect. lib. 4. tit. 4. Reſp.* 32. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 14. defin. 2. & defin.* 6. Quod moribus noſtris ad publicam pignoris, ſub haſta, venditionem & actualem nummorum ex ea provenientium diſtractionem, reſtringendum eſt contra jus Romanum, quod etiam privatam pignoris diſtractionem moribus reprobatam, admittit.

Quocirca notandum, quod quum pignorum diſtractiones, judicis decreto fiant, & rei judicatæ authoritatem habeant hodie, propterea jus perſequendi pignoris adverſus emptorem ſit ſublatum, contra. *tit. Cod. Si vendito pignor. agat.* & ſolummodo pretium loco rei ſuccedat, adeoque nec venditio ab uno creditore intentata ab alio, licet anteriore, impediri poteſt, reſervato ei ſuo jure pro nummorum juſta diſtributione inſtituendo. Politic. Holl. Ordin. *art.* 18. **ende de penningen**

Cod viii. xxx. Si vendito pignore agatur.

Digitized by Google

baar van procederende. Vid. Damhoud. *Prax. civil. cap.* 260. Wielant *Pract. civ. tit.* 10. *cap.* 7. Meiul. *Prax. civil. lib.* 4. *tit.* 95. *cap.* 14. Herbaj. *Rer. quotid. cap.* 6. *in fin.*

Solvitur etiam pignus interitu rei oppignoratæ. *l.* 8. *in pr. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.* 10
quod intelligi debet de integra re, per interitum aſſumpta. *l.* 21. *ff. de pignorat. act.* alias ſi pars tantum pignoris intereat, reſidua pars æque obligata manet, *arg. l.* 76. *ff. de rei* [illegible]. Cujus quidem amiſſionis aut interitus periculum, ſi ſine culpa creditoris contingat, ad ſolum debitorem pertinet, nec per hoc, licet ipſum pignus ſolvatur, creditor actionem ſuam amittit, aut creditum ſuum repetere poteſt, *l.* 9. *Cod. De pign. act. l.* 5. 6. *Cod. eod. §. ult. Inſt. Quib. mod. re contr. oblig.* aut uſuras exigere prohibetur. *arg. l.* 91. *§.* 4. *ff. De Verb. Obligat. l.* 71. *§. ſed & acceſſiones ff. De fidejuſſor. l.* 24. *ff. Depoſiti. l. ult. Cod. De Uſur.* Vide Card. Tuſch. *tom.* 6. *practicab. concluſ. litt.* P. *concluſ.* 345. *incip. creditor. poßidens.* Berlich. *concluſ. practicab. part.* 2. *concluſ.* 33. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 26. *defin.* 1. 2. 3. Matth. Coler. *part.* 1. *deciſ.* 9. *num.* 1. Niſi ipſius culpa res oppignorata interierit, quia caſus fortuitus nunquam eum excuſat cujus culpa caſum præceſſit, aut qui caſui cauſam dederit, *l.* 71. *ff. locat.* Quo caſu ad intereſſe tenetur creditor, & per hoc pro extincto debito agere poteſt debitor.

Quod cum facti ſit, & difficilis indagationis, dubiique juris, creditorne ſuam innocentiam, an 11
vero debitor culpam creditoris caſui cauſam aut occaſionem dediſſe probare teneatur? Hîc ut in cæteris diſtinguendum eſt. Ut, ſi creditor innocentiam ſuam fundet in caſu, qui communiter extra culpam contingere ſolet (veluti, ſi dicat pignus vi hoſtium, inundatione, aut ſimili infortunio interiiſſe) culpa ejus haud præſumatur, ſed à parte debitoris probari debeat; ſin vero eo caſu pignus interiiſſe proponat, qui non facile aut communiter ſine culpa alicujus contingere poteſt, veluti ſi pignus furto ablatum, aut incendio dirutum dixerit, non niſi innocentiæ ſuæ juſta probatione excuſari poteſt. *l.* 5. *Cod. De pignor. act.* Ubi communiter DD. & ad *§. fin. Inſtit. Quib. mod. re contr. obligat.* Et late Hartmann. Piſtor. *lib.* 1. *quæſt.* 18. Card. Tuſch. *Pract. concluſ. tom.* 6. *litt.* D. *concluſ.* 345. *num.* 10. Schneiduin. *ad d. §. ult. Inſtit. Quib. mod. re contrah. obligat. num.* 20. Berlich. *concluſ. practicab. part.* 1. *concluſ.* 37. *num.* 19. 20.

Solvitur denique pignus per diſtractionem, quæ etiam prohiberi non poteſt: quia inutile eſt 12
pignus, quod non aliquando poſſit diſtrahi: diſtractio enim ipſi pignori ineſt. *l.* 4. *ff. De pignorat. act. l.* 14. *Cod. de diſtract. pignor. §.* 1. *Inſtit. Quib. alien. licet vel non.* adeoque nec ſubſiſtit pactum, ne liceat creditori pignus diſtrahere, quo non obſtante creditor ad diſtractionem pervenire poteſt. Uti nec debitori per pactum imponi poteſt, ne rem oppignoratam aliquando vendat. Hoſtienſ. *Summ. tit. De pignor. num.* 4. Moaz. *tractat. De Contractib. tit. de pignor. & hypoth. Rubr. De Accidentalib. pignor. num.* 25. Bart. *ad l.* 4. *ff. De pignor. act.* Quod hunc tamen effectum habere volunt, ut creditor ad diſtractionem pignoris venire non poſſit, niſi ter debitori ſolenniter denunciaverit, ad intervallum ut minimum decem dierum. *l.* 68. *& l.* 69. *ff. de Jud.* quum alias unica interpellatio ſufficiat. Et contra creditori per ſtipulationem, ne vendat debitor rem oppignoratam, in tantum proſpectum videtur, nec debitor eam infra debitum irrequiſito creditore, privatim, & in fraudem quaſi creditoris, minoris juſto pretio vendat.

D. XX. V. Cod. VIII. XXVIII. *De Diſtractione pignor. & hypothec.*

Creditor itaque diſtrahendi pignoris habet poteſtatem, ſive illa penes debitorem remanſerit, *l.* 14. *Cod. de diſtract. pignor.* ſive ex ſpeciali conventione ipſe debitor in ſecuritatem debiti rei oppignoratæ incumbat. Quod eam tamen differentiam habet, ut ſi ſimpliciter res pignori data ſit, nec ei incumbat creditor, non poſſit ad pignoris diſtractionem venire, niſi inſtituta actione hypothecaria, ſive quaſi Serviana adverſus rei poſſeſſorem, ſive ille debitor ſit, ſive tertius quidam. *§.* 7. *Inſtit. de Action.* Si vero convenerit ut res oppignorata ad creditorem in majorem debiti ſecuritatem tranſeat, avocatoria illa actio illi neceſſaria non eſt.

Ut creditor res ſibi obſtrictas diſtrahat, ſi de modo aut tempore diſtrahendi convenerit, illud 13
ſervari debet, *l.* 3. *§.* 1. *Cod. de Jure Domin. impetrand.* intercedente tamen juſta denunciatione, non quidem ad hoc, ut diſtrahat, ſed ut indicet, & doceat, ſe velle uti jure ſuo, & ut debitor, ſi velit, diſtractioni adſit, & advigilet, ne diſtractio in ipſius damnum aut præjudicium fiat, *l.* 4. *l.* 9. *Cod. de diſtract. pignor.* Si de modo aut tempore diſtractionis non ſit actum, ſolenniter interpellari debet debitor, ut debitum, vel rem oppignoratam à nexu pignoris ſolvat, & liberet, quæ interpellatio integrum biennium ipſam diſtractionem præcedere debet, *l.* 3. *§.* 1. *in fin. Cod. de Jure Domin. impetrand.* eoque elapſo, iterum interpellari debet, ut ſi ipſi diſtractioni adſit, ſi velit, & advigilet, ne quicquam in ipſius damnum, aut præjudicium fiat per diſtractionem. *d. l.* 4. *& l.* 9. *Cod. de diſtract. pign.* quæ palam & publice fieri debet. *d. l.* 4.

Moribus autem debitor Judicis authoritate ad pignoris diſtractionem compelli debet, & per ſolen-

Digitized by Google

ſolennem judicati executionem pignora ab apparitore ſolenniter ſubhaſtari, & pluris licitanti addici ſolent, *arg. l. 3. Cod. ſi in cauſ. judic. pign. capt. fuerit.* Merul. *Prax. civil. lib. 4. tit. 95. cap. 2. & ſeq. & tit. 100. cap. 1. num. 10.* Mornac. *ad l. 1. Cod. de dolo.* Papon. *Notair. 2. l. 7. de Force Publiq. in fin.* Neoſtad. *Suprem. Cur. Holland. deciſ. 90.* Arnold. Vinn. *ad §. 1. Inſtit. quib. alien. licet.* quæ Jure Civili creditor jure ſuo & propria authoritate diſtrahit. *l. 4. Cod. de diſtract. pignor. l. pen. in verb. citra conventionem, Cod. de pignorat. act.* Quod etiamnum in Friſia obtinere refert Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib. 2. tit. 12. definit. 20. & lib. 1. tit. 12. definit. 3.*

14 Si res hypothecata poſtea ſit diviſa, ita ut plures habeat poſſeſſores, electionem habet creditor, quem aut cujus partem exequi malit, quia hypotheca eſt individua. *l. 65. ff. de Evict. l. 2. Cod. Si unus ex plurib. heredib. cred. vel deb. ſolv.* Et quælibet res tranſit cum ſuo onere. *l. 20. ff. de Acquir. rer. domin. l. 3. Cod. de Servit. & aqua. l. 4. Cod de bonis proſcriptor. l. 3. Cod. de ſentent. paſſ.* & pro parvo debito tota res, quamvis magna tenetur, *l. 6. Cod. de diſtract. pignor.* Siquidem res ſpecialiter ſit hypothecata, ſecundum diſtinctionem moribus uſitatam. Cæterum ſi generaliter tantum res fuit hypothecata & poſtea fuerit diviſa. Bartoli & aliorum diſtinctio ad *l. Moſchis. 47. ff. de Jure Fiſci* locum habebit. Secundum quam creditor electionem habet donec apud debitorem fuerit; ſecus ſi in tertium translata. Quia dominii cauſa potior eſt generali hypotheca. Vide Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubric. 5. §. 2. Gloſſ. Son principal, num. 35. & ſeqq.* Fachin. *lib. 2. controv. 47.* Negußant. *de pignor. 1. membr. 8. part. num. 48. 49. & 50.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 6. defin. 40.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 13. art. 31. num. 8. in addit.* Neoſtad. *Holland. Cur. deciſ. 4.* Radelant. *Cur. Ultraject. deciſ. 85. num. 7.*

Ita tamen ut ei quem ex pluribus poſſeſſoribus elegerit creditor actionem adverſus alios cedere teneatur, *l. 12. §. 1. & l. fin. ff. quib. mod. pign. ſolv.* ad exemplum ejus qui quum res pluribus fuerit obligata potiori creditori ſolverit in ejus locum ſuccedit. *l. 3. & tot. tit. Cod. de his qui in priorum creditorum locum ſuccedunt.* Cod. lib. VIII. tit. XIX. *De his qui in priorum creditorum locum ſuccedunt.*

Neque tantum poſteriores, ſed & antiquiores creditores pignus diſtrahere poſſunt; qui ſi extraneo vendiderint, plene in illum transfertur dominium, nec debitori, nec alii ulla datur actio offerendi debitum emptori. *l. 46. ff. de acquir. rer. dom. l. 18. Cod. de diſtract. pignor.* junct. *l. 3. Cod. Si antiquior creditor pignus vendiderit.* Si vero creditori venditum fuerit pignus, alii creditori competit jus retractus, offerendo debitum emptori, eidemque creditori, quia is emiſſe videtur, non tam acquirendi dominii cauſa, quam ut pignus ſibi ſalvum ſit. *l. 5. in fin. l. 6. ff. de diſtract. pignor.* Cod. VIII. XX. *Si antiquior creditor pignus vendiderit.*

Sed quid ſi debitor ipſe vendiderit, ſiquidem extraneo vendiderit, omni creditori etiam poſteriori hypothecario jus offerendi competit, quia res tranſit cum ſuo onere, *l. 12. Cod. de diſtract. pignor.* Si priori creditori pignus venditum ſit, poſteriori jus offerendi ſalvum manet, quia is ſervandi pignoris in ſolutum accepiſſe videtur. *l. 1. Cod. Si antiquior creditor. l. 3. ff. de diſtract. pignor.*

15 Diſtracto pignore, moribus noſtris emptor plenam ea in re incipit habere poteſtatem: *§. 1. Inſtit. quib. alien. licet vel non*, ubi reſpicit *ad l. 3. Cod. de Jure Domin. impetr.* eædemque ſubhaſtationes rei judicatæ authoritatem obtinent, in tantum, ut nec propter læſionem ultra dimidium juſti pretii, noſtris & Galliæ moribus reſcindi poſſit ejuſmodi venditio: Neoſtad. *Suprem. Cur. deciſ. 75.* Grot. *Introduct. lib. 3. cap. ult. num. 11.* Conſuetud. Antverp. *tit. 60. num. 23.* Mornac. & Autumn. *ad l. 16. ff. de reſcind. vend.* niſi & requiſitæ ſolennitatis error appellatione interpoſita oſtendatur, *arg. l. 1. & 2. Cod. de fid. & jur. haſt. fiſcal. junct. l. 2. §. ult. Cod. ſi propter publ. penſitat.* Quod tamen in Sabaudiæ, Friſiæ, & Brabantiæ Senatu indiſtincte admitti receptum teſtantur Anton. Fab. *lib. 4. tit. 30. defin. 4.* Sande *lib. 3. tit. 4. defin. 12.* & Chriſtin. *vol. 3. deciſ. 67. in fin.* Cod. VIII. XXXIV. *De Jure Dominii impetrando.*

Si ex diſtractione pignoris plus quam debitum conſequatur creditor, reſiduum debitori cedit, *l. 3. 4. Cod. de Jure Domin. impetr.* ſin minus, pro reliquo debitorem obſtrictum habet, *l. 9. Cod. de diſtract. pign. junct. d. l. 3. 4. Cod. de Jure Domin. impetr.*

Si vero tunc quum creditor rem oppignoratam diſtrahere velit, emptorem non reperiat, debitori per Magiſtratum certus luendi terminus præſcribitur, intra quem, ſi non ſolvat, creditor à Principe pignoris dominium impetrat, quod adhuc debitor intra biennium cum omnibus uſuris repetere poteſt. *l. 3. §. 2. Cod. de Jure Domin. impetr.* Quod à moribus alienum, quibus, quum pignus non privata, ſed ipſius judicis authoritate diſtrahi, & publica ſubhaſtatione præcedente, pluris licitando vendi ſoleat & debeat, *arg. l. 3. verſ. ſi itaque præſidem, Cod. de Execut. rei judic.*

l.2.3.6. Cod. de fid. & jur. haſt. fiſc. Damhoud. *tract. de ſubhaſt. cap.3. in pr. & num.*34. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 16. defin. 3. num. 7.* Matth. Coler. *de Proceſſ. Execut. part. 3. cap.9. num. 107. & ſeq.* Quod & de Saxoniæ moribus obtinere teſtatur Carpzov. *Reſponſ. Jur. Electoral. lib.4. tit.1. reſp.4. num.7.* vix eſt, ut emptorem non inveniat: & vel ipſius creditoribus rem ſibi oppignoratam emere, eoque modo plenum dominium acquirere, liberum eſt, vide Rebuff. *ad conſtit. Reg. in proœm. Gloſſ. 5. num.* 103. Chriſtin. *vol. 4. deciſ.* 172. *num.* 3. Argentr. *ad conſuetud. Britann. art.* 265. *cap.* 13. *num.* 5. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 22. *defin.* 1.

CAP. XI.

De Pignorum Prælatione, & Concurſu Creditorum.

SUMMARIA.

1. *An & quando plures Creditores in executione rei oppignoratæ concurrant.*
2. *Prima & potior concurrentium cauſa eſt domini.*
3. *Quot ſint creditorum in prælationis concurſu genera.*
4. *Privilegiatorum cauſa potior eſt, & quo ordine concurrant inter ſe.*
5. *Quale privilegium competat mulieribus pro recuperanda dote, & an etiam præferatur expreſſam & ſpecialem anteriorem hypothecam habentibus: & quid moribus.*
6. *An & quale jus competat ei, cujus nummis res comparata, aut is qui in ipſum pignus conſervandum credidit.*
7. *Quale privilegium habent minores, & pupilli reliqui pignoratitii legales, & ſpeciales concurrant inter ſe, aut aliis præferantur, & quomodo.*
8. *Duo ſpecialis hypothecæ inſtrumenta ſi eodem die ſint confecta, utrum præferri debeat.*
9. *Quo loco generalis omnium bonorum oppignoratio in creditorum concurſu veniat.*
10. *Quomodo procedendum inter plures, quorum alii generalem omnium bonorum hypothecam habent, & ex iis quadam etiam bona pro eodem debito ſpecialiter obligata.*
11. *Pignoris natura individua eſt, & pro qualibet debiti parte pro indiviſo obligata.*
12. *Creditor prius hypothecam excutere debet, quam adverſus fidejuſſores agere poteſt.*
13. *Specialis hypotheca adeo ipſam rem affectat ut adverſus quemcunque poſſeſſorem eam perſequi poſſit creditor.*
14. *Quatenus generalis hypotheca intercedente alienatione extinguatur, in* Hollandia *&* Gallia.
15. *Chirographarii quo loco veniant in concurſu creditorum, & quomodo concurrant inter ſe.*
16. *Quid moribus circa mobilium & immobilium pignorum conſtitutionem, prælationem & concurſum obtineat.*
17. *An vulgaris clauſula* (**onder verband als naer rechten**) *ſufficiat ad inducendam pignorum obligationem, remiſſive.*
18. *An & quatenus privata ſcriptura in concurſu creditorum proſit in* Hollandia, *&* Saxonia.
19. *An & quatenus miniſtri & famuli ſervientes pro mercede ſua prælationis jura gaudeant, in* Saxonia, *aliiſque locis.*
20. *An & uſurarum ratio in prælationis concurſu habenda.* Affirm. *Quid moribus obtineat in* Belgio, *&* Saxonia. *num.* 22.
21. *Et quid de uſuris per moram nec per ſtipulationem debitis.*
22. *In* Foro Saxonico *Uſuræ in concurſu creditorum nunquam computantur.*
23. *Separationis bonorum privilegium quid ſit, quando & quibus competat.*

QUoties communis debitor ab uno ex creditoribus in judicio convenitur, aut ejus bona executioni mandantur, cæteri concurrere, & ad prælationis, ſive præferentiæ, & concurrentiæ, ut vocant, judicium provocare poſſunt: Sive jam ab initio ſeſe executioni opponant, aut ſalvo ſuo jure, conſentiant, ſive etiam poſt pignoris diſtractionem diſtributioni accedant; diſtracti enim pignoris pretium loco rei ſuccedit moribus noſtris, quoſque actualis executi pretii aſſignatio & diſtributio fuerit ſubſecuta, nec judicati actio Privilegium taciti pignoris habet, niſi executione peracta hoc ipſum Judex ſtatuat, atque interim pendente pignoris ſive conventionalis, ſive legalis, ſive judicialis diſtractione, & executione, cuique creditorum liberum eſt ſeſe pro ſuo jure in diſtractione rei oppignoratæ, immiſcere, cumque altero ejuſdem juris concurrere, aut ex privilegio, ſi quod habet, prælationis alteri præferri. Ut de noſtris & Galliæ moribus ſupra ad calcem *tit.* 9. notatum. 1

Primo quidem in Creditorum concurſu notandum, quod ante omnes Creditores præferantur 2
rerum

rerum domini, & illi qui ex proprietatis ſive dominii jure agunt; quia jus dominii fortius eſt jure pignoris, *l. 7. §. 2. ff. depoſiti.* quo in numero ſunt, Emphyteuticarii, cenſuarii, & alii qui pro quantitate conſtituti cenſus, aut reditus ipſius rei directum dominium retinuerunt. *l. 1. 2. 3. Cod. ſine cenſu vel reliq. fundum comparari non poſſ.* Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 48. verſ.* **Eerſt een Chijnſ-beurder.**

D. xx. iv. Cod. viii. xviii. *Qui pot. in pignore vel hypoth.* Digeſt. xlii. v. *De Privilegiis Creditorum.*

Ut & hi, qui rem immobilem in diem, ſive dato ſolutionis termino, ſub rei venditæ pignore, pro pretii reſiduo vendidêre, qui etiam dominium quaſi rei venditæ retinuiſſe videntur, donec pretium ſit ſolutum, *arg. l. 19. ff. de contr. empt. §. 41. Inſtit. de rer. diviſ.* Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 12. defin. 16. verſ. Huic alia exceptio.*

3 Inter pignoratitios autem creditores diſtinguendum eſt, inter privilegiatos, qui præter pignus ſive hypothecam habent præterea jus, ſive privilegium prælationis; & hypothecarios, quibus in ſecuritatem quod ſibi debetur, aliquod pignus conſtitutum eſt, quorum alii iterum ſunt qui generalem tantum omnium bonorum hypothecam habent, & alii quibus res aliqua ſpecifice & nominatim pignori ſive hypothecæ conſtituta eſt. Et inter chirographarios, qui nomen, ſive ipſam tantum perſonam obligatam habent: horumque iterum alii nomen aut chirographum habent auctoritate publica corroboratum, alii privata tantum auctoritate conſcriptum.

4 Horum prima omnium cauſa eſt privilegiatorum, qui præter hypothecam etiam jus ſive privilegium prælationis habent.

Inter quos iterum ſi plures privilegiati ſimul concurrant, hic ordo ſervatur, ut inter eos prima ſit cauſa ejus qui in primipilarem, id eſt; militaris annonæ cauſam credidit, *l. 3. 4. Cod. de principal. l. 4. Cod. in quib. cauſ. pign. tacit.* Sed quum annonæ ab agrorum poſſeſſoribus hodie pendi non ſoleant, ad nos non pertinet.

Secunda eorum, qui credidit in militiam emendam, & nominatim pactum eſt, ut militia ipſi pignori ſit, aliiſque omnibus privilegiatis potior ſit. *Novell. 97. cap. 4.* Militia, hic eſt officium, cujus fructus fuit ex ſalario annuo, aut annonis publicis, & ex emolumentis, quæ quiſque ſibi occaſione militiæ honeſtæ facere poterat; quod etiam particularem rei Romanæ ſtatum ſpectat, nec ad mores pertinet.

5 Tertius locus tribuitur mulieri in bonis mariti, pro dotis reſtitutione, quæ & tacitum pignus, & prælationis privilegium habet, qua reliquis etiam privilegiatis creditoribus præfertur. *l. 12. Cod. qui pot. in pignor. d. Novell. 97. cap. 3. 4. §. 29. Inſt. de Action.* etiam expreſſam anteriorem hypothecam habentibus, *d. l. 12. Cod. qui pot. in pig.*

Quod an etiamnum obtineat, contra expreſſam & ſpecialem anteriorem hypothecam habentem? Quibuſdam videtur, atque ita à Scabinis Leydenſibus pro Odilia Bets, vidua Martini van Egmondt, in concurſu creditorum ejuſdem Martini judicatum eſt 22. *Martii* 1641. Quæ ex cauſa dotis in bonis mariti præ aliis non tantum ſpecialem anteriorem, ſed & legalem ſive tacitam pupillorum ex cauſa tutelæ hypothecam habentibus obtinuit. Quod tamen apud pleroſque juris noviſſimi auctores, tanquam privilegium aperte iniquum, & in præjudicium tertii conſtitutum rectius rejicitur, in tantum, ut eum iis ejuſdem juris reputetur, adeoque ſi concurrant, inter eos regula obtineat, *qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Quod & hanc rationem habet, quod major hodie ſpecialis hypothecæ ſit effectus, & ſolennitas, ac jure Romano, præſertim moribus noſtris, quibus non niſi titulo oneroſo comparatur, deinde quod *d. l. 12. Cod. qui pot. in pignore*, mihi auferre non poſſit jus, quod mea mihi opera & cautione quæſivi: & quod illud privilegium juris citra injuriam tertii conceſſum intelligatur, per text. *in l. 2. §. ſi quis à principe. ff. ne quid in loco publ.* Ita communiter. Gloſſ. & DD. *ad d. l. 12. Cod. qui pot. in pign.* Et ſecundum hoc temperamentum paſſim judicari teſtantur Scheiduin. *ad §. 29. Inſtit. De Action. num. 58.* Anton. Fab. *ad Cod. eod. defin. 16.* Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 159. num. 8.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 25. num. 10.*

Quibus adde, quod patriæ noſtræ moribus, propter conſuetudinariam omnium bonorum, & jurium inter conjuges communionem, & ſocietatem hoc privilegium locum non habere poſſit, niſi eo caſu, quo non tantum bonorum; ſed & lucri & damni communio pacto antenuptiali eſt excluſa. Neoſtad. *De pact. Antenupt. obſerv. 9.* Grot. *Introd. lib. 1. cap. 5. num. 40.* aut alias marito per eadem pacta adminiſtrationi bonorum uxoris ſpecialiter ſit interdictum. Neoſtad. *d. tract. obſerv. 21.* Grot. *Introd. d. loco.* Quas reſtrictiones etiam habet Arnold. Vinn. *ad §. 29. Inſtit. De Action. num. 4. in fin:* Provinciæ Ultrajectinæ moribus mulieri dotem repetenti privilegium denegari, nec cum aliis creditoribus concurrere aſſerit Abrahamus à Weſel, tractat. de connubiali bonorum ſocietate & pactis dotalibus, *tract. 2. cap. 3.* ſed qua ratione non video. Friſii

idem

idem privilegium admittunt teſte Joann. à Sand. *lib.* 2. *tit.* 2. *deſin.* 2. *& tit.* 5. *deſin.* 8. Ut & Brabanti. teſte Chriſtin. *d. deciſ.* 159. *vol.* 4. Vide etiam conſuetud. Antverp. *tit.* 41. *art.* 94. *& tit.* 66. *art.* 17. *& ſeqq.*

Quartus locus eſt eorum, quorum pecuniâ res eſt empta, & quibus ſpecialiter ea obligata eſt, *l.* 7. *Cod qui pot. in pignor.* quo loco ſunt pupilli, quorum nummis res comparata eſt. *l.* 7. *ff. eod.* Quo ordine etiam venit is, qui in pignus conſervandum credidit, & nominatim ſibi de pignore proſpexit. *l.* 5. *l.* 6. *ff qui pot. in pign. l.* 26. *l.* 34. *ff De reb. auth. jud. poſſ. l.* 1. *ff In quib. cauſ. pign.* & commonſtrare poteſt re vera ſuas pecunias in pignoris conſervationem eſſe conſumptas. Veluti ſi ipſe nummos architecto, operariis, latomis, tectoribus fabriſque & id genus cæteris numeraverit, apochaſque à ſingulis acceperit. Quod omnino conſtare debet per ea quæ poſt Mornac. *ad d. l.* 5. *& ſeq. ff. qui potior. in pignor.* & poſt eum Joann. à Sande *lib.* 3. *tit.* 12. *deſin.* 5. 6

Deinde ſequuntur omnes alii pignoratitii legales, qui quidem tacitum pignus habent, ſed nullum prælationis privilegium, ut ſunt, minores & pupilli, ex cauſa tutelæ, aut curationis *l.* 20. *Cod. de adminiſtrat. & peric. tutor.* Item fiſcus in tributis publicis, aliiſque publici ærarii juribus atque contributionibus. *l.* 1. *Cod. Si propter penſitat. public. l.* 8. *ff. Qui pot. in ping. l.* 2. *Cod. De privileg. fiſci.* Ejuſdemque ordinis ſunt hypothecarii ſpeciales omnes, ita tamen, ut priores poſterioribus ſint potiores, ſecundum regulam, *qui prior eſt tempore potior eſt jure*: nam privilegiatus, adverſus æque privilegiatum non utitur privilegio ſuo: nullaque alia inter eos differentia eſt, ſive ſint hypothecarii conventionales, ſpeciales tamen, non generales, de quibus mox, ſive habeant pignus prætorium, ſive legale, ſive judiciale, ſive ex teſtamento, *l.* 2. *l.* 4. *Cod. qui pot. in pignor. l.* 7. *l.* 8. *l.* 11. *Cod. eod. l.* 8. 9. *ff. qui pot. in pignor. l.* 2. *Cod. de Jure fiſci.* Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 35. Carpzov. *deſin. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 28. *deſinit.* 103. *num.* 1. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 7. *deſinit.* 7. *num.* 7. 8. Joann. à Sande. *lib.* 3. *tit.* 12. *deſin.* 16. *verſ. Excipiuntur.* 7

D. xlix. xiv. Cod. vii. lxxiii. *De Jure ac Privilegio fiſci.*

Sed ſi duo ſpecialis hypothecæ inſtrumenta eodem die ſint confecta, & dubitetur quid prius quid poſterius ſit conſcriptum, illud præfertur, quod in libro publico prius regiſtratum apparet: temporis enim prioritas in hora, imo in momento ſeu puncto temporis conſiſtit, *arg. l.* 25. *§.* 1. *ff. de lib. & poſthum.* Ut poſt Mornac. *ad. Rubr. ff. Qui pot. in pignor.* à Friſiæ Senatu judicatum refert Joann. à Sande *lib.* 3. *tit.* 12. *deſin.* 16. Vide etiam Carpzov. *d. conſtit.* 28. *deſin.* 111. Andr. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 25. *num.* 3. & plures ibid. allegat. 8

Alias ſi omnes tempore pares ſint, & ſimul pignus contraxerint, pariter concurrunt, interque eos dividitur pignus proportione Geometrica. *l.* 7. *§.* 1. *l.* 8. *Cod. Qui pot. in pign. l.* 16. *§.* 8. *ff. De pignor. & hypoth.* Carpzov. *d. deſin.* 3. *in fin.*

Poſt ſpecialem, & legalem, ſive tacitam bonorum hypothecationem, quas pari paſſu ambulare diximus, ſequitur demum generalis omnium bonorum, etiamſi antiquior, aut tempore prior confecta ſit. Polit. Holland. Ord. *art.* 35. contra *l.* 2. *& l.* 6. *Cod. Qui pot. in pignor.* Quæ eam diſtinctionem non admittunt. Hæc tantum omnibus non affectatis aut pignoratitiis creditis Chirographariis præfertur. *d. Politic. ordin. art.* 35. 9

Amſtelodami, in favorem mercaturæ, ex ſpeciali privilegio, 8. *Martii* 1598. Jus ſcriptum obtinuit, & generalis hypotheca in omnibus ejuſdem juris & effectus cum ſpeciali fuit. Quod tamen *Placito Hollandiæ Ordin.* 5. *Feb.* 1665. ad inſtantiam aliarum civitatum mutatum, de quo latius *infra. num.* 16.

Qui generalem omnium bonorum hypothecam habet, & ex iis quædam ſpecialiter pro eodem debito obligata, ille ad inſtantiam alterius creditoris, cui alia eorundem bona etiam ſpecialiter pignori ſunt, ea quæ ſpecialiter ſibi obligata habet, prius excutere debet, antequam ad alia ex generali hypotheca procedere poſſit, adeoque ſi primo creditori ad debitum ſufficiant bona ſpecialiter obligata, contra ſecundum creditorem, in aliis etiam generalem hypothecam habentem, ex generali hypotheca agere, aut cum eo concurrere poteſt. per text. *in l.* 2. *Cod. De pignor. & hypoth. & l.* 2. *ff. Qui pot. in pignor.* Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 6. *deſin.* 6. Mynſinger. *cent.* 6. *obſerv.* 94. *num.* 8. Mart. *digeſt. Noviſſ. tom.* 3. *tit. Hypotheca. cap.* 31. Grivell. *deciſ. Dolan.* 79. *num.* 6. Quod recte reſtringitur ad caſum, quo inter diverſos creditores agitur: adverſus ipſum enim debitorem, omiſſa ſpeciali hypotheca, creditori ad generalem convolare haud prohibetur, per ea quæ notat Covarr. *var. reſolut. lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 3. Bart. & DD. *ad d. l.* 2. *Cod de pignor.* Neguzant. *De pignor.* 1. *membr.* 8. *part. num.* 20. Atque ita deciſum referunt Papon. *lib.* 11. *tit.* 3. *De hypoth. Arr.* 3. *& lib.* 18. *tit.* 6. *De Subhaſt. arreſt.* 34. Carpzov. *deſin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 23. *deſin.* 29. Radelant *Ultraject. deciſ.* 18. *num.* 2.

Et

Et ex eodem fundamento in facti ſpecie, qua proponebatur Titius obæratus obiiſſe, in bonis
relinquens duo prædia, quorum unum Mævio, ſpeciali hypotheca eſſet obligatum, alterum à pi-
gnoris nexu liberum, emergente poſtea legali ex cauſa tutelariæ adminiſtrationis, omnium bo-
norum pignore ſive hypotheca, reſpondi: legale illud debitum, licet cum ſpeciali hypotheca con-
currat, ejuſdemque cum ea juris ſit, quum tamen omnia defuncti bona ſpecialiter obligata, &
æquale jus in omnibus habeat quatenus ex alterius prædio redigi poſſit, videndum, nec Mævio
nocere, qui poſtea ex eiſdem bonis alterum prædium pignori accepit. Ut eſt text. *in d. l. 2. Cod.
De pignorib.* Vide Covarruv. *variar. reſolut. lib. 3. cap. 18. num. 2. in fin.* Coſtal. *ad l. 2. num. 8.
9. 10. ff. Qui pot. in pignor.*

Pignoris natura individua eſt. *l. 65. §. 1. ff. de Evictionib.* Non minus quam ſervitus eſt tota
11 in toto, & qualibet ejus parte, adeoque pignus totum pro toto debito, totumque pro qualibet
ejus parte, & rurſus quælibet ejus pars pro toto debito tenetur, *arg. l. 3. §. ult. ff. Qui potior in
pignor.* Ex quo fit, ut parte debiti ſoluta, pignoris tamen obligatio pro reſidua debiti parte inte-
gra maneat, nec niſi toto debito ſoluto tollatur. *l. 6. Cod. de diſtract. pign. l. 9. §. 3. ff. de pignor.
act.* Et rurſum debitore defuncto pluribus heredibus relictis, unus eorum hypothecaria conveniri
poſſit in ſolidum, *l. 2. Cod. Si unus ex plurib. hered.* nec objicere poſſit exceptionem non excuſſi
coheredis. *d. l. 2.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 6. defin. 5.* Coſtal. *ad l. ſi poſſeſſor. 55. ff De rei
vindic.* Joann. Papon. *lib. 10. tit. 4. art. 27. & lib. 11. tit. 5. art. 5. & lib. 18. tit. 5. art. 5.* Coren
obſerv. rer. in ſuprem. Holland. Curia judicat. obſerv. 21. num. 6. & ſeq.

12 Adeoque creditor qui præter hypothecam fidejuſſores obligatos habet, electionem habet
utrum hypothecam prius excutere, an vero contra fidejuſſores in ſolidum agere velit, *l. 51. §. 3.
ff. De fidejuſſor. l. 2. 3. Cod. eod.* Niſi aliter convenerit. *l. jure noſtro. 5. Cod. eod.* Quod intel-
ligendum eſt de fidejuſſoribus, qui beneficio ordinis, & excuſſionis renunciarunt, quum alias ex
auth. præſente, Cod. De fidejuſſor. fidejuſſor non convenitur niſi excuſſo prius debitore & ejus bo-
nis. Vide Hering. *De fidejuſſ. cap. 20. §. 13. num. 18. & 19.* Bart. & DD. *ad d. l. inter eos. §. 3.
ff. de Fidejuſſ.* Val. Franc. *De Fidejuſſ. cap. 5. num. 343.* Sed apud nos, etiam non obſtante eo quod
fidejuſſores ordinis & excuſſionis beneficio renunciaverint, creditor prius hypothecam excutere
tenetur, *Placit. 21. Febr. 1564.* quod fidejuſſores ex cauſa debiti pro quo pignus conſtitutum eſt,
omiſſa ſpecialis hypothecæ perſecutione, convenire indiſtincte, etiam alio poſſidente, *vetat.*

13 Nec prælationis tantum, ſed & alia inter generalem & ſpecialem hypothecam, differentia
eſt, affectationis ſcilicet, qua ſpecialem hypothecam etiam alio quolibet poſſidente, perſequi li-
cet, etiamſi adverſus ipſum debitorem, ejuſve heredes perſonaliter actum non ſit. *Politic. Ordin.
art. 36.* De Gallorum moribus teſtantur Loyſeau *du deguerp. lib. 3. cap. 2. num. 11. 12. & 17.
14 & cap. 8. num. 1.* Boër. *ad conſ. Bitur. tit. 7. §. 1.* Generalis autem, alienatione ex cauſa
oneroſa, puta venditionis intercedente extinguitur, contra *Novell. 112. cap. 1. in fin. l. 15. Cod.
De pignor. l. 12. Cod. De diſtract. pignor.* eo quod moribus noſtris rei venditæ alienatio ſolenniter
facta, idem aut certe non minus tribuat emptori, quam creditori hypotheca ſpecialis, cujus cauſa
generali potior eſt, quæ rem debitoris non ulterius affectat, quam in ejus aut heredum ejus do-
minio eſt: ut recte notat Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 48. verſ.* **Ende ſulks ſchoon geſchiedt.**
& contra quam olim à Senatu ſupremo judicatum refert Neoſtad. *Suprem. Cur. deciſ. 8.* poſtea
in praxi eſt receptum, & ab Hollandiæ Curia continuo judicatum, veluti, **In de ſaake van
Keyer Boot/tegens Cornelis Florisz.** ultimo Junii 1609. **Catharina Cornelis/tegens
Jacob Christiaansz. Molſwyck**/ 23. Julii 1612. & **Jacob Cornelisz. Faes**/ contra
Dingman Maartensz. 4. Decemb. 1615. & ſimilibus paſſim.

Idem ſtatuto municipali cautum legimus apud Mechlinienſes, *tit. 7. art. 7.* his verbis: **Als
een Schuldenaar generalijk verbindt/ende hypothequeert alle ſijne goeden/alſulke
generale hypotheecque ofte verbandt ſtrekt haar/ende begrijpt alleenlijk de goeden
van de Schuldenaar/ ſoo lang ende ſijn Erfgenaam de ſelve beſit ende gebruykt/
ende niet langer/ alſoo generaal verbandt of hypotheecque niemandt en belet ſijn
goeden te mogen verkoopen ofte verpanden.** Id eſt, ubi debitor generaliter univerſa ſua
bona oppignorat, ea promiſſio ſive hypotheca ea duntaxat ejus bona affectat, quæ & quamdiu
vel ipſe vel heres ejus, ea poſſidet, & non ulterius, ſiquidem generalis oppignoratio non impedit
bonorum alienationem, &c. Idem in Gallia paſſim obſervatur, per ea quæ tradunt Imbert. *In-
ſtit. Forenſ. lib. 1. cap. 10. verb. pignoratitia actio. & cap. 59. ad verb. Suppoſita.* Chatond. *Reſponſ.
lib. 7. reſp. 99.* Boër. *ad conſtit. Bituricenſ. tit. 7. §. 2.* Chaſſan. *ad conſuetud. Burgund. Rubric.
des cenſes. §. 6. & Rubric. des Rentes, in gloſſ. verb. Son principal obligé. §. 2. num. 38.*

Hos ſequuntur chirographarii, qui jure civili indifferenter omnes ſimul pro rata admittuntur. 15
l. 32. ff. de reb. auth. jud. poſſ. l. 10. Cod. qui pot. in pign. l. 12. §. 2. ff. eod. Quibus annumerantur omnes denique creditores, ſimplex nomen ſive perſonalem tantum actionem habentes, cujuſcunque modo ſunt generis, modo obſervetur diſtinctio inter publicum, & privatum debiti inſtrumentum, quorum illi qui publico inſtrumento de debito ſuo docere poſſunt, his omnibus præferuntur. *l. 11. Cod. qui pot. in pignor.*

Ad mores quod attinet, circa pignus conventionale, notandum eſt apud nos, rei immobilis 16
hypothecam haud aliter quam coram Magiſtratu loci, & perſoluto quadrageſimo hypothecariæ quantitatis tributo, poſſe conſtitui, adeo ut reſiduum pretii, ex re immobili oppignorata, redactum, inter chirographarios aliosque nullum pignoris privilegium habentes æqualiter pro rata debiti diſtribuatur, neque in eo ulla publici inſtrumenti ſit prærogativa, propter clauſulam derogatoriam placiti Imperatoris. 9. *Maji* 1529. Neoſtad. *deciſ. Cur. Holland.* 29.

In mobilibus vero pignus publico inſtrumento coram Notario, & duobus teſtibus confectum, vel trium teſtium ſubſcriptione corroboratum, pro ſpeciali hypotheca, habuitque prærogativam præ cæteris chirographariis privata ſcriptura corroboratis, *arg. l. 11. Cod. qui pot. in pign.* Coren *obſerv. rer. judic.* 38. Inter quos etiam obtinuit regula, *qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* contra *d. l. 32. ff. De reb. auth. jud. poſſ.* Quod an in ſpecie & nominatim conſtitui debebat? non videtur. Neque uſu receptum fuit, niſi in ceſſionibus ſive tranſportis, quibus ipſarum rerum dominium in conſtitutum transfertur. Sed quum Holland. Ordd. placito 5. *Februar.* 1665. fuerit cautum: ut nulla pignora ſive generalia ſive ſpecialia cujuſcunque generis fuerint, aliquo prælationis jure, in mobilibus ſive immobilibus rebus gaudeant, niſi quadrageſimo hypothecariæ quantitatis nummo, ipſo conſtitutionis tempore perſoluto, exceptis tantum rerum pupillarium nexu, vulgo **Verbanden op Weeſ kamers-regt** / fœnore nautico, vulgo **Bodemerie** / & rebus in manus creditorum pro ſecuritate conſtitutis, vulgo **Pand ter minne** / nullus plane aut perexiguus obligationum coram Notario & teſtibus confectarum uſus aut utilitas remanſit, niſi perſoluto, ipſo conſtitutionis tempore, quadrageſimo pretii nummo. Qui perſolvendæ quadrageſimæ modus, circa obligationes & rerum mobilium pignora, quum nullibi fere uſu ſit receptus, & ipſa finalis & diſpoſitiva placiti ratio, haud alia fuerit, quam ut ceſſaret generalis hypothecæ prærogativa Amſtelodamenſibus olim conceſſa, qua inibi generalis hypotheca ejuſdem fuit roboris cum ſpeciali hypotheca, nulla etiam quadrageſimæ ſolutione facta, & circa pignoris & hypothecæ jura cum aliis civitatibus ejuſdem eſſet juris: Videndum utrumne jus illud vetus circa publica Notariorum inſtrumenta etiamnum creditoribus competere dicamus, etiamſi quadrageſimus nummus tempore conſtitutionis (uti vix alibi obſervari conſtat) ſolutus non ſit, haud aliter quam fideicommiſſorum jura citra ſolennem regiſtraturam coram lege loci factam, contra *placitum* 20. *Julii Anni* 1624. etiamnum obtinere in praxi eſt receptum, propterea quod diſſuetudine, & non obſervantia dicti placiti tacite eidem placito fuerit derogatum, *arg. l. 32. in fin. l. 35. & ſeqq. ff. de legibus.*

Ad hoc vero, ut pignori ſint res mobiles, quum jure noſtro ſequelam non habeant, neque aliter locum habeat hoc privilegium, quam quouſque res illa in debitoris dominio concurſus tempore reperitur, generalem omnium rerum obligationem ad hoc ſufficere, conſequens eſt: quomodo paſſim in praxi eſt receptum.

Ita tamen, ut de pignore ſive ipſarum rerum obligatione conſtet, nec perſonarum vinculum
aut clauſula talis, **Onder verbandt als naar regten** / qua vulgo utuntur, ſufficiat ad inducen- 17
dam pignoris obligationem, ut ad Pecc. *De Jure ſiſtendi cap. 4. num.* 19. notavimus: Amſtelodami tamen generalis omnium bonorum obligatio, etiam coram Notario & duobus teſtibus conſtituta inter diverſos creditores pignoris aut prælationis vim non habet, ut ibidem cumulata teſtium turbine, 5. & 6. *Aprilis* 1622. probatum exhibent publicata ejuſdem civitatis privilegia & ſtatuta, *pag.* 102. & 103. Et in Friſia ut ſupellex pignori ſit, ſpecialis & nominatim facta obligatio requiritur, neque omnium bonorum mobilium & immobilium clauſula ſufficiens eſt: per ea quæ tradit Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 12. defin. 9.*

Privata Chirographi ſcriptura inducendi pignoris, aut prælationis vim adverſus tertium non 18
habet: ſed hujuſmodi creditores & reliqui omnes, qui, quum taciti pignoris privilegium non habeant, ſimplex tantum debitum, ſive perſonalem obligationem habent, & indifferenter pro rata quantitatis debitæ concurrunt, licet diverſo titulo prætendant, & cujus modo ſint generis. *arg. l. 32. ff. de reb. auth. jud. poſſ.*

Jure tamen Saxonico perſonarum obligatio privilegiata eſt, ſic ut ejuſmodi creditores inter ſe

quidem

quidem æqualiter concurrant, ſed chirographariis potiores ſint, iiſque præferantur. Ut poſt Dan. Moller. Andr. Gail, & alios refert Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. ad Saxon. conſtit. part.* 1. *conſtit.* 28 *defin.* 149.

19 Quibus etiam miniſtri pro certo ſalario ſervientes, & in ædibus & convictu debitoris reperti, ratione mercedis omnibus aliis creditoribus præferuntur, etiam pro mercedibus plurium præcedentium annorum reſtantibus, niſi in creditum uſurarium fuerint converſæ. Ut late Hartmann. Piſtor. *part.* 1. *quæſt.* 8. Berlich. *concluſ. practicab. part.* 1. *concluſ.* 64. *num.* 66. *& ſeqq.* Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 28. *defin.* 24. 25. *& defin.* 33. & Coler. *deciſ. aur.* 200. *num.* 8. Quod quum de Jure Civili nullibi ſcriptum extet, ad conſequentias non eſt trahendum, *arg. l.* 19. *circa med. Cod. de Collat. junct. Novell.* 18. *cap.* 5. *in pr.* quidquid ſentiant alii, neque ullibi receptum eſt, quam ubi id expreſſa ſanctione ſive ſtatuto cautum reperitur. Quo ipſo Leydenſis Civitatis Seniores commoti, 24. *Septemb.* 1659. ſtatuerunt, **Dat ſoo wanneer eenige perſonen/Dienſt-boden in haar koſt hebbende/ende met de ſelve inwonende/ komen te failjeren/ofte inſolvent te overlyden/ de Dienſt-boden niet een half Jaar huyrs voor alle andere perſonele ofte concurrerende Crediteuren/ſullen werden gepreferert.** Id eſt, ut ſi quando aliqui famulos in ædibus, & convictu ſuo habentes foro ceſſerint, aut inſolvendo diem obierint, eorundem famuli pro dimidii anni mercede, aliis perſonalibus & concurrentibus creditoribus præferantur.

20 Privilegium ſortis ſequuntur etiam uſuræ & reditus, tanquam acceſſorium debiti principalis, & quilibet creditor jure prælationis, & hypothecæ ſibi competentis, non tantum ſortis, ſed & uſurarum ratione gaudet, eoque jure utimur, ut creditoribus ſuo ordine poſitis, una cum ſorte etiam uſuræ licitæ adjudicentur. per text. *in l.* 18. *ff. qui potior. in pignor. l.* 9. *§. ult. ff. De pact.* Neguzant. *De pignor. part.* 5. *membr.* 2. *num.* 10. Berlich. *part.* 1. *concluſ.* 66. *num.* 8. Myſinger. *cent.* 1. *obſerv.* 59. *in pr.* Anton. Fab. *ad tit. Cod. Qui pot. in pignor. defin.* 8. *num.* 5. *in not.* Jacob. Coren *rer. jud. obſerv.* 18.

Quæ ne in præjudicium aliorum creditorum per plurimos annos non ſolutæ nimium cumulentur, à Philippo quidem Hiſpaniar. Rege 5. *Martii* 1571. edicto cautum, & 26. *Octob.* 1572. in ſecreto Concilio pro Clero adverſus nobiles & Civitates Comitatus Namurcenſis lata ſententia, fuit decretum: **Dat voor den toekomenden tydt egeene Rentiers en ſullen mogen pretenderen/t zy by wege van Actie ofte Executie/ meer dan drie Jaren agterſtels van hare voorſz Renten: ten ware dat die Crediteuren den ſchuldenare in Rechten geinterpelleert hadden / of dat de ſelve buyten Regte geinterpelleert zynde / uytſtel ende dilay daar van verſocht/en de nieuwe beloften gedaen hadden het ſelve te betalen.** Id eſt: Ne in poſterum cujuſcunque generis redituum creditores, ſive per actiones, ſive per executionis modum, plus quam trium annorum canones ſimul exigere poſſint, niſi in judicio debitores ſuos interpellaverint, aut extra judicium dilatione petita, iterum ſoluturos ſe conſtituerint. Quod tamen aut in diſſuetudinem abiiſſe, teſte Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de Reditib. verſ. fraudib. vero*, aut certe nunquam receptum fuiſſe conſtat, neque ullibi obtinet, quam ubi, & quatenus ſtatuto nominatim cautum invenitur. Quomodo nuperrimo Leydenſium Statuto *Art.* 125. **Dat geene Crediteuren van wat qualiteyt die ſouden mogen zyn / tot preferentie van meerder als drie Jaren onbetaalde Renten ſullen mogen contenderen; maar ſullen met haar andere verloopen ende onbetaalde Jaren Renten concurreren met de andere Schuld-eyſſchers / alleenlyk perſonele Actie hebbende/ etc.** Id eſt: Ut nulli creditores, cujuſcunque qualitatis aut generis, in concurſu creditorum plus quam trium annorum uſuris aut reditibus aliis præferantur: ſed pro ulteriorum annorum reſtantibus uſuris, cum aliis perſonalibus creditoribus tantum concurrant. Ita & Amſtelodami in favorem fidejuſſorum obtinet: ut principali debitore & pignore ſive hypotheca ad extremum excuſſis, fidejuſſores non plus quam ad ſeſquianni uſuras, ante diſtractionem hypothecæ delapſas, teneantur. Sed Goudæ non tantum uſuræ trium annorum, ſed & emptorum prædiorum termini vulgo **Cuſtingen**/ ultra tres annos continuati, in creditorum concurſu adverſus tertium creditorem exigi nequeunt.

21 Si pro principali ſorte in diem ſine uſuris debita, pignus conſtitutum ſit, an & illud pignus obligetur pro uſuris ex mora ſortis dicto termino non ſolutæ Quæritur? Quo caſu, quamvis ex cauſa empti, pretio ſuo die non ſoluto, uſuræ ipſo jure currere incipiant, per text. *in l.* 5. *Cod. de Action. empt.* tamen eædem uſuræ, in concurſu creditorum pignori non ſunt, niſi nominatim ſtipulatæ, *l. Lucius.* 18. *ff. qui pot. in pignor.* Quemadmodum ab Hollandiæ Curia judicatum **In de ſaake van Jan Dircxſz. van Leulen / contra Willem Willemſz. van Nieupoort /**

11. Novemb. 1609. Nec movet, quod à ſuprema Hollandiæ Curia, inter creditores Eduardi Foullard, 24. *Octob.* 1623. ejuſmodi uſuræ una cum ſorte adjudicatæ videantur, ex iis quæ tractat Jacob. Coren *Obſerv. rer. Judicatar.* 18. quum in eadem cauſa referente eodem Coreno, uſurarum petitioni à nemine ſpecialiter fuerit contradictum: adeoque non fuerit judicium contradictorium. Ubi notanter addit, quod Curia Provincialis ejuſmodi uſuris nunquam jus hypothecæ, aut prælationis tribuere ſoleat. Atque ita in ſimili à Sabaudiæ Senatu judicatum teſtatur Anton. Fab, *ad Cod. lib* 8. *tit.* 8. *defin.* 8. *num.* 5. *in Not.* & *lib.* 6. *tit.* 2. *defin.* 11.

In foro autem Saxonico nunquam adjudicantur uſuræ in concurſu creditorum, niſi prius omnibus etiam chirographariis ratione ſortis fuerit ſatisfactum, licet ſuper uſuris æque, ac ipſa ſorte hypotheca nominatim fuerit conſtituta. Ut poſt Berlich. *part.* 1. *concluſ.* 66. *num.* 9. & Coler. *de Proceſſib. executiv. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 113. late Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 28. *defin.* 141. & 142. Vide tamen Dan. Moller. *lib* 1. *ſemeſtr.* 28. *num.* 3. Prælationis etiam jure gaudet hypothecarius poſterior, ſi priori ſolvat, vel ei, quum offertur, recuſanti obſignatum deponat, quo ipſo per ceſſionis actionem, ut vulgo dicitur, jus prioris in ſe transfert, & ſibi confirmando pignus in prioris pignoris locum ſuccedit *l.* 12. *§.* 6. *ff. l.* 1. *Cod. qui pot. in pign. l.* 22. *Cod. de pignor.* & *l. ult.* & *tot. tit. Cod. de his qui in prior. Credit. locum ſuccedunt.* Quod moribus noſtris abrogatum perperam & inconſulto notat Groeneweg. *de legib. abrogat. ad l.* 1. *Cod. Qui potiores in pignore.* niſi forte per diſtractionem pignorum auctoritate judicis factam has debiti oblationes præveniri velit, ut videtur. 22

Cod. viii. xx. *De his qui in priorum creditorum locum ſuccedunt.*

D. xlii. vi. *De ſeparationibus.*

Aliud porro privilegium eſt, quod creditori contra debitoris ſui heredem ſuſpectum competit, etiam eum, qui ſolvendo non eſt: ſeparationis nimirum, quo creditores defuncti, ſi ex defuncti bonis ſuum conſequi poſſunt, ab ipſo autem herede, qui ſuo nomine multum æris alieni contraxit, ſi ejus cum defuncti bonis confundantur, nihil poſſent conſequi, judicis officio, intra quinquennium ab adita hereditate bonorum ſeparationem, ſicubi exſtent, petere poſſunt. *l.* 1. *§.* 10 *cum ſeqq. ff. de Separat. bonor.* ut ex iis nimirum his ſolis ſatisfiat: adeo, ut licet ipſe heres poſt defuncti mortem, rem hereditariam alteri creditori ſpeciali hypothecæ ſubjecerit, aliove modo obligaverit, hi nihilominus, licet chirographarii tantum, ſeparationis jure iſti hypothecario creditori ſint potiores. *l.* 1 *§.* 3. *ff eod.* poſt quinquennium autem ad ſeparandum non agitur, *d. l.* 1. *§.* 13. *ff eod.* aut ſi res hereditaria interim bona fide vendita ſit. *l.* 2. *ff. eod.* Uti nec ſi bona hereditaria cum heredis bonis fuerint confuſa, vel novatio aliqua inter defuncti creditores, & heredem interceſſerit. *d. l.* 1. *§.* 10. 11. 15. *ff. eod.* Quamvis alioqui, ex juſta & probabili cauſa, contra temporis lapſum facilis reſtitutio ſit, modo res adhuc ſit integra, neque novatio aliqua interceſſerit. Et quorundam Statutis obtinet, ut etiam poſt quinquennium ſeparatio bonorum re adhuc integra admittatur. Ut de March. Brandenburg. aliorumque locorum conſuetudine obtinere teſtatur Henric. Hahnius *ad Weſenbec. num.* 4. *in fin.* 23

Cap. XII.

De Donationibus.

Summaria.

1. *Donationis definitio.*
2. *Diviſio.*
3. *Qui donare poſſint, vel non.*
4. *An, & quatenus conjunx conjugi donare poſſit, in pleriſque* Gelriæ, Boiboniæ, Brabantiæ, Papiæ, Parmæ, Burgundiæ, Nivernenſis, *aliiſque* Franciæ *locis*, *apud* Bituricenſes, *& in reliqua* Gallia, *in* Saxonia *&* Hollandia.
5. *Juris ſcripti, &* Hollandicæ *conſuetudinis ratio.*
6. *Remuneratoria donatio inter virum & uxorem ſubſiſtit.*
7. *An & quatenus conjugis liberis, parentibus, fratribus, ſororibus, aliiſve conſanguineis donari poſſit.*
8. *An pater filio, aut filius patri, in ejus poteſtate quid donare, donove accipere poſſit.*
9. *An concubinæ quid donari poſſit.*
10. *An & quatenus tutoribus, aut curatoribus.*
11. *An & quatenus meretrici.*
12. *Quæ bona & quantum donari poſſit.*
13. *An & quatenus omnium bonorum donatio ſubſiſtat.*
14. *An ſub omnium bonorum donatione ſimpliciter facta, etiam futura comprehendantur.*
15. *An & de hereditate adhuc viventis donatio ſubſiſtat.*

16. *Quo-*

16. *Quomodo perficiatur donatio, & an acceptilatio intervenire debet, & qualis, an per nuncium vel epiſtolam inter abſentes acceptari poßit.*
17. *Donatio ſub modo aut conditione an, & quomodo ſubſiſtat.*
18. *An per interpoſitam perſonam poſt certum tempus tertio reſtituenda ſubſiſtat.*
19. *Quaenam ex donato competat actio.*
20. *An & quatenus revocari poßit, & revocatâ, an fructus reſtitui debeant.*
21. *An per ſupervenientiam liberorum revocata, iiſdem decedentibus reconvaleſcat.*
22. *Donatio remuneratoria, & nuptialis, & ea qua ob cauſam, proprie dicta donationes non ſunt.*
23. *Donatio omnium aut majoris partis bonorum in caſu exiſtentium liberorum an, & quatenus ſubſiſtat.*
24. *Inter vivos & mortis cauſa donationes in quibus differant.*
25. *Quando donatio mortis cauſa facta intelligatur.*

1 DOnatio dicitur quaſi doni datio: eſtque beneficium, quod quis ex mera liberalitate, nullo jure cogente, in alium confert. *l. 1 & l. 29. ff. De donat. l. 82. ff. De Reg. Jur.* quæ, ſi per conventionem fiat, recte dicitur contractus, & pactum, de quo hic; ſi per traditionem, eſt modus acquirendi dominii, de quo ſupra. *D. xxxix. v. Cod. viii. liv. Inſtit. ii. vii. De Donationibus.*

2 Donatio alia eſt, quæ inter vivos, alia quæ mortis cauſa & propter mortis ſuſpicionem perficitur. *pr. & §. 1. Inſtit. de Donat. l. 1. l. 3. 4. 5. ff. De mort. cauſ. donat.* ſive quis ſola mortis cogitatione, ſive re ipſa in mortis periculo conſtitutus, donet ſimpliciter, neque tradat, ſive quis inſtante mortis periculo donet, & ſimul tradat, *l. 2. ff. De mort. cauſ. donat. pr. Inſtit. de Donat.* Alia quæ ſimpliciter tantum, alia quæ ſub modo vel cauſa ſit. *l. 1. in pr. ff. eod.*

3 Donare poſſunt omnes, qui contrahere & de rebus ſuis diſponere pro arbitrio poſſunt, neque ſpeciali lege prohibentur. Quomodo donare non poſſunt pupilli, minores, & prodigi, quia nec contrahere, de quibus ſuo loco.

4 Prohibentur, maritus uxori, & uxor marito, conſtante matrimonio ſibi invicem donare, ſi eo ipſo is qui donat pauperior, qui accipit locupletior redderetur. *l. 12. & 13. ff De donat. inter vir. & uxor.* Niſi donator in ſua liberalitate uſque ad mortem perſeveret, & vivente donatore traditio intervenerit, quo caſu donatio quaſi mortis cauſa facta, quæ inter virum & uxorem prohibita non eſt, benigno jure ſuſtinetur. *l. 23. 32. ff. de De donat. inter vir & uxor. l. 1. l. 3. l. 10. Cod. eod.* *D. xxiv. i. Cod v. xvi. De Donationibus inter virum & uxorem.*

Quod uſque adeo moribus ſervatur, ut quorundam patriæ noſtræ locorum ſtatutis conjux conjugi, non tantum inter vivos, ſed & per ultimam voluntatem ultra uſumfructum quid donare prohibeatur. Ut Statuto Diœceſ. Ultrajectin. *Rubric. 22. art. 7.* cautum reperitur, & per totam fere Gelriam univerſaliter obtinet, ſimilique modo in Ducatu Borboniæ, vir & uxor mobilia & acquiſita ſibi invicem donare poſſunt, pro donatarii vita, aliterque facta donatio prohibetur, nec ad heredes donatarii tranſit, licet per diſpoſitionem ultimæ voluntatis comprobata, referente Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. tit. 4. §. 7.* Quod Mechliniæ, & pleriſque aliis Brabantiæ locis, ad caſum exiſtentium liberorum reſtringitur: quibus exiſtentibus, maritus & conjunx nihil ſibi invicem teſtamento, aut alio genere ultimæ voluntatis relinquere poſſunt, *Mechlin Statut. Rubric. 17. art. 3.* & ibi Chriſtin. Ubi Papiæ ac Parmæ ſimile ſtatutum eſſe indicat *ibid. num. 3. in fin.* Quod ibid. in additionibus etiam in liberorum liberis locum habere Senatus Mechlinienſis judicio probat: & ſimilia fere ſtatuta ſunt in Ducatu Burgundiæ, Nivernenſi, aliiſque Franciæ locis, teſte Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgundia d. loc.* Sed apud Bituricenſes donatio inter virum & uxorem, ſive per contractum inter vivos, ſive per ultimam voluntatem facta, qua bona unius ad alium devenirent, indiſtincte eſt prohibita, teſte Boër. *ad Conſuetud. Bituricenſ. Rubric. De Conſuetud. matrim. & doarii §. 1.* Quod & ex generali Galliæ conſuetudine potentiæ negativa obſervari referunt Mornac. *ad l. 32. ff. De donat. inter vir. & uxor.* Argentr. *ad Conſuetud. Brittan. tit. 12. ad Rubr. De donationib. num. 15. & art. 218. Gloſſ. 1. num. 6. & art. 266. cap. 5. num. 10. 11.* Idem Boër. *ad Conſuetud. Bituricenſ. tit. 8. §. 1. Gloſſ. 1. litt.* A. B. Et de Flandriæ conſuetudine Nicol. Burgund. *ad Conſuetud. Flandr. prolog. num. 10.* Quod ſi ex generali conſuetudinis negativa potentiæ ratione petatur, an generaliter verum ſit, valde dubitem, neque eam diverſitatis rationem inter jus ſcriptum & conſuetudinarium eo extendi poſſe video. Quicquid ſit: De Jure Saxonico cum Reinhardo. *De differ. Jur. lib. 2. part. 1. diff. 9.* idem affirmare non auſim, & in Hollandia jus ſcriptum ſequimur. De quo vide Grot. *Introd. lib. 3. cap. 2. verſ.* Inſgelijcx een Man. Anton. Teſſaur. *Deciſ. Pedemontan. 32. num. 13.*

5 Quod non eam habet rationem, quam communiter addunt interpretes ex Gaii commento per-

 peram

Digitized by Google

perani intellecto, *in l. quia* 10. *ff. de donat. inter vir. & uxorem.* Quod donationis eventus excurrat in id tempus, quo vir & uxor eſſe deſinunt, quaſi mora tantum donatæ rei capiendæ interponatur, ipſa autem donatio conſtante matrimonio valeat: ſed potius quod, quum maxime potuerit, eam toto vitæ tempore non revocaverit conjux: quum interim neque ipſa donatio, neque aliquis donationis effectus ſubſiſtat, *per l.* 1. 2. 3. *ff. De donat. inter vir. & uxor.* Quare nec Gajus utitur verbo *effectus*, ſed *eventus*, quod certe ipſam donationem ſuſpendit, & ſignificat talem donationem nullas antea vites habere, ſed totam ex eventu pendere, id eſt, ex morte & voluntate donatoris. Quomodo etiam non aliam mortis cauſa donationem inter conjuges fieri poſſe, quam ſi conjux donator juſtiſſimum mortis metum habuerit, cum donaret, exiſtimavit Fulcinius *in l. pen. ff. De mort. cauſ. donat.* Ut ſcilicet ab eo tempore perfectæ donationis effectum producat.

Sed & alia moribus noſtris ratio accedit, quare donatio inter vivos inter conjuges facta non ſubſiſtat: quia nempe inter virum & uxorem ſtante matrimonio propter legalem & conſuetudinariam omnium bonorum communionem, nulla bonorum ſeparatio aut diſtinctio eſſe poteſt, ſed duorum omnium omnia ſunt communia & indiviſibilia, niſi quatenus per ultimam voluntatem, aut per pacta antenuptialia eandem vim habentia, ab ea recedatur; adeoque vir & uxor pro una eademque perſona habentur, unicumque eorundem patrimonium mutuo conſenſu conſolidatum.

Non abſolute autem prohibentur hæ donationes, ſed in eum ſolum caſum, quo eorum is qui 6
donat pauperior, qui accipit locupletior fiat. *d. l.* 25. *ff. De donat. inter vir. & uxor. l.* 3. *ff. pro donat.* Quomodo donationes reciprocæ, ſive remuneratoriæ inter virum & uxorem valide conſiſtere probat Carpzov. *defin. forenſ. part.* 2. *conſtit.* 13. *defin.* 18. poſt Berlich. *part.* 2. *concluſ.* 15. *num.* 21. Donationes inter virum & uxorem inter vivos invalidæ per mortem confirmari poſſunt: *per l.* 1. *l.* 3. *& l.* 10. *Cod. De donat. inter vir. & uxor. l.* 32. *§.* 2. *ff. eod.*

Sed an eo caſu, quo donatio etiam mortis cauſa inter virum & uxorem ſtatuto ſit prohibita, 7
liberis prioris thori, parentibus, fratribus, ſororibus, aut aliis ejuſdem conjugis conſanguineis donatio ab altero conjuge facta valeat? communis eſt DD. opinio, ut, ſi non probetur in fraudem legia facta, ſubſiſtat, per ea quæ late tradunt Maſcard. *De probationibus concluſ.* 1243. *num.* 8. Menoch. *De arbitrar. Jud. caſ.* 459. *num* 28. Vide Joann. Papon. *lib.* 11. *tit.* 1. *art.* 3. 4. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 17. *art.* 3. *num.* 11. Ann. Robert. *rer. judicat. lib.* 2. *cap.* 13. Boër. *ad conſuetud. Bituricenſ. tit.* 8. *§.* 1. *gloſſ.* 1. *col.* 5. *in fin.* Teſſaur. *Deciſ. Pedemontan.* 170. *num.* 5. *& ſeq.* Quam ſententiam etiam probant Ordines Diœceſis Ultrajectin. noviſſima eorundem ordinatione, quæſtionum & proceſſuum ibidem præſertim in hac materia minuendorum ergo, lata 24. *April.* 1659. *art.* 3. his verbis: **Dat alle giften ende maakingen gedaan aan voor-kinderen / Suſters of Broeders van Man of Vrouw / ofte die gene aan de welke de Man of Vrouw** ab inteſtato **eenigſins ſal ſuccederen / ſullen weſen nul ende van onwaarden / ſoo wanneer daar by komt eenige conjecture / inditie / ofte preſumptie dat de prohibitie van het voorſz. ſtatuyt ſal werden geilludeert.** Id eſt: Ut omnes donationes aut legata à conjuge, in conjugis liberos ex altero thoro, aut ejuſdem fratres, ſorores, alioſve quibus ab inteſtato ſuccedere poſſet idem conjux, collata, nulla, atque invalida ſint, ſi iis aliqua conjectura, præſumptio, aut aliquod indicium accedat, quo illud in fraudem legis aut ſtatuti prohibitivi factum dici queat, &c. Quod quum maxime in eo conſiſtat, quo per interpoſitam quaſi perſonam ad eos indirecte perveniat hereditas, ad quos directe pervenire non potuiſſet, & difficilis indagationis ſit, utrum fraus adhibita interceſſerit, prudentiſſime eidem articulo ſubjunxerunt: **Ende dat ſulcks al niet concurrerende / evenwel de goederen aan Voor-kinderen / Suſters / ofte Broeders gegeven / oft gemaakt / in het geheel / oft deel / 't zy by Uytterſte-wille / ofte** ab inteſtato **niet mogen komen op de voorſz. Man ofte Vrouw / maar op de naaſte Vrienden van die gene die de ſelve gegeven ofte gemaakt zijn / voorbehoudens de voorſz. kinderen / Suſters ofte Broeders / ten reſpecte van andere perſoonen als de voorſz. Man ofte Vrouw / hare vrye diſpoſitie / ſoo by Uytterſte-wille als** inter vivos. Id eſt: Ut licet nulla fraus interceſſerit, nihilominus ea bona quæ liberis prioris thori, fratribus, aut ſororibus donata aut legata, nec in totum, nec pro aliqua eorundem parte, ſive per ultimam voluntatem, ſive ab inteſtato ad dictos conjuges pervenire queant, ſed proximioris ejus qui donavit aut legavit conſanguineis cedant, reſervata tantum illis in extraneos per ultimam voluntatem, aut inter vivos conferendi poteſtate. Vide Abraham. van Weſel *in commentar. ad d. Novell. conſtit.*

Similiter nec is qui exiſtentibus liberis prioris matrimonii ad ſecundas nuptias procedit, per dona-

Digitized by Google

donationem inter vivos, aut per ultimam voluntatem ad ſecundum conjugem plus conferre poteſt quam filialem portionem, eo quo ſupra *lib. 3. cap. 4.* diximus modo. Ubi & plura hujus argumenti vide, circa finem.

8 Jure Romano etiam non poteſt donare pater filio, quem in poteſtate habet, nec filius patri in poteſtate patris conſtitutus, niſi ex peculio caſtrenſi vel quaſi: quia pater eadem perſona cum filio reputatur, & vice verſa. *l. 11. Cod. De donation. junct. Novell. 117. cap. 1. §. 1.* Sed, quum hæc ſingularem Romanorum in liberos poteſtatem ſpectent, ad nos non pertinent.

9 Affectionis autem gratia, neque honeſtæ erga benemerentes amicos, neque inhoneſtæ erga meretrices & concubinas, donationes de jure ſunt prohibitæ. *l. 5. ff. De donat. l. 31. ff. eod. l. 4. §. 3. ff. De cond. ob turp. cauſ.*

10 A qua tamen regula, quoad bene merentes amicos apud nos excipiuntur tutores & curatores, quibus, eorumve liberis aut concubinis à pupillis aut minoribus per edict. *Carol. V. 4. Octobr.* 1540. *art.* 8. ultima voluntate, aut actu inter vivos immobilia, aut quibus immobilia annuo reditu aut alio onere gravantur, donare aut legare prohibitum eſt. Quod & inter leges Fiſias verbotenus relatum eſt *lib. 1. Ordinat. tit. 7. §. 6.* Et ſimili modo à Franciſco I. Galliarum Rege *Anni* 1539. conſtitutum: ut omnis diſpoſitio tam inter vivos, quam teſtamentaria, tutori, curatori, adminiſtratori, aliiſque ejus perſonæ facta, ipſo jure nulla ſit: In quam rem latius vide Maynard. *lib. 2. deciſ. Tholoſan. 95. num. 2.* & quæ ſupra à nobis *lib. 3. cap. 4.* notata.

11 Et quod ad donationes in meretrices collatas attinet, ut ut ab interpretibus defendantur: illud de Chriſtianorum moribus conſtat, inhoneſtas hodie erga meretrices donationes eſſe prohibitas. Argentr. *ad conſuetud. Britann.* Autumn. *Confer du droict. ad d. l. 5 ff. De donat.* Papon. *Notair. 1. l. 5. De donat. part. 3. verſ. 4. cum ſeq.* & quicquid concubinis, qua talibus, inter vivos donatur, aut per ultimam voluntatem relinquitur, ab eis tanquam à perſonis turpibus atque indignis auferri & avocari poteſt. *arg. l. 13. & ſeq. Gloſſ in l. cum in 16. §. 1. ff. De his quib. ut indign.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 200. num. 15.* Sande *de prohibit. rer. alienat. part. 1. cap. 2. num. 6.* Peregrin. *De Jure fiſci lib. 2. tit. 9. num. 2.*

12 Donari poſſunt omnes omnino res quæ ſunt in commercio, & dominio noſtro ſubjici poſſunt, tam corporales, quam incorporales. *l. 9. l. 17. l. 27. ff de donat.* etiam omnia bona tam futura quam præſentia. *l. 8. Cod. De Revocand. donat. l. 35. §. 4. Cod. De donat. l 5. Cod. de inoffic. donat. l. 4. Cod. De contrah. empt.* Sed quum donatio majoris partis bonorum fraudulenter facta facile præſumatur, per ea quæ tradit Joſeph. Maſcard. *De probat. vol. 1. concluſ. 558. num. 2.* modus ei impoſitus eſt, & ſolennitas, ut, ſi donatio quingentos ſolidos excedat, actis inſinuari debeat. *§. 2. Inſtit. De donat. l. 30. in fin. Cod. eod.* quocirca qualiter procedat, quid ſit, & de ſolidi, ſive aurei æſtimatione, ſufficienter egimus ſupra *lib. 2. cap* 8.

13 Quum tamen donatio omnium bonorum, tam præſentium, quàm futurorum teſtamenti factionem impediat, rectius ad mortis cauſa donationem reſtringitur, nec inter vivos ſubſiſtit, etiamſi juramento confirmata, aut in piam cauſam collata ſit. Vid. Fachin. *controverſ. lib. 6. cap. 87.* 88. Everhard. *conſil. 6. num. 6.* Mantic. *De ambig. conv. lib. 12. tit. 16.* Quomodo & in praxi receptum referunt Autumn. *Confer. du droict. ad l. 35. §. 4. Cod. de donat.* Grot. *Introd. lib. 3. cap. 2. verſ.* **Schenkinge by levende lyve.** Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 36. defin. 9.* Vide etiam Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 12. defin. 26.*

14 Sub omnium autem bonorum donatione ſimpliciter facta, futura non comprehendentur, quia omnis donatio ſtricti juris eſt, & ſtricte ſumitur, ut quam minime donatorem lædat, *arg l. 25. ff. De probat. & l. 7. ff. De donat.* & late Anton. Teſſaur. *deciſ Pedemontan. deciſ. 199.* quo argumento ſimplicem omnium bonorum donationem etiam inter vivos ſubſiſtere aſſerit Everhard. Bronchorſt *Cent. 3. aſſert. 71.*

15 Nec tantum de omnibus bonis, ſed & de hereditate adhuc viventis, cujus pactum ipſo jure nullum eſt, *l. ult. Cod. De pact.* moribus noſtris quodammodo eſt recepta donatio, per ea quæ in ſimili notavimus ſupra *lib. 1. cap. 12. num. 11. & lib. 4. cap. 3. in fin.* In tantum, ut ea donatori tanquam indigno non auferatur, contra *l. 30. ff. De donat.* Quod idem ex Autumn. ibid. & Argentr. *ad conſuetud. Brittan. art. 266. cap. 4. num. 22.* de Galliæ moribus aſſerit Groeneweg. *de leg. abrogat. ibid.*

16 Perficitur donatio, ſimul atque donator ſuam voluntatem, ſive in ſcriptis, ſive nuncupatione expreſſerit *§. 2. Inſtit de donationib. l. 1. ff. & l. 35. Cod. eod.* etiam nudo pacto, *d. §. 2. l. 15. in pr. ff. ad leg. Falcid.* cujus ratione donatio hodie ad actionem proficit. Quæ olim non niſi per ſtipulationem. *l. 2. l. 17. l. 33. ff. De donat.* & per traditionem procedebat. *l. 6. l. fin. §. Lucius. ff. eod.*

ff. eod. Quod mutatum à Juſtiniano *d. §. 2. Inſtit. & l. 35. Cod. De donat.* Vide Hottomann. 4. *Obſerv.* 25. Ita tamen, ut non ante perfecta cenſeatur, quam eam donatarii acceptilatio ſubſecuta ſit. *l.* 10. *l.* 26. *ff. De donat.* contra Anton. Fab. *De error. pragmaticor. Decad.* 47. *err.* 1. & Joann. del Caſtillo Soto Major. *lib.* 4. *contr.* 37. *num.* 41. *& ſeq.* exiſtimantes per Juſtinianum *in d. l. 35. Cod. De donat.* introductum eſſe, ut ex ſola donatione citra acceptationem, etiam ignoranti jus acquiratur, quo adducunt *§. cum in arbitrio. verb. hoc facere quod inſtituit.* Licet enim Imperator ſtatuerit, *ibid.* ſine ſtipulatione & traditione ex ſola, & nuda voluntatis declaratione donationem perfici, tamen hoc intelligendum eſt, de tali nuda voluntate, quæ acceptata & agnita, obligationem & actionem parere poteſt: quum alias nemo ſibi ipſi obligetur, ut in ſua nuda voluntate perſiſtat, qua demum alteri conſentienti & accipienti tenetur: quo non ſubſecuto, libera donatori manet nudæ voluntatis mutatio.

Quæ non tantum verbis, ſed & nutu aliiſque ſignis fieri intelligitur inter præſentes & conſentientes. *arg. l. 5. ff. ratam rem hab.* Inter abſentes per epiſtolas, *l. 6. Cod. De donat. l. 10. ff. eod.* & per procuratores fieri poteſt. *l. 4. ff. eod.* Quod inter abſentes omnino requiritur, inter quos donatio haud aliter procedit, quam ſi per nuncium, vel aliam perſonam ad id deſtinatam, vel per epiſtolam donatarius, poſtquam de facta donatione fuerit certioratus, eam acceptaverit. Nec ſufficit, ſi tabellio, vel alius quis ejus nomine, citra ſpeciale mandatum donationem acceperit, niſi id poſtea ratum habuerit: adeoque ſi donatarius ante acceptationem ejus mandato factam, vel alias ante accepti ratihabitionem decedat, ea non ad heredes legatarii tranſmittitur, ſed donatio ſit caduca. *d. l. 10. l. 6. & l. 29. Cod. De donat.* Vide Jul. Clar. *§. donatio quaſt.* 12. *num.* 1. 2. 3. Alexand. Trentacinq. *lib. 3. reſolut. tit. de donat. reſolut.* 1. Hartmann. Piſtor. *lib. 1. quaſt. 13.* Mantic. *De tacit. & ambig. convent. lib. 13. tit. 8. num. 8.* Petr. Rat. *ad Conſuet. Picton. art. 273. §. 3.* Valla *de Reb. dub. tract.* 2. *num.* 3. Joann. Decher. *lib. 1. diſſert. 4. num. 33. & ſeqq.* Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 185. *num.* 66. atque ita à Senatu Friſiæ deciſum refert Joann. à Sande *lib. 5. tit. 1. defin.* 1. Niſi forte effectus donationis non revocatæ poſt mortem donantis fuerit dilatus, quo caſu & ea poſt donantis mortem acceptari poteſt. *arg. l. 12. §. fin. ff. mandati.* Ut à ſuprema Brabantiæ Curia judicatum refert idem Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 86. num. 14. & ſeq.* quem etiam vide *per tot.*

Cod. lib. VIII. tit. LV. *De Donationibus quæ ſub modo, vel conditione, vel certo tempore conficiuntur.*

Donatio vel ſimpliciter & abſolute fit, vel etiam ſub modo, die, vel conditione, l. 1. *Cod. De* 17
donat. quæ ſub mod. Quæ ſi ſub modo facta fuerit, donans, ſi modus non impleatur, rem donatam vindicare, & à donatario, vel alio quovis poſſeſſore avocare poteſt. *d. l. 1. Cod. eod.* Uti & revocatur donatio, ſi conditio adjecta non fuerit adimpleta. *l. fin. Cod. De Revocand. donat.* Quomodo etiam donatio propter nuptias data, nuptiis non ſecutis venit reſtituenda. *l. 1. §. 1. ff. De donat. §. 3. Inſtit. eod. junct. l. 3. Cod. de Sponſalib.*

Sed an per intermediam perſonam in aliquem donatio conferri poſſit, dubitatur, quaſi ad 18
fideicommiſſum vergat, quod per donationem aliamve diſpoſitionem inter vivos induci, nec ſubſiſtere poteſt? Quo tamen non obſtante, ſi quis alicui bona ſua inter vivos donaverit, ea conditione, ut poſt aliquod tempus, vel etiam poſt donatarii mortem in alium transferantur, donatio erit valida, utilemque actionem parit: *l. 3. Cod. De donat. quæ ſub modo.* nec quod cum fideicommiſſi jure in transferendi neceſſitate coincidat, eo magis fidecommiſſum dici poteſt, & ſingulare eſt in donatione, ut licet non ſubſiſtat jure fideicommiſſi, per ſe tamen ſubſiſtat. *d. l. 3. Cod. De donat. quæ ſub mod.* In traditionibus enim rerum quodcunque pactum eſt receptum. *l. 48. ff. de pact.* Mantic. *De tacit. & ambig. convent. tom. 2. lib. 13. tit. 48. in pr.* Quid ni ergo donatio valebit ſub conditione, ut poſt certum, vel incertum tempus, res donata ad donatorem, vel alium perveniat? Atque ita deciſum eſt apud Anton. Fabr. *ad Cod. lib. 8. tit. 35. defin. 2. num. 3.* & Carpzov. *defin. Forenſ. part. 3. conſtit. 8. defin.* 22.

Donatione perfecta donator ad tradendam rem donatam tenetur. *l. 35. §. fin. Cod. De donat.* 19
§. 2. Inſtit. eod. & conſequitur donatarius actionem ex ſtipulatu, ſi ſtipulatio interceſſerit, vel ſi nulla interceſſerit ſtipulatio, condictionem ex lege, aut actionem præſcriptis verbis, *l. 17. Cod. de fide inſtrumentor.* & tali modo conciliantur text. qui alioqui diſſentire videntur.

Cod. VIII. tit. LVI. *De Revocandis Donationibus.*

Adeoque nec debite conſtituta donatio à donatore revocari poteſt unquam *d. l. 35. Cod. De* 20
donat. niſi ingratus extiterit donatarius, veluti, quum honorem donatoris læſit, corpori vim intulit, aut vitæ ejus inſidiatus fuerit, patrimonium ſuum dilapidaverit, *l. fin. Cod. De Revocand. donat.* aut pacta vel conditiones adjectas non ſervaverit. *d. l. fin. Cod. De revocand. donat.* Deinde, ſi poſt donationem omnium, aut majoris partis bonorum, aut ſingularis rei, permagnæ æſtimationis, aut pretii, tempore quo donator nullos habebat liberos factam, liberi ſupervenerint,

donatio

donatio infirmatur, quia hæc conditio tacite ineſſe videtur, niſi liberi donatori fuerint nati. l. 8. Cod. de Revocand. donat. l. 102. ff. De cond. & demonſtrat. l. 30. De fideicommiſſ. Quod quouſque & quomodo procedat, DD. variant, de quo vide Card. Tuſch. vol. 2. concluſ. 712. num. 39. cum ſeq. litt. D. Jur. Clar. §. donatio. quaſt. 22. num. 5. Tiraquell. ad l. ſi nunquam. 8. Cod. de revocand. donation. in verb. omnia, vel partem aliquam. num. 13. 14. 27. 28. & ſeq. Fachin. lib. 3. controv. cap. 88. Menoch. De arbitr. judic. caſ. 33. Inter quos rectius judicant, qui illud pro cujuſque & donatoris & donatorii qualitate, aliiſque circumſtantiis judicis arbitrio & diſcretioni judicandum committunt, utrum veroſimile ſit donatorem rem tanti pretii non fuiſſe donaturum, ſi de liberis cogitaſſet, atque ita deciſum apud Anton. Fab. ad Cod. lib. 8. tit. 38. defin. 9. Chriſtin. vol. 1. deciſ. 340. num. 5. 6. Carpzov. defin. Forenſ. part. 2. conſt. 12. def. 32. Berlich. Deciſ. 89. Fructus autem interim percepti, ſive exiſtant, ſive conſumpti fuerint, reſtitui non debent: quum non tantum bona fide, ſed etiam jure dominii eos poſſideat donatarius, quamdiu ipſa res donata revocata non eſt. l. 15. §. 1. & l. 42. ff. De Uſuris. Anton. Fab. ad Cod. lib. 8. tit. 8. defin. 4.

21 Sed quid ſi propter ſupervenientiam liberorum donatione revocatâ, iidem liberi poſtea deceſſerint, an propterea donatio reconvaleſcat, & res donatæ ad priorem dominum revertantur? Affirmat Jul. Clar. §. donatio. quaſt. 23. num. 9. niſi donator mortuis liberis eam expreſſe vel tacite revocaverit: eumque ſecuti Gomez. tom. 2. var. reſolut. cap. 4. num. 12. & Mozz. De Contract. tit. De donat. num. 90. eamque dicit communem opinionem Clar. d. loco. Cui tamen ſententia negantium prævalet, per ea quæ tradit Bart. ad l. Titia 87. §. Imper. 3. ff. de leg. 2. Tiraquell ad l. Si unquam. 8. Cod. de Revocand. donat. in verb. ſuſceperit liberos, num. 203. Donell. eod. num. 9. Fachin. lib. 3. controv. cap. 90. & noviſſime Bocer. tract. De donat. cap. 3. num. 115. Primo: Quod actio quæ donatario competebat, per ſupervenientiam liberorum ſemel extincta, niſi per renovatam donationem revocari nequeat. arg. l. 68. §. aream. ff. de ſolut. & l. 66. §. 1. ff de legat. 2. Deinde: Quod per ſupervenientiam liberorum res donatæ, reſciſſa donatione, donatoris propriæ factæ fuerint, quæ ſine facto rurſus ei adimi non poſſunt. l. 11. ff. De Reg. Jur. Tertiu: Quod donatio facta cenſeatur ſub tacita illa conditione, niſi liberos ſuſceperit, quibus natis, res pro non donata habetur, deficitque conditio, licet liberi poſtea moriantur, arg. l. 114. §. 13. ff. de leg. 1. l. 77. in pr. ff. ad Senat. Trebell.

22 Remuneratoria autem ſive reciproca donatio, quatenus accepti beneficii ratio remunerationis cauſam præbet, proprie dicta donatio non eſt. arg. l. 27. ff. De donat. aliud enim eſt beneficium dare, aliud reddere, l. 25. §. 11. ff. De petit. hered. l. 1. §. 35. ff. depoſit. ac proinde, quemadmodum nec propter donatarii ingratitudinem, ita nec propter ſupervenientiam liberorum revocari poſſe conſtat, per ea quæ tradunt Jul. Clar. §. donatio. quaſt. 21. num. 4. Anton. Fab. ad Cod. lib. 8. tit. 38 defin. 3. & Carpzov. defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 12. defin. 34.

Quemadmodum nec donatio favore matrimonii conſtituta, propter ingratitudinem, aut liberorum ſupervenientiam revocari poteſt, quia cauſam oneroſam habet, matrimonii ſcilicet, quod aliter non contractum fuiſſet. arg. l. 9. §. 1. ff. de Condict. dat. cauſ. non. ſecut. l. 92. ff De Jure dot. l. 4. §. ſed etſi. l. 5. §. pen. ff. De doli mal. except. l. 41. ff. de re judicat. Deinde quod non ſolius donatarii favor in eo verſetur, ſed potiſſimum liberorum ex eodem matrimonio ſuſcipiendorum, quibus parentum culpa imputari non debet. arg l. 33. §. 1. Cod. De inoffic. teſtam. Guid. Pap. quaſt. 145. Boër. deciſ. 27. Anton. Fab. ad Cod. lib. 8. tit. 38. defin. 1. 2. idemque dicendum eſt de alia omni donatione facta ob cauſam, quæ jam ſecuta ſit. arg. d. ll. per Gloſſ. & DD. in l. fin. Cod. de revocand. donat. in verb. inveniatur. Jul. Clar. §. donatio. quaſt. 21. num. 4. niſi in eo donatio cauſam excedat. Ut recte diſtinguit Mozz. De Contract. tit. ult. De donat. num. 74.

23 Sed & donatio omnium aut majoris partis bonorum in caſu exiſtentium liberorum, ad legitimam liberorum per inofficioſæ donationis querelam minuitur, in reliquis ſubſiſtit, tot. tit. Cod. De inoff. donat. niſi in extraneum collata, directe in fraudem legitimæ facta probetur, quo caſu in totum reſcinditur. arg. l. 19. ff. De inoff. teſtam. junct. l. ult. Cod. De inoffic. donat. Card. Tuſch. vol. 2. concluſ. 685. num. 6. 5. litt. D. Jul. Clar. §. donatio. quaſt. 24. num. 2. & quaſt. 22. num. 3. in fin. Carpzov. defin. Forenſ part. 3. conſtit. 1. defin. 8. 9. & late Fachin. lib. 6. controv. cap. 82.

24 Hactenus de donatione inter vivos facta, dicta ſunt, quæ etiam in donatione mortis cauſa ſuo modo obtinent, quare & hæc indifferenter ſumi poſſunt. In cæteris vero hæc ab illa differt, quod plurima quæ in legatis, etiam in mortis cauſa donationibus obtineant. §. 1. Inſtit. De donat. D. xxxix. vi. Cod. viii. lvii. De mortis cauſa donationibus.

l. ult. Cod. De mort. cauſ. donat. Ut ſunt, quod eaſdem cum Codicillis ſolennitates deſideret: *l. ult. Cod. De Codicill. l. ult. Cod. De mortis cauſ. donat.* Quod per legem Falcidiam minuatur. *l. 5. l. 9. l. 12. & l. pen. Cod. ad leg. Falcid.* Ut & de Jure Saxonico confirmat Carpzov. *defin. Forenſ. part. 3. conſtit. 1. defin. 7.* Quod vivo donatore ex pœnitentia revocari poſſit. *§. 1. Inſtit. De donat. l. 30. ff. De mort. cauſ. donat.* Quod irrita fiat, ſi donatarius ante donatorem moriatur. *d. §. 1. Inſtit. l. 23. & l. ult. ff. de mort. cauſ. donat.* Quod inter virum & uxorem valeat. *l. 9. §. ult. l. 10. l. 11. §. pen. ff. De donat. inter vir. & uxor.* Porro, ſi quis in periculo mortis conſtitutus, alicui quid mortis cauſa citra traditionem donet, & poſtea reconvaleſcat, aut periculum evadat, eo ipſo donatio tacite revocata cenſetur per *l. 29. & l. 35. §. 3. ff. De mort. cauſ. donat.* Covarruv. *De teſtam. part. 3. num. 23. verſ. Secundo.* Gomez. *var. reſolut. tom. 2. cap. 4. num. 19.* Jul. Clar. *§. donatio. quaſt. ult. num. 4. & ult.* Coſtal. *ad l. 19. in pr. ff. De reb. cred.* Berlich. *deciſ. 184.*

Ut autem donatio mortis cauſa dicatur, donator diſertis verbis exprimat, & declaret ſe ob mor- 25
tis cogitationem, vel ſuſpicionem ſe donaſſe, neceſſe eſt, nec qualisqualis mortis mentio ſufficit, *arg. l. 27. ff De mort. cauſ. donat.* aut à moriente facta, *l. 42. §. ult. ff. eod.* Donell. *lib. 14. cap. 33.* Sic ut vel in minimo dubio, donatio inter vivos reputetur, non mortis cauſa. Ut eſt commun. DD. opinio: per ea quæ late Menoch. *lib. 3. præſumpt. 35. num. 4. præſumpt. 36. num. 1.* Clar. *§. donat. quaſt. 4. verſ. Sed quaro.* Fachin. *lib. 5. cont. cap. 22.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 39. defin. 3.* Joann. à Sande *lib. 5. tit. 1. defin. 3.* Carprov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 12. defin. 24.* Boët. *deciſ. Burdegal. 353. num. 12.*

Cap. XIII.

De Contractibus innominatis.

Summaria.

1. *Contractuum diviſio.*
2. *Innominati qui ſint.*
3. *Negotium civile.*
4. *Actio præſcriptis verbis, ejuſque definitio.*
5. *Alia ſpecialis, alia generalis.*
6. *Contractus æſtimatorius.*
7. *Permutatio quid, & quomodo ab emptione differat.*
8. *Permutatio pecuniæ, vulgo* Wiſſel.
9. *Contractus do ut des, an à permutatione differat.*
10. *Do ut facias, quid, & quomodo à locatione differat.*
11. *Facio ut des.*
12. *Quæ actiones ex his contractibus oriantur, & quid moveribus.*

Contractus alii ſunt certi, frequentes, & eodem modo ſemper ſeſe habentes, quare & iis no- 1
men certum & ſpecificum, & actio nomini illi conſona tribuitur. *l. 1. §. ult. l. 7. §. 1. ff. De pact.* Alii varii, late patentes, & raro eodem vel ſimili modo redeuntes, ſed in varias figuras pro partium utilitate ſeſe convertentes. *d. l. 7. §. 2. ff. De pact. l. 1. 2. 3. 5. ff. de præſcript. verb.* Unde eorum alii nominati, alii innominati dicti ſunt. De nominatis hactenus, ſequitur de innominatis, quatenus ſcilicet etiam re perficiuntur.

Contractus igitur innominati ſunt omnes illi, qui nomen non habent, nec certis limitibus 2
definiti ſunt, ut nominatim ad contractum referri poſſint, *l. 1. l. 3. ff. de præſcript. verb. l. 1. §. 2. ff. de Rer. permut.* habentes negotium civile, *l. 1. ff. de æſtimat.* ſive actionem præſcriptis verbis, unde etiam ſimpliciter negocium civile, vel actio præſcriptis verbis vocatur.

Negotium civile dicitur, eo quod in iis quid detur vel fiat, quod ſi ipſi conventioni non inſit 3
per ſe, non eſſet contractus, ſed pactum duntaxat, quod ſervari æquum & civile eſt. *l. 7. §. 2. & §. 7. ff. de pact.*

Actio præſcriptis verbis inde dicta eſt, quod olim in ejus formula, *l. 2. §. 5. ff. De Origin.* 4
Jur. hodie in libello conventionis, *arg. tot. tit. De formul. & Impetr. action. ſublat.* negotium diſertis verbis, prout geſtum eſt, narratur. Unde etiam dicebatur actio civilis in factum. *l. 1. & l. 22. ff. de præſcript. verb.*

Dicitur etiam civilis incerti actio, *l. 7. §. 2. ff. De pact.* quod ut plurimum intentetur ad id quod intereſt, cujus incerta ſemper & arbitraria æſtimatio eſt: *l. unic. Cod. De ſent. quæ pro eo quod intereſt.* aut condictio incerti, id eſt, actio in perſonam ad incertum. *l. 1. 2. 3. De præſcript. verb. junct. l. 7. §. 2. ff. De pact.*

Defi-

Definitur actio præſcriptis verbis, actio civilis in perſonam, competens ex contractu, cujus certum nomen non occurrit, ad hoc, ut contractus fides ſervetur, res ſi quæ tradita reſtituatur vel præſtetur id quod intereſt. *d. l. 7. §. 2. ff. De pact. l. 1. 2. 3. l. 5. §. 1. & §. 5. l. 7. 8. & l. ult. ff. de præſcript. verb. l. 1. §. ult. ff. de rer. permut.* D. xix. v. Cod. iv. lxiv. *De præſcriptis verbis & in factum action.*

5 Alia eſt ſpecialis, alia generalis.

Specialis eſt, quæ oritur ex contractibus, in quibus negotium quidem nomen aliquod habet, non tamen certum & ſpecificum, unde nomini illi conſonam actionem producat, qualis eſt permutatio, *l. 1. & l. 2. ff. De rei permut. §. 2. Inſtit. De empt. vend. l. 1. §. 1. ff. eod.* in qua ſpecies utrimque, & loco rei, & loco pretii eſt, ut emptio & venditio eſſe poſſit, *l. 1. ff. de rer. permut.* actionem tamen empti venditi non producit, quia uter emptor aut venditor ſit non conſtat, *l. 1. ff. eod.* Quæ ad nominatum & certum aliquem contractum quidem referri poteſt, ſed dubitatur ad quem, ut eſt contractus æſtimatorius. *l. 1. in pr. ff. De æſtimat. l. 17. §. 1. ff. De præſcript. verb.* qui propter ſtipulatam æſtimationem, ad emptionem & venditionem; aut propter operas, mercede interveniente, adhibitas ad locationem conductionem, aut, non interveniente mercede, ad mandatum referri poſſet, *l. 1. ff. De æſtimator.* Quare dubitationis tollendæ gratia ex eo præſcriptis verbis actio naſcitur.

Generalis eſt, quæ oritur ex contractu, de quo prorſus dubitatur, an ad contractum aliquem nominatum referri poſſit, qui, quum omnia negotiorum genera indiſtincte comprehendat, duabus tamen ſpeciebus includitur, quarum una in dando, altera in faciendo conſiſtit. Quæ ab impletione iterum duplices ſunt, alia do ut des, alia do ut facias, alia facio ut des, alia facio ut facias. *l. 5. in fin. & tot. tit. De præſcript. verb.* ex quarum tribus tantum actio datur præſcriptis verbis, quæ actio civilis paſſim nominatur, ex quarta autem ſpecie, facio ut des, de dolo actio competit, *l. 5. §. 3. verſ. quod ſi faciam. ff. de præſcript. verb.* junct. *l. 1. in verb. ſi de his actio. ff. de dolo.* Quod miror à nemine obſervatum. De quibus ſingulis ordine.

6 Contractus æſtimatorius eſt contractus innominatus, quo alicui certa res præfinito certo pretio vendenda traditur, ea lege, ut ea vendita pretium reſtituatur, vel ſi non ſit vendita, res incorrupta reddatur. *l. 1. ff. De æſtimat.* De quo, quum ad uſum vix pertineat, hoc ſolummodo circa periculum ipſius rei notandum, ut ſi res ante venditionem perierit, periculum ſpectet ad eum qui prior rogavit, &, ſi venditor rogaverit, venditoris, ſi is qui rem æſtimato accepit, ejus periculum ſit, ſi neuter, dolus & culpa præſtetur. *l. 17. §. 1. ff. De præſcript. verb.* ſecundum quam diſtinctionem etiam intelligenda eſt *l. 1. §. 1. ff. De æſtimat.* ſc. id periculum quod ex culpa, vel dolo, ſi neuter rogavit, vel quod ex caſu, ſi is qui ſuſcepit, ſeſe ultro obtulerit. D. xix. iii. *De Æſtimatoria.*

7 Permutatio eſt contractus innominatus, quo certa res vel ſpecies, pro alia certa re vel ſpecie in alium transfertur. In quo differt ab emptione venditione, quod hæc utrimque ſpeciem, illa ab una parte pretium deſideret. *l. 1. ff. de Rer. permut. l. 1. §. 1. ff. De empt. vend.* & ſic in emptione venditione alia eſt merx, aliud eſt pretium, alius venditor, alius emptor, in permutatione una res non magis eſt merx aut pretium, quam alia, & uterque dicitur permutare & permutator. *l. 1. in pr. ff. De rer. permut.* & ſimilibus. D. xix. iv. Cod. iv. lxiv. *De Rerum permutatione.*

Hiſce addunt communiter & eam differentiam: quod emptio nuda voluntate contrahatur, nec ab ea, licet ante rei traditionem, pœnitere liceat. *l. 6. Cod. De reſcind. vend.* permutatio autem, non niſi per utriuſque rei aut ſpecierum traditionem perficiatur, ac proinde ante traditionem pœnitere liceat, quo adducunt text. *in l. 1. §. 2. ff. de rer. permut. & l. 3. Cod. eod.*

Et rurſum alii diſtinguunt, inter nudam permutationem, & eam quæ interveniente ſtipulatione munita eſt, quaſi hæc, non illa, plenam & efficacem conſummandi contractus actionem ante traditionem pariat, *arg. d. l. 3. Cod. de Rer. permut.* Inter quos eſt Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 41, defin. 6. num. 3.* & poſt eum Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 33. num. 23.* Quocirca tamen, quum ex pacto nudo, quod ſerio & deliberato animo initum eſt, efficax detur actio, ut ſupra de pactis ſatis ſuperque notavimus, conſequens eſt, ut hodie permutationis contractus ſolo conſenſu, & nuda voluntate valide & efficaciter contrahatur, nec ante traditionem ſubſecutam pœnitentiæ locus ſit, adeoque nec ad dictam diſtinctionem confugere ſit neceſſe.

8 Eſt & aliud permutationis genus apud nos uſitatum, quod in pecunia numerata conſiſtit, non id quod cambium vocant mercatores, de quo *ad tit. De eo quod certo loco,* quod huc non pertinet, ſed id quod noſtratibus vocatur Wiſſel / & licet in pecunia numerata quodammodo conſiſtat, propriam tamen permutationis naturam retinet, quo una pecuniæ ſpecies ſecundum juſtum ſuum valorem pro alia pecuniæ ſpecie ejuſdem valoris permutatur: quod ut plurimum obtinet in nummis antiquatis & obſoletis, quique functionem in ſuo genere non amplius recipiunt, cui ex

 publi-

publica auctoritate tanquam publicæ negotiationi ſingulis fere civitatibus quidam ſecundum præ-
ſcriptum ordinem & modum præficiuntur. Quo pertinent Holland. Ordin. General. *Ordinat.*
11. *Decemb.* 1589. 3. *Jan.* 1595. 11. *Martii* 1606. 6. *Julii* 1610. *&* 7. *Martii* 1619.

Contractus do ut des, eſt quo convenit, ut data certa re vel pecunia alia viciſſim detur. *l.* 5. 9
§. 1. *ff. De præſcript. verb.* qui quamvis ſubtili jure à permutatione differat, uſu tamen ab ea vix
diſtinguitur.

Do ut facias, eſt quo convenit, ut certa re data viciſſim aliquid fieret. *d. l.* 5. *§.* 2. *ff. eod.* veluti 10
ſi convenit ut tibi bovem darem, tu mihi tabulam pingas. Qui in eo à locatione differt, quod in
eo pecunia pro opera, id eſt, pro facto quod locari ſolet, præſtetur. Dico pro facto quod locari
ſolet, quia ſive de re, ſive de pecunia pro facto quod locari non ſolet, danda convenerit, eſt & ma-
net contractus, do ut facias. *d. l.* 5. *§.* 2. *ff. De præſcript. verb.*

Facio ut des, eſt contractus, quo convenit, ut quum ego aliquid facerem, tu certam rem mihi 11
dares. *d. l.* 5. *§.* 3. *ff. De præſcript. verb.*

Facio ut facias, quo placuit, ut quum aliquid fecerim, viciſſim etiam aliquid facias. *d. l.* 5. *§.* 4.

D. xii. 10. *De Condictione cauſa data cauſa non ſecuta.*

Ex his contractibus duplex competit actio, condictio nimirum cauſa data cauſa non ſecuta, qua
ab altero non tradente aut faciente, quod promiſit, alter quod dedit repetit. *l.* 1. *in fin. ff. de rer.
permut. l.* 5. *§.* 1. *ff. De præſcript. verb. l.* 7. *ff. De præſcript. verb.* quo ipſo, ille qui rem tradidit,
aut factum præſtitit, cauſa non ſecuta, à contracta recedere poteſt, Jure civili: quia, quum ille,
cujus gratia magis principaliter contractus initus eſt, ab eo recedit, nulla alteri, qui nondum im-
plevit injuria fieri intelligitur, dummodo indemnem eum ſervet, ſi aliqua ex cauſa ei interſit. *l.* 5.
in pr. & *§.* 2. *ff. De condict. dat. cauſ. non ſecut.* Altera eſt præſcriptis verbis actio, quo contra-
ctum impleri, proindeque id fieri deſiderat, de quo convenit, vel præſtetur id, quod intereſt.
l. 5. *§.* 1. *ff. De præſcript. verb. l.* 7. *l.* 8. *l. ult. ff. eod.* Ita tamen ut per eum ſteterit, quod cauſa
non ſecuta, aut quod promiſſum, præſtitum non ſit. Si enim cauſa per caſum fortuitum impleri

C. iv. vi. *De condictione ob cauſam datorum.*

non poſſit, nulla dati competit repetitio. *l.* 10. *& ſeq. Cod. de condict. ob cauſ. dator.* adeo ut ſi da-
tum non ſit quod promiſſum eſt, eo non obſtante id ipſum peti ac condici poſſit. *l.* 3. *§.* 3. 4. *ff.
de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecuta.*

Naſciturque hæc actio ſimulatque contractus innominatus conſulto initus eſt: etiamſi nihil ad- 12
huc datum vel factum ſit, *arg. l.* 1. *l.* 7. *§.* 2. *ff. De pact. l.* 4. *ff. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſe-
cut. l.* 15. *ff. De præſcript. verb.* cum effectu tamen nemo ea experiri poteſt, niſi ex parte ſua con-
ventionem impleverit. *l.* 7. *§.* 1. *&* 2. *ff. De pact. l. credere.* 213. *ff. De Verb. ſignif. l.* 2. *ff. De ex-
cept.* quemadmodum illud & in contractibus nominatis requiri, *arg. l.* 13. *§.* 8. *ff. De act. empt.*
ſuo loco demonſtratum eſt.

Quod ad mores attinet, notandum, quod hic ob cauſam non dati ex pœnitentia à contractu
recedere poſſe traditur ex *l.* 5. *ff. de Cond. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* Unde deſumitur regula: quod
in contractibus innominatis re integra pœnitere, & ad contractum diſſolvendum agere liceat,
per Bart. & DD. ibid. quemadmodum in permutatione, ita nec in cæteris uſu receptum ſit. Sed
è contra, quum nudum pactum eandem quam ſtipulatio actionem produceat, ex quolibet contra-
ctu innominato efficax oritur actio: niſi aliud actum apparuerit. Vide Gomez. *Var. reſolut.
tom.* 2. *cap. num.* 4. 5. Mantic. *de tacit. & ambig. conv. lib.* 1. *tit.* 8. *num.* 17. *& ſeq.* Statut.
Civitat. Antverp. *tit.* 53. *art.* 4. contra Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 6. *in fin.* Carpzov. *defin. Fo-
renſ. part.* 2. *conſtit.* 33. *defin.* 23. *in fin.* Neque hic pro actione in factum, aut perſonali præſta-
tione debitor liberatur præſtando id quod intereſt, ſed in faciendi obligatione, præciſe quis po-
teſt cogi ad factum adimplendum. Ut ex Neotericorum doctrina ſequuntur mores noſtri, quibus
in omnibus faciendi obligationibus promiſſor præciſe cogitur ad facti promiſſionem, quam ad-
implere recuſans, cuſtodia detentus conſtringi poteſt, ubi ſi contumax facti præſtationem recu-
ſare perſeveret, quia factum invito extorqueri vix poteſt, ad facti æſtimationem jam tum recur-
ritur, quam præſtare poſt omnium ſumptuum refuſionem tali executione tandem compellitur
debitor. Quo pertinet *Supr. Holl. Cur. Inſtruct. art.* 275. *& art.* 14. *& ſeq. Ampliat. Inſtruct. Cur.
Provincial. & Ordinat. Inſtit. General. Civitat. & Oppidor. Holland. art.* 31. *&* 32. Quod & à ſu-
premo Brabantiæ Senatu ſervari refert Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 323. *num.* 8. & *Statut. Civitat.
Antverp.* expreſſe cautum *tit.* 68. *art.* 41. Quod à ratione Juris Romani alienum videtur, *l.* 14.
l. 72. *l.* 84. *l.* 112. *ff. & §. ult. De Verb. Obligat.* Quod etiamnum in Germania hac in parte ſer-
vari teſtatur Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 2. *conſt.* 18. *defin.* 1. *num.* 6. *& part.* 3. *conſtit.* 30.
defin. 9. Niſi forte induſtria alicujus perſonæ ſit electa. Ut recte diſtinguit Matth. Coler. *de Pro-
ceſſ. execut. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 18. 19.

CAP.

Cap. XIV.

De Condictionibus.

Summaria.

1. *Condictio certi quid.*
2. *Triticiaria quid ſit, & quomodo differat à condictione certi.*
3. *Condictio indebiti quid, ejuſque requiſita, & an ex Juris errore lapſo competat.*
4. *Condictio chirographi ex cauſa non numerata pecunia qua ſit, in quibus, & quando obtineat.*
5. *An poſt biennium non numerata pecunia exceptioni locus ſit, ejuſque vera ratio contra communes.*
6. *Quid* Hollandiæ, *&* Galliæ *moribus circa non numerata pecunia exceptionem obtineat. In* Friſia, *in* Saxonia, *& an ei renunciari poſſit.*
7. *An & quanam contra pecunia debita accepta, nec numerata apocham emiſſam exceptio ſit, ejuſque differentia ratio.*
8. *Condictio ob turpem vel injuſtam cauſam an & quando competat.*
9. *An meretrici quid promiſſum, ſolvi debeat, aut ſolutum repeti poßit.*
10. *In alea luſu ſi quid datum, promiſſum, aut cautum ſit, an & quatenus ſubſiſtat, aut repeti poßit, & quid moribus.*
11. *Sponſiones an & qua ſubſiſtant, ut ex eo actio detur, nec ſolutum repeti poßit.*
12. *Quid de eo quod ſuffragii nomine datum aut promiſſum.*
13. *Quid Judices & Senatores, cæterique Magiſtratus, in anteceſſum obeundi muneris adjurandum incumbit.*
14. *De munerum & officiorum publicorum mercenatione in* Hollandia, *&* Gallia.
15. *An ſuffragii nomine ſolutum, tanquam indebitum repeti poßit.*

ILlud in contractibus, qui re perficiuntur, commune eſt, ut ex iis duplex competat actio, una in perſonam, quam perſonali, altera in ipſam rem, quam reali actione perſequimur, id quod nobis ex contractu abeſt, aut debetur, per condictionem, quæ eſt quaſi quædam rei vindicatio.
1 Quarum altera alteri potior eſt: quod tutius ſit rei incumbere quam perſonæ. Hæc in mutuo eſt certi condictio, quoties generalitas mutui ſpecificata in condictionem tranſit, unde *tit. Si certum petatur, & de condictione.* Quæ tamen quum functionem in ſuo genere recipiat, proprie dicta condictio non eſt, ut, qua non eadem quæ res noſtra eſt, ſpecies petitur, ſed tantundem ex eodem genere quod mutuo datum eſt: poteſt enim is qui mutuo rem accepit, pro commodo ſuo ea uti, eamque conſumere, ac liberari, ſi repoſcenti creditori rem ex eodem genere & tantundem reddat, *l. 2. in pr. §. 1. l. 3. l. 8. & ſeqq. ff. De reb. cred.* niſi forte creditor re mutuata uſus non ſit, quo caſu & ipſi rei ſuæ creditor incumbere verius dicetur.

Hæc ſi propter pecuniam numeratam, condictio certi, ſi propter quamcunque aliam rem *D. xiii. iii. De*
2 præter pecuniam numeratam, vocatur condictio Triticiaria, in qua non quantitas, ſed ipſæ *condictione*
ſpecies, & corpora veniunt. *tot. tit. ff. De condict. triticiar.* Daturque ejus rei quæ petitur *triticiaria.*
æſtimandæ cauſa: Ita dicta, quod in antiquis formulis, tritici fiebat mentio: propterea quod qui hanc actionem ſibi dari prius poſtulaverit, forte ei res erat de æſtimando tritico, & inde ei tritici nomen inditum fuerit. Ut ex Stephano Græco interprete probat Jacob. Cujac. *Paratit. Digeſt. hoc titulo.*

In commodato, depoſito, & pignore, per veram rei vindicationem rem noſtram condici, & à quolibet poſſeſſore vindicari poſſe recte dicitur.

In cæteris autem condictio ſine cauſa locum habet, quæ generalis eſt, competens adverſus eum apud quem res noſtra ſine cauſa eſſe reperitur, & cum cæteris omnibus condictionibus concurrit, ut ubi ſuperiorum nulla locum ſibi vindicat, hac agatur. In ſpecie ſumpta vocatur con- *Dig. xii.*
dictio indebiti, quæ eſt repetitio ejus quod per errorem ſolutum, vel cautum, quum ex bo- *vi. Cod. iv. v. De*
3 no & æquo non deberetur. *l. 1. §. 1. ff. De condict. indeb.* Cujus requiſita ſunt, ut ſolutum vel *condictione*
cautum quid ſit. *d. l. 1. §. 1.* per errorem. *l. 24. & l. 50. ff. eod.* quod nulla ex cauſa debebatur. *indebiti.*
l. 14. & ſeq. ff. eod. ne quidem naturaliter: quare & ope perpetuæ exceptionis, ſemper & in omni cauſa peremptorie objici, & condici poſſit, quod ita indebite ſolutum, aut cautum: *l. 26. §. 7. ff. De condict. indeb. l. 40. ff. eod. l. 7. ff. De condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* non facti tantum, ut quidam volunt. *arg. l. 10. Cod. de jur. & fact. ignor. & l. 9. Cod. ad leg. Falcid.* Inter quos Cujac.

Digitized by Google

lib. 5. obſerv. 39. Duareo. *ad tit. de condict. indeb. cap.* 3. Donell. 1. *commentar.* 21. Bronchorſt 2. *aſſert.* 36. Perez. *ad Cod. tit. De Condict. indeb.* Fachin. *controv. lib.* 8. *cap.* 106. ſed & per juris errorem. *arg. l.* 7. *ff. de condict. ob turp. cauſ. l.* 7. *ff. de condict. cauſ. dat. l.* 32. *§.* 1. *l.* 43. *l.* 59. *ff. de condict. indeb. l.* 5. *Cod. eod.* quibus locis de errore juris agi, negari haud poteſt. Quæ veterum etiam interpretum opinio fuit. Ut videre eſt apud Zaſ. *ad rubric. de condict. indebiti.* & Sichard. *eod.* Vide etiam Weſenbec. & Tulden. *eod.* Bachov. *de action. diſp.* 4. *theſ.* 17. Et mores probant, per ea quæ tradunt Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 30. *verſ.* Ontwetende. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 8. & late Arnold. Vin. *ſelectar. quæſt. lib.* 1. *cap.* 47.

Cod. iv. xxx. *De non numerata pecunia.*

Huc pertinet chirographi ſpe futuræ numerationis emiſſi condictio, quæ intra biennium debitori non numeratæ pecuniæ exceptionem tribuit: qua de re ſpecialiter conſtitutum eſt, ut qui ſpe futuræ numerationis chirographum emiſit, quo ſe pecuniam accepiſſe & debere ex mutuo fatetur, quæ tamen numerata non eſt, intra biennium non obſtante tali confeſſione, vel chirographum condicere, *l.* 3. *Cod. non numer. pecun.* vel ſi conveniatur, opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ poſſit, quæ hanc prærogativam habet, ut ſi creditor pecuniam numeratam probare non poſſit, debitor per ſolam non numeratæ pecuniæ inficiationem liberetur. *tit. Inſtit. de litter. obligat. l.* 10. 14. *Cod. non num. pecun.* niſi ei exceptionis beneficio expreſſe fuerit renunciatum. 4

Poſt lapſum autem biennii, utrum exceptio talis contra ſcripti confeſſionem admittenda, & quomodo? communiter affirmant interpretes, debitorem etiam poſt biennium contra propriam confeſſionem, non numeratæ pecuniæ exceptionem opponere poſſe, modo onus probandi in ſe ſuſcipiat, ſecundum ſententiam Accurſii, Bartoli, & aliorum *ad l.* 3. *& l.* 14. *Cod. de non numerat. pecun.* Baro, Scheiduin, & Bachov. *ad tit. Inſtit. De litter. oblig.* Bronchorſt 2. *aſſert.* 22. Perez. *ad Cod. tit. De non numer. pecun.* Gomez *var. reſolut. tom.* 2. *Reſol.* 6. *num.* 7. Moll. *de contract. tit. de mutuo, num.* 9. Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 14. *num.* 66. Quorum ſententia etiam judicando firmata eſt, teſte Anton. Fab. *ad tit. Cod. De non num. pecun.* Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 57. Joann. à Sande *lib.* 3. *tit.* 2. *defin.* 1. Carpzov. *defin. forenſ. part.* 1. *conſtit.* 32. *defin.* 66. &, quicquid alii ſentiant, veriſſima, & ſcripti juris rationi magis conſentanea eſt: non eo ſolum quo cæteri moventur argumento, quod hæc etiam exceptio natura ſua perpetua ſit, & tunc etiam obtinere debeat, quum ex ea cauſa naſcitur, ex qua actio nata temporalis eſt. *l.* 5. *§. ult. ff. de except. dol. mal.* aut quod cum hac actione concurrat exceptio doli, *l.* 3. *Cod. de non num. pecun.* quæ ſine dubio perpetua eſt. *d. l.* 5. *§. ult. ff. de Except. doli*, quibus Arn. Vinn. *quæſt. ſelect. lib.* 1. *quæſt.* 41. ſed & diverſo, quam ille, poſt Andr. Fachin. *lib.* 2. *controv. cap.* 8. & Hartmann. Piſtor. *part.* 4. *quæſt.* 12. *num.* 13. in contrarium movetur argumento: ſcilicet, quod in litterarum obligationibus neceſſitas ſolvendi non ex ſolis litteris naſcatur, ut illi putant, quaſi poſt confeſſionem numeratæ pecuniæ litteris factam, non amplius quæratur an numeratum, ſed ſcriptura authoritate juris pro veritate habeatur, & confitentem obliget. *arg. pr. Inſtit. de litter. oblig. l.* 8. *Cod. de non num. pecun.* haud aliter quam poſt rem judicatam, jurejurando deciſam, aut confeſſionem in jure factam, an debeatur amplius non quæritur. *l.* 56. *ff. de Re Judic.* verum, quod ſi rem extra ſtricti juris ſcrupuloſam ſubtilitatem conſideretur obligationis vinculum non ex litteris, ſed ex ipſa re, id eſt, ex numeratione naſcatur, ut diſerte probat. *l.* 5. *Cod. de non num. pecun.* ubi dicitur: peti pecunia, quaſi credita. Cui accedit, quod in praxi etiam ſit receptum, ut ex obligatione, quæ cauſam expreſſam non habet, agi non poſſit, niſi debitum oſtendatur, per text. *in l.* 25. *§. fin. ff. de probat.* Ut latius ſupra *lib.* 4. *cap.* 2. eoque fundamento creditor etiam cauſam expreſſam, propter minimam indebiti ſuſpicionem, veram & juſtam eſſe ſolenniter confirmare quandoque conſtringatur. Quo poſito, non video cur non etiam privilegiata non numeratæ pecuniæ exceptio, per biennii lapſum excluſa, *l.* 14. *Cod. de non num. pecun. §.* 1. *Inſtit. de litter. obligat.* ad ordinariam excipiendi & opponendi rationem debeat reſtringi, qua ei etiam locus ſit, ſi debitor negativi probandi onus in ſe recipiat, ut ita negligentia ejus, difficultate & onere probationis quaſi coërceatur. Uti id ipſum non obſcure innuit *l.* 13. *Cod. de non num. pecun. junct. l.* 25. *§. ult. ff de probat.* 5

Noſtris autem, & Galliæ moribus, quibus debitor, qui in publico inſtrumento ſe debere confeſſus, chirographum inficiari non poteſt, per fiduciariam pecuniæ conſignationem, non obſtante aliqua exceptione, quæ in altiorem cauſæ indaginem rejicitur, in anteceſſum condemnatur, niſi exceptio ſit in continenti probabilis, de qua late Joann. à Sande *lib.* 1. *tit.* 8. *per tot.* Hujus exceptionis privilegium uſum non habet, & tam ante quam poſt biennium, chirographum ſuum agnoſcenti ejus probatio incumbit. *arg. l. ult. Cod. de Apoch. public.* Rebuff. 6

Digitized by Google

buff. *ad conſuetud. in proœm. Gloſſ. 5. num. 59. & de Chirograph. art. 2. num.* 68. Imbert. *Enchirid. in verb. Confeſſio.* Gudelin. *de Jure Noviſſim. lib. 3. cap. 6. in fin.* Chriſtin. *vol. 3. deciſ. 37. num. 6.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. lib. 2. tit. de Except.* Groeneweg. *De legib. abrogat. ad tit. Cod. de non numerat.* In Friſia tamen, jure ſcripto utuntur, niſi huic exceptioni expreſſe fuerit renunciatum. Sande *lib. 1. tit. 8. defin. 3. verſ. Exceptio quoque, & lib. 3. tit. 2. defin. 1.* Uti & in foro Saxonico, etiamſi huic exceptioni expreſſe fuerit renunciatum, niſi ex intervallo renunciatio acceſſerit, aut juramento fuerit confirmata. Ut poſt Hartmann. Coler. Berlich. & alios, teſtatur Carpzov. *definit. Forenſ. part. 1. conſtit. 32. defin. 65.* Noſtris autem & aliorum moribus ab exceptione non numeratæ pecuniæ valide renunciari, conſtans & perpetuus eſt ſtilus: quo ipſo tandem ipſi quidem exceptionis privilegio intra biennium debitori conceſſo, non autem ulteriori juſtificationi, qua probandi onus in ſe recipere paratus eſt, renunciatum intelligitur. Ut poſt alios recte diſtinguit, & ſecundum ejus opinionem à Friſiæ Senatu judicatum refert Joann. à Sande *lib. 3. tit. 2. defin. 1.*

7 Sed & alia non numeratæ aut acceptatæ pecuniæ exceptio eſt, adverſus apocham, vulgo quitanciam, qua pecuniam ſibi ſolutam creditor confitetur, quam tamen non accepit, 30. dierum termino præſcripto, intra quem onus etiam probandi pecuniam eſſe ſolutam in debitorem rejicit. *l. 14. §. ſuper cæteris, Cod. non num. pecun.* ſed eo elapſo creditor omnem exceptionem, & apochæ condictionem amittit, nec audiendus poſtea, etiamſi probandi onus in ſe recipere paratus ſit, *d. l. 14. §. 2. Cod. non num. pecun.* Ut ex Salicet. Sichardo & DD. ibid. contra Anton. Fabr. *Cod. lib. 4. tit. 22. defin. 7.* recte notat Carpzov. *defin. Forenſ. conſtit. 29. defin. 19.* Ratio differentiæ eſt in eo, quod facilius inducantur debitores ſpe futuræ numerationis chirographum emittere, quippe quod ſæpius neceſſitate adacti mutuum ſumpturi inſtrumento caveant, antequam pecuniam numeratam percipiant, quod interim pecunia non numerata, recipere negligunt, & tandem emiſſum, aut à ſe ſubſcriptum ignorant: quare, nec illi, ne creditor cum ejus jactura præter conſenſum locupletetur, *l. 14. ff. De condict. indebit.* ordinarium exceptionis refugium etiam poſt biennium denegari poſſe volunt. Creditores vero tantam crediti recipiendi neceſſitatem non habent, ut non facta numeratione liberatoriæ cautioni aut apochæ ſubſcribant, qui propterea 30. dierum termino præterlapſo hanc exceptionem in tantum amittunt, ut omnino cautioni ſuæ ſtare cogantur, nec ulterius de pecunia ſibi non ſoluta querelam movere poſſunt, etiamſi onus probandi pecuniam non eſſe ſolutam in ſe recipere velint. Ut ſatis indicat generalitas text. *d. l. 14. §. 2. Cod. non num. pecun.* Quippe quod & ſimplex chirographi reſtitutio debitori à creditore facta remiſſionem inducat, *l. 2. §. 1. l. 3. ff. De pact.* nec præſumptionem in contrarium admittat. Ut late Menoch. *de Præſumption. lib. 3. præſumption. 140. & ſeq.* Maſcard. *de Probat. concluſ. 477.*

8 Ex hoc etiam capite quaſi indebite datum, aut ſolutum, per condictionem repetitur id, quod ob turpem vel injuſtam cauſam datum, aut cautum eſt. *tot. tit. ff. De condict. ob turp. vel injuſt. cauſ.* D. xii. v. Cod. iv. vii. *De Condict. ob turpem vel injuſtam cauſam.*

Ob turpem quidem cauſam, ſi turpitudo ſolius accipientis ſit, quo ſolo caſu condictio competit. *l. 1. §. ult. l. 2. in pr. §. 1. & 2. ff. De condict. ob turp. vel injuſt.* Alias, ſi ſolius dantis,
9 vel utriuſque turpitudo verſetur, ceſſat repetitio. *l. 3. l. 4. §. 2. ff. eod.* veluti, ſi quis meretrici aliquid dederit, aut promiſerit, datum non repetitur, quia in eo utriuſque turpitudo verſatur, imo magis dantis quam accipientis turpitudo eſt. Quamvis enim meretrix turpiter facit quod ſit meretrix, non tamen adeo turpiter facit quod quum ſit meretrix, aliquid accipiat. *d. l. 4. §. 3. ff. De condict. ob turp. cauſ.* Ut late Mæſtert. *de Juſt. Romanar. leg. lib. 2. dubitat. 15.* Promiſſum tamen peti non poteſt. *arg. l. 27. & l. 123. ff. de Verb. oblig.*

10 Quo pertinet etiam aleæ luſus, in quo etiam quum utriuſque turpitudo verſetur, quod datum eſt non repetitur, *d. l. 4. ff. De Condict. ob turp. cauſ. l. 5. Cod. eod.* quum in pari turpitudine melior ſit cauſa poſſeſſoris, *l. 12. Cod. De condict. ob turp. cauſ.* Et quod ex ea cauſa promiſſum, aut cautum eſt, exigi non poteſt, quia audiendus non eſt, qui propriam ſuam turpitudinem allegat, & ex eo compendium quærit. *l. 5. Cod. eod. l. 4. Cod. De revocand. donat. junct. l. 1. Cod. De aleatorib.* Jul. Clar. *§. ludus. num. 7.* Perez. *ad Cod. De aleatorib. num. 7.* Quod ubique locorum ſervari teſtantur Rebuff. *ad conſtit. Reg. in proœm. Gloſſ. 5. num. 56.* Statut. Antverp. *tit. 54. art. 17. & ſeqq.* Grot. *Introd. lib. 3. cap. 3. verſ.* Gelijcke twiſſelingh. Chriſtin. *vol. 2. deciſ. 200. num. 1.* Carpzov. *Reſponſ. Electoral. lib. 6. tit. 10. reſp. 96. num. 10. 12. & 17.* Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 58. Statut. Civit. Leydenſ. De Anno 1583. art. 150. noviſſ. edit. art. 144. Veteraq. art. 129.* Adeoque nec is, qui alicui ſciens in aleæ luſum pecuniam credidit, repetendi actionem habet. *arg. l. 12. §. 11. ff. mandat. Statut. Antverp. tit. 54. art. 19.* D. xi. v. Cod. iii. xliii. *De Aleatoribus.*

Iod

Quod tamen limitatur, ut repetitio dati habeat locum. I. Si quando alter dolo malo vicit *arg. l. 6. 7. ff. De condict. ob turp. vel injuſt. cauſ.* II. Quando non pecunia, ſed veſtis aut pallium in ſolutum data ſunt, aut quis ingentem pecuniæ ſummam in magnum familiæ ſuæ diſpendum in aleæ luſum profudit. *arg. l. ult. Cod. De aleatorib. junct. §. ult. Inſtit. De his qui ſui vel alien. jur.* Quare & multarum Hollandiæ Civitatum ſtatutis cautum, ut ne quis ultra certam argenti ſummam aleæ luſu perdat, aut ſi quid alterius ſolutum ſit, repeti poſſit, teſte Grot. *d. loco.*

Huc etiam referri volunt ſponſiones, noſtratibus **weddingen.** Quæ tamen quatenus ſub 11
conditione caſuali vel pendente a fortuna & dubio eventu, factæ ſunt, nullo jure prohibitæ cenſentur, *arg. l. 108. ff. De Verb. oblig. & ibi* DD. Adeoque per ſe ſubſiſtere rectius affirmant, Gomez. *tom. 2. Var. reſolut. cap. 11. num. 4.* Elbert. Leonin. *Conſil. 21. num. 2.* Godæus *de Contrah. & committ. ſtipulat. cap. 3. num. 75.* Mantic. *De Ambig. convent. lib. 14. tit. 12. num. 24. cum ſeq.* Gravell. *deciſ. Dolan. 57.* Chriſtin. *vol. 2. deciſ. 199. num. 2.* Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 9. defin. 1.* Niſi interponantur ſuper ſubjecto inhoneſto, aut moribus repugnante, aut alius alium dolo ad ſpondendum ſeduxerit.

In Gallia tamen ſponſiones à fortuna dependentes prohibitas eſſe, nullaſque ibidem admitti, quam quæ depoſitis pignoribus, vel conſignata pecunia fiant, refert Charond. in ſuis *memorabilib. verb. contract. & verb. gage.* & Carol. Loſeau *lib. 4. de deguerpiſſement. cap. 3. num. 13.* Quod de moribus noſtris affirmate non auſim contra Grot. *Introd. lib. 3. tit. 3. verſ.* **alhier ontſtact.** & eum ſecutum Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. l. 108. ff. De Verb. oblig.*

Cod. iv. tit. *De Suffragio.*

Si quid ſuffragii nomine apud Principem obtinendi, aulico ad remunerationem & laboris 12
præmium ſit promiſſum, ex Theodoſii, Arcadii, & Honorii conſtitutionibus, *l. unic. Cod. De Suffragio.* ſive res mobilis, ſive immobilis ſit promiſſa, quaſi mutuo datum ſolvi debet, & condictio certi locum habet. Quod quum & ad munera publica, præſertim judicialia, detorqueretur, ſuſtulit Juſtinianus Imperator, *Novell. 161. cap. 2.* & maxime *Novell. 8.* qua de præſidibus, & magiſtratibus cautum, ut ſine pecunia data vel ſuffragio fiant; & ut huic malo occurratur, & magiſtratibus tanto magis omnis malitioſe in ſuo munere verſandi occaſio præcidatur, conſtituit Imperator, ut in anteceſſum ſolenni juramento obſtringantur, & ſecundum formulam juramenti eidem 13
Novellæ ſubjectam jurent: ſi nihil dediſſe vel daturos eſſe, vel promiſiſſe ad conſequendum magiſtratum, ſalariis ſuis contentos eſſe, & quemadmodum gratis magiſtratum ſint adepti, ſic & gratis juſtitiam adminiſtrare velle: item paterna affectione, & cura ſubditos complexuros, odioque vel gratiæ, vel ſimilibus locum nullum daturos, ſed juxta æquitatem & leges eſſe judicaturos. Quo pertinet etiam *lex unic. Cod. de profect. dignitat.*

Cujus exemplo non tantum pleriſque Hollandiæ Civitatum conſtitutionibus idem in judicibus & magiſtratibus expreſſe cautum ſtricte ſervatur: Sed & Senatores tam ſupremi Senatus, quam Hollandiæ Curiæ Provincialis ingreſſu muneris expreſſe verbis jurant, ſe pro adipiſcenda dignitate, neque dediſſe, neque promiſiſſe quicquam, neque poſtmodum daturos, neque pacta ulla, conventioneſve ea de re feciſſe, aut facturos eſſe, directe, vel indirecte, ut videre eſt *Inſtruct. Suprem. Cur. art. 17. & utriuſque Curiæ Inſtruction. Ampliat. anni 1644. art. ult.* In corruptos porro, aut pecunia in tranſverſum actos judices, ſeveriſſime etiam cautum *Inſtruct. ſuprem. Cur. art. 10. junct. cap. ult. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. d. Ampliat. utriuſque Curiæ Anni 1644.*

Quæ ut ut ad alia quæcunque dignitatum Reipublicæ munera fuerint extenſa, nec in eos tantum qui juramenti præſtatione adſtringuntur, ſed in omnes alios quoſcunque omnium ordinum magiſtratus, & Reipublicæ miniſtros publicos, qui ſe talibus ſordibus inquinatos fuerint comprehenſi *Ordin. Gener. ſanctione, 1. Julii 1651. & noviſſima Holland. Ordin. Placit. 6. Februarii 1652.* ſeveriſſimo fuerit animadverſum: dolendum tamen abominandi ejuſdem mali radicem penitus evulſam non eſſe, ut quibus, ſalva in multis quidem jus dicentium integritate, in aliis non minoribus tantum, ſed & majoribus dignitatum functionibus, etiam in iis quibus ſola virtus & eruditio viam & gradum ſibi affectant, magno Reipubl. malo, mercenatio, & cæcus amicorum 14
favor, tam eruditionis, ſollertiæ, quam vitæ probitatis maxime immeritos, ad ſummum etiam honoris, & dignitatis gradum provehant: Perperam diſtinguentes inter magiſtratus & Reipubl. munera, quæ ſolennis juramenti ſacramento ab omni ejuſmodi ſuffragii vitio coërcentur, & alia quæ ad ſtatum politicum proprie non ſpectant, quaſi non hæc, ſed illa dictis legibus ſubjaceant, quas eo reſpectu poſt Franciſc. Balduin. *ad §. ſunt. præterea. num. 3. Inſtit. De public. judic.* inanes exclamat Matth. Steph. *ad Nov. 8. num. 11.* Quod hodie niſi ambias, niſi ores, niſi dones, nihil agas, non emitur, inquit, ſola virtute poteſtas.

Apud

Apud Gallos autem variis etiam primò regum edictis, magiſtratuum promercio interdictum refert Choppin. *De morib. Pariſienſ. lib. 1. tit. 1. num. 39.* Sed his tractu temporis abrogatis, ſolennis & lege quaſi permittente munerum venalitas irrepſit, ſic ut & circa annum 1614. de munerum promercali nundinatione, indagine oborta, à regni Ordinibus omnis munerum, præſertim judicialium venalitas abrogata, eadem iterum vix uno interlabente anno, teſte Grammondo, *Hiſtor. Gall. lib. 1. pag. 72.* contemptu legum prævalente, ut ante, invaluerit, ſic ut & ipſi regi inde ingens pecuniæ ſit proventus.

15 An autem ſuffragii nomine ſolutum repeti poſſit? non videtur; ſed quia utriuſque in eo turpitudo verſatur, ſicut non ſoluti petitio, ita nec ſoluti aut dati repetitio eſſe poteſt, *l. 3. & l. 4. §. 3. ff. De condict. ob turp. vel injuſt. cauſ.* Sed & ipſe ſuffragator, aut is, qui ob eam cauſam aliquid promiſit, arbitrariam incurrit pœnam, ſecundum ea, quæ diximus.

Ob cauſam injuſtam dati, aut cauti condictio datur, veluti ſi quis dolo inductus, aut vi, metuve coactus, aliquid dederit, aut promiſerit. *l. 6. l. 7. ff. De condict. ob turp. vel injuſt. cauſ.* & generaliter ſi quid datum aut cautum ex cauſa, jure, aut legibus improbata.

Cap. XV.

De Actione Arbitraria, ſive Æſtimatione facti, & eo quod Intereſt.

Summaria.

1. *Pro eo quod intereſt quid factum, aut non factum, quod fieri debebat, aut non debebat, an & quænam competat actio.*
2. *Quotuplex ſit actio ejus quod intereſt.*
3. *Arbitraria quæ, aut qualis ſit, & quouſque extendi poſſit in certa quantitatis objecto.*
4. *Exemplum.*
5. *Quæ & quomodo æſtimanda, in incerta æſtimationis objecto.*
6. *Quid in hac æſtimatione conſiderandum.*
7. *Pro eo quod certo loco, & tempore dari debebat, quæ & qualis competat actio, ejuſque intereſſe quomodo æſtimandum.*
8. *Cambium quid ſit, cui, & quænam ex eo competat actio.*
9. *Quid de acceptante alterius cambium, an ipſum ſolutioni adjectum liberet.*
10. *Cambio per adjectum ſolutioni non acceptato, an & quomodo proteſtandum, & aſſignanti denunciandum, ut huic actioni locus ſit.*
11. *Cujus pretii, ſoluti an ſolvendi ratio in ineunda rei æſtimatione habenda.*

1 Quibus cauſis ex eo quod factum eſt, quum fieri non debebat, aut eo quod factum non eſt, quod fieri debuit, actio competit, in omnibus iis experiundi jus eſt, ut eo nomine in id quod agentis intereſt condemnatio detur. Et certe quum, quod factum eſt infectum fieri nequeat, & pro eo, quod faciendum eſt, reo, ut quod nolit, faciat, vis inferri haud facile poſſit, nihil aliud reſtet, niſi ut quemadmodum facti, ita etiam non æſtimatio exigatur, vocaturque communiter id quod Intereſt.

2 Hoc aliud eſt conventum per formam pœnæ, *§. fin. Inſtit. de Verb. Oblig.* Aliud ſingularis affectionis, de quo *in tit. ff. De in litem Jurando.* Aliud arbitrarium, quo venit id, quod re vera alteri abeſſe judicis arbitrio relinquitur.

Sed quum pœna conventionalis in infinitum exigi non poſſit, & pœnalis ſtipulatio in tantum moribus coarctetur, ut competentis judicis arbitrio ad bonum & æquum redigenda ſubjaceat, *arg. l. unic. Cod. De Sentent. quæ pro eo quod intereſt. & l. 135. §. Seja, in fin. ff. de Verb. Obligat.* Rebuff. *ad conſtit. Reg. Rubr. De Sent. quæ pro eo quod intereſt, in gloſſ. proferuntur.* Menoch. *de arbitrar. jud. caſ. 160. num. 17. & ſeq.* Gutierz. *lib. 2. Canon. quæſt. 20. n. 5.* Matth. de Afflict. *Deciſ. Neapol. 135.* Joan. Papon. *lib. 12. tit. 9. Arr. 4.* Imbert. *Enchirid. Jur. Gall. in verb. pœna conventionalis.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 7. tit. 23. defin. 2. num. 2.* Caſpzov. *defin. forenſ. part. 4. conſtit. 47. defin. 7. in fin.* Nec tantum affectioni tribuatur, ut in immenſum jurare liceat, pro eo quod ob dolum aut injuriam illatam Intereſt, ſecundum *l. 68. ff. de Rei Vindicat.* ſed plerumque ipſum juramentum judicis moderatio præcedat, *arg. l. 4. §. 2. & l. 5. §. 1. ff. de in litem jurando.* quam actor ſolenni juramento in litem firmat. Ut recte notant Anton. Fab. *ad Cod. lib. 5. tit. 31. defin. 1. num. 4.* & poſt eum Caſpzov. *defin. forenſ. part. 1. conſtit. 23. defin. 20.* De arbitraria ſolum ejus quod Intereſt, actione videndum eſt. In qua ſi de caſu

Dig. tit. 111. De in litem jurando.

3

Cod. VII. XLVII. *De ſententiis quæ pro eo quod interest proferuntur.*

certo agatur, eoque, qui certam quantitatem vel naturam habet, veluti in contractibus, ex quibus id, quod in obligationem deductum eſt, certam æſtimationem recipit aut certos fines habet: ut ſunt venditiones locationes, & ſimiles: judex, nomine ejus, quod intereſt, ultra duplum, cui ſimplum, id eſt, res ipſa de qua litigatur, ejuſque vera æſtimatio, ineſt, condemnare non poteſt. *l. unic. Cod. de Sentent. Quæ pro eo quod intereſt.*

Quod ut exemplo clarius innoteſcat, finge me certum fundum à te emiſſe, quem aut tradere recuſaveris, aut qui traditus ab alio evictus eſt, teneberis ex empto, ultra ipſius rei ſimplum pretium, in id quod ob moram vel evictionem extrinſecus mea intereſt rem traditam, aut non evictam fuiſſe: quod quum circa objectum verſetur, quod certam æſtimationem habet, fundum ſcilicet, qui ab initio certam naturam, & quantitatem habuit, ipſum intereſſe ipſius rei duplum excedere non debet, etiamſi, pluris intereſſe probetur: qui eſt verus dictæ legis intellectus, niſi forte dolus intercedat: veluti, ſi ſciens obligatum vel alienum fundum vendideris, qui cum incertus ſemper ſit, hujus dupli taxationi non ſubjicitur, ſecundum quam diſtinctionem pro recepta ejuſdem legis ſententia recte à *Lypæo Notit. Jur. Belg. tit. de empt. in fin.* diſſentit Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. tit. Cod. De ſentent. ejus quod pro eo quod intereſt.* 4

Si vero ſuper caſu incerto, eoque qui nullum certæ æſtimationis objectum habet, veluti in obligatione ad factum, & perſonali præſtatione quæſtio ſit. *l. 13. §. 1. ff. De Re Judicat. l. 72. in fin. ff. De Verb. Obligat. §. fin. Inſt. eod.* de alicujus rei poſſeſſione, *l. 1. §. 31. 40. ff. De vi & vi armat.* Jactus retia emptione. *l. 12. ff. de action. empt.* & ſimilibus, in tantum, quantum religioni judicis conveniens videbitur, fieri condemnatio poteſt. *eod. l. unic. Cod. De ſentent. quæ pro eo quod intereſt.* 5

In hac æſtimatione & damni ceſſantis, & lucri emergentis ratio habetur. *l. 13. ff. rem rat. hab. d. l. unic. Cod. De ſentent. quæ pro eo quod intereſt*, pro utilitate quæ circa res ipſas eſt, *l. 21. §. 3. ff. de action. empt.* ſecundum communem rerum functionem. *l. 63. ff. ad leg. Falcid.* 6

Dig. XIII. IV. Cod. III. XVIII. *De eo quod certo loco dari oportet.*

Huc etiam pertinet actio de eo quod certo loco & tempore dari promiſſum, quæ proprie, & ſimpliciter dicta arbitraria eſt, ejuſque nomine in jure venit. *l. 2. l. 5. l. 7. ff. De eo quod certo loco. §. 31. Inſtit de actionib.* qua, promiſſore ad locum quo dare promiſerat non accedente, alio loco idem petitur, quam quo dari promiſſum eſt, facta commemoratione ejus loci quo ſolvi debuit, *l. 1. 2. ff. De eo quod certo loco.* Ut judex arbitretur quanti actoris, vel rei interſit, ſtipulato loco potius agi, *d. l. 2. in pr. ff. de eo quod certo loco. l. unic. Cod. Ubi conven. qui certo loco dari promiſit.* In qua actione & hoc peculiare eſt, non ipſius rei lucri ratio, ſed & lucrum extrinſecus accedens ſpectetur. *l. pen. & ult. ff. De eo quod certo loco.* 7

Actioni de eo quod certo loco, proximè accedit Cambium, inter mercatores uſitatum, quo quis pecunias ſibi datas, pro certo lucro per litteras aſſignatorias certo loco, & tempore reſtitui promittit. Ex quo duplex competit actio, una adverſus eum, qui ſolutioni adjicitur, *arg. l. 1. ff. de pact. & l. 5. Cod. De oblig. & act.* altera adverſus aſſignantem, ut præſtet id quod certo loco dari promiſit. 8

Nec ſolum is qui ſolutioni adjectus eſt, ſed & quilibet pro aſſignante eas litteras acceptare poteſt, *arg. l. 39. ff. de Negot. geſt.* nudaque litterarum acceptatio, acceptantem obligat. *§. 11. Inſtit. mandat.* quæ tamen aſſignantem non liberat, qui conteſtatione, licet adverſus adjectum aut acceptantem, facta, nihilominus obligatus manet, *arg. l. 23. Cod. De ſolut.* Neoſt. *Cur. Holland. dec. 38. & ſupr. Cur. deciſ. 22.* Rot. Genuenſ. *deciſ. 2. num. 6. deciſ. 4. num. 8. deciſ. 8. num. 17.* 9

Si adjectus ſolutioni litteras aſſignatorias acceptare recuſaverit, aut poſtquam agnoverit ſuo tempore non ſolverit, facta proteſtatione ſolenni, id ilico aſſignanti denunciari debet, qui reſtituta aſſignatione exhibitaque proteſtatione ſolenniter facta, ad damna & intereſſe quod nummi dicto loco ſoluti non fuerint, dato regreſſu adverſus ſuum debitorem, condemnabitur. Ut late *dict. deciſ.* Vide porro circa hanc materiam *Synopſ. Statut. Amſteladam. cap. 50.* **Van Wiſſel-brieven.** *Statut. Antverp. cap. 55.* 10

Pretium autem pro ineunda ejus quod intereſt æſtimatione non ſpectatur quod datum vel promiſſum eſt, ſed quod fuit eo tempore quo maxime interfuit: adeoque ſive ad res noſtras, ſive nobis ab aliis in ſpecie, vel in genere debitas agamus, quotieſcunque earum ineunda aut præſtanda eſt æſtimatio, inſpiciendum eſt tempus, quo poſt moram contractam, res plurimi valuerit, ſive per lapſum diei in obligatione poſitæ, ſive re ipſa, ſive per litis conteſtationem contracta ſit. *arg. l. 173. §. 12. ff. de Reg. Jur. cap. mora, 25. De Reg. Jur. in 6. l. 5. ff. De reb. cred. l. 22. §. ult. ff. depoſiti, l. 3. §. ult. ff. de Act. empt.* Et quidem ſi convenit, ut res certo die redderetur, 11

dies

dies adjectus in re æſtimanda ſpectatur quaſi terminus à quo, *l. vinum. 22. ff. de reb. credit. l. ult. in pr. ff. De Condict. tritic. l. 12. §. 1. ff. Si quis caution. l. 11. ff. De Re judicat. l. 59. ff. De Verb. obligat.* Lapſus enim diei interpellat pro homine, ac debitorem in mora conſtituit. *l. 12. Cod. de Contrah. & Commit. ſtipulat.* l. 32. *ff. De Uſur.* Sed ſi obligationi locus adjectus ſit, ut in eo quod certo loco doti promiſſum eſt, tantum tempus intercedere debet, quo commode in locum illum perveniri potuit. l. 60. *l. 73. in pr. l. 137. §. 2. ff. De Verb. obligat.*

Quod de tempore termini à quo: Sed pro tempore termini ad quem, diſtinguendum, ut ſi ipſe actor, certam quantitatem nomine precii relatam ad id tempus, quo res, poſt contractam moram, plurimi valuerit, petendo expetinat, ejus quantitatis rationem judex habebit, nec quicquam petitæ quantitatis, niſi augendæ ejus venia ab actore impetrata, adjicere valet. *l. 5. Cod. De edendo.* Si vero officium judicis ſuper æſtimatione incunda imploretur, ut communiter fieri ſolet, aut ſub clauſula ſalutari, nobis, **ofte tot anderen/ etc.** comprehendi intelligitur, in bonæ fidei judiciis, uſque ad tempus condemnationis aucti, poſt moram pretii, ratio haberi debet. *l. 3. §. 0. ff. commodati.* In ſtricti juris autem judiciis, ipſa æſtimatio litis conteſtatæ tempus haud excedit. *d. l. 3. §. 2. ff. commodat.* Ut quæ magis formulæ, quam ea quæ bonæ fidei ſunt adſtringantur. *arg. §. 30. Inſtit. De actionib. l. 38. & l. ult. ff. De petit. hered. l. 3. ff. de reſcindend. vendit.* Niſi & ipſe actor in libello expreſſerit, ut in incunda æſtimatione judex etiam illud tempus obſervet, quo res ante & uſque ad condemnationem plurimi erit, aut fuerit. Quo ſenſu recte procedit, quod Servius ait tempus condemnationis ſpectandum: *in l. 3. in pr. ff. De condict. tritic.* Si vero non res ipſa debeatur, ſed æſtimatio, ea debebitur, quæ tempore obligationis contractæ juſta fuit; quia non res, ſed pecunia deberi intelligitur, quæ ſemel conſtituta, certa manet. *arg. l. 28. ff. De Novat.* quo pertinet etiam *lex 57. in pr. ff Mandat.* Quod ut rationi magis conſentaneum, in judicando ubique fere ſervatur, teſte Anton. Fab. *ad Cod. tit. Si cert. petat. definit.* 15. Sande *lib. 3. tit. 4. defin.* 8. Vide etiam Coſtal. *ad l. vinum. 22. ff De reb. cred.*

Cap. XVI.

De Verborum Obligationibus, & Stipulationibus.

Summaria.

1. *Verborum obligatio quid, & quotuplex.*
2. *Alia in dando, alia in faciendo, quomodo adimplenda.*
3. *Quomodo & quibus modis contrahatur.*
4. *Quando & quibus caſibus dies etiam tacite adjectus cenſeatur, & cujus ſit effectus diei adjectio.*
5. *Conditio qualis adjicitur, ejuſque effectus.*
6. *Qualis verborum obligatio moribus obliget, & an cauſam expreſſam habere debeat.*
7. *Qui ſtipulari poſſint, aut non.*
8. *An quis alteri, aut ei cujus non interſit ſtipulari poſſit.*
9. *Is qui alterius nominis ſyngraphum exhibet, utrum & quando de juſto ſuo titulo docere debeat, an vero ſola ejus poſſeſſio ſufficiat.*
10. *Alium quid daturum facturumve promittens, an & quando obliget.*
11. *Si de una re ſenſerit ſtipulator, de alia promiſſor, an & quando ſubſiſtat ſtipulatio.*
12. *Pœnalis ſtipulatio an & quando obtineat, aut ſubſiſtat.*

1 Verborum obligatio ea eſt, quæ per ſtipulationem contrahitur. *pr. Inſtit. De Verb. Obligat.* Stipulatio eſt contractus, qui perficitur ex interrogatione, eamque ſubſecuta congruente reſponſione. l. 1. *ff de Verb. Obligat. pr. Inſtit. eod.* Alia eſt certa, cujus ſpecies vel quantitas certa, & determinata oſtenditur, quæ dicitur condictio certi. *l. 6. ff. de reb. cred. l. 74. ff. de Verb. Obligat.* alia incerta, qua factum, vel ſpecies indeterminata, in genere, in obligatione eſt. *l. 75. in pr. & §. ſeqq. ff. de Verb. Oblig. junct. §. fin. Inſtit. eod.* Alia dividua eſt, alia individua. Dividua eſt, quæ partium præſtationem recipit, ut in pecunia & re fungibili. *l. 2. §. 1. ff. de Verb. Oblig.* Individua, quæ non recipit, veluti ſi in opere aut facto conſiſtat. *l. 2. §. 2. l. 72. ff. eod. l. 9. §. 1. ff. de Solut.* Quomodo, ſi contingat promiſſorem mori, relictis pluribus heredibus, pro ſtipulatione dividua, ſinguli ſolum pro parte hereditaria tenentur, ſi individua, ſe in ſolidum, unuſque omnes liberat, reſervata actione, pro repetitione à coherede familiæ erciſcundæ judicio præſtando. *l. 2. §. 2. ff. de Verb Oblig.*

Inſt. III. XVI. Dig. XLV. I. De Verborum Obligationibus. Cod VIII. XXXVIII. De cont. ahenda & comm. ſtipulatione. Inſt. III. XX. De diviſione Stipulationum.

2 Conſiſtit ſtipulatio, vel in dando, vel in faciendo. *l. 2. ff. de Verb. Oblig.* Quæ in dando

conſiſtit, præciſe adimpleri debet. *l. 75. §. fin. ff. de Verb. Signific. l. 167. ff. de Reg. Jur.* In faciendo promiſſor, ſi facere nolit, liberatur præſtando id quod intereſt. *§. fin. Inſtit. l. 72. l. 81. l. 84. l. 112. §. fin. ff. de Verb. Oblig.* Quod quatenus obtineat moribus noſtris, diximus ſupra, *cap. 13. in fin.*

Contrahitur pure, aut in diem; aut ſub conditione. *§. 2. & ſeqq. Inſtit. de Verb. Oblig.* 3

Stipulationis puræ effectus eſt, ut ſtatim naſcatur obligatio, & confeſtim agi poteſt, *d. §. 2. Inſtit. eod.* dato ſolummodo eo temporis ſpacio, quo commode traditio fieri poſſit. *§. fin. Inſtit. de Inutil. ſtipulat. l. 105. ff. de Solut.* Hinc regula in obligationibus obſervata, quod ubicunque dies non appunitur, præſenti die debeatur. *l. 14. ff. de Reg. Jur. l. 41. §. 1. l. 56. §. 4. ff. de Verb. Oblig. l. 213. ff. de Verb. ſignific.*

Adjicitur dies vel ex lege, ut in dote reſtituenda. *l. unic. §. 7. Cod. De Rei uxor. act.* vel ex 4 ipſa re, veluti, quum res non exiſtit, ſed ſperatur. *l. 73. ff. de Verb. Oblig.* vel ex adjectione loci, quæ tantum temporis requirit, quantum ſufficit, ut quis in eum locum venire poſſit, ſecundum formam *l. 137. §. 2. ff. de Verb. Oblig.* vel ex ipſius diei adjectione expreſſa, quo caſu certa quidem eſt obligatio quæ ſtatim ab initio naſcitur, ſed ſolutio differtur, ſic ut ante temporis lapſum cum effectu agi non poſſit. *l. 42. ff. eod.* ſi quidem ſit dies certus, quod, aut quando ſit venturus, ſi vero dies adjectus, ita incertus ſit, ut ignoretur, an ſit venturus unquam, ille dies, pro conditione eſt, neque deberi incipit, antequam dies venerit. Ut ſupra *lib. 3. cap. 8.* in legatis in diem relictis, etiam oſtendimus.

Conditio adjecta ſi poſſibilis ſit, ſervanda eſt, nec obligatio contracta eſt antequam conditio 5 exſtiterit, quæ interim ſuſpenditur, & ſpem tantum facit, debitum iri. *§. 4. Inſtit. de Verb. Oblig.* exiſtente autem conditione, retrotrahitur obligatio ad momentum contractæ ſtipulationis. Impoſſibilis conditio vitiat integram ſtipulationem, ut & reliqua negotia. *§. 2. Inſtit. de Verb. Oblig. l. 72. ff. de condit. & demonſtrat. l. 30. §. 4. ff. de leg. 1.*

Hæc verborum obligatio apud nos, qui rerum definitiones non tam exacte perſequimur, quam 6 id quod agitur, ſimplicis contractus nomine venire ſolet, nec promiſſorem obligat, niſi debiti cauſam contineat, aut quid, pro quo interceſſerit: ut puta, ſi ſponſio in cauſa ſit, cur ſtipulator onus aliquod in ſe ſuſceperit, quod alias ſuſcepturus non fuiſſet. Hinc regula in praxi recepta; Quod ex cautione, ſive obligatione, ut loquuntur, cauſam non habente, nulla competat actio, etiamſi ſtipulatio intervenerit. *arg. l. 25. §. ult. ff. De probat. l. 13. Cod. non num. pecun. l. ult. Cod. de compenſat. cap. ſi cautio. 14. extr. de fid. Inſtrument.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 13. num. 9.* Matth. Coler. *de Proceſſ. execut. part. 3. cap. 1. num. 7.* quæ ſi expreſſa non ſit, aliunde tamen probari ſufficit, per ea quæ tradunt Hartmann. Piſtor. *Obſerv. 39.* Berlich. *deciſ. 96.* Carpzov. *defin. Forenſ part. 1. conſtit. 17. defin. 39.* Vid. etiam Coſtal. *ad l. 40. num. 24. 25. ff. De pact. & ad l. 25. ff. De probation.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 22. defin. 5. num. 2. in allegat.* Papon. *lib. 10. tit. 2. art.* Rebuff. *ad conſtit. reg. De chirograph. in præfat. num. 67.* Damhoud. *Prax. civil. cap. 175.* Hæc obligatio, quia in ſolenni verborum ſtipulatione fieri debebat, non niſi inter præſentes conficiebatur. *l. 1. ff. de Verb. obligat.* & inter abſentes concepta inutilis erat, *§. 12. Inſtit. de inutilib. ſtipulat.* Sed moribus noſtris quibus inter mercatores, litteras verborum & præſentiæ vicem ſuſtinere ipſa neceſſitas introduxit, hæc verborum ſcrupuloſa ſolennitas in quavis ſtipulatione rejicitur, & in litterarum obligationem reſolvitur.

Inſt. III. tit. De inutilibus Stipulationibus.

Stipulari poſſunt omnes, qui contrahere & efficaciter obligari poſſunt, quomodo ſtipulando 7 promittere non poſſunt muti, *l. 1. ff. De Verb. oblig.* infantes, *§. 10. Inſtit. De inutilib. ſtipulat.* furioſi, *§. 8. Inſtit. eod.* nec ſtipulando obligari prodigi, *l. 6. ff. de Verb. obl.* impuberes, aut minores ſine tutorum vel curatorum auctoritate. *§. 9. Inſtit. De inutil. ſtipul.*

Nemo alteri ſtipulari poteſt, niſi & ejus interſit, *§. 4. Inſtit. De Inutil. ſtipul. l. 38. §. 17. ff.* 8 *De Verb. obligat. §. 19. Inſtit. de Inutilib. ſtipul.* vel pœna ſit ſubjecta. *§. 18. Inſtit. eod.* Verum, quum ex nudo pacto hodie efficax detur actio, ut ſuo loco demonſtravimus, licet ſubtili jure, ex ſtipulatione alteri facta ſtipulatori non acquiritur, quia hoc actum non videtur, nec alteri, quia inter eum & promiſſorem ſtipulatio non intervenit: quia tamen nemo præſumitur alteri ſtipulari, niſi & ejus interſit, idque actum eſſe ſufficiat, *arg. l. 1. ff. De pact. & l. 1. ff. De conſtitut. pecun.* alteri ſtipulando efficax obligatio & actio acquiritur, haud ſecus, quam ſi ſolutionis cauſa alterius perſona ſit adjecta. Ut late Vinn. *ad §. 4. Inſtit. De Inutilib. ſtipulat. num. 3.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 34. defin. 1.* Gomez. *tom. 2. Reſol. cap. 11. num. 20.* Gutierz. *lib. 3. pract. quæſt. 97. num. 7.* Grot. *Introd. Juriſprud. Holland. lib. 3. num. 78.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. Rubr. de contrah. & committ. ſtipul.* Diſſentit tamen Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 2. conſtit. 33. defin. 27.*

ſin. 27. *& conſlit.* 18. *deſin.* 23. *num.* 6. ubi tertio inde actionem acquiri negat. Noſtris autem viciniſque regionibus, præſertim inter mercatores, nihil frequentius eſt, quam quod in litterarum obligationibus, non modo ſibi aut alteri, ſed in genere cuicunque litterarum latori valide ſtipuletur: eidemque tanquam ſolutioni adjecto non modo recte ſolvitur, ſed & actionem habet is, qui ſyngraphum bona fide poſſidet, qui conſideratur tanquam procurator in rem ſuam: Damhoud. *Prax. civil. cap.* 97. *& cap.* 133. Gudelin. *de Jure Noviſſimo lib.* 3. *cap.* 1. *verſ. cum res.* Pece. *de Jure ſiſtendi cap.* 3. *num.* 7. Sande *de action. ceſſion. cap.* 2. *num.* 17. Rebuff. *ad conſtit. reg. Rubr. de littar. oblig. art.* 2. *num.* 75. Radelant *Cur. Traject. deciſ.* 56. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 286.

9 Utrum vero is, qui ejuſmodi ſyngraphum exhibet, de juſto ſuo titulo docere debeat, an vero ſola ejus poſſeſſio ſufficiat, inter DD. vix convenit, quorum tamen probabilior & verior eſt ſententia, ut quotieſcunque modo aliqua fraudis ſit ſuſpicio, is, qui in ipſo inſtrumento nominatus non eſt: de juſto ſuo titulo docere debeat; quum de jure inſtrumentum neminem juvet, niſi quem tenor ipſius inſtrumenti complectitur, & deſignat, *arg. l.* 11. *Cod. De probat. & ibi* DD. & ut recte ibid. Bald. qui non nominatur in inſtrumento, non juvatur eo, niſi juris vel rei legitimus ſucceſſor. Ut poſt Alexander. *ad l.* 11. *& ſeq. ff. de acq. poſſ.* Benven. Strach. *tract. De Adject. part.* 4. *quæſt.* 8. Nicol. Everhard. *Conſil.* 219. Chriſtin. *d. vol.* 1. *deciſ.* 286. *& ad leg. Mechlin. tit.* 1. *art.* 48. qui iniquum fore dicit, *d. deciſ.* 286. *num.* 7. ſimplici litterarum latori, dari actionem, niſi conſtet, quod litteræ ad eum pervenerint de voluntate ſcribentis, vel ejus in ea nominati: quum tales litteræ facile ſurripi, & obtineri poſſint contra voluntatem ſcribentis. Atque ita ab Hollandiæ Curia judicatum refert Neoſtad. *deciſ.* 10. latori litterarum tranſportum non habenti, nullam poſſe intelligi acquiſitam vel obligationem, vel actionem, ſed eum tantum cenſeri ſolutioni adjectum. Et à ſuprema Holland. Curia menſe Aprili 1652. in cauſa Johannis van Wijngaerden, & Catharinæ van Thoornvliet, viduæ Theodori van Campen, ejuſdem Curiæ lata ſententia, me patrocinante, probata eſt: cujus facti ſpeciem retulimus ſupra hoc eodem libro *cap.* 7. *num.* 17.

10 Rurſum, ſi quis alium quid daturum, facturumque promiſerit, inutilis eſt ſtipulatio: ſi vero effecturum ſe, ut alius det aut faciat, ſpoponderit, tenebitur: *§.* 3. *Inſtit. De Inutil. ſtipulat.* Quæ tamen diſtinctio ſubtilitatem juris magis, quam æquitatem reſpicere videtur, quare nec in praxi recepta eſt, nec moribus obtinet, quibus quidem à tertio quid dari, vel factum iri promiſſum, tertium non obligat, quum de ſe heredeque ſuo; non de extraneo quis quid promittere poſſit: *d. §.* 4. *junct. §.* 20. *Inſtit. De Inutil. ſtipulat.* Promiſſor vero; qui alienum factum promiſit, indiſtincte promiſiſſe intelligitur ſe id curaturum, & effecturum, adeoque ad illud factum præſtandum, aut ſi præſtare non poſſit, ad intereſſe eum teneri. Inventæ enim ſunt ejuſmodi ſtipulationes, & obligationes, ad hoc, ut unuſquiſque habeat, & ſibi acquirat, quod ſua intereſt, ſi contra ea agatur, quæ in ſtipulationem ſunt deducta. Quod quatenus procedat, vid. Tuſch. *vol.* 3. *concluſ.* 35. *num.* 8. Vinn. *ad §.* 3. *Inſtit. de Inutil. ſtipul. num.* 2. Zaſ. & DD. *ad l.* 38. *ff. De Verb. Obligat.* Mantic. *De tacit. & ambig. convent. lib.* 14. *tit.* 34. *num.* 11. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 26. *deſin.* 10. *num.* 4. 8. Vide etiam Grot. *lib.* 3. *part.* 3. *num.* 9. Goris *Adverſar. tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 20. Gutierz. *De Juram. confirm. part.* 1. *cap.* 44. *num.* 2. *&* 6.

11 Porro, ſi de una re ſenſerit ſtipulator, de alia promiſſor, vel ſi quis pure ſtipuletur, alius ſub conditione promittat, vel contra, quoniam ad interrogata reſponſum non eſt, inutilis eſt ſtipulatio, *§.* 5. *& §.* 23. *Inſtit. de Inutilib. ſtipular.* Niſi & ſtipulatori diverſitas reſponſionis ilico placuerit, eamque de novo acceptaverit. *arg. l.* 1. *§.* 3. *in fin. ff. De Verb. Oblig.* Arnold. Vinn. *ad §.* 5. *Inſtit. De Inutilib. ſtipul. num.* 5. Fons Practiq. de Cour, *eod. tit. num.* 4. *&* 10.

12 Sed an, & quatenus pœnalis ſtipulatio ſubſiſtat? Diſtinguendum eſt, inter obligationes dandi & faciendi: Sic ut in facti obligationibus, propter incertitudinem intereſſe valide de pœna certa conveniri poſſit, eaque omnino ſit præſtanda, *§. ult. Inſtit. De Obligat.* Quemadmodum enim ipſum factum, ita quoque & intereſſe quod in facto conſiſtit, incertum eſt. *l.* 24. *ff. De Reg. Jur. l. ult. ff. Si quis in jus vocat. l.* 75. *§.* 7. *ff. De Verb. oblig.* veluti: Si faber lignarius mihi promittat domum perfectam & conſummatam tali aut tali die, ſub certa pœna, niſi effecerit, ſingulis diebus à ſtatuto tempore uſque ad ulteriorem conſummationem, committenda: hic, ſi conſtituto tempore non perfecerit, pro ſingulis diebus, inter ſtatutum tempus, & conſummationem intermediis, in pœnam incurrit, eamque locum habere ſcribit, etiamſi commune intereſſe quodammodo excedere videatur, Damhouderus *Prax. Civil. cap.* 107. modo nec ipſe in mora

aut culpa fuerim, aut faber per morbum, aëris intemperiem, bellum, aut materiæ inopiam præpeditus, aut remoratus fuerit.

In obligationibus autem dandi res promiſſa nunquam non eſt certa, adeoque nec tantum ſupervacaneum eſt illis pœnalem ſtipulationem adjicere, ſed & adjecta in uſurariam pravitatem incidit, nec peti poteſt: quum promiſſioni quantitatis pœna accedere non poſſit. *per l. 15. & ibi* Sichard. Gloſſ. & DD. *Cod. de Uſuris*, atque ita deciſum vide apud Matth. de Afflict. *deciſ.* 135. *num.* 2. Thom. Grammat. *deciſ.* 58. *num.* 6. Teſſaur. *deciſ. Pedemont.* 79. *num.* 1. De moribus Galliæ vide Autum. *Confer. du droict. ad l.* 46. *ff. de actionib. empt.* Enchirid. Jur. Gall. *in verb. pœna ex contractu.* Sed quum ut plurimum in pœnarum ſtipulationibus dandi, & faciendi obligationibus inſint, & concurrant, adeoque pro circumſtantiarum varietate probe diſtinguendum veniant, an & quando in uſurarium contractum incurrat, æquitati, & moribus magis convenit, ut judicis arbitrio dijudicandum committatur, quid & quantum legitimum uſurarum modum excedat. *arg. text. in l.* 13. *§.* 26. *ff De Action. empt.* Vide Fachin. *lib.* 1. *controv. cap.* 50. Menoch. *De arbitrar. Judic. cap.* 160. *num.* 17. *& ſeq.* Rebuff. *ad conſtitut. Reg. De Sentent. quæ pro eo quod intereſt profer. Gloſſ. præferuntur.* Johann. Papon. *lib.* 12. *tit.* 9. *art.* 4. Gutierz. *lib.* 2. *Can. quæſt.* 20. *num.* 5.

CAP. XVII.

De duobus vel pluribus reis, & de fidejuſſoribus.

SUMMARIA.

1. *Duo vel plures rei promittendi vel ſtipulandi qui ſint, & quomodo diſtinguantur.*
2. *Diviſionis beneficium an & quando illis competat, ſi in ſolidum ſinguli conveniuntur; vel non.*
3. *Fidejuſſio quid, qui fidejubere, & an feminæ poſſint.*
4. *Senatusconſulto Vellejano an & quomodo valide renunciare poſſint mulieres.*
5. *An pro naturali obligatione fidejuſſor intercedere poſſit, & cujus ſit effectus.*
6. *An pro obligatione ipſo jure nulla valide intercedat fidejuſſor.*
7. *An aliud pro alio fidei promittens teneatur fidejuſſor.*
8. *An pro majori ſumma acceptus ad concurrentem teneatur.*
9. *An & quando fidejuſſor in uſuras ſortis debitæ pœnas, aut intereſſe per debitoris moram teneatur.*
10. *Conciliatio l. 8. ff. de eo quod certo loco, & l. 54. ff. locati.*
11. *An & quando obligationi ex delicto provenienti fidejuſſor accedere poſſit.*
12. *Quid* Hollandiæ *&* Galliæ *moribus receptum.*
13. *Privilegium* Amſtelodamenſe.
14. Kenemariorum.
15. *De quibus criminibus intelligenda.*
16. *Quid de* Jure Saxonico.
17. *Quomodo conſtitui debeat fidejuſſor, & an quis alterius fidem commendans ut fidejuſſor teneantur.*
18. *Quibus privilegiis & beneficiis gaudeant fidejuſſores convent, & de beneficio ordinis, diviſionis, & excuſſionis.*
19. *Quando & quibus caſibus ceſſent nec locum habeant eadem beneficia.*
20. *Renunciationes beneficiorum fidejuſſoribus competentium an in ſpecie, an vero per generalem clauſulam omnium beneficiorum fieri poſſint.*
21. *An & quomodo de vi iſtorum beneficiorum renunciantes certiorari debeant, & quid moribus.*
22. *An per electionem, principalis aut unius, ex confidejuſſoribus, fidejuſſor aut reliqui confidejuſſores liberentur, & quando creditor diviſionem debuiſſe feciſſe dicatur.*
23. *Fidejuſſor tanquam principalis debitor in ſolidum acceptus, non ut fidejuſſor, ſed ut principalis debitor conſideratur.*
24. *Fidejuſſori ſolventi quænam competat indemnitatis actio, & adverſus quos, an & quando actionum ceſſiones neceſſaria.*
25. *Quando & quo tempore actiones cedi debent ut fidejuſſori proſint, & an etiam poſt ſolutionem?* Affirm. *contra communes.*
26. *Fidejuſſoria actio perpetua eſt, & in heredes competit.*
27. *An & quando ante ſolutionem ad liberationem agere poſſit fidejuſſor.*
28. *An prorogato ſolutionis termino quaſi novatione facta fidejuſſor liberetur.*
29. *Juſtificatio fidejuſſorum an & quatenus magiſtratum juſtificantem obliget.*

STipulatores & promiſſores ſunt vel unus, vel plures, utrimque, vel ex altera tantum parte, quorum illi ſtipulandi, hi promittendi rei ſunt.

Duo

1 Duo, vel plures rei ſtipulandi ſunt, qui unam eandemque rem ab uno & eodem, ex una & eadem cauſa ſimul ſibi dari ſtipulantur. *pr. & §. 1. Inſtit. De duob. reis*, *l. 2. & 3. §. 1. ff. eod.* Duo vel plures rei promittendi ſunt, qui unam eandemque rem, ex una & eadem cauſa, uni & eidem dare ſimul promittunt: *pr. Inſtit. eod. in fin.* Illorum ſingulis ſolidum debetur, neque ulla prorſus exceptione gaudet reus: *§. 1. Inſtit. De duob. reis.* niſi quod ſi uni ſit ſolutum, tollatur obligatio. *l. 2. in pr. ff. ead.* & horum ſinguli in ſolidum tenentur, *§. 1. Inſtit. ead.* & conveniri poſſunt, quamvis præſtatio unius alterum liberet. *d. §. 1. Inſtit. l. 1. & l. 3. ff. ead.* Is vero qui ſolvit, habet actionem negotiorum geſtorum, vel agere poteſt ceſſa actione adverſus correum debendi, ut pro dimidio, aut parte ſua reſtituat, & indemnem ſervet: de qua actione latius infra: ubi, *De fidejuſſoribus.* Communiter volunt ut is qui ex pluribus correis in ſolidum conveniatur, habeat beneficium diviſionis, ut pro rata tantum ſolvat per *l. 11. ff. de duob. reis*, *& Novell. 99. cap. 1. junct. auth. hoc ita, Cod. de duob. reis.* Quod tamen ex ipſo textu *d. l. 11.* probari non poteſt, ubi duobus reis promittendi nullum diviſionis privilegium datur. Neque ipſa *Novell. 99. cap. 1.* de mutua compromiſſione agit, aut ad duos reos extendenda eſt. Quod ab Irnerio in *d. auth. hoc ita* perperam adjectum eſt. Quod miror à Curioſo indagatore Jacobo Wiſſenbach in ſylloge ſua errorum Irnerianorum non eſſe reprehenſum. Sed mihi diſtinguendum videtur inter eos qui ſimpliciter cum alio compromittunt, neque inter eos agitur, ut ſinguli in ſolidum teneantur, veluti ſunt illi, qui pariter eandem rem emunt, quam poſtea pro virili dividunt, quorum ſinguli, niſi aliud actum ſit, pro ſua tantum parte tenentur per *l. 4. ff. de exercit. act. l. 62. ff. ad l. Falcid. l. 31. & l. 33. ff. pro ſocio.* Bart. & DD. *ad d. l. 4. ff. de exercit. act. & ad l. 9. & l. 11. §. 2. ff. de duob. reis.* Vid. Hect. Felic. *tract. de Societ. cap. 11. num. 24.* Et inter vere correos ſtipulandi, qui ita contrahunt, ut unuſquiſque eorum in ſolidum teneatur, ſive hoc expreſſis verbis agatur, quod fieri debère ad hoc ut ſinguli in ſolidum teneantur docet Hector Felic. *d. tract. de Societate cap. 30. num. 40.* per text in *l. 9. &* ibi Bart. Bald. & DD. *Cod. Si certum petatur*, aut ipſo actu eos id voluiſſe appareat, quomodo interpretandi & limitandi text. *l. 2. ff. Commun. divid.* & *l. 2. Cod. pro Socio.* His ita conſtitutis etiam diviſionis beneficium competit. Quod quidem ex ipſo textu *Novell. 99. cap. 1.* probari non poteſt, ſed ad exemplum fidejuſſorum ex eadem finali & diſpoſitiva ratione introductum videtur. arg. *§. 4. Inſtit. de fidejuſſor.* & *l. 26. ff. eod. junct. l. 22. & l. 13. ff. de legib.*

Inſt. III. xvII. D. xLv. II. Cod. vIII. xl. De duobus reis conſtituendis.

2 Quod in praxi obtinet, ut nunquam intelligantur duo rei promittendi, nec in ſolidum teneantur, niſi hoc expreſſe fuerit actum, vulgo **elck een voor al.** & præterea diviſionis beneficio fuerit renunciatum *auth. hoc ita Cod. de duob. reis.* Alexand. *lib. 5. conſil. 38. num. 1. & lib. 2. conſil. 147. num. 1.* Hector Felic. *tract. de Societat. cap. 11. num. 28. & cap. 30. num. 34.* Vide etiam Coſtal. *ad l. 17. ff. ad Senat. Vellej.* Bronchorſt 4. *Aſſert.* 51. Neoſtad. *Cur. Holl. deciſ. 49.* & *Supr. Cur. deciſ.* 98. Grot. *Introd. Juriſprud. Batav. 3. bouk. 3. deel. verſ.* **wanneer.** *& verſ.* **Beyde deſe.**

Ceſſat hoc beneficium diviſionis, ſi ei expreſſe fuerit renunciatum, *arg. l. 1. ff. de ſerv. export.* ut communiter fieri ſolet, aut ſi correi non ſolvendo, aut abſentes fuerint *arg. authent. præſente Cod. De fidejuſſor. & auth. hoc ita. Cod. De duob. reis.* Quam quidam ita intelligunt, ut is qui ſimpliciter cum alio compromiſerit, nec hoc actum ſit, ut quiſque in ſolidum teneatur, nihilominus in ſolidum conveniri poſſit, caſu quo correorum alter eſt abſens, aut non ſolvendo. Sed perperam intellecto textu, qui tantummodo correos expreſſe in ſolidum conſtitutos, hoc modo limitat, ut non aliter in ſolidum quiſque conveniri poſſit, quam ſi alter ſit aut non ſolvendo, aut abſens: ita tenet. *Gloſſ. d. auth. hoc ita, in Rubric.* Vide Sichard. *ibid. num. 4. in fin. & ſeq.*

3 Nec compromiſſor tantum, ſed & fidejuſſor obligationi accedere poteſt. Eſtque fidejuſſio obligatio acceſſoria, qua quis mediante ſtipulatione alienam obligationem ſua fide eſſe jubet, principali debitore obligato manente. *pr. Inſtit. De fidejuſſorib.*

Inſt. III. xxI. D. xlvI. I. Cod. vIII. xl. De Fidejuſſoribus.

Fidejubere poſſunt omnes, qui valide obligari. Sed fœminæ ob Senatuſconſultum Vellejanum ex fidejuſſione non obligantur. *l. 2. ff. ad Senatuſconſult. Vellejan. l. 15. ff. l. 9. l. 10. Cod. eod.* Nec pro maritis ſuis intercedentes conveniri poſſunt propter *auth. ſi qua mulier. Cod. ad Senat. Vellejan.* niſi ei beneficio valide renunciaverint.

D. xvI. I. Cod. Iv. xxIx. Ad Senatuſconſult. Vellejan.

4 Quibus beneficiis mulierem renunciare poſſe poſt DD. inter ſe altercationem, de qua late Berlich. *part. 2. practicab. concluſ. 19. num. 14. & ſeq.* pro communi opinione in praxi eſt receptum. Vide Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 77. in pr.* Joann. à Sand. *lib. 3. tit. 11. defin. 6.* Fachin. *lib. 2. contrav. cap. 60.* Et hanc ſententiam uſu ac conſuetudine confirmari referunt Gothofred. & Buſ. *ad l. ult. §. pen. ff ad Senat. Vellejan.* Quæ tamen renunciationes non niſi expreſſim in publico inſtrumento muliere de jure & beneficio ſuo probe certiorata factæ ſubſiſtunt. *arg. l. antiqua. 23.*

Cod.

Cod. ad Senat. Trebell. Johan. Zanger. tractat. de Except. part. 3. cap. 11. num. 204. Matth. Berlich. Pract. concluſ. part. 2. concluſ. 21. num. 20. Carpzov. defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 16. defin. 19. Andr. Gail d. obſerv. 77. Anton. Feltaur. deciſ. 22. Joann. à Sande deciſ. Friſicar. lib. 3. tit. 11. defin. 3. & late Franc. Balthaſar practicab. reſolut. Jur. Civ. & Bavarici, tit. 1. Reſolut. 12. num. 15. & ſeq.

Et quidem pro omnibus, & ad omnino obligationem dari fidejuſſor poteſt, etiam ad obligationem naturalem, §. 1. Inſtit. De fidejuſſ. l. 12. l. 8. §. 1. l. 16. §. 3. ff. eod. quomodo pro pupilli obligatione recte accedit fidejuſſor. l. 127. ff. De Verb. oblig. quo refero etiam pro mulieris alteriuſve privilegiati obligatione fidejuſſorem intercedere poſſe, eumque obligari, ubicunque modo naturalis obligatio ſubeſt. Vid. Carpzov. defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 15. defin. 7. Herbaj. ver. quotidiadar. cap. 13. §. 21. contra Berlich. concluſ. pract. part. 2. concluſ. 17. num. 110. & ſeq. Tiraquell. de leg. connub. Gloſſ 4. num. 14. & Gratian. diſcept. Forenſ. tom. 1. cap. 122. Grot. Introduct. lib. 3. cap. 3. verſ Bemantlijn. 5

Pro contractu autem ipſo jure nullo, aut perſona nullo modo obligata fidejuſſor quoque non tenetur, quia fidejuſſor in duriorem partem aut cauſam quam reus principalis debet acceptus, non obligatur. l. 8. §. 7. ff. de Fidejuſſor. §. 5. Inſtit. eod. junct. l. 46. ff. de Fidejuſſor. Gloſſ. in l. 1. in verb. omni. ff. de Fidejuſſ. Vid. Jaſon. conſil. 133. num. 20. vol. 4. Mart. dig. Noviſſ. tom. 3. tit. Fidejuſſor. cap. 76. Schneiduin. ad §. in omnibus. 1. Inſtit. De Fidejuſſ. num. 13. 6

Hinc etiam qui aliud fidejubendo promittit quam reus principalis debet, veluti ſi fidejuſſor pro frumento reſponderit, principalis autem pecuniam debeat, inutilis eſt fidejuſſio: l. ſi ita. 43. ff. de Fidejuſſ. junct. d. l. 8. §. 8. ff. eod. ubi Bart. & DD. Pinell. ad Rubr. Cod. de reſcindend. vend. part. 1. cap. 3. num. 18. & ſeq. 7

Sed quid ſi fidejuſſor ſe ad majorem ſummam obligaverit, quam reus principalis debet, an ad concurrentem ſummam teneatur, quæſitum eſt? Quod quamvis ſubtili jure pro negativa defendi poſſit, ex §. 5. Inſt. de Fidejuſſorib. & l. 8. §. 7. ff de Fidejuſſoribus, in verbis (omnino non) quæ non alium ſenſum habere putant, quam ut nullo modo obligentur, quomodo accipiuntur eadem verba in l. 11. §. 4. ff. de Interrog. in Jure fac. Quæ invertit Haloander, ut legatur, (non omnino) id eſt, aliquateous, ſed quod ab eo non recte tranſpoſitum reprehendit Ludovic. Ruſſard. affirmativa tamen ut æquior pro communi opinione in praxi invaluit, arg. l. 11. §. 1. ff. de conſtit. pecun. l. 33. ff. mandat. Vide Fachin. lib. 8. controv. cap. 51. Bronchorſt. Centur. 4. aſſert. 53. Gomez. var. reſolut. tom. 2. cap. 13. num. 2. Vaſq. illuſtr. controv. lib. 1. cap. 40. num. 5. Vinn. ad §. 5. Inſtit. de Fidejuſſor. Anton. Hering. tract. de Fidejuſſorib. cap. 24. num. 63. & ſeq. Marc. à Lyclama lib. 6. Eclog. 16. Et noviſſime Carpzov. Juriſprud. Forenſ. part. 2. conſtit. 19. defin. 9. Eſtque verus ſenſus. d. l. 8. §. 7. de Fidejuſſoribus. Ut fidejuſſor, omnino non, id eſt nullo modo in duriorem partem obligetur, in leviorem concurrentem poſſit. Neque eſt quod vetat, quum non ex interrogatione, ſed ex ſola promiſſione obligemur, & teneamur: ſi ſcilicet ſtipulatio ſit dividua, ut in l. 1. §. 4. de Verb. Oblig. Ubi majori ſummæ minor ineſt, ſecus ſi individua ſit, cujus per rerum naturam nulla obligatio eſt, quomodo intelligenda l. 83. §. 2. ff. de Verb. Oblig. Neque obſtat. §. 5. Inſtit. de Inutilib. ſtipulat. qui non alium habet ſenſum, quam d. l. 8. §. 7. ff. de Fidejuſſor. Inutilis, id eſt, eatenus inutilis, ut ne quis in majorem ſummam teneatur. Quod, quum non caperet Anton. Matth. minus caute indiſſolubilem antinomiam ſtatuit inter d. §. 5. Inſtit. de Inutilib. ſtipulat. & l. 1. §. 4. ff. de Verb. Oblig. In colleg. Inſtitut. lib. 1. diſput. 15. theſ. 10. Pro hac interpretatione facit. §. 5. Inſtit. de Fidejuſſorib. Eodemque modo intelligendum, quod dicitur denegari actionem, ſi quis fines mandati exceſſerit. §. 8. Inſtit. mandat. junct. l. 4. ff. eod. Cui accedit quod quum hodie pactorum, & ſtipulationum jura plane ſint confuſa, ſic ut vel ex nudo pacto quod ſerio & deliberato animo contrahitur, efficax detur actio, conſequens ſit, ut is qui ex certa ſcientia, & deliberato animo ſe in duriorem cauſam obligavit, veluti ſi viginti fidei ſuæ ſumpſerit, pro eo qui decem tantum debebat, is ex vi ſtipulationis ad inſtar rei promittendi, non tantum ad decem, ſed & ad alia decem de novo credenda mandati quaſi actione teneatur. Ut poſt Covarruv. ad cap. quamvis de pact. in 6. recte animadvertit Groeneweg. de Legib. abrogat. ad d. l. 8. §. 7. ff. de Fidejuſſor. haud aliter quam is, qui ita ſtipulatus eſt: quantam pecuniam Titio quandoque credideris, dare ſpondeo. Si is Titio ſæpe crediderit, in omnes ſummas tenetur. l. 55. ff. de Fidejuſſ. junct. §. 3. Inſtit. eod. 8

Nec minoris difficultatis eſt, an & quando fidejuſſor in uſuras debitæ ſortis teneatur, ſi nempe nulla earum in ipſa fidejuſſione mentio ſit facta? Quæ ſiquidem in ſtipulationem principalis debiti fuerint deductæ, ita ut jure actionis exigi queant, illudque ſciverit, aut ſcire potuerit fidejuſſor, 9

à fide-

à fidejuſſore etiam ſimpliciter ſine earum mentione facta, accepto debebuntur, quod ipſi fidejuſſioni in continenti adjectum & ineſſe videtur, *arg. l. 40. ff. de reb. cred.* Fidejuſſor enim ad omne id obligatus eſt, quod tempore fidejuſſionis in obligatione erat, ſive ſors fuerit, ſive uſura, *l. 4. l. 68. §. 1. ff de Fidejuſſorib. l. 10. Cod. eod. l. 8. Cod. quod cum eo.* vide Hering. *de Fidejuſſorib. cap. 24. num. 48. & 233.* ubi late *per tot.* ad quid teneatur fidejuſſor; & Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 19. defin. 8.* Niſi certam taxationem ipſi fidejuſſioni oppoſuerit. *arg. d. l. 68. §. 1. & l. 2. § pen. & ult. de adminiſtrat. rer. ad Civit. pertin.* veluti ſi fidejuſſor non ſimpliciter, ſed in ſolam ſortem fidem ſuam obſtrinxerit. *Fac. l. 54. ff. locati, l. 10. ff. rem pupilli ſalvam fore*, vide Argentr. *ad Conſuetud. Britann. art. 207. gloſſ. 2.* Ut deciſum refert Joann. à Sande *deciſ. Friſicar. lib. 3. tit. 10. defin. 4.*

10 Sed an & ad uſuras, pœnas, & intereſſe ex mora debitoris præſtandas teneatur? res tota hæret, propter pugnam *l. 8. ff. de eo quod certo loco, & l. 54. ff locati*, pro quarum conciliatione varie diſtinguunt interpretes. Quibus omiſſis, quicquid ſentiant alii, expeditum ſatis videtur. Ut, mora quidem principalis debitoris ad perpetuandam & continuandam fidejuſſionem ipſiſi dejuſſori noceat, ad intereſſe autem, & uſuras inde præſtandas nequaquam; quo facit *d. l. 54. ff. locati.* junct. *l. quicquid adſtringendæ. 99. ff. de Verb. oblig.* Quippe quod mora tanquam ex delicto pœnæ loco ſit: quæ unicuique ſua nocere debet, non alteri, *l. 173. §. 2. ff. De Reg. Jur.* & iniquiſſimum foret alterum ex alterius facto damnum aut pœnam pati. *l. 27. ff. De negot. geſt. l. 44. ff. De hered. inſtit.* junct. *l. 22. Cod. De pœnis.* Vid. Hering. *De Fidejuſſor. d. cap. 24. num. 124.* Matth. Coler. *De Proceſſ. executiv. part. 1. cap. 10. num. 351.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 19. defin. 2.* Gratian. *diſcept. Forenſ. tom. 1. cap. 130. num. 28. & ſeq.* & omnium elegantiſſime Arnold. Vinn. *Select. Jur. quæſt. lib. 2. cap. 10.*

11 Nec tantum obligationi ex contractu in cauſis civilibus, verum etiam obligationi ex delicto provenienti, in cauſis criminalibus fidejuſſor accedere poteſt. *l. 8. §. 5. ff. de fidejuſſorib.* modo perſecutionem habeat pecuniariam. *l. 1. & l. 3. Cod. de cuſtod. & exhibit. reorum.* At ſi reo corporalis pœna, ſive ſanguinis, ſive alterius alicujus coërcitionis infligenda ſit, reum fidejuſſoribus datis relaxandum non eſſe, communiter volunt interpretes, ne ſi fidejuſſor obligaverit ſe in eandem pœnam corporalem, qua plectendus veniebat principalis, quum nemo membrorum ſuorum dominus ſit. *l. 13. in pr. ff. ad leg. Aquil.* Si reus tempore ſententiæ aufugerit, pœna fiat illuſoria.

12 Quod noſtris, & Galliæ moribus convenit, quibus quidem in actionibus ex delicto arbitrariis, & pœnis non capitalibus, arbitrio judicis relinquitur, ut reus admiſſis fidejuſſoribus, qui judicio ſiſti, & ut defendat ſe, ſententiæque executionem exſpectet, vel die ferendæ ſententiæ in carcerem ſe recipiat, certa pecuniæ ſumma, vel incerta pœnæ nomine expreſſa promittunt, relaxetur, juxta *l. 1. 2. & ſeq. ff. De cuſtod. & exhib. reor. l. 6. §. 3. Cod. De Appellat. cap. cum homo. 19. cauſ. 23. quæſt. 5.* In capitali vero crimine, quum fidejuſſor ſe corporali pœnæ pro alio ſubjicere nequeat, fidejuſſio non admittitur, nec relaxationi locus eſt. Bugnon. *de legib. abrogat. lib. 1. ſat. 91. & lib. 2. ſect. 66.* Autumn. *Confer. du droict. ad l. 4. ff. De cuſtod. & exhibit. reor:* Guid. Pap. *quæſt. 278.* Anton. Matth. *De Criminib. lib. 48. tit. 14. cap. 2. num. 14. 15.* In quam rem expreſſus eſt textus *in Statut. Diœceſ. Ultrajectin. Rubric. 36. art. 1.* his verbis, **In alle delicten daar die punitie is van lyve/lede/openbaar ſchavotteringe/geeſſelinge/of diergelyke/en is den gevangen niet te ontſlaan op Borg-togte/ten waar den Officier ſyn concluſie civile genomen hadde/ ende den Regter dogte alſoo te behooren.** Id eſt: In omni delicto, cujus pœna corporis eſt afflictiva, publicæ fuſtigationis, publicæ coërcitionis, aut ſimilis, fidejuſſoria relaxatio deneganda eſt; niſi Prætor actionem ſuam civiliter intenderit, aut ipſe judex, ex cauſa ita arbitratus fuerit. Quomodo etiam interpretandum eſt Edict. *Philippi II.* de modo procedendi in cauſis criminalibus, *Anni* 1570. *art.* 52. in his verbis, **Indien de ſaake ende materie niet te ſwaar en is/ſullen de gevangen geſlaakt werden tot erbieden/ op cautie ofte Borg-togte** fidejuſſoir, **ofte** juratoir, **na de qualiteyt van de perſoon ende der misdaed.** Id eſt: In cauſa aut materia non ita gravi, aut magna, reus incarceratus ſub fide de judicio ſiſti, præſtita cautione fidejuſſoria aut juratoria, pro delicti & perſonæ qualitate relaxabitur.

13 Amſtelodamenſibus tamen privilegio Alberti Ducis Bavariæ, Hollandiæ Comitis *Anno* 1387. indultum eſt: **Dat de Officiers om geene delicten ofte feyten/ die een Poorter van Amſterdam geperpetreert ende gedaen mogt hebben/ geen Poorter vermag te gyſelen/vangen/noch bekommeren/noch oock hinder doen aen lyf noch aen goedt/**

ſoo verre hy ſuffiſantelijk kan caveeren tot diſcretie van Schepenen dat hy recht ſal verbeyden van 't gene de Officiers op hem ſouden mogen hebben te pretenderen / uytgeſeyt / moordt / brandt / Vrouwe-krachte / Kaeroof / indien een Poorter hem met gewapender hand ſtelde tegens de Hooge Overheyt; indien een Poorter miſdede binnen den Kaeſloot van Reygerſbroek / ter ouder Amſtel / ende ons Conijnen in Goyland. id eſt: Ut nulli Officiales propter aliqua delicta, aut facta, ab incolis Amſtelodamenſibus perpetrata & commiſſa, aliquem eorundem incolarum ſiſtant, manus ei injiciant, aut apprehendant, qui modo ad arbitrium Scabinorum idoneè ſatiſdare poſſit ſe judicio, exceptis cauſa ſtaturum, ſuper eo, quod dicti Officiales in eum prætendere voluerint, exceptis, lattocinio, incendio, ſtupro violento, & rapina, aut ſi quis armatam manum ſupremæ poteſtati intulerit, aut quis delinquat intra Reygersbroeckii, ad veterem Amſtelam, territorium, & intra Goylandiæ cuniculos.

Quod & in Leydenſi civitate uſitatum fuiſſe legimus apud J. Corlers *deſcrpt. Lugdun. Batav. pag.* 33. Quibus obærati debitores aliique civilium actionum rei antequam in carcerem deduci potuerint, in circumſcripto lapide in meditullio propatuli prope curiam poſito, certo tempore exponebantur, ut quis interim interpoſita fidejuſſione eos luere dignetur, cujus quidem luitionis ſolennia in diſſuetudinem abiere, præſentis tamen ejuſdem lapidis ſitus, & forma in perpetuam rei memoriam ſervatur curulei coloris, ad differentiam alterius albi lapidis, pro Azylo & tuto delinquentium refugio, & alterius rubri, in criminalium executionum loco poſiti.

Similique modo Kenemaria, Kenemariæque incolis à Wilhelmo Comite 24. Martii 1404. 14
in privilegii modum conceſſum legimus: Dat men niemandt vangen / binden / noch ſijn goedt benemen en ſal / noch luyden in haar goeden ſetten / alſoo verre als hy borge heeſe te ſetten voor lijf ende goedt / waart dat men hem aenſpreecken woude aen ſijn lijve / ende hadde hy deſgelijcken borge te ſetten van goede / woude men hem aenſpreecken van goede / etc. id eſt: Ut nemo arripiatur, apprehendaturve, ejusve bonis manus injiciantur, qui modo pro corporali bonorumque pœna cavere idoneè poſſit, ſi capitali judicio accuſetur, aut ſi ejuſmodi bonorum ſatiſdationem præſtare poſſit, pro eo quod bonorum confiſcatione contra eum agitur, &c. Quod quamvis indiſtincte de omnium delictorum & criminum 15
reis loqui videatur, ad minora tamen delicta tantum, eaque quorum pœna non eſt capitalis, ſed arbitraria, reſtringendum judicarem: quum, nec Princeps præſumatur velle eo ipſo pœnam corporis afflictivam fore illuſoriam, & ſic maleficia manere impunita: *arg. l.* 51. *circa fin. ff. ad leg. Aquil.* nec privilegium contra jus vel utilitatem publicam debeat detorqueri. *tot. tit. Cod. Si contra Jus vel utilitat. publ.* maxime in privilegio Amſtelodamenſibus conceſſo, quod majorum criminum pœnas capitales nominatim excipit.

Jure tamen Saxonico cujuſcumque criminis reus in flagranti crimine, aut delicti fuga non de- 16
prehenſus, ſed ex præſumptionibus, aut aliis indiciis incarceratus, datis fidejuſſoribus relaxari debet, *Land-R. lib.* 2. *art.* 9. *in pr.* Qui ſi reum criminis non potuerint exhibere, olim, non ultra præſtationem unius *Weergelds*, id eſt, 24. vicenarum pœna nomine mulctabantur. *Land-R. lib.* 3. *art.* 9. *in pr.* adeoque reus ad impetrandam carceris relaxationem, invitus ſub majori pœna pecuniaria quam unius *Weergelds* non compellebatur. *d. Land-R. lib.* 2. *art.* 10. Quod poſtmodo diſſuetudine abrogatum, totumque illud negocium arbitrio Judicis, ſub pœna nonnunquam 500. interdum mille & plurium Florenorum, attenta conditione perſonæ interfectæ, & ipſius familiæ, item circumſtantiis & patrimonio interfectoris conventi, æſtimandum relinquitur, per ea quæ tradit Matth. Coler. *de proceſſib. executiv. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 90. & *German. deciſion. part.* 1. *deciſ.* 29. Ubi ita practicari, & tam in Scabinatibus quam in aulis Saxonicis uſu obſervari teſtatur.

Conſtituitur fidejuſſor nominatim, & expreſſa ſtipulatione interveniente, qua ſe quid datu- 17
rum vel facturum pro alio expreſſe promittit, *l.* 1. *§.* 7. *l.* 52. *§.* 2. *ff. de oblig. & act. l.* 1. *ff. de Verb. oblig. §.* 1. *Inſtit. eod. pr. Inſtit. de Fidejuſſor.*

Hinc ſi quis ſimpliciter alicujus fidem commendaverit, dicens debitorem eſſe idoneum & ſolvendo, quia non hoc agere vere dici poteſt, ut commendando fidem ſuam pro ipſo obſtringat, ſed ſolum ut ipſi commendato major fides habeatur, ut fidejuſſor conveniri non poteſt: quia ſimplex commendatio obligationem non inducit, aliudque ſit mandare quam commendare. *l.* 12. *§.* 12. *ff. mandati*, & conſilii non fraudulentis nulla ſit obligatio. *l.* 47. *ff de Reg. Jur.* Ne ſcilicet actus agentium quicquam operentur ultra eorum intentionem. *l.* 19. *in pr. ff. de reb. cred. & ibid.* DD.

Atque ita ſi quis tibi conſuluerit, ut Titio pecuniam ſceneres, eumque ſolvendo eſſe bona fide aſſeruerit, non tenebitur fidejuſſoria actione, quamvis non aliter Titio credidiſſes, niſi ille eum idoneum eſſe perſeveraſſet. *l.* 2. *ff. de proxenet. l. ult. Cod. quod cum eo qui in alien. poteſt. d.*

l. 12.

l. 12. *§.* 12. *ff. mandat. l.* 7. *§. ult. & ſeq. ff. de dolo, & ibi* Coſtal. Gom. 2. *var. reſolut. cap.* 13. *num.* 5. Pyrrh. Maur. *de fidejuſſor. part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 4. Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubr.* 5. *§.* 2. *verſ. Son principal oblige, in addit. in pr.* Papon. *lib.* 10. *tit.* 4. *art.* 6. *in append.* Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 111. *& vol.* 3. *deciſ.* 34. *num.* 6. Grot. *Introd. ad Juriſprud. Holl. lib.* 3. *part.* 3. *verſic.* **Borg togt.** Carpzov. *Juriſpr. Forenſ. part.* 2. *conſt.* 20. *defin.* 10. Excepto ſi ſui lucri cauſa, quis alium falſo commendaverit, quo caſu de dolo tenebitur: per *l.* 7. *§.* 10. junct. *l. ſeq. ff. de dolo.* Niſi de voluntate fidejubendi aliunde ſatis conſtiterit, veluti, ſi periculo ſuo plenam fidem adhiberi juſſerit, quo caſu mandati actione tenetur, *l.* 12. *§.* 13. *ff. mandati.*

Quomodo inter Mercatores, quibus exuberantiſſima fides requiritur, quibuſdam locis conſuetudinis eſt, ut perſuaſio ac rogatio, de merces alicui ignoto credendo, fidejuſſoriam obligationem inducat. Ut poſt Hering. *tract. de Fidejuſſ. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 282. & Joann. Koppen *deciſ.* 56. *num.* 9. Carpzov. *definit. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 18. *defin. ultim.* Quomodo etiam Antverpiæ conſtantiſſime inter Mercatores obſervari refert Neoſtad. *ſuprem. Cur. Holland. deciſ.* 5. Ut qui fidem alterius commendat, jam fidejuſſiſſe credatur.

18 Fidejuſſor tamen debite & ſolenniter conſtitutus hæc juris beneficia habet. I. Ut ei convento, ex ordinis, ſive excuſſionis beneficio exceptio detur, de principali prius conveniendo & penitus excutiendo. *auth. præſente. Cod. de Fidejuſſor. Novell.* 4. *cap.* 1. II. Ut ſi plures ſint fidejuſſores, unus ex pluribus conventus, ex epiſtola Divi Adriani diviſionis exceptionem habeat, qua creditor actionem dividere, & à ſingulis qui litis conteſtatæ tempore ſolvendo ſunt, portionem virilem petere cogitur. *§.* 4. *Inſtit. de Fidejuſſorib. l.* 26. *ff. eod.* III. Eſt cedendarum actionum beneficium, quo creditor fidejuſſori convento, & condemnato omne jus, & actionem ſuam adverſus principalem debitorem, confidejuſſores cedere tenetur. *l.* 11. *Cod. de Fidejuſſor. l.* 17. *ff. de ſolut.* & ibi Bart. & DD. vide Valent. Franc. *tract. de Fidejuſſorib. cap.* 5. *num.* 490. *& ſeq.* Berlich. *pract. Concluſ. part.* 2. *Concluſ.* 22. *num.* 90. *& ſeq.* Coler. *deciſ.* 220. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 7. *art.* 15. *num.* 7. A quo beneficio an & quatenus renunciatio facta noceat, eaque non obſtante poſt ſolutionem factam actio cedi debeat, vide Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 17. *defin.* 17. Zanger. *De Except. part.* 2. *cap.* 16. *num.* 43. IV. Quod omnis exceptio realis quæ debitori competit, etiam fidejuſſori proſit. *l.* 7. *§.* 1. *ff. de Except. l.* 11. *Cod. eod. l.* 32. *l.* 46. *ff. de Fidejuſſ. l.* 2. *Cod. Quæ res pignori oblig. non poſſ.* ſecus in perſonalibus. *d. l.* 7. *in pr. ff. de Except.* Vid. late Valent. Franc. *De Fidejuſſ. cap.* 3. *num.* 24. *& num.* 98. *cum ſeqq.*

Adde quod ex authenticorum novo jure, contra *l.* 2. *& l.* 17. *Cod. de Fidejuſſor.* quibus creditor electionem habebat, utrum pignus proſequi, an fidejuſſorem convenire velit, per *Novell.* 4. *cap.* 1. unde petita *Authent. præſent. Cod. de Fidejuſſor. & auth. hoc ſi debitor. Cod. de pignor. & hypoth.* excuſſionis beneficium fidejuſſori etiam proſit, quo non niſi excuſſo pignore creditor eum convenire poteſt. Vid. Hering. *de Fidejuſſor. cap.* 20. *num.* 18. Valentin. Franc. *de Fidejuſſor. cap.* 5. *num.* 176. Hartmann. Piſtor. *obſerv.* 80. *num.* 3. niſi pignus commode vendi non poſſit. Ut poſt Hippolyt. de Marſil. & Hartmann. Piſtor. *d. loco*, eandem deciſionem limitat Carpzov. *definit. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 18. *defin.* 22. quem vide. Vide etiam Grot. *Introd. lib.* 3. *part.* 3. *verſ.* **Jegens de Roomſche Regten.** Et concordat *Placit.* Caroli V. 21. *Feb.* 1564. Idemque Amſtelodami conſuetudine obtinere cumulata per turbinem atteſtatione 16. *Januaris* 1574. probatum conſtat, **Privileg. ende Hand-veſten van Amſterdam** / *pag. mihi* 88. V. Habet & illud beneficium fidejuſſor ut in ipſa executione debitoris bona, ſi quæ reperiri poſſint, diſtrahenda aſſignare poſſit, nobis, **by aanwyſing van Goederen** / *arg. l.* 8. *§.* 7. *ff. mandat.* junct. *auth. ſi captivi ſubject. l.* 49. *Cod. de Epiſcop. & Cleric. & ibi* Bart. & Caſtrenſ.

19 Quæ tamen remedia iterum ſuas patiuntur exceptiones. Quomodo primo ceſſat beneficium ordinis ſive excuſſionis, ſi debitor ſit abſens, *auth. præſente. Cod. de fidejuſſor.* vel notorie inſolvendo. *d. auth.* junct. *l.* 6. *ff. de dolo malo.* Vide Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 27. *num.* 14. Radelant *deciſ. Ultraject.* 99. *num.* 7. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 18. *defin.* 11. *defin.* 15. *& defin.* 20. II. Si quis interceſſerit pro eo, qui naturaliter tantum erat obligatus, ut pro pupillo, muliere, & eo, qui in perſona ſua excuti nequit. per *l.* 25. *ff. de fidejuſſoribus.* Andr. Gail *d. obſerv.* 27. *num.* 25. Matth. Coler. *de proceſſ. execut. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 40. Vincent. Caroc. *de excuſſ. bonor. part.* 2. *quæſt.* 40. *& quæſt.* 41. *num.* 3. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 18. *defin.* 8. III. Si fidejuſſor ſe fidejuſſiſſe malitioſe fuerit inficiatus. *arg. l.* 10. *§.* 1. *ff. de fidejuſſorib. l.* 37. *ff. de minorib.* Anton. Teſſaur. *deciſ. Pedemont.* 50. Valent. Franc. *de fidejuſſ. cap.* 5. *num.* 407. IV. Si ab ipſo beneficio fuerit renunciatum. *arg. l. pen. Cod. de pact.*

Similique fere modo ceſſat beneficium diviſionis. I. Si reliqui fidejuſſores abſint, aut tem-

pore litiſconteſtationis non ſint ſolvendo: nam ſi poſt litiſconteſtationem deſinant non ſolvendo eſſe, ad damnum creditoris pertinet. *§. 4. Inſtit. de Fidejuſſor.* II. Si quis intercesſerit cum fœmina aut eo qui naturaliter tantum ſe ipſum obligare potuit, qui in ſolidum obligatus eſt. *l. 48. ff. eod.* quomodo & à Friſiæ Senatu judicatum refert Joann. à Sande *lib. 3. tit. 10. defin. 2.* Si mas cum fœmina ſimul fidejuſſerint, licet beneficio diviſionis non fuerit renunciatum, marem in ſolidum teneri. III. Si doloſe quis negaverit interpoſitam fidejuſſionem, *d. l. 10. ff. de Fidejuſſor.* IV. Si quis diviſionis beneficio renunciaverit. *arg. d. l. pen. Cod. de pact.*

An autem iſtæ renunciationes nominatim & in ſpecie fieri debeant? quamvis iis ſatis renunciatum putent alii per generalem clauſulam omnium, aut ſingulorum beneficiorum, quæ fidejuſſoribus competunt, ac competere poſſunt, inter quos Valentin. Frauch. *de Fidejuſſor. cap. 5. num.* 346. Matth. Coler. *de proceſſib. execut. part. 1. cap. 10. num. 445. & ſeq.* & Tiraquell. *ad l. ſi nunquam. 8. Cod. de revocand. donat. in præfat. num. 151.* & alii quos cumulatim citat Berlich. *concluſ. pract. part. 2. concluſ. 22. num. 2.* In praxi tamen rectius receptum eſt, generalem renunciationem omnium beneficiorum non ſufficere, ſed nominatim & in ſpecie ab iis recedi, ut quæ ſunt de natura & ſubſtantia ipſius actus, ut recte notat Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 27. defin. 31. num. 3.* Vide Berlich. *d. loco.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 17. defin. 1.* & Coler. *deciſ. 220. num. 28. & ſeq.* Quippe quod ejuſmodi generales renunciationum clauſulæ, ut plurimum; impertinenter, de conſuetudine Notariorum imperitorum ipſis inſtrumentis, præter partium ſcientiam, & notitiam intermiſceantur. 20

Quare nec illæ renunciationes, licet nominatim & in ſpecie factæ, ſubſiſtunt, niſi fidejuſſores (propterea quod difficilioris & reconditi juris cenſeantur, quæ unumquemvis facile latere poſſunt) de iis certiorati, & edocti fuerint: In tantum, ut omiſſa certioratio renunciationem vitiet: per ea quæ tradunt Matth. Coler. *de proceſſib. execut. part. 1. cap. 10. num. 440.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 27.* Grot. *Introd. ad Juriſprud. Batav. lib. 3. part. 3. verſ.* **Beyde deſe voordeelen.** Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 17. defin. 4.* Præſertim apud nos, quibus vana fere irritaque ſunt hæc beneficia, ob quotidianum Tabellionum ſive Notariorum noſtrorum ſtylum, qui fere nunquam omittunt, renunciaſſe fidejuſſorem, ordinis, diviſionis, & excuſſionis beneficio. Quod idem de Galliæ moribus refert Mornac. *ad l. 3. Cod. de conſtit. pecun.* Addentes ſubinde, inquit ille, renunciationem authenticæ, *præſente*, & Epiſtolæ Divi Adriani, in quo & feſtivæ etiam plerumque ſunt Tabellionum ruſticorum ineptiæ, aliud pro alio ſcriptitantium. Quod notanter etiam in noſtros quadrat, qui rarius omittunt renunciationem Senatuſconſulti Vellejani & authenticæ, *ſi qua mulier, Cod. eod.* etiam ubi fœmina nulla interceſſit. 21

Sed an creditor contra principalem debitorem agens, poſt litiſconteſtationem cum eo factam, poſtea eo relicto, ad fidejuſſorem cum renunciatione obligatum, in ſolidum redire poſſit? nihil vetat, nec per ejuſmodi electionem fidejuſſor liberatur, *arg. l. 23. & l. pen. Cod. de fidejuſſor.* Atque ita deciſum probant Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 6.* Capic. *deciſ. 119. num. 7.* Rebuff. *ad conſtit. Regias de litterat. obligat. art. 11. Gloſſ. 3. num. 44.* Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubr. 5. §. 2. in verb. Son principal. num. 6. & num. 21.* Radelant *deciſ. Ultrajectin. 22.* Berlich. *Germaniæ deciſ. 119. num. 5.* Matth. Coler. *de proceſſ. executiv. part. 1. cap. 8. num. 46.* contra Joann. Papon. *lib. 10. tit. 4. arreſt. 19.* quem potius de fidejuſſore ſimpliciter & abſque renunciatione accepto intelligas. Limitatur tamen hæc deciſio, ſi ipſe creditor, qui quum plures haberet correos, aut plures fidejuſſores, debitum diviſerit, ejuſque partem à fidejuſſore, partem autem à principali debitore petierit, quo caſu per diviſionem, & electionem poſt litem conteſtatam creditor ſibi præjudicat, ut debitum ab aliis correis confidejuſſoribus petere non poſſit, niſi pro rata. per text. *in l. 16. Cod. de fidejuſſor. junct. l. 18. Cod. de pact.* obſtante nimirum exceptione taciti pacti de non petendo. Vide Thoming. *deciſ. 47.* Hartmann. Piſtor. *quæſt. 9.* & Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 17. defin. 11.* 22

Fidejuſſor tanquam principalis debitor acceptus, vulgo, **tot Borg / als mede principael elcx een voor al / etc.** ſolutionem ejus tanquam proprii debiti ſuſcepiſſe intelligitur, perindeque eſt, ac ſi omnibus beneficiis renunciaſſet, nec ut fidejuſſor ſed tanquam principalis debitor, abſque ulla alterius diſcuſſione convenitur. Quia in contractibus verba non debent eſſe otioſa. *l. 1. §. 1. ff. quod quiſque Juris. l. 109. ff. De legat. 1.* & moribus patriæ in contractibus & ſtipulationibus, ſola facti veritate inſpecta, conſideratur id quod actum eſt. Vid. Alexand. *conſil. 22. num. 4. vol. 7. diſputat.* Fachin. *controv. lib. 8. cap. 54.* Et communiter in foro obſervari teſtatur Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 28.* Chriſtin. *volum. 1. deciſ. 135.* Pecc. *De Jure ſiſtendi cap. 4. num. 9. in fin. Statut. Antverp. cap. 63. art. 1. Conſuetudin. Mechlin. tit. 7. art. 15.* 23

& ibi

& ibi Chriſtin. Lambert. Goris *ad Conſuet. Velav. cap. 17. art. 1. Gloſſ. 3. num. 5.* Radelant *Cur. Ultraject. deciſ. 99. num.* 8. Anton. Teſſaur. *deciſ. Pedemontan.* 166. Grot. *Introd. lib. 3. part. 3. verſ.* Beyde deſe / *in fin.* Et ab Hollandiæ Curia ita judicatum memini, contra Ant. Fabr. *Cod. lib.* 8. *tit.* 23. *defin.* 31. & Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 18. *defin.* 2. Qui de Jure Saxonico contrarium obtinere refert.

Sed in fidejuſſore indemnitatis ſingulare eſt. Ut is licet excuſſionis beneficio renunciaverit, non ante conveniri poſſit, quam principalis debitor prius fuerit diſcuſſus; quod non ex fidejuſſione, ſed ex natura & ſubſtantia ipſius contractus provenit: quia nimirum fidejuſſor indemnitatis, ex conventione ac promiſſione id demum debet, quod à principali debitore exigi nequit, ſic ut prius conſtare debeat quantum à principali conſequi poſſit creditor, antequam indemnitatis actio incipiat, *l. 116. ff. De Verb. obligat. l. 15. §. 1. ff. De fidejuſſor.* Matth. Coler. *de Proceſſib. executiv. part. 1. cap. 10. num.* 451. Andr. Gail. *lib. 2. obſerv. 27. num.* 13. Coſtal. *ad l. ult. ff. De reb. cred.* Anton. Fabr. *ad Cod. lib. 8. tit. 28. defin.* 46. Papon. *lib. 10. tit. 4. art.* 12. Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 17. defin.* 7.

24 Fidejuſſor ſolvens ſolidum, aut à principali debitore pro indemnitate & reſtitutione totum repetere poteſt. *§. 6. Inſtit. De fidejuſſor. l. 20. l. 53 ff. mandat.* licet ei actio ceſſa non ſit. *arg. l. 38. ff. De Evict. & l. 19. ff Qui pot. in pignor.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 28. defin.* 17. Schneiduin. *ad §. 6. Inſtit. De fidejuſſorib.* nec modo debitum ſolutum, ſed & ſumptus intereſſe, & damna à principali repetit fidejuſſor. *l. 20. l. 23. l. 35. ff. mandat. cap. pervenit. & cap. conſtitutus. De fidejuſſorib.* Bart. *ad l. 67. in fin. ff. De fidejuſſor.* Bald. *ad l. conſtitutoribus. Cod. De Uſur.* Vide Hartmann. Piſtor. *Obſerv. ſingular.* 79. à confidejuſſoribus partem tantum, neque aliter quàm ceſſis actionibus repetit. *l. 39. ff. De fidejuſſorib. & ibi* Bart. & DD. Nicol. Everhard. *Conſil.* 1. Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 17. defin.* 15. Matth. Coler. *De Proceſſ. executiv. part. 1. cap. 10. num.* 423. Schneiduin. *ad §. 4. Inſtit. De fidejuſſorib. num.* 2a. Nicol. vander Hoogh *Singular. Jur.* 68. Nec ſufficit fidejuſſori inſtrumentum debiti à creditore traditum eſſe, niſi & verbis expreſſis actiones fuerint ceſſæ, ut in praxi receptum notant Petr. Heig. *part. 1. quaſt. 38. num.* 53. Joann. Zanger. *part. 2. cap. 16. num.* 45.

Utrum vero & à confidejuſſoribus ſicuti debiti partem, ita & damnorum, & expenſarum indemnitatem pro ſua parte petere poſſit? Non videtur: quia contra eos, non niſi ex jure à creditore ſibi ceſſo agere poteſt. *d. l. 39. ff. De fidejuſſorib.* Bart. *ad. l. Modeſtinus 76. ff. De Solut.* Hartmann. Piſtor. *d. obſerv.* 79. Expenſas tamen poſt ceſſionem factas utique repetere poteſt fidejuſſor; quia ceſſis jam actionibus creditoris loco eſt, qui omnes expenſas atque omnia damna petit, donec plena ſolutio ſequatur. Ut poſt Ulric. Piſtor. *in Not. ad Hartmann. Piſtor. d. obſerv.* 79. recte notat Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 17. defin. ultim.* Niſi hoc expreſſe fuerit actum, ut confidejuſſores pro rata parte ſe invicem liberent, ut communiter apud nos ipſi ſtipulationi caute adjungi ſolet: ut principalis debitor ſuos debitores in totum, & confidejuſſores ſe invicem pro ſua parte, ab interpoſita fidejuſſione liberent, & indemnes ſervent. In quo plures fidejuſſores à correis debendi differri volunt, ut ne, quum eorum una, eademque obligatio, & actio. *l. 3. ff. De duob. reis.* eaque per ſolutionem pro indiviſo extincta cenſeatur, nihil remaneret quod cedi poſſet, iis etiam abſque ceſſione utilis detur actio, adverſus correum pro partis repetitione. *arg. l. 2. Cod. De duob. reis.* junct. *l. 32. ff. De reb. credit.* Ne ſcilicet correo ſolidum ſolventi omnis adverſus correum denegaretur regreſſus. Vide Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 17. defin.* 14. 15. contra Anton. Fab. *lib. 11. conjectur. cap. 6. 7. 8. 12. 17.*

Sed quamvis fidejuſſor, mandati aut potius utili negotiorum geſtorum actione ſoluti repetitionem damnique dati indemnitatem petere poſſit, etiam nulla actionum ceſſione interveniente: quum tamen perſonali tantum actione id perſequi poſſit, ſi quando creditor principalem debitorem reali, puta pignoratitia, aut hypothecaria actione obſtrictum habet; expedit illi etiam actiones à creditore in ipſum transferri. Quoties enim in rem noſtram mandantur actiones, per ſolennem actionum ceſſionem omnia jura in nos tranſeunt, quæ cedens habet, habiturusve eſt, & quicquid præterea in exigendo debito, exercendaque actione circa pignus, aut perſonam debitoris cedenti ex conventionis lege, aut ſtatuto permiſſum erat: per ea quæ tradunt communiter interpretes *ad l. 6. Cod. de obligat. & act.* Vide Hug. Donell. *comment. Jur. Civil. lib. 15. cap. 43. verſ. harum actionum.* Quod ei petenti à creditore denegari haud poteſt, nec debet. *arg. l. 17. l. 39. l. 41. ff. De Fidejuſſor. l. 11. Cod. eod.*

25 Sed quando, aut quo tempore hæc actio cedi debeat, inter DD. vix convenit. Quidam in-

diſtincte hinc ceſſionem ipſo ſolutionis momento fieri debere, eamque ex intervallo factam invalidam eſſe putant. Quorum alii iterum diſtinguunt inter eam actionem quam fidejuſſor adverſus principalem debitorem intendit, & eam qua à confidejuſſore ſoluti partem repetere cupit, quaſi in illa etiam poſt intervallum, in hac non niſi ipſo ſolutionis momento ceſſio fieri poſſit. Cujus opinionis videtur fuiſſe Grot. *Introd. lib. 3. cap. 3. verſic.* **Een borge betaelt hebbende /** *in medio.* Nos poſthabitis omnibus, ex ipſius rei cardine cauſam petentes, eorum opinionem ut ut receptam, & magni etiam nominis authoritate munitam, aperte falſam invenimus: adeoque indiſtincte contra nos probaturos ſuſcipimus: hanc actionem non tantum in ipſa ſolutione, aut antequam ſolverit fidejuſſor, ſed & poſteaquam ceſſionem petere neglexerit, etiam poſt longum intervallum, peti poſſe, & præſtari à creditore debere, text. eſt in hanc rem ſingularis *in l. 36. ff. de fidejuſſoribus.* Ubi Juriſconſultus Paulus in iiſdem terminis diſputat his verbis: *Quum, qui & reum, & fidejuſſorem habens, ab uno ex fidejuſſoribus accepta pecunia præſtat actiones: poterit quidem dici,* inquit, *nullas jam eſſe, quum ſuum perceperit, & perceptione omnes liberati ſint. Sed non ita eſt,* reſpondit, *non enim,* inquit, *in ſolutum accepit; ſed quodammodo nomen debitoris vendidit, & ideo habet actiones, quia tenetur ad id ipſum ut præſtet actiones.* Cui confert argumentum ex *l. 11. §. 1. ff. De act. empti.* ad interpretationem verbi, (*quodammodo.*) Quaſi dicat, etiamſi nihil convenerit, attamen ea præſtabuntur, quæ naturaliter inſunt hujus judicii poteſtate. Et ſic, licet non ſit emptio venditio expreſſa, quodammodo, id eſt ex æquo & bono pro ea, eique ineſſe cenſeri debet. Cui convenit, quod Joann. à Sande *tract. de action. ceſſion. cap. 7.* dicit: quotieſcunque ſolutionem præceſſit pactum de cedendis actionibus, vel tacite hoc actum intelligitur, (Nota) ut creditor accepta pecunia præſtaret actiones: tum ſine dubio, etiam poſt ſolutionem eas cedi poſſe. Ad hæc, ſi pro venditione nominis cenſeri debeat, ſecundum *d. l. 36. ff. De fidejuſſorib.* (Ubi Juriſconſultum Paulum de nominis venditione agere, tam ex ipſo textu, quam ex ejuſdem collatione cum *l. 14. ff. de heredit. vel actione vend.* ubi eadem eſt inſcriptio, extra controverſiam eſt) ipſa actio, non, (ut illi putant) per factam ſolutionem extinguitur, ſed ipſe creditor tanquam nominis venditor dominus ejus manet, uſque dum tradiderit, ad quod præſtandum quolibet tempore compelli poteſt, ſecundum *text. expreſſ. in l. 6. Cod. de hered. vel act. vendit.* ſecundum quem, is, qui hereditatem alteri vendidit, antequam & quouſque res hereditarias tradat, dominus earum eſſe perſeverat. Quibus accedit, quod ſuo nomine ut ſe ipſum eximat ſolviſſe præſumatur, non ut debitorem liberet, nec donaſſe præſumatur. Vide Sichard. *in l. 2. Cod. De Fidejuſſorib. & ibi* Cyn. & Gloſſ. *in l. Papinianus. 28. ff mandati.* Quomodo etiam idem Sande *de action. ceſſ. d. cap. 7. num. 11.* de fidejuſſore aſſerit; fidejuſſorem, ſi ſolverit tibi, quod Titio credidiſti, iſthac ſolutione, nec Titium, nec reliquos fidejuſſores liberare, *arg. l. 28. ff. mandati.* & recte: quod enim quis ſuo nomine ſolvit, non debitoris, debitorem non liberat, ut eſt text *in l. 31. ff. de heredit. petit junct. l. 19. ff. de condict. indebit. l. 38. §. 2. l. 101. §. 1. ff. de Solut.* Neque movet *l. 76. ff. de Solut.* quæ perperam intellecta alios in errorem duxiſſe videtur. Quippe quod illa lex in ſpeciali caſu tutelæ loquatur, neque ullo modo ad fidejuſſores extendi poſſit, ut ex ipſis verbis, & inſcriptione collata, cum inſcriptione & materia *l. 32. ff. de adminiſtrat. tutor. & l. 40. ff. eod. cum ſimilib.* ſatis liquet quod Modeſtinus *in lib. 6. Reſponſorum* ad ſingulares tutelæ caſus propoſitos reſponderit: & quamvis Bart. & Gloſſ. *d. leg. 70.* de correis pariter obligatis eam inſcripſerint, non ideo minus in ipſa lege ſimpliciter, de alio, pro alio ſolvente agi, generalitas textus ſatis evincit. Ita ut, quemadmodum nec de contutore loquitur, ita nec ad correos, aut confidejuſſores pariter obligatos extendi poſſit, aut debeat, niſi *d. l. 36. ff. de Fidejuſſorib.* manifeſta via inferatur, interque eam & *l. 76. ff. de Solut.* vera ſtatuatur antinomia: quam tamen nullibi admitti Imperator diſertis verbis proteſtatur *§. 8. Inſtit. de concept. digeſtor.* Ubi, nulla, inquit, in omnibus ſcripti juris membris antinomia aliquem ſibi vindicet locum, ſed ſit una concordia, una conſequentia, adverſario nemine conſtituto, & *§. 15. de confirmatione digeſt.* Contrarium, inquit, in hoc Codice poſitum, nullum ſibi locum vindicabit, nec invenitur, ſi quis ſubtili animo diverſitatis rationes excutiat, ſed eſt aliquod novum inventum, vel occulte poſitum, quod diſſonantiæ querelas diſſolvit, & aliam naturam inducit, diſcordiæ fines effugientem. Porro, ſi ipſius rei materiam conſideremus, quum fidejuſſor antequam re vera & actualiter ſolverit, indemnitatis actionem non habeat, per Angel & Caſtrenſ. *ad l. 45. ff. de Fidejuſſor.* Gomez. *var. reſolut. tom. 2. cap. 13. num. 10.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 29.* Nec exceptio cedendarum actionum fidejuſſori contra ſoluti executionem de jure quicquam proſit, ut recte etiam notat Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 28. defin. 17. num. 3.* conſequens etiam eſt ei ante aut in ipſo ſolutionis termino nullum cedendarum actionum jus competere: Quo etiam haud

abſurde

abſurde referri poteſt vox quodammodo, *in d. l. 36. ff. de Fidejuſſorib.* quaſi in eo à vera emptione & venditione diffeɾat. Neque obſtat *l. 11. Cod. de Fidejuſſorib.* quæ Grotium pro ſua diſtinctione ſeduxiſse videtur. Quum nec illa, ſi penitius inſpiciatur, actionis ceſſionem ad factæ ſolutionis tempus reſtringat, ſed ſimpliciter de ceſſa, aut non ceſſa actione loquitur. Nec caret auctoritate DD. aut rei judicatæ præjudicio hæc noſtra ſententia. Ita tenet Hartmann. Piſtor. *Obſerv. ſingular.* 44. Johann. à Sande *De action. ceſſion. cap. 7. num.* 11. 12. Ut in foro Saxonico judicatum eſſe refert Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 17. defin.* 16. ejuſdemque ſententiæ Hollandiæ Senatum fuiſſe refert Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 12. verſ.* **Van de ſaake** / *& ſeq.* Diſſentiunt Berlich. *Pract. concluſ. part. 2. concluſ. 22. num.* 67. & plures ibi allegat Coler. *deciſ. 220. num.* 63. Nicol. Everhard. *conſil.* 1. Quorum ſententiam, niſi ad alias communes extra omnem fidejuſſionem actionum ceſſiones reſtringatur, plane erroneam eſſe, jam ſatis demonſtratum puto.

Tollitur fidejuſſio, per debiti ſolutionem. *l. 37. ff. De fidejuſſorib.* per novationem. *l. 4. Cod. eod.* per confuſionem. *l. 93. §. fin. ff. De ſolut.* pacto de non petendo. *l. fin. Cod. De pact.* &
26 ſimilibus cauſis: extra quas fidejuſſoria actio perpetua, & in heredes tranſit, *§. 2. Inſtit. De Fidejuſſor. l. 4. §. 1. ff. eod. l. 10. Cod. mandat.* qui tamen non in ſolidum, ut defunctus eum renunciatione acceptus, ſed quilibet pro rata tenentur, ſi plures ſint. *l. 1. Cod. Si cert. pet. l. 1. Cod. De hered. act.* quia omnes conjunctim in locum fidejuſſoris defuncti ſubſtituuntur, *l. 36. ff. De condict. & demonſtrat.* omniaque jura hereditatis ipſo jure inter heredes dividuntur, niſi ſi quæ ſint indiviſibilia. *l. 25. §. 9. ff. famil. erciſcund.* Vide Anton. Heting. *De Fidejuſſor. cap. 20. §. 10. num.* 34. Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 20. defin.* 3. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 3. tit. 19. defin.* 6.

27 Nec ante ſolutionem ad liberationem agere poteſt fidejuſſor conſtitutus, *arg. l. 10. Cod. Mandat. l. 38. ff. eod. cap. fin. extr. De Fidejuſſor.* Ne damno exponatur, ſi fidejuſſor pro lubitu ſuo ſe liberari petens, difficultate novi fidejuſſoris inveniendi oneretur. *l. 17. §. 3. ff. commodati.* Deinde, quia creditor fidejuſſorem acceptum liberare non tenetur, etiamſi debitor offerat alium æque idoneum. *l. 14. ff. De conſtitut. pecun. l. 45. §. 1. ff. mandati. l. 14. l. 22. & l. 51. ff. eod.* Jacob. Cancer. *Var. reſolut. part. 2. cap. 5. num.* 159. Nicol. vander Hoogh *Singular. Jur.* 51.

Quæ tamen regula varias patitur exceptiones. I. Si fidejuſſor, debitore ſolutionem de die in diem procraſtinante, diu in obligationis nexu hæſerit, quo caſu ne perpetuo quis in ancipiti fluctuet, *arg. l. 3. in fin. ff. Ut in poſſeſſ. legator.* aut ſemper ſolutionis ſit pertimeſcendum periculum, *l. 9. ff. ſolut. matrimon.* & ibi Zaſ. fidejuſſor ad liberationem vel indemnitatis cautionem, agere poteſt, adverſus principalem reum, *l. 38. ff. mandati.* Matth. Coler. *de Proceſſib. executiv. part. 1. cap. 10. num.* 310. Valent. Franc. *de Fidejuſſor. cap. 5. num. 559. & ſeq.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 29. num.* 3. Quod ita reſtringit Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 10. defin.* 7. Ut fidejuſſor, licet diu in obligatione ſteterit, agere non poſſit, ut ab ea liberetur, niſi vel debitor in ſolvendo, vel creditor in exigendo ceſſaverint. Quantum autem tempus ad hoc interceſſiſſe debeat, diſcretioni judicis committi communiter volunt. *arg. l. 1. §. fin. ff. de Jure deliberandi.* Schneiduin. & Mynſinger. *ad §. 6. Inſtit. de fidejuſſorib.* Afflict. *deciſ. Neapolitan. 241. num.* 3. Guid. Papæ *quæſt. 117. num.* 1. Andr. Gail *d. obſerv. 29. num.* 7. Menoch. *de arbitrar. Jud. lib. 2. cent. 1. caſu. 41. num.* 3. Coler. *d. cap. 10. part. 1. num.* 319.

II. Si reus debendi ſuo largius uti, bona ſua profundere & labi facultatibus cœperit, ſic ut inde damnum metuat, fidejuſſor ad liberationem agere poteſt, *cap. fin. extra De fidejuſſor. l. 38. §. 1. ff. & l. 10. Cod. mandati.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 29. num.* 8. Chaſſan. *ad conſuetud. Burgund. Rubr. 5. §. 2. num.* 26. Gomez. *Variar. reſolut. tom. 2. cap. 13. num.* 9. Berlich. *deciſ. 207. num. 13. & ſeq.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 28. defin.* 39.

III. Fidejuſſor ad certum tempus conſtitutus, finito tempore ad liberationem agere poteſt, *l. 10 junct. l. 1. §. 1. ff. depoſ.* aut ſi dies ſolutioni adjectus venerit, & ipſe à creditoribus inquietetur, aut in eo ſit, ut mox inquietandus videatur. *arg. l. 15. in pr. ff. de Fidejuſſor. l. 5. ff. De Compenſat.* Hartmann. *obſerv. pract. tit. 30. obſerv.* 6. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 26. defin. 24. & defin.* 26.

28 Sed utrum ſi creditor ſolutionis terminum debitori proroget, abſente, aut ignorante fidejuſſore, tanquam novatione facta fidejuſſor liberetur? Inter DD. non convenit: Nos quicquid ſentiant alii, ita diſtinguimus, ut fidejuſſor ſimpliciter datus pro debito, certo licet termino ex ſolvendo, per termini prorogationem ſe inſcio à creditore factam non liberetur, quia obligatus

ad

ad ſolvendum, pro principali in certo termino, etiam teneatur poſt terminum non minus quam ipſe principalis, quum adjectio temporis non ſit modus finiendæ obligationis, l. 44. ff. de Verb. Obligat. conſequenter nec prorogatio termini ſive exactionis dilatio. l. 12. §. ſi poſt. 14. ff. mandati, facit text. in l. 54. ff. locati. & l. 56. §. 2. ff. de Fidejuſſor. quibus fidejuſſor ſimpliciter datus, ad omnem cauſam & caſum datus intelligitur, nec liberatur donec creditori plene ſatisfiat. Nec movet argumentum, quod prorogatio nemini damnoſa eſſe debeat, quam ipſis prorogantibus: quum ipſa ſolutionis ſive exactionis prorogatio non tantum non noceat, quia ſi pendente prorogatione ad deteriorem fortunam pervenerit debitor, facta proteſtatione, ſe facta ſimplici prorogatione, nolle ulterius teneri, agere poteſt, ut liberetur, d. cap. fin. extr. de Fidejuſſor. & l. 38. §. 1. ff. mandati, junct. l. 10. Cod. eod. quum hic tempeſtive vigilare poſſit, & debitorem convenire ut liberetur, ne mora in ſuam perniciem redundet. l. 24. ff. Quæ in fraud. creditor. Quod ſi non fecerit, & tacuerit, ſibi imputare debet. cap. conſtitutum. extra de Fidejuſſorib. ſed & proſit fidejuſſori termini prorogatio, qui nec ipſe interim moleſtari, aut ad ſolutionem præcipitari poſſit, quum pactum de non petendo cum principali factum ei etiam proſit. l. 27. §. 1. ff. De pact. junct. l. fin. ff. eod. qui proinde boni conſulere debet, quod dilationis reo conceſſæ beneficium ſibi commune futurum ſit, ut tardius ad ſolutionem urgeatur. Ut recte notat Anton. Fab. ad Cod. lib. 8. tit. 27. def. 25. num. 3. Et certe creditori præjudicaretur, qui ante termini lapſum ſuum petere non potuit, ſi ei ſolum damno & incommodo ſit, quod officioſe in utriuſque gratiam fecit. l. 7. ff. teſtam. quemad. aper. l. 140. ff. De Reg. Jur. l. 29. ff. ex quib. cauſ. major. Sed ſi ad certum ſolummodo diem debitor conſtitutus ſit, alii indiſtincte reſpondent eum prorogato termino omnino liberari. Quod tamen iterum diſtinguendo accipio, ut fidejuſſor hoc caſu liberetur quidem quoad ſortem & uſuras futuri temporis, quoad ſortem & uſuras præteriti temporis nequaquam, ad quas obligatus manet donec aut liberetur, aut per ſolutionem ipſa obligatio perimatur, quæ ante termini lapſum exigibilis non erat, quomodo intelligenda eſt. l. 7. Cod. locati. Ut omnium elegantiſſime Matth. Coler. de Proceſſib. executiv. part. 1. cap. 10. num. 346. & 352. & ſecundum eam diſtinctionem in Friſiæ Curia judicatum refert Joann. à Sande lib. 3. tit. 10. defin. 5. & in Saxonia obtinere conſtat ex Carpzov. defin. Foreuſ. part. 2. conſtit. 19. defin. 1. 2. Niſi forte per novam ſtipulationem ſolutionis terminum debitori prorogaverit creditor, qua prorogando, de novo ab ipſo debitore pecuniam ſtipulatur, iſque de novo promittat, præſertim, ſi pro debito quod ſimplex antea erat, uſurarium conſtituerit, aut ſimilem mutationem fecerit: quo caſu propter manifeſtam novationem, fidejuſſor antea datus in totum liberabitur. per text. in l. 60. ff. de fidejuſſorib. l. 4. Cod. eod. Quomodo ab Hollandiæ Curia judicatum 30. Julii 1610. inder ſaake van de Voogden van de kinderen van Hendrick Buytewegh / contra Egbert Janſz. Timmerman. Neque refert utrum expreſſis verbis, an ipſo acta novatio fiat, dummodo ipſa re, & effectu de voluntate novantis conſtet, veluti ſi majores uſuras acceperit, aut ſimilem mutationem fecerit, quam non niſi novandi animo feciſſe intelligitur. per text. l. ultima. Cod. de Novationibus. in verbis: Voluntate ſolum non lege novandum. Quomodo intelligenda ſunt verba Grotii Introd. lib. 3. cap. 43. verſ. Maar als. in verbis: Wanneer den tijd werd verlengt. Ut ſcilicet prorogatio termini expreſſa ſtipulatione facta novationem inducat, quum per hoc de voluntate novantis ſatis conſtet, ſecus ſi nulla nova ſtipulatione aut ſimili mutatione interveniente per ſimplicem temporis lapſum terminus prorogetur. Ut recte Grot. d. loco. & hanc limitationis diſtinctionem à Senatu Pedemontano probatam, eaque contrarias DD. opiniones ad concordiam vocari refert & ſtatuit Anton. Teſaur. deciſ. 125. Anton. Fab. ad Cod. lib. 8. tit. 30. defin. 11. Grivell. deciſ. dolan. 111. Pro hac noſtra deciſione vide Alexand. vol. 2. conſil. 13. & ibi Molin. Anton. Hering. De Fidejuſſorib. cap. 20. §. 12. num. 4. 5. 8. Fachin. lib. 2. controverſ. cap. 88. & lib. 12. cap. 30. Trentacinq. lib. 3. Var. reſolut. Rubr. De Fidejuſſ. Reſol. 1. Argentr. ad Conſuetudin. Britann. art. 208. Hartmann. obſervat. tit. 30. obſervat. 6. Joann. Gutierz. de Contract. Jurat. cap. 49. num. 15. Gomez. Var. reſolut. tom. 2. cap. 13. num. 21. Papon. lib. 10. tit. 4. in append. Arr. 15. Andr. Gail lib. 2. obſerv. 30. num. 3. & num. 11. Damhoud. De Tutor. & Curator. cap. 6. num. 66. Cavalcan. part. 1. deciſ. 31. num. 19. & part. 2. deciſ. 20. num. 2. & ſeq. & lib. 4. deciſ. 18. Cacheran. deciſ. 142. num. 11. Chriſtin. ad leg. Mechlin. tit. 7. art. 16. num. 3. 4. Radelant deciſ. Ultraject. 46.

Plures exceptiones & caſus quibus fidejuſſor ante ſolutionem ad liberationem agere poteſt, vide apud Valent. Franc. De Fidejuſſor. cap. 5. num. 559. & ſeqq. & Andr. Gail lib. 2. obſerv. 29. Berlich. deciſ. 261. num. 8. 26. & 30. Gomez. Var. reſolut. tom. 2. cap. 13. num. 10. in fin.

Ad

Ad exemplum Diſcuſſorum, ſive Rationalium Romanorum, quorum munus in eo præ- *Cod. l. tit. De diſcuſſoribus.*
ſertim conſiſtebat, ut in qualibet civitate, & municipio in tributorum fiſcalium debitores
inquirant, quot jugera quotve poſſeſſiones quiſque habeat, diſcutiant, & æſtiment cujuſque
facultates, ut omnibus perpenſis æquale tributum pro modo patrimonii imponatur: *tot. tit.*
Cod. de Diſcuſſoribus, qui ſi plus æſtimaverint alicujus patrimonium quam re vera valuerit, in tantum
damnabantur, *l. 3. Cod. eod.* Moribus noſtris, non tantum pro fiſco aut ærario publico, verum ad
inſtantiam cujuſque privati magiſtratus loci civium aut incolarum ſuorum facultates pro idonea
cautione aut ſecuritate æſtimare, & fidejuſſores ex inquiſitione juſtificare ſolet, qui tamen que-
madmodum judex per imperitiam male judicans non tenetur, nec litem facit ſuam, ut ſuo loco, ita
nec ex erronea æſtimatione, niſi dolus aut calliditas intercedat, tenetur. Ut à ſuprema Hollandiæ
Curia judicatum refert Neoſtad. *Suprem. Cur. deciſ.* 61.

Cap. XVIII.

De Litterarum Obligationibus, & Chirographi agnitione.

Summaria.

1. *Litterarum obligatio quid?*
2. *Exceptio non numeratæ pecuniæ, an & quatenus obtineat*, in Gallia, Belgio, Saxonia, & Friſia.
3. *Chirographaria proviſio, vulgo* namptiſſement, *an & quando habeat locum.*
4. *Exceptiones chirographariam proviſionem impedientes.*

1 Litterarum obligatio eſt, qua quis ſcripto alteri mutuo conſenſu tradito confeſſus eſt, ſe ab *Inſt. lib. III. tit. XXII. De Litterarum obligatione.*
eo certam pecuniæ ſummam mutuo accepiſſe, quam ſi ſpe futuræ numerationis emiſit, nec
2 re vera numeratio interceſſerit, intra biennium repetere, atque onus probandæ numerationis
in creditorem rejicit, *l. 3. Cod. de non numerat. pecun.* quam ſi non probet creditor, debitor per
ſolam non numeratæ pecuniæ inficiationem liberatur. *tit. Inſtit. de litt. oblig. l. 10. 14. Cod. non*
num. pecun. Poſt biennium autem confitentem obligat, adeo ut non amplius quæratur an nume-
ratum ſit, ſed ita ſcriptum eſſe ſufficiat creditori: niſi ipſe debitor, non numeratæ pecuniæ pro-
bationem inficiando in ſe ſuſceperit, ad quam etiam poſt biennium admittendum ſuperiori 14.
capite diximus, *arg. l. 13. Cod. non num. pecun. junct. l. 25. §. ult. ff. de probat.* Ubi quoque mori-
bus noſtris propter fidejuſſoriam chirographum ſuum confitentis conſignationem in praxi uſitatiſ-
ſimam, biennii non numeratæ pecuniæ exceptionis privilegium nullum pœne uſum habere
diximus. Quibus indiſtincte debitor, qui chirographum ſuum debiti confeſſorium, integrum,
& non vitioſum, cujus intaminata ſit fides, inficiari non poteſt, non obſtante aliqua exceptione
in altiorem cauſæ indaginem rejicienda, per fidejuſſoriam pecuniæ conſignationem, qua de
3 ſoluti reſtitutione, ſi ita videbitur, plene cavetur, in anteceſſum condemnatur, ſic ut noſtris &
Galliæ moribus plenior litterarum obligationis uſus atque efficacia ſit, vid. Rebuff. *ad Conſtit.*
Reg. in proœm. Gloſſ. 5. num. 59. & de chirograph. art. 2. num. 68. Gudelin. *de jure noviſſ. lib. 3.*
cap. 6. in fin. Imbert. *Enchirid. jur. Gall. in verb. Confeſſio.* Boër. *deciſ. 295. num. 13. 14. 15.*
Jac. Coren *Obſerv. in ſuprem. Holland. Cur. jud. 35. in not. litt. V. Statut. Antverp. tit.* 56. Groenew.
de legib. abrog. ad tit. Cod. de non num. pecun. num. 4. & ibi DD. circa quam tamen in Friſia, ex
Joann. à Sande *lib. 1. tit. 8. defin. 3.* & Foro Saxonico ex Carpzov. *defin. Forenſ. part 1. conſt. 8.*
defin. 17. & conſtit. 32. defin. 65. Jus ſcriptum obtinere diximus ſupra, ubi, licet alias etiam
inſtrumenti recogniti proviſionalis condemnatio, & parata executio ſit, (ut patet ex iiſdem
Joann. à Sand. *d. lib. 1. tit. 8. defin.* 1. & Carpzov. *part. 1. conſtit. 32. num. 4.*) inſtrumento
liquido & confeſſato non numeratæ pecuniæ exceptionem valide opponi poſſe referunt, &
probant.
4 Quæ tamen proviſionales ex litterarum obligationis agnitione condemnationes & præjudicia,
ſuas patiuntur exceptiones, & limitationes, ipſam proviſionem impedientes, de quibus ordine
videbimus. Ita primo fiduciariæ proviſioni locus non eſt, ſi lis in continenti finiri poſſit,
& Judici res principalis eſt inſtructa, aut incontinenter inſtrui poſſit: adinventæ enim ſunt,
ne per litis dilationem à reo actor interim lite pendente, jure ſuo, quod liquidum eſſe apparet,
fruſtretur: quare nec proviſionem peti poſſe, ſi & poſteaquam in ipſa cauſa fuerit concluſum, nec
proviſioni locum eſſe quando ea cum principali cauſa eſt conjuncta, communis eſt doctrina,

per ea quæ tradunt Chriſtin. vol. 1. deciſ. 276. num. 10. Rebuff. ad conſtitut. Reg. tract. de Sentent. Proviſional. art. 1. Gloſſ. 6. in fin. Papon. lib. 18. tit. 1. art. 1. Tulden. in not. ad Damhouder. prax. rer. Civil. cap. 103. litt. M.

Quo refer etiam ceſſare proviſionem, ſi juris remedio ipſius inſtrumenti jus in continenti vitiare contendit debitor, veluti ſi aperte falſum dicat, l. 2. Cod. de crimine falſi, aut liquidis manifeſtiſque probationibus probaturum ſe dicat reus ſe abfuiſſe eo loco, quo obligatio contracta eſſe dicitur, quæ peremptoria exceptio eſt l. 14. Cod. de contrah. & commut. ſtip. vulgo vocant, ſuum alibi, Mornac. ad. l. cum. precibus 18. Cod. de probat.

Item ſi quis ſolutionis, compenſationis novationis, pacti de non petendo, aut tranſactionis exceptionem ſcripto publico aut privato in continenti probare velit, per text. l. 3. ff. ut in poſſeſſ. legator. cap. litteras extr. de reſtitut. ſpoliator. & cap. veniens extra de teſtibus. Ut ubique in praxi eſſe receptum teſtantur, Argentr. ad Conſuetud. Brittann. art. 173. Gloß. 1. in fin. Imbert. Inſtit. Forenſ. lib. 1. cap. 35. in verb. Tradendum. Maynard. deciſ. Tholoſan. lib. 3. deciſ. 46. verſ. ad reſecandam, Joann. à Sande deciſ. Friſic. lib. 1. tit. 8. defin. 3. circa med. Alias ſi per teſtes propoſitas exceptiones probare velit debitor, contra inſtrumentum, & chirographum ſuum non auditur, ut ex paritate cauſæ actoris & rei circa probationes, arg. l. ult. Cod. de indict. viduitat. toll. poſt Nicol. Everhard. loco à correlatis 20. num. 10. & ſeq. & Matth. Coler. de proceßib. executiv. part. 4. cap. 2. num. 26. Carpzov. defin. Forenſ. conſtit. 1. defin. 28. Vide etiam Joann. à Sande, d. defin. 3. Imbert. Enchirid. Jur. Galliæ. in verb. Inſtrumentum. Boër. deciſ. 295. Berlich. practicab. Concluſ. part. 1. concluſ. 84. num. 79. & ſeq.

Si tamen debitor deficientibus ſibi aliis probationibus, ſuper exceptione à ſe propoſita jusjurandum deferat creditori, interim ſuſpenditur proviſio, arg. l. 38. ff. de jurejur. Ut ab Hollandiæ Curia aliquando judicatum refert Groeneweg. de legib. abrogat. ad tit. Cod. de non numerat. pecun. num. 7. à Friſiæ Senatu Joann. à Sande lib. 1. tit. 8. defin. Et in ſuprema Brabantiæ curia deciſum refert Chriſtin. voll. 2. deciſ. 2. num. 13. Eandemque ſententiam in Gallia obſervari referunt Mornac. & Autumn. ad. l. 14. Cod. de non num. pecun. Rebuff. ad Conſtit. Reg. de litt. oblig. art. 5. Gloß. 5. Anton. Fab. ad Cod. lib. 5. tit. 14. defin. 31. num. 5.

Similiter fiduciariæ adjudicationi locus non eſt, ſi agatur ex inſtrumento, aut ex contractu ultro citroque obligatorio, ut in emptione venditione, aut ſimili, & non impleti contractus vel rei non traditæ exceptionem opponat reus, nemo enim ex contractu ultro citroque obligatorio agere poteſt, niſi prius à ſua parte impleverit, arg. l. 13. §. 8. ff. de act. empti. Coler. de proceß. executiv. part. 4. cap. 1. num. 92. Andr. Gail. lib. 2. obſerv. 17. Zanger. de except. part. 3. cap. 16. num. 89. Franciſc. Cald. lib. 2. quaſt. Forenſ. quaſt. 45. Cancer. variar. reſolut. part. 2. cap. 3. num. 108. Anton. Fab. ad Cod. lib. 4. tit. 42. defin. 55. & lib. 8. tit. 24. defin. 43. Niſi in ipſo inſtrumento, ex quo agitur, ab hac exceptione fuerit renunciatum, quo caſu, quantum ad proviſionem præſumptio eſt ab actore præſtita eſſe, ad quæ ex contractu tenebatur. Ut multis Friſiæ curiæ auctoritatibus confirmatum refert Joann. à Sande d. lib. 1. tit. 8. defin. 3. verſ. ſimiliter, in fin.

Utique ſi de cauſa debiti ex inſtrumento vel obligatione non appareat, aut ſi ſcheda ex qua agitur, ſit vilis, & ingentem ſummam contineat, propatereaque doli exceptio proponatur, ex l. 2. §. 3. ff. de doli mali except. Ut ſi debitor ſchedam illam in aliam cauſam emiſſam, ſuumque Chirographum albæ chartæ in imo ſubjectum contendat, per eam fiduciariam proviſionem remorari quidam volunt, inter quos Mornac. ad auth. Si novo jure, Cod. Si certum petatur, quem ſequi videtur Chriſtin. voll. 3. deciſ. 5. num. 9. Vide etiam Papon. lib. 10. tit. 2. de oblig. null. ob cauſ. defect. arreſt. 1. & 2. & Carpzov. defin. Forenſ. part. 1. conſtit. 17. defin. 39. Quum tamen moribus noſtris, ex nudo pacto detur actio, & alias ſufficiat chirographi agnitio, illud judicis arbitrio potius committendum puto, ne in debitoris poteſtate ſit, per imaginariæ falſitatis aut doli objectionem, contra proprium chirographum, idque agnitum, cum actoris injuria, ſolvendi dilationem conſequi. Quo modo in Supremo Brabantiæ Conſilio, non obſtante eo, quod reus ſuſtinebat obligationem eſſe nullam, tanquam pactum ſine ac cauſa, inſuper ex diverſis præſumptionibus eam ſimulatam fore docuerit, ex ſola chirographi agnitione fiduciariam condemnationem datam fuiſſe refert idem Chriſt. voll. 3. deciſ. 23. num. 10. Vide etiam Rebuff. ad conſtitut. Reg. de chirograph. & cedull. recognit. in præfat. num. 101. & ſeq. Alexand. Conſil. 147. num. 4. 5. voll. 2.

Quum ſimplici literarum portatori, qui in inſtrumento nominatus non eſt, nulla competat actio, niſi conſtet quod litteræ ad eum pervenerint ex voluntate ſcribentis, aut ejus in eo nomi-

nati

nati, ut ſupra cap. 16. notavimus, conſequens eſt ut nec debitor ei, licet chirographum inficiari non poſſit, per proviſionem condemnari debeat, niſi aut mandatum, aut legitimam actionis ceſſionem oſtendat. Per ea quæ tradunt Chriſtin. *voll. 1. deciſ.* 286. & *ad leg. Mechlin. tit.* 1. *art.* 48. Radelant. *deciſ. cur. Traject. deciſ.* 56. Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 10. Anton. Faber *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 28. *defin.* 9. Peckius *de jure ſiſtendi cap.* 3. *num.* 7. Nicol. Everhard. *conſil.* 219.

Sed an poſtulata in integrum reſtitutione, pendente reſtitutionis cauſa proviſionalis adjudicatio impediatur? Ita videtur *arg. l. unic. Cod de in integr. reſtit.* quum tamen remorandæ ſolutionis, & executionis cauſa plerumque reſtitutiones poſtulentur, longioriſque ſemper ſint indaginis, ne per excogitatam malitiam liquidoris debiti effectus impediatur, per intervenientem reſtitutionis cauſam, fiduciariam reſtitutionis condemnationem minime impediri, ex Jure Canonico *cap. ſuſcitata 6. extra de in integrum reſtitut.* praxis ſervat: per ea quæ tradunt Rebuff. *ad Conſtit. Reg. tract. de Sentent. proviſion. in præfat. num.* 132. *& de litter. oblig. art.* 1. *Gloſſ.* 9. *num.* 47. *& art.* 11. *Gloſſ.* 3. *num.* 31. & *tract. de chirog. & ced. recogn. art.* 1. *num.* 47. Joann. Papon. *lib.* 18. *tit.* 1. *art.* 28. *&* 30. Chriſtin. *voll.* 2. *deciſ.* 137. *num.* 6. Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib.* 1. *tit.* 8. *defin.* 4. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 2. *tit.* 33. *defin.* 1. Carpzov. *definit. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 26. *defin.* 22.

Cap. XIX.

De Emptione & Venditione.

Summaria.

1. *Emptio venditio quid, & quæ ſint ejus ſubſtantialia.*
2. *Sine merce aut pretio non conſiſtit.*
3. *Quando & quomodo confici, aut confecta eſſe cenſeatur.*
4. *An & quatenus error emptionem vitiet.*
5. *Periculum rei emptæ ad emptorem, quando ad venditorem pertineat.*
6. *Interpretatio edicti Caroli V.*
7. *An & quando periculum rei emptæ ad venditorem pertineat.*
8. *Ad quem rei emptæ periculum ſpectet ſi in diem, aut ſub conditione facta ſit.*
9. *Quid de re, quæ pondere, numero, & menſura conſtat.*
10. *Quænam competat actio ex empto, & cui quæ emptori, quæ venditori.*
11. *An & quando venditor emptori de evictione teneatur.*
12. *An & quando pro evictione per ſatiſdationem cavere venditor teneatur.* 14.
13. *Quid moribus obtineat, & ſeq.*
14. *An cum huic cautioni renunciatur, etiam actioni de damnis & intereſſe renunciatum videatur* in Brabantia, Saxonia, Gallia, & Hollandia.
15. *Venditor de omni rei venditæ qualitate quam dixerit, aut affirmaverit, tenetur. Item de vitio, aut morbo.*
16. *An & quatenus in equis divendendis alter alterum decipere liceat, & quid venditor pro redhibitione quanti minoris præſtare teneatur,* in Belgio, & Saxonia.
17. *Quid in mactabilibus circa redhibitionem obtineat, & quid in porcis.*
18. *Quid in iis, quæ pondere, numero, menſuraque conſtant præſtandum, & an in iis, menſura loci contractus, aut rei ſitæ locus ſit.*
19. *Fundi venditi quando ad menſuram, aut ad corpus venditi cenſeantur, & quid in iis redhibitionis nomine veniat: & quid moribus obtineat.*
20. *An & quando fides de pretio habita intelligatur, & quando res vendita in emptoris dominium tranſeat, vel non.*
21. *Quæ res emi vendi poſſint, aut non.* & num. 26.
22. *An res ſacra & ſancta.*
23. *An res litigioſa.*
24. *An hereditas hominis adhuc viventis, & quid hereditate vendita in emptorem tranſeat, an & jus accreſcendi habeat, aut de evictione teneatur venditor.*
25. *Actionis aut nominis venditi retractus an & quando obtineat.*
26. *Re duobus ſimul vendita, quis potior erit.*
27. *Ex pluribus licitantibus, quem, & an minus licitantem emptorem facere poſſit venditor.*

Supra de contractibus qui re perficiuntur, & proxime, de Verborum, & litterarum obligationibus; ſequitur, ut de contractibus conſenſu ineundis deſpiciamus: qui ſunt quatuor. Duo ad rem pertinent, quorum unus dominii tranſlationem, ut emptio, alter uſum continet, ut locatio:

Inſt. III. xxiv. D. xviii. i. Cod. iv. xxxviii. *De contrahenda emptione.*

Inſt. III. tit. XXIII. *De Oblig. ex Conſenſu.*

catio: duo ad operam, eamque vel communem, ut in ſocietate, vel privatam ſpectabat, ut in mandato. *pr. Inſtit. de obligat. ex conſenſu. l. 2. ff. de obligat. & act.* de quibus ſingulis.

Emptio venditio, eſt contractus mutuæ præſtationis de re pro certo pretio tradenda, *l. 11. §. 2. ff. De action. empt. pr. Inſtit. De emptione & venditione.* A parte ejus, à quo res proficiſcitur, venditio eſt, à parte ejus, à quo pecunia eſt, emptio dicitur, ille venditor, hic emptor. Subſtantialia ejus ſunt conſenſus, merx, & pretium. 1

Sine merce, id eſt, re quæ veneat, nulla ſubſiſtere poteſt emptio. *l. 8. ff. De contrah. empt.* 2
Si tamen res aliqua in emptionis ſtipulationem deducta ſit, quæ in rerum natura aut commercio non eſt, quatenus pro extante ignoranti venditur, valet emptio, *l. 4. & ſeq. ff. De contrab. empt.* eatenus ſcilicet, ut emptor conſequatur quod ſua interfuit non decipi. *l. 62. §. 1. ff. eod.* Res ſive merx in emptionem deducenda, vel eſt certa, vel incerta, ut fructus futuri, aut frumentum in herbis, *d. l. 8. ff. De contrah. empt. l. 78. §. ult. ff. eod.* aleæ jactus, & piſcium ſive avium captus: ſpei enim emptio eſt, eoque caſu etiamſi nihil inciderit, vel duplo plus quam pretium conſtitutum capiatur, ſubſiſtat emptio. *d. l. 8. ff. De contrah. empt. l. 12. ff. De act. empt.*

Ita nec ſine pretio, quod ab emptore datur, emptio conſiſtit. *l. 2. §. 1. ff. De contrah. empt.* quod in pecunia numerata conſiſteret, *§. 2. Inſtit. de empt. vendit. l. 1. in pr. & §. 1. ff. De contrab. empt.* Si enim res pro re detur, permutatio eſt. *l. 1. ff. De rer. permut.* & certum eſſe debet, ſive jam ab initio expreſſa quantitate, vel in perſonam veluti in arbitrium tertii, aut rem certam ita collatum, ut poſtea certum fiat. *§. 1. Inſtit. De empt. vend. l. 7. §. pen. l. 37. ff. & l. ult. Cod. De Contrab. empt.* Nam ſi generaliter arbitrio alieno quid ſit permiſſum æque incertum manet. *l. 25. ff. locat.* Quo caſu ſi tertius ille iniquum dixerit pretium, per arbitrium boni viri ad æquabilitatem redigetur. *l. 76. & ſeq. ff. pro ſocio.*

His rebus intervenientibus ſolus conſenſus obligationem perficit: eſtque emptio & venditio, ſimul atque de pretio convenerit, etiamſi neque rei traditio, neque pecuniæ numeratio interceſſerit. *l. 2. §. 1. ff. De contrah. empt. l. 1. §. 2. ff. de rer. permutat. l. 8. ff. de peric. & commod. rei vendit. pr. Inſtit. de Empt. vendit.* Nec verborum ſtipulatio neque ſcriptura deſideratur, niſi expreſſe convenerit ut in ſcriptis fiat: quo caſu hoc actum videtur, ut non prius ſit perfecta emptio, niſi ſcriptura fuerit ſubſecuta & ſubſcriptiones acceſſerint, quod quouſque peractum non ſit, quum arrharum amiſſione ejus qui dedit, vel duplicata ejus qui accepit reſtitutione, utrique pœnitere licet, quomodo conferendi ſunt text. *in pr. & §. 3. Inſtit. De empt. & vendit. cum. l. 17. Cod. De fide inſtrumentor.* Quorundam tamen locorum ſtatutis, circa immobilium rerum commercia cautum eſt, ut antequam coram magiſtratu loci ipſa emptio recognita, & in ſcriptis fuerit redacta, non ſubſiſtat, atque interim utrique partium cum arrharum amiſſione pœnitere liceat. Vid. *Statut. Leydenſ. art.* 112. Et in cæteris per totam Rhenolandiam ruri ſervatur conſuetudo: ut emptio & venditio in taberna potatoria inter pocula celebrata, haud ſubſiſtat, niſi 24. horarum lapſus pro confirmatione interceſſerit, intra quem utrique etiam contrahentium liberum eſt ab emptione cum arrharum & ſymboli amiſſione recedere. Quod à Carolo V. Wormeriæ, Giſpiæ, & Kennemariæ oppidis 11. *Julii* 1533. ſpeciali privilegio indultum eſt. Et per totam fere Flandriam obſervari refert Burgund. *ad Conſuetud. Flandr. in proœm. num.* 5. 3

Sed quum conſenſui nihil magis contrarium ſit quam error, qui conſenſum excludit. *l. 15. ff. de Juriſdict.* Si in corpore ſive materia error, ſive diſſenſus intervenerit, veluti ſi æs pro auro venerit, aut menſa argento cooperta, pro ſolida, imprudenti aut ignoranti vendatur, emptio erit nulla, *l. 9. in pr. & §. 2. l. 14. ff. De contrab. empt. l. 41. §. 1. ff. eod. junct. l. 83. §. 1. ff. De Verb. obligat.* Si vero error verſetur circa qualitatem rei externam, quia ille conſenſum excludere vix dici poteſt, rata nihilominus manet emptio venditio. *l. 10. l. 14. ff. De contrab. empt. l. 21. §. 2. ff. De act. empti.* teneturque tantum venditor, in id quod emptoris intereſt. *l. 21. §. 2. ff. De act. empt.* 4

D. XVIII. VI. Cod. IV. XLVIII. *De periculo & commodo rei venditæ.*

Quum autem ſolo conſenſu emptio & venditio contrahatur, & perfecta ſit, licet rei traditio nondum ſit ſecuta, aut pretium ſolutum; conſequens eſt omne periculum rei venditæ ſtatim ad emptorem pertinere, licet adhuc tradita non ſit. *§. 3. Inſtit. De empt. vend. l. 10. l. 11. Cod. De peric. & commod. rei vend. l. 7. l. 8. l. 11. ff. eod. l. 35. §. 4. ff. De contr. empt.* quia nimirum emptor perfecta emptione, ſtatim jus habet dominii nanciſcendi, ac proinde haberi debeat ac ſi jam dominus eſſet, quum non ſtet, niſi per eum: *arg. l. 15. & l. 174. ff. de Reg. Jur.* Vide Bronchorſt *Centur. 2. aſſert. 55. in fin.* Bachov. *ad Treutl. vol. 1. diſp. 28. theſ. 8. litt. D.* Gomez. *Var. reſolut. tom. 2. cap. 2. num. 32.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 40. defin. 8. num. 9.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 26. defin. 20.* Mart. *Digeſt. noviſſim. tom. 3. tit. emptio* 5

vendi-

venditio. cap. 38. Quod utrum etiam apud nos in bonis immobilibus optinere dicendum ſit,
6 poſtquam ex Caroli V. conſtitutione 10. *Maji* 1529. omnis immobilium alienatio, quorum traditio coram Magiſtratu loci rite & ſolenniter facta non eſt, irrita & prorſus nulla eſt: quibuſdam dubium viſum eſt *arg. l.* 5. *Cod. de legib.* Sic ut in Hollandiæ Senatu ea de re varias quandoque fuiſſe opiniones referat Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 32. *in fin.* Sed quum ex intentione dictæ conſtitutionis manifeſtum ſit, hoc non in univerſum, ſed tantummodo in creditorum gratiam cautum eſſe, ne hi clandeſtina aliqua traditione hypothecæ, vel alio jure fruſtrentur: ut diſertis verbis innuit ipſe Imperator in proœm. ejuſdem conſtitutionis, idemque Neoſtad. Supr. Curiæ *deciſ.* 70. circa finem ita reſtringendum aſſerit. Quare nec illud ad emptorem & venditorem, eorundemque jura inter ſe minime trahi poſſe liquet: adeoque non obſtante dicta conſtitutione, hanc juris regulam in univerſum illæſam manſiſſe, hodieque rei etiam immobilis venditæ periculum vel ante traditionem ad emptorem pertinere dicendum eſt: Quomodo etiam ab Hollandiæ Curia judicatum refert Groeneweg. *De legib. abregat. ad d. §. 3. Inſtit. De empt. vend.*

7 Patitur tamen hæc regula hanc limitationem & exceptionem, ut periculum rei venditæ ante traditionem ad emptorem non pertineat, ſed ad venditorem, ſi is ipſe in mora fuerit tradendi: ceſſante ſcilicet ratione finali & diſpoſitiva. Schneiduin. *ad d. §. 3. Inſtit. De empt. vendit. num.* 9. tum quod per moram ipſius rei periculum in ſe ſuſcipiat venditor, cujus ea vis eſt, ut periculum rei in moroſum transferat. *l.* 15. *§. ult. ff. de rei vind. l.* 39. *§.* 1. *l.* 47. *§. ult. l.* 108. *§.* 11. *ff. de leg.* 1. *l.* 2. *Cod. de Uſur. & fruct. legat.* Bart. Bald. & DD. *ad l.* 5. *ff. Si certum petatur.* Vid. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 24. *num.* 3. *& tit.* 28. *defin.* 3. *num.* 3. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 26. *defin. ultim.*

Similiter ad venditorem rei emptæ nondum traditæ periculum pertinet, ſi ejuſdem dolo, lata, aut levi culpa perierit, in eo enim ſolum ſecurus eſt venditor, quod ſine dolo & culpa ejus accidit, ut aperte Juſtin. *in d. §. 3. Inſtit. de empt. vend.* & ibi Schneiduin. *num.* 8. quomodo etiam intelligenda eſt *l.* 33. *ff. locati*, prout eam explicat Anton. Fab. *lib.* 2. *conjectur.* 4.

8 Sed quid ſi in diem aut ſub conditione res ſit empta: poteſt enim res aut pure, aut in diem, aut ſub conditione vendi. *§.* 4. *Inſtit. De empt. vend. l.* 80. *§.* 2. *ff. De contrah. empt.* ad quem rei venditæ periculum ante traditionem pertineat videndum? Et ſiquidem ſub conditione emptio & venditio contracta ſit, quia ea impleta demum conditione conſummatur. *l.* 7. *ff. De contr. empt.* pendente conditione damnum, ac ruina rei totalis non ad emptorem, ſed ad venditorem pertinet. *l.* 8. *ff. De peric. & commod. rei vend. l. pen. Cod. eod.* In particulari vero læſione, damno, aut deterioratione, quia exſtante conditione, ea retrotrahitur ad tempus, contractus perindeque habetur, ac ſi ab initio pure contracta fuiſſet, damnum ad emptorem etiam pertinet, *d. l.* 8. *in pr. verſ. ſane ſi exſtet res. ff. de peric. & commod. rei vend.* Vid. Gomez. *Var. reſolut. tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 32. *in fin.* Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 41. *defin.* 8. *num.* 1. 2. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 26. *defin.* 21. *& ſeq.*

9 Re, quæ pondere, numero, & menſura conſtat venditâ, emptio haud aliter perfecta cenſetur quam ſi aut numerata, admenſa, aut appenſa fuerit: quaſi ſub hac conditione contracta. *l.* 35. *§. in his, ff. De contrah. empt. l.* 2. *Cod. De peric. & commod. rei vendit.* Adeo ut ſi menſura aut appenſio opportuno loco & tempore facta non ſit, alteruter pœnitere, & ab emptione recedere poſſit: tum quod conditio impleta non ſit, tum quod temporis ratio mutationem juſti pretii inducat, quo ipſo jus emptoris aut venditoris vitiatur, in eo quod res aut pretium pluris aut minoris ſit, quàm re vera fuerit actum, cujus vitii mora purgari haud poteſt, *arg. l. cum te.* 6. *Cod. De pact. inter empt. & vend. compoſ. l. fin. ff. de condit. ob cauſam.* vide Vall. *De reb. dub. tract.* 20. *num.* 21. Hartmann. *obſervat. tit.* 27. *obſerv.* 16. *num.* 2. Jacob. Cancer. *Variar. reſolut. tom.* 1. *cap.* 13. *num.* 6. Quare nec periculum hujus rei niſi poſt adnumerationem, vel admenſionem ad emptorem pertinere dicendum eſt, ejuſdemque juris eſt, ac ſi ſub conditione emptio venditio facta eſſet, Weſenb. *Parat. ff. De contrah. empt. num.* 10. Alex. Trentacinq. *Var. reſolut. lib.* 3. *reſolut.* 5. *num.* 3. *& ſeq.* Damhoud. *Prax. rer. civil. cap.* 14. *num.* 17. *& ibi* Tulden. *in Not.* Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 32. *defin.* 1. Matth. Afflict. *Deciſ. Neapolit.* 399. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 26. *defin.* 23. Grot. *Introd. Juriſprud. Batav. lib.* 3. *cap.* 14. *in fin.*

10 Reciproca empti venditi actio eſt ultro citroque obligatoria, l. 19. *ff. De Verb. Signific.* à parte venditoris, ut rem tradat, *l.* 11. *§.* 2. *ff. De act. empt.* à parte emptoris, ut nummos venditoris faciat, *d. l.* 11. *§.* 2. *ff. eod.* D. XIX. 1. Cod. IV. XLIX. *De Actionibus empti.*

Si venditor rem emptori tradere recuſet, poteſt is agere ad id quod ſua intereſt rem traditam non eſſe. *l.* 11. *§.* 1. *&* *§.* 9. *ff. eod.* aut ſi ipſam rem habere malit, ut eam præſtet venditor, qui, ſi modo rei tradendæ facultatem habeat, præciſe ad id tenetur, nec præſtando id quod intereſt liberatur. *l.* 11. *§.* 2. *ff. De act. empt.* & ibi Bart. Caſtrenſ. & Covarruv. *Var. reſolut. lib.* 2. *cap.* 19. Hieronym. Cævall. *Specul. Commun. opin. quæſt.* 459. Bronchorſt *Centur.* 2. *aſſert.* 57. Quod mores ubique obſervant, teſte Groeneweg. *de legib. abrog. ad l.* 4. *Cod. De act. empti*, quem vide, & quomodo ad id præſtandum conſtringatur, Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 50.

D. xxi. 2. Cod. viii. xlv. *De Evictionibus, & dupla Stipulatione.*

Tradere hic non eſt ſimpliciter de manu in manum conferre, aut in nudam detentionem emptorem deducere, ſed vacuam poſſeſſionem præſtare, id eſt, liberam ab omnibus poſſeſſoribus, & detentoribus juſtis. *l.* 2. *l.* 3. *§.* 1. *ff. De act. empt.* Neque ſimpliciter ipſa res vendita in ſtipulationem deducta à venditore tradi debet, ſed dominium eum omni ſua cauſa in emptorem transferri debet, id eſt, omni jure atque utilitate quam ex re habuiſſet venditor, ſi eam non diſtraxiſſet. *l.* 20. *ff. de Rei vind.* veluti ſunt ſervitutes, quæ fundo debentur, etiamſi de iis nihil ſit actum, quia fundi ſunt. *l.* 20. *§.* 1. *ff. de Acq. rer. domin.* Item fructus pendentes, qui etiam fundi partem facere dicuntur *l.* 44. *ff. de Rei vindic.* Arundo cædua, Sylva, *l.* 40. *§.* 4. *ff. de contrah. empt.* lapidicinæ. *l.* 77. *ff. eod.* Niſi quid, & quatenus venditor ſpecifice excipiendo in venditione comprehendi nolit. Quæ omnia in immobilibus ſub hac vulgari clauſula comprehendi ſolent, **met alle 't gene daar op in ende aan / aart / ende nagelvaſt is /** quaſi dicas cum omni cauſa, & nullo excepto.

Quæ ut præſtentur evictionis nomine venditor emptori tenetur, ſi res ab aliquo legitime 11 avocetur, ut eum adverſus ſupervenientem, & rem ſuam vindicantem defendat, aut defendi curet. *l.* 1. *Cod. de peric. & commod. Rei vendit. l.* 23. *Cod. de Evict.* In qua cauſa, ſi ſuccumbat, & res ad alium pertinere compertum ſit, pretium reſtituere tenetur venditor cum uſuris, & quod præterea emptoris intereſt, rem evictam non fuiſſe, *l.* 9. *Cod. de evict. l.* 11. *§. ult. ff. De act. empt. l.* 60. *&* *l.* 70. *ff. de Evict.* Niſi de evictione aliter convenerit; ſolebant enim Jure Romano emptores in rei emptæ ſecuritatem ſimplæ, aut duplæ ſtipulationem interponere; ſimplæ in vilioribus, quum ſimplum rei pretium quod contrahentibus placuit in caſum evictionis ſibi reſtitui ſtipulantur, *l.* 53. *ff. de Evict.* duplæ, quum duplum in rebus pretioſioribus evictionis nomine repromittunt venditores, *d. l.* 60. *ff. de Evict.* dicebaturque actio ex ſtipulatu, quæ licet interpoſita fuerit, ſive non, nihilominus dabatur actio ex empto, quam diximus, non ut utriuſque actionis commodum, ſed id quod intereſt emptor conſequatur. *d. l.* 60. *ff. eod.* tenetur enim venditor ex natura ipſius contractus de evictione, licet ſtipulatio nulla interceſſerit. *d. l.* 60. 70. 74. *ff. & l.* 25. *Cod. de Evict.* Quæ ſtipulationes propterea paulatim ab uſu & moribus receſſerunt, quibus emptori cui res evicta eſt, pretii, ſumptuumque, damnorum, & intereſſe reſtitutio ſufficere intelligitur. Vid. Zyp. *notit. Jur. Belg. tit. De empt. vend. in fin.* Grot. *Introd. Juriſprud. Holland. lib.* 3. *tit.* 14. *verſ.* **Tot bewaringh.** Andr. Gail *lib.* 1. *obſerv.* 116. *num.* 7. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 13. *art.* 38. *num.* 2. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 34. *defin.* 30. *in pr. & defin.* 39.

Pro evictione ergo venditor per ſatiſdationem cavere, ipſo jure non tenetur, niſi ab initio ita 12 convenerit, *l.* 56. *in fin. pr. junct. l.* 4. *in pr. ff. de Evict.* aut ipſa evictio in limine contractus immineat, quo caſu emptor pretium retinere poteſt, donec venditor evictionis nomine ſatiſdederit, *l.* 24. *Cod. de evict. l.* 18. *§. ult. ff. de peric. & commod. rei vend.* vid. Menoch. *de arbitr. judic. lib.* 2. *caſ.* 224. Rebuff. *ad Conſtit. Reg. tom.* 3. *de dilat. art.* 5. *num.* 55. *&* 56. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 31. *defin.* 10. Joann. Papon. *lib.* 11. *tit.* 4. *arr.* 8. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 13. *art.* 38. *num.* 2. *in addit.* Molin. *ad Conſuetud. Pariſ. tit.* 2. *§.* 78. *Gloſſ.* 3. *num.* 11. Cui & hoc ineſſe quidam volunt, ut non tantum ratione litis motæ, ſed generaliter adverſus omnes evictionis caſus præſtetur, per text. *in. l. ult. §. fin. de reſcind. vend.* Bart. & Salycet. *ad d. l.* 24. *Cod. de evict.* Caſtrenſ. *Conſil.* 46. *vol.* 1. Hartmann. Piſtor. *part.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 1. Caball. *tract. de evict. §.* 11. *num.* 12. Surd. *Conſil.* 36. *num.* 14. *deciſ.* 183. *num.* 1. *& deciſ.* 295. *num.* 9. quos ſequitur Jacob. Cancer. *var. reſolut. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 66. & Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 34. *defin.* 31. *in fin.* Quorum tamen opinio, ſcribentium auctoritate magis quam lege aut ratione propagata mihi videtur. Quippe quod non tantum juris puncto, ſecundum Heig. 1. *quæſt. jur.* 36. *num.* 60. *in fin.* ſed & veritati propius accedat: quum ex natura contractus venditor de fidejuſſoria evictionis cautione regulariter non teneatur, niſi in eum ſolum caſum quo ſatiſdandi occaſionem præbet lis, ſive controverſia, quæ jam emptori moveri incipit, ad hanc ſolam litem, & controverſiam adaptetur ſatiſdatio; in cæteris vero, contractus propriam

ſuam

ſuam naturam retineat; omnis enim exceptio ſtricte ſumenda eſt, ſic ut confirmet regulam in caſibus non exceptis, *l.* 12. *§.* 43. *ff. de inſtruct. vel inſtrum. legat.* ita poſt Mudæum, *de contractib. ad tit. de act. empt. tit. quomodo de evict. cavend.* Fulgoſ. & Rubr. ſentit, & à Friſiæ Senatu judicatum refert Joann. à Sande *lib.* 3. *tit.* 4. *defin.* 9.

13 Quorundam tamen locorum conſuetudo eſt, ut venditor etiam, quum de eo nihil actum eſt, pro omni evictione, ſatiſdare cogatur. Quod omnino ſervandum *arg. l.* 9. *ff. de evict. junct. l.* 31. *§.* 18. *ff. de ædilit. edict. l.* 34. *ff. de reg. jur.* vide Jacob. Coren *Conſil.* 3. *Statut. Civitat. Leydenſ. art.* 116. *Veteris Aq.* 57. *Rhenoland. Conſuetud. art.* 38.

Ceſſat jure Civili hæc evictionis cautio, ſi ipſe venditor pactus ſit cum emptore, ſe evictionis nomine nolle teneri. *l.* 21. *Cod. de evict. l.* 14. *Cod. famil. erciſcund.* Sed an eo ipſo, ab ipſa evictionis empti actione, qua, ſi rei tradendæ facultatem non habeat venditor, ad pretii reſtitutio-
14 nem, damna, & intereſſe emptoris tenetur, *l.* 1. *§.* 1. 2. *ff. de act. empt.* renunciatum videatur? ad ulteriora quidem damna & intereſſe emptoris extenditur, ut licet res empta fuerit evicta, venditor de iis tanquam pacto convento liberetur, venditi tamen pretium non obſtante ejuſmodi pacto, emptori reſtiuere tenetur, *arg. l.* 11. *§.* 18. *ff. de act. empt.* quia non hoc actum cenſeri debet, ut venditor cum miſeri emptoris jactura locupletetur, *l.* 14. *ff. de condict. indebit.* aut ex mala fide compendium habeat, *l.* 10. *§. fin. ff. quæ in fraud. creditor.* vid. Covarruv. *var. reſolut. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 2. Caballin. *de evict. §.* 2. *num.* 23. *cum. ſeq.* Ludovic. Roman. *ſingul.* 387. Nicol. vander Hoogh *ſingul.* 9. Matt. *digeſt. noviſſ. tom.* 1. *tit. creditor. cap.* 79. Atque ita in Belgio paſſim judicatum referunt Neoſtad. *ſuprem. cur.* 37. & 68. Chriſtin. *volum.* 1. *deciſ.* 123. *num.* 14. 15. Coren *Conſil.* 13. *in fin. in not.* Niſi tamen ipſe emptor ab initio ſciverit rem emptam alienam, aut alterius nexui ſuppoſitam eſſe, quo caſu venditor ne quidem empti pretium reſtituere tenetur, niſi expreſſe de evictione fuerit ſtipulatus. *l.* 27. *Cod. de evict.* ubi Bart. Salycet. & alii DD. Hartmann. Piſtor. *part.* 2. *quæſt.* 10. *num.* 22. & *obſerv.* 212. *num.* 32. Caballin. *de evictiou. §.* 3. *num.* 166. Gomez. *var. reſolut. vol.* 2. *cap.* 2. *num.* 42. Atque ita deciſum referunt in Foro Saxonico Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 34. *defin.* 25. In Brabantiæ Conſilio Chriſtin. *volum.* 4. *deciſ.* 173. *num.* 13. 14. Quod in Gallia mutatum refert Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. l.* 27. *Cod. de evict.* ubi pretium nihilominna reſtituendum quibuſdam Galliæ DD. probat, & moribus noſtris conſentaneum exiſtimat: niſi expreſſe actum ſit, ne venditor de evictione teneatur, noſtratibus, **Met de voet te ſtooten** / quo caſu emptor pretium amittit, per ea quæ tradit Grot. *Introd. lib.* 3. *part.* 14. *verſ.* **Men magh**: quod quum in dubia & ancipiti cauſa obtineat, ut recte Grot. *ibid.* multo magis obtinere mihi videtur, in caſu quo quis ſcienter rem alienam, aliive obligatam emerit. Quare nec ei aſſentior, ut, quod in jure firmum eſt, à moribus noſtris abſque ulla certæ conſuetudinis, aut contrariæ legis auctoritate alienum ita facile dicam. Ut tamen venditor emptori de evictione teneatur, emptor quoties de re empta ab aliquo lis movetur, in tempore venditori ſuo litem denunciare debet, ut, eum defendat ac tueatur: qua denunciatione omiſſa, nullus ei dabitur regreſſus adverſus ſuum venditorem, per. *l.* 53. *in fin. ff. de Evict. l.* 8. *l.* 20. *Cod. eod. l.* 1. *in fin. Cod. de peric. & commod. rei vendit.* Vide late Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 33. *defin.* 2. *num.* 6. Menoch. *de Arbitr. Jud. cent.* 3. *caſ.* 224. Rob. Marant. *Specul. aureum. part.* 6. *membr.* 5. Hartmann. Piſtor. *obſ.* 228. & Matth. Coler. *de proceſſ. executiv. part.* 1. *deciſ.* 27. niſi de jure evincentis notorie conſtet, & appareat venditorem nullum jus habuiſſe, illudve ſe probaturum emptor ſuſcipiat: quo caſu emptori omiſſa etiam denunciatione adverſus venditorem datur regreſſus. *arg. l.* 11. *§.* 6. *in pr. ff. de act. empt.* Vide Anton. Fabr. *d. loco. num.* 6. Covarruv. *lib.* 3. *var. reſolut. cap.* 17. Molin. *ad Conſuetud. Pariſ. §.* 44. *num.* 25. Alexand. *conſil.* 67. *vol.* 3. & *vol.* 6. *conſil.* 63. *num.* 11. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 13. *art.* 38. *num.* 12.

15 Nec de evictione tantum tenetur venditor, ſed & quæcunque de re dixerit, aut affirmaverit præſtare, eamque ab omni onere liberam & incorruptam tradere debet, quoad ejus ex bona fide fieri oportet: *l.* 43. *ff. de contrah. empt. l.* 11. *§.* 1. *ff. de act. empt. tot. tit. ff. de ædilit. edict.* niſi aliter fuerit actum. *l.* 4. *in fin. ff. de hered. vel act. vend.* veluti ſi venditor dixerit, *id quod mihi juris eſt in ea re*, nobis **Met de voet te ſtooten** / Quo caſu ipſius rei qualis qualis ſit traditione liberatur, nec ulterius tenetur. *l.* 10. *l.* 11. *ff. de hered. vel action. vend.* D. tit. 2 Cod. IV. & tit. De Ædilit. edict. & redhibit. quanti minoris.

Si liberam dixerit venditor, quæ ſervitutibus obnoxia poſtea reperitur, non ad reſcindendam emptionem, ut quidam putant, ſed ad redhibitionem quanti minoris agere poteſt emptor, *l.* 61. *ff. de ædilit. edict.* ab emptione enim ſemel perfecta invito altero recedere non licet, *l.* 3. *Cod. de reſcind. vend.* & *l.* 5. *Cod. de obligat.* & *actionib.* vide Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 15. *verſ.* **Onder**

wa-

waren. Nec diſtinguitur moribus noſtris inter ſervitutes minores & majores, quæ emptori rem prorſus inutilem reddere ſolebant, quarum nexum ſi ſciviſſet emptor, rem non emiſſet, ut ſunt feuda, fundi emphyteutici, cenſuales: quæ quum patrimoniorum inſtar apud nos poſſideantur, nec perſonalibus præſtationibus obnoxia ſint, propterea, quum emptor juſtam non ſatis reſiliendi ab ipſo contractu cauſam habeat, ex eo non niſi quanti minoris agi poteſt. vide *Zyp. Notit. Jur. Belg. tit. de empt. vend.* Chriſtin. *vol. 2. deciſ.* 69. Coſtal. *ad l. 17. ff. commod. num. 7.*

Si tali vitio aut morbo occultato res vendita, venditionis tempore laboret, propter quod, ſi ſciviſſet emptor, contractum non iniviſſet, emptor intra ſex menſes pro reſcindenda emptione, *l. 1. §. 8. l. 2. l. 49. ff. de ædilit. act.* aut alias, ſi propterea illa res empta non prorſus inutilis eſt, quin nihilominus eam emiſſet, intra annum ad reſtitutionem quanti minoris, adverſus venditorem agere poteſt. *d. l. 2. ff. eod.* Nec refert utrum venditor, vitium aut morbum illum ſciverit nec ne, *l. 1. §. 2. ff. eod.* Quod in mactandis animalibus & jumentis uſu venit. *l. 38. §. 1. & §. 5. ff de ædilit. edict.* & in cæteris etiamnum obtinet. *vid.* Grot. *Introduct. lib. 3. cap. 15. verſ.* **Indien de verkogte ſaak.** Coſtal. *ad l. 1. ff. de ædilit. edict.* Surd. *deciſ.* 146. Coler. *part. 2. deciſ.* 228. Gomez. *variar. reſolut. tom. 2. cap. 2. num.* 49. Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 34. defin. 15.*

Diximus vitium occultatum venditionis tempore, quia de vitio patente ac viſibili, quamvis hoc nomine emptor non fuerit admonitus, venditor nullatenus tenetur, qui ſibi imputare debet, quod non viderit vitium exterius, quum demonſtratio aut admonitio in rebus viſibilibus neceſſaria non ſit, *l. 1. §. 1. ff. de ædilit. edict. l. 5. §. cuſtodiam. ff. mandati.* Quocirca illud moribus no- 16
ſtris ſingulare eſt in equis divendendis, quod inibi pleraque vitia viſibilia ſint, alterque alterum decipere quaſi ſit permiſſum, modo præſtet venditor hæc duo, quod nulla cæcitate latente vel inviſibili aut pedum ſuperoſſibus vel gallis laboret equus, vulgo **Spatten of Gallen** / ſecundum tritum illud, **Van ſeſſen klaar** / id eſt, pedibus & oculis integer. Aliis vitiis, veluti ſi ſit lunaticus, *l. 43. §. 6. ff. de ædilit. edict.* retrogradus aut pavidus, *l. 43. §. 1. ff. eod.* ſi tranſjungi nequeat, *l. 38. §. 5. ff. eod.* ſi ſit calcitroſus, aut pedibus feriens, *d. l. 43. in pr. ff. eod.* aut ſimili vitio laboret, venditor moribus noſtris non tenetur. *arg. l. 4. §. 3. ff. de Ædil. edict.* ſecundum quam intelligenda *d. l. 43. ff. eod.* Jure tamen Saxonico venditor equi de tribus vitiis tenetur. Quod non ſit retrogradus, quod nulla cæcitate latente vel inviſibili laboret, & quod non ſit ſcabioſus, ut poſt Coler. *de Proceſſ. Executiv. part. 2. cap. 1. num. 82. & part. 2. deciſ.* 228. & Georg. Schultz. *ad tit. Inſtit. De Empt. vendit. litt.* C. teſtatur Carpzov. *defin. Forenſ. Romano Sax. part. 2. conſtit. 34. defin. 17.*

Vendens animal aut pecus mactabile, quod mactatum aut diſſectum morbidum, aut vitioſum 17
reprehenditur, quia de eo externe judicari vix poteſt, tantum de pretio reſtituere, aut remittere tenetur, quantum inquiſitores publici ad id, ad exemplum ædilium Romanorum, ſpecialiter conſtituti, nobis **Vinders** / ſive **Keur-meeſters** / æquum judicabunt: niſi adeo morbidum, aut vitioſum ſit, ut ejus caro ſine periculo comedi nequeat; quo caſu, ipſum pecus redhibetur, teneturque venditor integrum pretium reſtituere. Sive morbus aut vitium venditori fuerit cognitum, ſive non. *arg. l. 3. §. 1. & § 3. ff. De ædilit.* Prout etiam in foro Saxonico indiſtincte deciſum refert Carpzov. *definit. Forenſ. part. 2. conſtit. 34. defin.* 15. poſt Coler. *d. part. 2. deciſ.* 228. *num. 2. & num.* 9. Porco tamen vendito, quia de eorundem vitio aut morbo ex linguæ & palati inſpectione judicari poteſt, ſecundum variorum locorum ſtatuta & mores, venditor liberatur, ſi artifici ad id munus demandato, ex palati apertione linguaque ſciſſa ſanum exhibuerit. Prout & cum Saxoniæ moribus convenire teſtantur iidem Carpzov. *d. conſtit. 34. defin. 16.* & Coler. *d. deciſ. 228. num. 9.*

Diximus autem, *venditionis tempore*, quia vitium quod præcedit edicto locum non facit. *l. 1. §. ult. ff. De ædilit. edict.* & quod ſequitur emptori nocet, *l. 3. Cod. eod.* Ita ſi vitium aut morbus venditi pecoris non ilico apparuerit, aut emptor conqueſtus fuerit poſt temporis lapſum, poſtea ſuperveniſſe vitium præſumitur, nec tenetur venditor emptori, qui ſibi imputare debet quod non diligentius in empti animalis vitia inquiſiverit. Prout ibidem deciſum refert Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 34. defin. 18.*

Quod ſub pondere vel menſura venditum, ad juſtos ponderis, aut menſuræ modos præſtari 18
debet: quæ quum ſaltem quoad pondera ſingulis pæne locis apud nos varient, utrobique fere ponderatoria publica, ponderatores & menſuratores publici conſtituti ſunt, qui inter partes ſecundum ejuſdem regionis aut loci publica pondera & menſuras publicas, ponderant & men-

ſuran-

ſurantur, niſi de alio pondere aut menſura inter partes fuerit actum; eorundemque ponderationibus & menſuris plena adhibetur fides.

Sed quum diverſa ſint variarum Regionum pondera & menſuræ, utrum, ſi res ſimpliciter ad pondus vel menſuram vendatur, loci contractus, an ſituationis rei menſura aut pondus ſequi debeat, inter D D. non convenit. Quod quum ad ſolennitatem complementi ipſius actus ſpectet, haud dubium mihi videtur, quin ejus loci menſura & pondus ſequi debeat, quo res ſolvi & tradi debet. Sive res ſit mobilis, ſive immobilis, *arg. l. 22. ff. de reb. cred. & l. 21. ff. de obligat. & act.* junct. *l. 3. ff. de bon. auth. judic. poſſid.* Hinc quum res immobilis noſtris & aliorum moribus coram lege loci ſolenniter tradi debeat, conſequens eſt, ut in prædiis ad menſuram venditis, ejus loci menſura ſequi debeat, ubi res ſita eſt, niſi aliter fuerit actum. Atque ita deciſum referunt in Sabaudiæ Pedemontanorum Senatu, Anton. Sola *ad Conſtitut. Sabaudiæ*, tit. *de cenſuum ſolut. decret. omnibus prima part. gloſſ. un. num.* 11. 12. quem omnino vide. In Curia Ultrajectina Radelant *deciſ.* 39. in Scabinatu Mechlinienſi Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 7. art. 4. in addit. ad num. 3.* Vide tamen Mantic. *de tacit. & ambig. conv. lib. 3. tit. 13. num. 19. & ſeq.* & Hieron. Cævall. *ſpecul. commun. opinion. quæſt.* 730.

19 Quocirca quoad rerum immobilium & præcipue fundorum venditorum menſurationes, quibus etiam publici agrorum menſuratores conſtituti ſunt, nobis **Geſworen Land meters** / an & quando ad juſtam menſuram venditor teneatur? Diſtinguendum eſt, utrum emptio venditio ad corpus, an ad menſuram facta ſit. Si ad certam menſuram conditio facta fuerit, veluti ſi fundus tot jugerum venditus ſit, & in ſingula jugera certum pretium ſit promiſſum, ſi quid ſuperſit pretium auget, & ab emptore pro rata ſuppleri, ſi quid juſtæ menſuræ deſit, à venditore pretium pro rata reſtitui, aut remitti debet, *l. 40. §. 2. ff. de contrah. empt. & l. 42. ff. De act. empt.* Si ad corpus tantum, ſive ad ſpeciem venditio facta ſit, venditor ad ſupplementum, nec emptor ad reſtitutionem, aut remiſſionem pretii, tenetur, ſi quid putative menſuræ ſuperſit, aut deſit, *d. l. 42. ff. De act. empt.* & ibi Caſtrenſ. & DD. & in eo omnes conveniunt. Quando autem ad corpus vel ad menſuram facta intelligatur emptio, Doctores variant: communior quidem eorundem eſt opinio, ut indiſtincte fundus ad corpus venditus intelligatur, ſi quis vendat, fundum certis terminis circumſcriptum, proque eo certum pretium pro integro fundo nactus ſit; licet interim affirmaverit tot aut tot eſſe jugerum, quod demonſtrationis tantum cauſa adjectum volunt, idemque eſſe ac ſi per averſionem venditio facta fuerit. *l. 62. §. ult. ff. De contr. empt. l. 4. §. 1. 2. ff. De peric. & commod. rei vend.* quod à noſtratibus exprimitur, **met de voet te ſtooten.** Cujus opinionis ſunt Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 28. defin. 3.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 33. defin.* 3. Coſtal. *ad l. 40. §. 2. ff. de contrah. empt.* Probabilior tamen diſtinguentium opinio videtur, utrum menſura bona fide fuerit adjecta, & ex probabili ignorantia erratum, quo caſu eorundem opinionem bene procedere putem. Utrum vero fraudulenter majorem menſuram adjecerit venditor, ut emptorem demonſtrando id quod in veritate non eſt, deciperet, quo caſu magis improbato more verſatus, quam ſecuritati ſuæ proſpectum voluiſſe videtur, *l. 1. ff De act. empt.* adeoque ad ſupplendam menſuram ex empto adverſus eum actionem dari putem ex *l. 1. l. 6. & l. 39. ff. eod.* atque ita me conſulendo obtinuiſſe memini. Quod quum dubium ſæpe ſit, utrum poſt termini deſcriptionem, & corporis aſſignationem, bona an mala fide fuerit adjecta menſura, apud nos conſuetudine introductum eſt, ut venditione ad corpus, aut per averſionem facta, vulgo, **by den hoop / ſonder maat / ende met de voet te ſtooten** / ſi modo aliqua jugerum quantitas fuerit adjecta, utcumque fuerit ſtipulatum venditorem aut emptorem majoris aut minoris menſuræ ratione non teneri, attamen differentiam menſuræ additæ duodecimæ, quibuſdam ſexti jugeris partem non excedere, vulgo **houdt noch halff** / quin à venditore aut emptore refundatur. Vide Coten *Obſerv. rer. Judic.* 19. Cæterum vide Gomez. *Variar. reſol. lib. 2. cap. 2. num.* 16. Mantic. *De tacit. & Ambig. conv. lib. 4. tit. 17.* Pinell. *de Reſcind. vend. part. 3. cap.* 2. Fachin. *lib. 2. controverſ. cap.* 17. Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 18. Quomodo rerum dominia in alium transferantur, & quæ ſolennitatea circa dominii acquiſitionem moribus noſtris præſertim quoad immobilia acquirantur, diximus ſupra *lib. 2. cap.* 1.

20 Venditæ rei, & traditæ non aliter emptori dominium acquiritur, quam ſit pretium ejus venditori fuerit ſolutum; aut fides de pretio fuerit habita. *l. 5. §. ſed ſi, ff de tributor. act. §. 41. Inſtit. de rer. diviſ. l. 19. ff. De contrah. empt.* Sic ut venditor etiam rei traditæ dominus maneat, donec pretium ei fuerit ſolutum: niſi per terminum ſolutioni adjectum fides de pretio habita ſit. Quod ut recte diſtinguatur, ſciendum eſt, quod in omnibus obligationibus, quibus dies non

apponitur, præſenti die debeatur. *§. 2. Inſtit. & l. 41. §. 1. l. 56. §. 4. ff. De Verb. oblig. l. 14. ff. De Reg. Jur.* Et puræ ſtipulationis dies ſtatim cedat & veniat. *l. 213. ff. De Verb. Signif.* Adeoque nunquam fides de pretio habita intelligatur, ad hoc, ut emptor rei venditæ & traditæ abſque pretii annumeratione dominus conſtituatur, niſi probetur. Non obſtante eo quod Salicet. *ad d. l. 19. ff. de contrah. empt.* putet, per ſolam rei venditæ traditionem, fidem emptori de pretio datam cenſeri, licet dies aut terminus ſolutioni adjectus non ſit: propterea quod ipſe textus *d. §. 41. Inſtit.* refragetur, in verbis *vendita vero rei & tradita non aliter*, &c. & porro communis & recepta DD. opinio ſit, ut in dubio per ſolam rei venditæ traditionem, fides de pretio habita aut dies ſolutioni datus cenſeatur. *per text. l. 12. Cod. De rei vindicat.* & *d. §. 41. Inſtit. De rer. diviſ.* prout paſſim inter mercatores eſt receptum, quod bona abſque ſolutionis die aut termino expreſſo vendita & tradita, non obſtante traditione, in venditoris dominio maneant, donec ipſa pretii ſolutio fuerit ſubſecuta, eaque interim tanquam ſua à quolibet poſſeſſore, ſicubi exſtent, vindicare poſſit ipſe venditor: niſi aut fuerint conſumpta, aut cum aliis ita intermixta, ut quid cujuſque ſit diſcerni haud queat. Vide Grot. *Introduct. lib. 2. cap. 5. verſ.* **Doch wat levering.** Buſ. *ad l. 19. ff. De contrah. empt.* Daniel Moller. *Semeſtr. lib. 4. cap. 28. num. 2.* Matth. Coler. *de Proceſſ. execut. part. 3. cap. 3. num. 469.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 15.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 7. defin. 6.* Hartmann. Hartmanni *tit. 27. obſerv. 16.* Grivell. *deciſ. 56. num. 8. & ſeqq.* Berlich. *concluſ. pract. part. 1. concluſ. 66.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 1. conſtit. 27. defin. 17.* Papon. *lib. 18. tit. 5. art. 46.* Nicol. Everbardi. *conſil. 109. num. 9.* Quæ quamvis ita defendi poſſit, & ut conſuetudini inveteratæ conſulatur, debeat opinio: Si tamen Juris apices ſpectes, Saliceti opinio verior videtur, ex eo quod venditor poſt traditionem, rem exportari & auferri ſua voluntate permittat, fides ſecuta cenſeri debeat, per ea quæ idem Salicet. *ad d. l. 12. num. 2. Cod. de rei vindicat.* Quia quantum quantum tempus poſt traditionem, & rei voluntate venditoris ablationem, interceſſit, ad inducendam pretii numerandi fidem ſufficit: quod ſcilicet, nullo alio jure, aut titulo, depoſiti puta, commodati, precarii, aut locati, ſed neque furti, quum voluntate ejus ablata ſit, res illa apud emptorem eſſe poſſit. Neque movet arg. ex *d. §. 41. Inſtit. de rer. diviſ.* in verbis *vendita, & tradita*, quæ verba, *& tradita*, de ſimplici traditione, aut potius actuali oblatione intelligenda ſunt, quam nulla niſi pretio ſoluto ablatio accedit, quæ ſine ejus interventu, non niſi habita fida accedere poteſt. Cui non bene ab Arnoldo Vinnio aliiſque interpretibus comparatur *l. 19. ff. de contrah. empt.* Cujus caſus eſt de re apud emptorem ante venditionem conſtituta, quod vendidi inquit, non etiam, & tradidi, quia traditio ex alia cauſa præceſſerat. Quod ſi comparatio aliqua ſubſit, emendationem noſtram *d. §. 41.* confirmat: ſcilicet illa verba, *& tradita*, de ſimplici & nuda oblatione accipi, quam nulla venditoris voluntate ablatio acceſſit: Debet enim venditor offerre rem venditam, quam quaſi pignoris jure retinet, niſi numeretur, aut voluntate ſua auferatur, *l. 13. §. 7. ff. de act. empt.* quæ de præſenti tantum oblatione, non ſi etiam rem auferri patiatur. Vide omnino *l. 12. Cod. de rei vindicat.* cui confer *l. 31. ff. de acq. rer. domin.* Neque obſtat arg. ex *l. 14. ff. de Reg. Jur.* Quod non ideo minus fides de pretio habita ſit, imo vel eo magis, quod quum præſenti die & vel ipſo momento debeatur, venditor, ſine numerato pretio rem ſuam auferri paſſus ſit.

Quod tamen ſecundum quorundam locorum ſtatuta, fallit, ſi quis bona fide in publico emporio merces aliquas emerit, parataque pecunia ſolverit, contra quem dicta rei vindicatio à priori venditore inſtituenda non admittitur, niſi ſecundo emptori pretium ſolutum reſtituatur, ſi illud à venditore ſuo recuperare non poſſit. Vid. Grot. *Introd. Juriſprud. Batav. lib. 2. cap. 3. verſ.* **Uytgenomen.** Zyp. *Notit. Jur. Belg. De Rei vindicat. verſ. Jure.* Statut. Zeland. *Anni 1495. cap. 3. art. 23.* Et porro, ne hæc venditoris prærogativa cum alterius jactura nimium protrahatur, quibuſdam etiam locis certum tempus conſtitutum eſt, intra quod venditor, qui nullo ſolutionis termino rem ſuam vendidit, & ſpe actualis numerationis rem venditam emptori tradidit, pretium ſuum ab emptore exigere debeat, aut alias fidem emptoris ſecutus, & rei venditæ dominio dominiique jure excidiſſe intelligatur, Amſtelodami poſt ſex, Leydæ poſt duas ſeptimanas, prout ibidem expreſſa ſanctione cautum eſt; Amſtelodami *31. Januarii* 1658. Leydæ 8. *Maji* 1659.

E contra tamen nec fides de pretio habita venditori obſtat, quo minus rei ſuæ dominus maneat, & adhuc rei ſuæ vindicationem inſtituere poſſit, ſi ſcilicet emptor dolo ſe biduo aut triduo antequam foro cedat, emendo merces cum venditore contraxit, ut eum fallat. Quo caſu venditor in repetitione mercium traditarum, adhuc exſtantium, omnibus aliis creditoribus præfertur, etiamſi fidem de pretio habuerit. Quia dolus cauſam habendæ fidei dedit, quæ eo caſu pro non habita habetur, & res non tradita, ſed fraudulenter ablata cenſetur, *l. 3. ff. De pignor. act.* Andr. Gail

lib. 2.

lib. 2. *obſerv.* 15. *num.* 9. 10. Matth. Berlich. *part.* 1. *concluſ.* 64. *num.* 58. Molin. *ad conſuetud. Pariſ. tit.* 1. *Gloſſ.* 23. *num.* 27. Joann. Papon. *lib.* 18. *tit.* 5. *art.* 46. Hartmann. *d. tit.* 27. *obſerv.* 16. *num.* 9. Statut. Antverp. *tit.* 58. *art.* 7.

Sed quid ſi emptor ille, qui quum ſolvendo non eſſet, doloſe merces emit, pretio nondum ſoluto, eas alteri parata pecunia vendat, ut quandoque factitatum memini? nihilominus primo venditori proſpectum erit rei vindicatione non ſolum adverſus emptorem ſuum, ſed etiam contra tertium poſſeſſorem, apud quem merces fuerint repertæ; quippe quod quum dolus emptoris primi impediat dominii tranſlationem, utique nec tertius poſſeſſor ab eo dominium conſequi potuerit, cum nemo plus juris in alium transferre poſſit, quam ipſe habet. *l.* 54. 120. 160. *ff. De Reg. Jur.* nec pretium reſtituere teneatur: haud ſecus, ac dominus rem furtivam à quocunque poſſeſſore abſque pretii refuſione repetit. *l.* 2. *Cod. De furt. l.* 5. *& l.* 23. *Cod. De Rei vindicat.* Nec eſt quod conqueratur tertius ille emptor, cui de dominio & qualitate venditoris ſui inquirendum erat: qui enim cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus. *l.* 19. *ff. de Regul. Jur.* Atque ita deciſum referunt in utraque Hollandiæ Curia Neoſlad. *Suprem. Holland. Cur. deciſ.* 5. In foro Saxonico Carpzov. *defin. Forenſ. part* 2. *conſtit.* 27. *defin.* 19.

21 In emptione & venditione venire poſſunt omnes res quæ modo ſunt in commercio. *l.* 34. §. 1. *ff. de contrah. empt. l.* 83. §. 5. *ff. De Verb. Oblig.* nec tantum exſtantes, ſed & quæ futuræ ſperantur, ut ſunt, jactus retis, captus avium, cujus ſpes loco rei ſuccedit: etiam res aliena, ſi contrahentes, aut ſaltem emptor eam alienam eſſe ignoraverit, aut ſi ſciverint, bona fide contractus fuerit initus, *l.* 28. *ff de contrah. empt. l.* 1. *& ſeqq. Cod. de reb. alien. non alienand.*

Cod. IV. XL. Quæ res venire non poſſunt, & qui emere vel vendere vetantur.

22 Res ſanctæ, ſacræ, aut religioſæ, ut ſunt templa, ædes ſacræ, ſepulchra, & quæ in templis ſunt, quia in commercio non ſunt, emi vendi non poſſunt, *l.* 22. *l.* 24. §. 1. *ff de contrah. empt.* §. *fin. Inſtit. de empt. vend.* Uti nec quævis res Eccleſiaſticæ, *l.* 10. *Cod. De Sacroſanct. Eccleſ.* quæ ſi ignoranti vendantur, venditor ad intereſſe emptori tenetur. *l.* 6. *l.* 62. §. 1. *ff. de contrah. empt.* Quæ tamen apud Reformatos, quibus nulli rei in ſe aliqua ſanctitas tribuitur, extra commercia dici non poſſunt: ſed in univerſitatis aut ædificantis conſtituentiſve dominio ſunt, & pro poſſidentis arbitrio alienari poſſunt. Vide Grot. *Introd. lib.* 2. *part.* 1. *num.* 24. Groeneweg. *de legib. abrog. Cod. De Religioſis.* & quæ diximus ſupra *ad tit. De rer. diviſione.*

23. Ita nec res litigioſæ jure civili vendi poſſunt, quaſi in commercio non ſint, *tot. tit. D. & Cod. de litigioſis*, quæ tamen noſtris & Gallorum moribus vendi, legari, aut quovis modo ad alium transferri poſſe conſtat. Quarum nomine ipſe tantum litis eventus, nec æſtimatio debetur: vide Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 14. *verſ.* Saaken tot den Godts-dienſt. Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib.* 3. *cap. ult. in fin.* Chriſtin. *vol.* 4. *deciſ.* 175. *num.* 10. *& vol.* 6. *deciſ.* 96. Statut. Antverp. *tit.* 51. *art.* 10. Gothofred. & Autumn. *ad d. tit. D. & Cod.*

D. XLIV. VI. Cod. VIII. XXXVII. De Litigioſis.

24 Similiter nec hereditatis hominis adhuc viventis commercium eſt, hereditatiſque niſi hominis defuncti actio emi vendi poteſt, eaque emptio incidit in pactum futuræ ſucceſſionis. *l.* 61. *ff. de Verb. Oblig. l.* 15. *l.* 19. *& l. ult. Cod de pact.* quod quando & quomodo procedat, ſuo loco egimus: cui illud tantum hic addendum, quod vendita hereditatis actione, omne jus, quod venditor habuit, neque plus, neque minus in emptorem tranſeat, *l.* 2. §. 18. *ff. De hereditate vel actione vendita*, adeoque & omnes, adverſus debitores, hereditariæ actiones: *l.* 5. *Cod. eod.* teneturque venditor, non tantum corpora hereditaria tradere, ſed & actiones omnes emptori cedere, *l.* 2. §. 8. *ff. eod.* quas tamen ſuo nomine ſine ceſſione utili actione contra defuncti debitores movere poteſt. *d. l.* 5. *Cod. de heredit. vel act. vend.* Jus tamen accreſcendi non habet, niſi actum fuerit de omni jure quod pervenit, & perventurum eſt. *l.* 19. *ff. Inoffic. teſtam.* In dubio enim tantum intelligitur venditum eſſe illud jus, quod tempore venditionis competebat, ſub quo jus accretionis, quod aliunde, & à legis diſpoſitione venit, contineri non poteſt, *l.* 1. *in pr. ff. De Uſufruct. Accreſ.* nec de evictione tenetur venditor, *l.* 1. *Cod. de Evict. l.* 2. *ff. de hered. vel act. vend.* niſi de tota hereditate evicta agatur.

D. XVIII. IV. Cod. IV. XXXIX. De Hereditate vel actione vendita.

Indeque eſt, quod actiones, nomina & jura, licet incorporalia, emi vendi poſſint. *l.* 3. *l.* 8. *l. ult. Cod. De hered. vel act. vend.* Niſi perſonalia ſint, quæ perſonas non excedunt. §. 6. *Inſtit. de Juſtit. & Jure.* Et quidem ignorante & invito debitore, nomen ejus vendi poteſt, *l.* 3. *Cod. de hered. vel act. vend. l.* 1. *Cod. de Novat.* cui ſatisfactum eſt, ſi præſtet venditor eum contra quem actionem ſive nomen cedit, ejus eſſe debitorem, licet ſolvendo non ſit. *l.* 4. *ff. de hered. vel act. vend.* niſi aliter ſit conventum, ut communiter fieri in praxi eſt receptum.

25 Vendita tamen actione & nomine, illud debitori offerri, & pretium bona fide indicari debet,

quod ſi velit repræſentare, liberatur; ſin minus, ſolidum nominis emptori præſtare tenetur; quod niſi fiat intra annum & diem à tempore ſcientiæ, retractus jure uti non poteſt debitor, *ex l. 22. & 23. Cod. mandat.* Vid. Grot. *Intrsd. lib. 3. part. 16. verſ.* **Wanneer.** Statut Rhenoland. *art.* 57. Chriſtin. *vol. 3. deciſ.* 49. *num.* 13. 14. Mornac. & Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. l.* 22. *Cod. mandati.*

Quædam inter certos homines emi vendi prohibita ſunt, ut ſunt purpuræ & ſerica, quorum privatis hominibus interdictum erat commercium. *l. 1. Cod. Quæ res venir. non poſſ.* Quod tamen moribus vix ſervatur, quibus purpureæ, auratæ, & boloſericæ veſtes, etiam ad fæcem plebis tranſlatæ, & promiſcui uſus factæ ſint. Vid. Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. l. 1. & 2. Cod. Quæ res venire non poſſ.* Ita nec arma, vina, olea, frumenta, aliaque ad victum & communem uſum parata barbaris, id eſt hoſtibus, vendi non debebant, *l. 1. & 2. Cod. eod.* Quod etiamnum ſervatur, variiſque conſtitutionibus ſeveriſſime in ejuſmodi commercia cum hoſtibus ineunda cautum: nobis **Waren van** contra **banden.** Vid. Chriſtin. *vol. 3. vol. 64. num. 6.* Matth. *de Criminib. lib.* 48. *tit.* 4. *cap.* 4. *num.* 1. Zyp. *Not. Jur. Belg. tit. Quæ res export. non deb.*

Sunt etiam res, quæ non niſi cum certo modo vendi poſſunt: ut ſunt feuda, quæ ſine conſenſu domini, *cap. unic. de prohibit. feud. alienat.* Emphyteuſis, niſi prius requiſito domino, *l fin. Cod. de Jure emphyteut.* res minorum ſine decreto judicis. *l. 22. Cod. de adminiſtrat. tutor.* Res publicæ, ſive univerſitatis, niſi cum ſuis ſolennitatibus, id eſt, expreſſione nominis ſingulorum de univerſitate, & quod ſit factum à majori parte. *l. fin. Cod. de Vendit. Rei civitat. junct. l. 6. ff. de contrah. empt.* ædes & ædificia urbana, ut diruantur. *l. 52. ff. eod.* venena, & mala pharmaca niſi miſceantur, vendi nequeunt, *l. 35. §. 2. ff. eod.*

Nec uni tantum, ſed & pluribus à pluribus res emi vendi poteſt, quod ſi ſimul in eadem rea 26
pro diviſo fiat, duos, aut ſtipulandi, aut promittendi reos conſtituit, de quibus ſupra *cap.* 17. Sed quid ſi quis merces, aut rem ſuam pluribus diverſo tempore pro indiviſo vendidit, nec cuiquam eorum tradiderit? In empti actione is potior eſt, cui prius res fuit vendita, reſervata alteri actione ejus quod intereſt, ſecundum regulam, qui prior eſt tempore, potior eſt jure. *arg. l. 26. ff. locati*, alias ex pluribus emptoribus præfertur is, cui prius res fuerit tradita, *l. 15. Cod. de Rei vindicat. & ibi DD.* aut qui prior ejuſdem rei poſſeſſor conſtitutus eſt, ut recte notat. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 3. tit. 22. defin.* 4. adeo ut ſola rei emptæ ſubſignatio, aut ſigillatio, aliquem in rei emptæ poſſeſſionem conſtituat, iſque potior reputetur, licet eadem res poſtea alteri vendatur, & tradatur, *arg. l. 14. §. final. ff. de peric. & commod. rei vend.* Prout exemplo demonſtrat Petr. Foller. *in addit.* ad Robert. Marant. *Specul. Aur. part. 4. diſtinct.* 14. *in fin.* Vide etiam Ludovic. Roman. *Singul.* 285. Boër. *deciſ.* 105. *num.* 9. Andr. Gail *lib. 2. obſerv.* 55. *num.* 10. Niſi forte is cui res empta & tradita eſt, quum ſciret, eandem rem alteri prius venditam eſſe, in fraudem prioris emptoris egerit, ut ſibi venderetur, & traderetur, nec alter eam conſequatur: qui eo non obſtante, rem traditam actione in factum revocatoria, à ſecundo emptore revocare poteſt. Bald. *ad Rubr. Cod. De Revoc. iis quæ per fraud. alienat. num.* 1. Ludoc. Roman. *Singul.* 292. *in not circa fin.* Gomez. *variar. reſolut tom. 2. cap. 2. num. 20. verſ. Secundo principaliter limita.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv.* 55. *num.* 11.

Pluribus licitando ſeſe ad ejuſdem rei emptionem offerentibus, ut in licitationibus & auctioni- 27
bus publicis fieri ſolet, per ſecundum vel tertium plus offerentem primus non liberatur, ſed electio venditoris eſt, quem eligere velit: ut ſi ſecundus, vel tertius, plus offerens non ſit ſolvendo, aut idoneè cavere non poſſit, primum licet minus obtulerit emptorem conſtituere poſſit venditor, neque is per plus offerentes à prioribus receſſiſſe intelligitur: qui, niſi eorum uno pro emptore electo, aut expreſſe aliter fuerit actum, non liberantur. *arg. l. Sabinus. 9. ff. de in diem addict. junct. l. licitatis. 9. ff. de Publican. & Vectigalib. & ibi DD.* Vide Boër. *deciſ. Burdegal. deciſ.* 248. Rebuff. *ad conſtitut. Reg. tom. 2. tractat. De praecon. & licit. art.* 7. Gloſſ. *unic. num.* 21. Joann. Papon. *lib. 13. tit. 9. art. 2.* atque ita à Senatu Mechlinienſi judicatum refert Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 13. art. 25. num 10. & ibi in addit.* Quamvis pro diverſa DD. opinione tutius ſit electionem ipſis venditionum pactis ſibi liberam reſervare: ut plurimum in praxi apud nos eſt receptum.

CAP.

Cap. XX.

De Pactis inter Emptorem & Venditorem compoſitis, & de retractu conventionali, & gentilitio.

Summaria.

1. *Pactum in diem addictionis quid.*
2. *Pactum Commiſſorium.*
3. *Pactum de retrovendendo, ſive retractus.*
4. *An in heredes tranſeat, & in alium transferri poßit.*
5. *Reditus cenſuales, vulgo,* **Pachtenmetten houde.**
6. *An ejuſmodi pactum ad permutationem, aut donationem, teſtamenti factionem, aut legitimam inteſtati ſucceßionem pertineat.*
7. *An ejuſmodi juri præſcribi poßit.*
8. *Retractus legalis quis, & quibus competat.*
9. *Retractus gentilitius qua ratione introductus.*
10. *Definitio, ejuſque requiſita.* & n. 12. 15.
11. *Quamdiu duret poſt interpoſitam venditionem, an & quando ei præſcribatur.*
12. *Pretium cum expenſis & ſumptibus reſtitui debet.*
13. *An pendente redemptionis lite deponendum, aut parata pecunia offerendum.*
14. *An nova laudemia aliave tributa emptioni impoſita à retrahente præſtari debeant.*
15. *In quibus rebus & bonis locum habeat retractus; an etiam in conquiſitis nec patrimonialibus aut avitis.*
16. *An in emptionibus publice per licitationem factis.*
17. *An etiam in permutatione, donatione, diviſione retractus locus ſit.*
18. *Res partim vendita, partim donata, aut permutata an retractui ſubjaceat.*
19. *Cui competat gentilitius retractus, & quomodo inter plures ejuſdem gradus.* & num. 26.
20. *Si uni ex conſanguineis pluribus ejuſdem gradus res vendita, an alii retractus jure gaudeant, ut cum emptore concurrant.*
21. *An filius qui patris heres rem à patre venditam retrahere poßit,* in Brabantia *&* Friſia.
22. *An alteri quam ſibi retrahere licet.*
23. *An alteri cedi poßit jus retractus gentilitii.*
24. *An huic juri renunciari poßit, & an & quando quis renunciaſſe præſumatur, vel non.*
25. *Deficientibus aut ceſſantibus conſanguineis, an, & qui eodem jure gaudeant,* in Hollandia, *&* Flandria.
26. *Retractu inſtituto, quid emptori incumbat præſtandum, & quid de reſtituendis fructibus extantibus, aut pendentibus.*

Emptioni & venditioni pacta quædam adjici ſolent, eſtque regula, quod omnia pacta quæ inter emptorem & venditorem contrahuntur, modo honeſta ſint, nec turpia, aut legibus improbata ipſi emptioni inſint. *l. 79. ff. de contrab. empt. l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 13.* Cod. *eod.* Quæ autem
1 communiter ipſi emptioni venditioni adjiciuntur, ſunt: I. Pactum quo convenit ut venditor maneat conductor & colonus. *l. 75. l. 79. ff. de contrab. empt.*

Cod. IV. XLIV. De pactis inter emptorem & venditorem compoſitis.

2 II. Pactum addictionis in diem, quo convenit, ut res emptori vendita cenſeatur, ſi non alius intra certum tempus meliorem conditionem obtulerit. *l. 1. 2. ff. de in diem addict.* quod omnino in favorem venditoris adjectum cenſetur, quare & is meliorem conditionem reſpuere, primumque emptorem obſtrictum tenere poteſt. *l. 9. ff. eod.* cui tamen melior conditio oblata bona fide denunciari debet, ut ipſum offerentem cum adhuc meliori conditione ſuperet, ſi velit, aut ab eo denuo licitando ſuperetur. *l. 6. §. 1. l. 7. 8. ff. de in diem addict.* niſi aliud fuerit actum.

D. XVIII. II. De in diem addictione.

3 III. Pactum commiſſorium, quo convenit, ut niſi pretium intra certum tempus ſolvatur, res ſit inempta. *l. 2. ff. de leg. commiſſor.* quod etiam in ſolius venditoris commodum adjicitur, quare & is electionem habet utrum pretium petere, an legem commiſſoriam exercere velit. *l. 3. ff. eod.* Sed ſi ſemel elegit, poſtea variare non poteſt. *l. 4. §. 2. ff. eod.* & ſi pretium vel uſuras petierit, legi commiſſoriæ renunciaſſe videtur. *l. 6. in fin. ff. eod. de leg. commiſſor.*

D. XVIII. III. De lege commiſſoria.

4 IV. Et præcipuum pactum eſt de retrovendendo, ſive retractus, qui alius eſt conventionalis, alius legalis; quorum uterque ipſi venditioni ineſt, & adjicitur. De quibus ſingulis.

5 Retractus conventionalis, de quo hic proprie, eſt pactum quo convenit, ut ſi venditor emptori pretium reſtituat, emptor venditori rem emptam revendere cogatur, vel ſi quando res empta iterum alterum alteri vendatur, primus offerendo idem pretium præferatur, venditionemque retrahat. *l. 2. Cod. de pact. inter empt. & vend. compoſit. l. 12. ff. de præſcript. verb.* Quod quum perſonæ annexum non ſit, ſed commodum ex contractu acquiſitum, etiam in heredes venditoris

 trans-

transfertur: quia in contractibus non tantum nobis, ſed & heredibus noſtris cavemus, *l.* 13. *Cod. de contr. & commit. ſtipulat. l.* 9. *ff. de probat.* adeoque in extraneum retrahendi facultas cedi poteſt. *arg. tot. tit. ff. & Cod. De hered. vel act. vend.* Vide Tiraquell. *De retract. convent. §.* 1. *Gloſſ* 6. *num.* 1. *& ſeq.* Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 2. *num.* 4. 5. nec movet arg. Donell. *ad d. l.* 2. *Cod. De pact. inter empt. & vend.* Quod pactum hoc ex ſingulari affectu ad ipſam rem adjectum videatur, qui ab una perſona ad aliam tranſmiſſibilis non ſit; quia hoc reſtringendum eſt ad puram & ſimplicem affectionem, & oblectamentum, ſecus, ſi & illa utilitatem & intereſſe aliquod præterea annexum habet, ut hic, ubi venditor propter retrahendi facultatem minus pretium conſecutus eſt, quam ſi ſimpliciter & abſolute vendidiſſet. Et porro tale argumentum ad bona avita in familia reſervanda magis pertinet, quorum reſpectu jus protimeſeos liberis aut proximioribus agnatis competit, quod extraneo cedi non poſſe mox dicemus, adeoque ad retractum conventionalem inter extraneos extendi non poteſt. Ut recte etiam notat Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 32. *defin.* 20.

Hujus juris apud nos etiam ſunt reditus cenſuales, quos quis in ipſa rei ſuæ tranſlatione cum retractus jure annuatim ſibi ſolvi retinuit, nobis, **Pachten metten houde** / quos non tantum in heredes ſuccedere, ſed & venditionis aliove acquirendi dominii titulo in alium transferri conſtat. De quibus vide *Statut. Civitat. Leydenſ. art.* 120. 5

Cujuſmodi pactum, quum tantummodo retro vendendi jus ſit, inibique de empti pretio tanquam de eſſentia contractus paſſim agatur, ad permutationem aut donationem haud pertinebit, niſi & hoc fuerit actum, *arg. l.* 39. *ff. de Pact. l.* 33. *ff. De contrab. empt. l.* 172. *ff. De Reg. Jur.* de quo fuſius infra. Nec ad alienationem quæ fit per teſtamentum, aliamve ultimam voluntatem, *arg. l.* 38. *§.* 3. *ff. De legat.* 3. *l.* 20. *ff. De Verb. Signific.* aut legitimam inteſtati ſucceſſionem impediri poteſt. *l.* 88. *§.* 16. *ff. de leg.* 2. *l.* 135. *§.* 3. *ff. De legat.* 3. Vide Carpzov. *defin. Forenſ. Romano-Saxon. part.* 2. *conſtit.* 32. *defin.* 16. 17. 6

Sed an huic Juri præſcribi poſſit? Non videtur, niſi mutua conventione certum tempus fuerit conſtitutum; quum inter ea numerentur quæ meræ facultatis ſunt, quæ nullo unquam tempore præſcribi poſſe diximus ſupra *De acquir. poſſ.* Ut recte notant Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 17. *num.* 4. 5. Berlich. *practic. concluſ. part.* 2. *concluſ.* 2. *num.* 80. *& ſeq.* contra Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 86. *num.* 5. 6. ubi pro affirmativa tamen poſt multos ibi alleg. deciſum refert. Et Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 32. qui in foro Saxonico triginta annis, anno, & die huic juri præſcribi refert. 7

Retractus legalis, eſt jus prælationis lege vel certa conſuetudine conſtitutum, certis perſonis competens ad rem immobilem, per venditionis, aut alium contractum in alium tranſlatum, æquali pretio intra definitum tempus redimendam: Quod ex jure gentium poſt introductam emptionem venditionem pro bonis avitis in familiis aut communitate retinendis originem ſuam traxiſſe videtur. 8

Diximus, *lege vel certa conſuetudine conſtitutum*: ad differentiam ejus quod jure communi obtinet, & ejus quod pleriſque Statuto vel conſuetudine firmatur. Jure communi retractus jure gaudent. I. Filii & agnati proximi, feudo legitime alienato, & titulo oneroſo in alium tranſlato. *lib.* 1. *feud. cap.* 13. *§. ſed etiam.* & *cap.* 26. *§. Titius filios.* Et poſt eos feudi dominus, *lib.* 2. *feud. cap.* 9. *§. porro.* Qui noſtris, & Gallorum moribus, quibus feuda à Vaſallis irrequiſitis agnatis proximioribus quoquo modo libere alienari diximus, agnatis potior eſt, ſoluſque hoc caſu retractus jure utitur. Vid. Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 16. *verſ.* **de Landtgemeene**. Argentr. *ad Conſuetud. Brittann. art.* 303. Boër. *ad Conſuetud. Biturig. tit.* 5. *§.* 1. *cum ſeq.*

II. Dominus emphyteuſeos. *l. fin. Cod. De Iure Emphyteutico.* Vid. Neoſtad. *Suprem. Cur. Holland. deciſ.* 39. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 122.

III. Debitor etiam nomine, aut actione in eum competente alteri vendita, intra annum poſtquam ad ejus notitiam pervenerit, oblato emptionis pretio, retractus jure uti poteſt, niſi emendi prærogativæ interim oblatæ ſemel renunciaverit. Quod ad imitationem conſtitutionis D. Athanaſii *l.* 22. *Cod. mandati*, introductum videtur, & ubique fere apud nos receptum eſt: præterquam quod quibuſdam locis breviori ſpatio præſcribatur. Ut Roterodami, ubi ſex ſeptimanarum termino includitur: Vide Grot. *Introduct. lib.* 3. *tit.* 16. *verſ.* **een beſitter** / *& ſeq. Statut. Rhenoland. art.* 57. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 49. *num.* 13. 14. Groeneweg. *de legib. Abrogat. ad d. l.* 22 *Cod. mandat.*

Utrum autem annale iſtud ſpatium, ſit anni continui 365. dierum & ſex horarum, an vero anni utilis, cui ſex ſeptimanarum intervallum ſuperadditur, quod intelligi ſolet quoties additur, inter annum & diem, **in Jaer en Dagh**? Prius placet, niſi aliter ſtatuto fuerit expreſſum: quum

hac

hac in re extenſio nulla ſit admittenda, magiſque ad judicialia, & prætorum edicta decretalia pertineat ille terminus. Ut contra Berlich. *deciſ.* 115. rectius diſtinguit Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 32. *defin.* 4.

Cujus beneficio quibuſdam in Hollandia locis etiam gaudent obæratorum creditores poſteriores, qui, quum iis ex diſtractis rebus, nexui ſibi ſuppoſitis, ſatisfieri non poſſit, intra certum tempus retractus beneficio uti, pretioque oblato, emptoribus præferri poſſunt. Vide **Recueil van de Keuren der Stadt Amſterdam.** *tit.* 35. facit *l.* 16. *ff. De ben. auth. jud. poſſid. l.* 1. *ff. de privileg. creditor. l.* 60. *ff. de pact. l.* 1. *Cod. Si antiq. cred. pignus vend. l.* 3. *ff. & l.* 12. *de diſtract. pignor.* **Coſtuym-boek van den Hage** *fol.* 75. *& ſeqq.* his verbis: **Ten ware het huys ende erve verkoft werde by decrete van den Hage / ſoo mag men de koop van 't ſelve huys ende erve alſoo verkoft naaſten binnen den tijd van ſes weeken / ende dat by de Crediteurs ofte actie hebbende aan 't ſelve huys ende erve / ende by niemand anders.** Id eſt: *Niſi forte domus aliqua per Hagienſis judicii decretum vendatur, quo caſu hypothecarii creditores, iique ſoli intra ſex ſeptimanas retractu jure utuntur.* Vide etiam quæ notavimus ſupra *cap.* 10. *ad num.* 14.

9 Statuto vel conſuetudine firmatur retractus gentilitius, qui quidem juris ſcripti veſtigiis inhæret, ut videre eſt *in l.* 35. *ff. de minor. l.* 60. *de pact. l.* 62. *ff. de contrah. empt. l.* 1. *ff. de privileg. cred. l.* 14. *Cod. de contrah. empt.* & tandem Friderici I. Imperatoris conſtitutione, de jure protimeſeos, *lib.* 5. *Feud. cap.* 13. Juriſque Canonici auctoritate corroboratus eſt, *cap. conſtitutus.* 8. *extra De in integrum reſtitut.* Non ſine ratione: ne ſcilicet paternæ domus, & antiqua majorum prædia in alienas manus deveniant, quod ſatis lugubre. *l.* 35. *ff. de minorib. l.* 22. *Cod. de adminiſtrat. tutor.* & ſordidæ ſtirpes, ſummo cum Reipublicæ damno, ſplendidis & ingenuis natalibus ſurrogentur. *l.* 9. *Cod. De quæſtion.* Nuſquam tamen locum ſibi vindicat, niſi ubi & quatenus ſtatuto municipali aut certa conſuetudine confirmetur: eoque deventum eſt, ut nec dicta conſtitutio Friderici vim legis univerſalis obtineat, ſed omne jus retractus æſtimetur ex recepto, quatenus illud moribus alicubi invaluit, vel certa conſuetudine vel ſtatuto quid eſt diſpoſitum, ut recte notat Reinking. *tract. de Retract. Conſang. quæſt.* 1. *num.* 23. Mynſinger. *lib.* 3. *obſerv.* 51. & in collegio Juridico Juliacenſi reſponſum refert Henric. Hahnius *in obſervat. ad Matth. Weſenb. paratit. ff. De reſcind. vend. verb. Retractu.* Vide etiam Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 31. *defin.* 1. 2.

10 Eſt igitur retractus gentilitius, facultas proximiori conſanguineo conceſſa, ad redimendam intra certum tempus, rem in extraneum alienatam. DD. *ad l. dudum.* 14. *Cod. de contrah. empt. & lib.* 2. *Feud. cap.* 3. Quocirca, quum mores, & ſtatuta varient ſingula, quoad ejus copia haberi potuit, hiſce adjiciemus: Quorum hæc præcipua ſunt capita, tanquam jus commune omni-
11 bus fere recepta. I. Ut tempus retrahendi, conſanguineo tantum currat per annum, quo tempore elapſo, retrahendi facultate excidunt: ut notat Tiraquell. *de Retract. Gent. lib.* 1. *in præfat.* Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 19. *num.* 11. Georg. Tholoſ. *Syntagm. Jur. lib.* 26. *cap.* 24. Reinking *de Retract. quæſt.* 7. *num.* 36. *& ſeq.* Qui annus quibuſdam currere incipit ab ipſa venditione, traditione licet nondum ſubſecuta. Carpzov. *defin Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 32. *defin.* 3. pleriſque tamen ab ipſa demum ſolenni traditione, vel quo primum ad notitiam proximioris conſanguinei devenerit, quod ipſius jurejurando deferri poteſt, *arg. l.* 15. *§.* 4. *& ſeq. ff. quod vi aut clam. l.* 6. *ff. de calumniatorib. l.* 8. *ff. de his qui not. infam.* Mornac. *ad l.* 2. *§.* 1. *ff. de act. empt.* Papon. *lib.* 11. *tit.* 7. *art.* 11. Damhoud. *prax. civ. cap.* 265. *num.* 13. Berlich. *part.* 2. *concluſ.* 40. *num.* 17. *&* 28. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 19. *num.* 17. Quod Hollandiæ & Brabantiæ mores ſervant, Grot. *Introduct. lib.* 3. *cap.* 16. *verſ.* **De naaſting.** Zyp. *Notit. Jur. Belg. de Retract.*

Quando autem ſiſtatur ipſius anni curſus ad impediendam ulteriorem præſcriptionem, inter DD. non convenit. Quidam per ſolam litis conteſtationem, non etiam per in jus vocationem, aut extrajudicialem interpellationem, impediri caducitatem volunt, inter quos Hartmann. Piſtor. *lib.* 2. *quæſt. Jur.* 12. *num.* 45. & Berlich. *d. concluſ.* 40. *num.* 74. Sed rectius Roſenthal *de Feud. cap.* 9. *concluſ.* 94. & Tiraquell. *de Retract. Gent. §.* 8. *gloſſ.* 2. *num.* 1. ſimplicem citationem, aut in jus vocationem hac in parte præſcriptionem dirumpere probant: quæ quum moribus noſtris ſolennitatem adjunctam habeat, quæ ipſum retrahendi actum declarat, procul dubio ultima anni die ac hora admitteretur: ut de Saxoniæ moribus refert Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 32. *defin.* 2.

12 II. Ut retrahere valens juſtum & integrum pretium offerre & ſolvere debeat. *arg. l.* 4. *§.* 1. *ff. de Re Judic.* Tiraquell. *De Retract. Gent. §.* 3. *gloſſ.* 3. *num.* 14. *& ſeq.* Hartmann. Piſtor. *quæſt.*

Jur.

Jur. part. 2. *quaſt.* 12. *num.* 6. & poſt eos Carpzov. *defin. Forenſ. part* 2. *conſtit.* 33. *defin.* 4.
Quod, ne doloſus licitator æquo majus inferat, in eum finem ut retrahentum à redemptione
deterreat, ſi non de vero pretio aliunde conſtare poſſit, juramento confirmare tenebitur, ſincere
rem agi, ſeque non doloſe ad excludendum conſanguineum, aliumve cui jus protimeſeos com-
petit, majus pretium offerre, ut poſt Afflict. *tract. de Jure Protimeſ.* §. 4. *num.* 4. Andr. Gail
lib. 2. *obſerv.* 19. *num.* 10. Boër. *deciſ. Burdegalenſ.* 43. in foro Saxonico deciſum refert idem
Carpzov. *part.* 2. *conſtit.* 37. *defin.* 2.

Nec pretium tantum, ſed & expenſas, meliorationes neceſſarias, laudemium, omneque illud
quod emptionis cauſa, ab emptore erogatum eſt, reſtituere tenetur retrahens, eo quod in locum
primi emptoris ſuccedit, ac ſi prima venditio non interceſſiſſet. *arg. l.* 27. *ff. de Ædilit. edict. l.* 18.
§. ult. ff. de liberal. cauſ. l. 39. *§. ult. de minorib.* Tiraquell. *de Retract. gentil.* §. 6. *gloſſ.* 1. *num.* 3.
& §. 29. *gloſſ.* 4. *num.* 1. Andr. Gail *d. obſervat.* 19. *num.* 8. Statut. Rhenoland. *art.* 30.

Utrum vero hoc pretium pendente redemptionis lite, à retrahente ſolenniter deponi & ob- 13
ſignari debeat, an vero ſimplex oblatio ſolutioniſque præſentatio ſufficiat? Ad impediendum
curſum legalis præſcriptionis vel præſtituti temporis ſimplicem oblationem ſufficere, nec ſolen-
nem aut actualem depoſitionem requiri placuit. Prout deciſum apud Joann. Papon. *lib.* 1. *tit.* 5.
arr. 1. & 3. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 36. *defin.* 6. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 87. *num.* 4. &
vol. 6. *deciſ.* 32. & à ſuprema Hollandiæ Curia judicatum 8. *Decemb.* 1600. **In de ſaecke van
Jacob Matthijſz. Impetrant van Reformatie /** contra **Frans Dircxſz. gedaeghde.**
Vide etiam Reinking *de Retract. quaſt.* 6. *num.* 63. *cum ſeq.*

Et præterea, quum in emptoris primi locum per omnia ſuccedit, non ſemper paratam pecu-
niam offerre tenetur: Utique ſi ſolutio pretii in diem, aut diſtinctis terminis à primo emptore
promiſſa ſit, iiſdem etiam ſolutionis dilationibus & induciis uti poteſt, quum in duriorem par-
tem, aut ut plus debeat quam primus emptor promiſit accipi non poſſit: plus autem petit, qui
ante diem petit. §. 33. *Inſtit. de Action. l.* 85. *ff. de ſolut.* Vide Tiraquell. *de Retract. gentil.* §. 1.
gloſſ. 18. *num.* 34. Hartmann. Piſtor. *obſervat. ſing.* 17. & poſt eos Carpzov. *defin. Forenſ.
part.* 2. *conſtit.* 33. *defin.* 7.

Sed an facta retrovenditione laudemia juriſdictionis domino, aliave tributa ipſi emptioni im- 14
poſita, ut apud nos eſt, quadrageſima pretii pars pro ſingulis alienationum tranſlationibus ex-
ſolvenda, quemadmodum primo emptori reſtitui, ita de novo à retrahente ſolvi debeant?
Non videtur, quia exercendo jus retractus novam emptionem contraxiſſe dici non poteſt,
ſed in locum primi tantum emptoris ſuccedit. Uterque enim contrahentium ita contraxiſſe
videtur ut non ſit emptio, ſi aliquis conſanguineorum venditoris, retractus jure uti velit,
quum quiſque præſumatur conſuetudinaria jura noſcere, facit. *l.* 57. & *l.* 58. *ff. de contrah. empt.*
quia alias uterque in dolo eſſet, qui viciſſim compenſatur. per ea quæ tradunt Hartmann. Piſtor.
quaſt. Jur. part. 1. *quaſt.* 50. *num.* 22. & 32. Daniel Moll. *lib.* 4. *Semeſtr.* 3. quos ſequitur Car-
pzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 33. *defin.* 8. *in princip.* Ut & moribus noſtris receptum eſt.
Quod tamen ita indiſtincte accipi, ut & in pacto de retrovendendo obtineat, cum illis affirmare
non auſim; quippe quod illud novam & ſecundam quaſi venditionem reſpiciat; nam ea, quæ ſub
pacto de retrovendendo venit, vera emptio venditio eſt, ex qua ſubſecuta traditione dominium
tranſit, & interim fructus ſuos facit emptor. *l.* 42. *ff. de Uſuris.* quos in gentilitio retractu, per
retrotractionem ipſius emptionis, pro uſurarum pretii refuſione primus emptor retrahenti reſti-
tuit. Quo facit, **Interpretat. van de Staten van Hollandt op d' Ordonnantie van
den 40. penn.** *art.* 17. His verbis: **Wert verſtaen / dat ſoo meenighmael de koop van
eenige Huyſen / Erven / etc. wert aengegaen / den Impoſt ſal werden betaelt.** id eſt,
intelligitur, toties, quoties ædificiorum aut prædiorum emptiones repetuntur, tributum deberi.
Vide porro ad hanc quæſtionem Tiraquell. *de Retractu convent.* §. 6. *gloſſ.* 2. *per tot.* Pinell. *de
Reſcind. vend. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 36. Molin. *ad conſuetud. Pariſienſ. part.* 1. §. 22. *num.* 12. &
ſeq. & *part.* 2. §. 55. *gloſſ.* 1. *num.* 47. & *ſeq.*

III. Requiritur ut retrahere volens, ſibi, ſua propria pecunia, & in proprium ſuum uſum, 15
neutiquam in utilitatem alterius, & emptoris fraudem retrahat, quod jurejurando ſibi ab emptore
delato confirmare tenetur. *arg. l.* 5. §. 14. *ff. De novi operis nunciat. l.* 13. §. 12. *ff. De damno in-
fecto.* Damhoud. *Prax. Civil. cap.* 265. *num.* 14. 15. Tiraquell. *de Retract. Gentil.* §. 5. *Gloſſ.* 1.
num. 1. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 19. *num.* 10. Quod & moribus Hollandiæ convenit, quibus
illud ſtatuto expreſſum, & paſſim receptum eſt, *Statut. Rhenoland. art.* 29. Grot. *Introd. lib.* 3.
cap. 16. *verſ.* **des geberght zynde.**

Habet

16 Habet autem locum hic retractus in rebus immobilibus, veluti fundis, arvis, & pratis, &c. Item in rebus ſolo cohærentibus, veluti ædificiis, & aliis omnibus quæ rebus immobilibus annumerantur, tam feudalibus quam allodialibus, divenditis. Reinking *de Retractu quæſt. 3. num. 74. & ſeq.* Georg. Tholoſan. *Syntagm. commun. opinion. lib. 26. cap. 2. num. 1.* Alphonſ. de Azeved. *ad Reg. conſtit. Hiſpan. lib. 5. tit. 11. ad l. 7. num. 8. & ſeq.* Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubr. 10. §. 1. verb. Son heritage, num. 11. & 12. & §. 8. in pr.* Grot. *Introd. lib. 3. cap. 16. verſ.* **de plaatſelijke.** Quod pleriſque locis ad bona avita reſtringitur, vulgo patrimonialia, id eſt, quæ ab avo, proavo, ac parentibus ulterioribus provenerunt, non etiam ad conquiſita, quorum cuique arbitraria diſpoſitio facilius permittitur, quam eorum, quæ in ipſum per avitam ſucceſſionem velut ipſi familiæ ſunt tranſlata. *arg. l. 22. Cod. de Adminiſtrat. tutor.* Ut de Flandriæ moribus notat Damhoud. *Prax. civil. cap. 265. num. 8.* Et in Saxonia conſtitutum refert Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 31. defin. 14.* ad quæ tamen, in Hollandia, in locis ubi retractus jure utuntur, conſanguineus quiſque retrahenda indiſtincte admittitur. Grot. *Introd. lib 3. cap. 16. verſ.* **Dit ſlegt komt toe.** *Statut. Rhenoland. art. 24.*

17 Ubi iterum hoc ſingulare eſt, quod (excepto ſolum agro Vornano) retractus ceſſet, ſi venditio publice per licitationem fuerit facta. Grot. *d. cap. 16. verſ.* **de plaatſelijke** / *in fin. Statut. Rhenoland. art. 36.* Neoſtad. *Suprem. Holland. Curia deciſ. 29.* Cur tamen utrobique indiſtincte locus eſt, ut quibus, non tam quomodo venditio celebretur, quam cujus res venierit, & de cujus familia abeat, ſpectari debet. Reinking. *de Retract. quæſt. 4. num. 54. & ſeq.* Quod de Zuydt-Hollandiæ moribus conſtat ex eorundem Statutis & conſuetudinibus ſeq. cap. relatis. & de Flandriæ moribus confirmat Damhouder. *Prax. Civil. d. cap. 265.* Diſſentit tamen Molin. *ad conſuetud. Pariſienſ. tit. 2. §. 77. verſ. non notifices. num. 21. & §. 78. Gloſſ. 1. num. 154.*

18 Utrum vero in ſola venditione obtineat, nec ad permutationem, donationem, diviſionem, tranſactionem, alteriuſve contractus cauſam poſſit extendi? Communior affirmantium opinio eſt, in ſola venditione retractui locum eſſe: eo quod omnis fere retractuum ſtatuta & conſuetudines, de venditionibus concepta ſint, quæ, ut contra jus commune introducta, ad alios caſus extendi non debent. *arg. l. 14. l. 16. ff. De legib.* Tiraquell. *de Retract. §. 1. Gloſſ. 14. num. 30.* Matth. de Afflict. *De jure protim. §. licet enim 3. num. 33. & ſeq.* cui etiam ipſa aut permutationis, diviſionis, aut tranſactionis præſtatio impedimento eſt, quam proximior conſanguineus, qui ex retractus natura per omnia in emptoris locum ſuccedit, proque ejus facto adimplendo præciſe tenetur, præſtare non poteſt. Vide Boët. *deciſ. 49.* Tholoſan. *Syntagm. Jur. Univerſ. lib. 26. cap. 12.* Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubric. 10. §. 9. num. 10. & 11.* Reinking. *d. tract. de Retract. quæſt. 4. num. 78.* Tiraquell. *de Retract. §. 25. Gloſſ. 2. num. 1.* Damhoud. *Prax. Civil. d. cap. 265. num. 4.* Berlich. *Practic. concluſ. part. 2. concluſ. 39. num. 85.* Carpzov. *definit. Forenſ. part. 2. conſtit. 31. defin. 16. 17.* Quod & Hollandiæ mores probant, teſte Grot. *d. lib. 3. cap. 16. verſ.* **De plaatſelijke** / *in verb.* **niet ook die verruylt werden.**

19 Si res aliqua partim vendita, & partim donata, aut permutata fuerit, aut alio quovis modo res retractui ſubjecta, una cum alia alterius qualitatis uno pretio diſtracta ſit, nihilominus retractui locus eſt; licebitque emptori arbitratu boni viri aliam illam rem æſtimatam ſibi reſervare, *arg. l. 73. l. 78. §. 1. ff. de legat. 2. l. 36. ff. De ædilit. edict. l. 16. §. 1. cum ſeq. ff. De contrah. empt.* vel utramque redhibere. *arg. l. 34. 36. 38. §. 12. cum ſeq. ff. De ædilit. edict.* Niſi diverſo pretio venditio facta ſit, quo caſu ea ſola res retrahetur, quæ retractum admittit, Tiraquell. *de Retract. gentil. §. 23. Gloſſ. 2. num. 9.* Georg. Tholoſ. *Syntagm. Jur. lib. 26. cap. 2. num. 15.* Chriſtin. *vol. 3. deciſ. 55. num. 4.* aut res, in fraudem ipſius retractus partim vendita, partim donata fuerit: veluti, ſi venditor emptori dixerit, ſe quanti pluris fuerit res, emptori donare, quo caſu abſque donationis conſideratione retractui locus eſt, ac ſi ea non fuerit adjecta, quum donationis titulus in tali venditione plane ſit ſuſpectus, *arg. l. 23. Cod. mandat.* Vid. JC. *Batav. Conſil. part. 1. conſ. 257.*

20 Competit jus gentilitii retractus, conſanguineo venditoris proximiori ſecundum ordinem ab inteſtato ſuccedendi: ſic ut, qui proximior ſit in ſucceſſione, præferatur in retractu. Tiraquell. *de Retract. Gentil. §. 1. Gloſſ. 8. & 9.* Grivell. *deciſ. 40.* Berlich. *part. 2. concluſ. 39. num. 26. 30. 31.* Et ſi plures ejuſdem gradus exiſtant, omnes, ſi hoc jure uti velint, admittentur. *arg. §. ult. Inſtit. de legitim. agnat. ſucceſſ.* Gomez. *ad l. Tauri. 70. num. 13.* Tholoſan. *Syntagm. d. lib. 26. cap. 13. num. 6.* Reinking *de Retract. quæſt. 2. num. 25. & 63.* Statut. Rhenoland. *art. 27.* quod ſi aliqui velint, aliqui nolint, horum pars illis accreſcit, aut jure non decreſcendi obvenit. *arg. l. unic. §. 11. Cod. de Caduc. tollend.* Si plures ſimul retrahant, inter ſe dividunt,

Digitized by Google

ſi diviſionem patiatur res vendita, ſi individua, ſorte res dirimenda eſt. *l.* 13. *&* 14. *ff. de Judiciis.* Reinking. *d. quæſt.* 2. *num.* 84. *& ſeq.* Berlich. *d. concluſ.* 39. *num.* 28. Neque refert, quo gradu quis ſit: adeo ut retrahendi facultas in infinitum extendatur. *arg. Novell.* 118. *cap.* 1. 2. 3. Neque ſeptimo, ut voluit Tholoſan. *d. lib.* 26. *cap.* 13. *num.* 3. neque decimo gradu, ut voluit Tiraquell. *d. §.* 1. *gloſſ.* 9. *num.* 22. & Berlich. *d. concluſ.* 39. *num.* 38. *arg.* eorum quæ latius ſupra de infinita inteſtati ſucceſſione.

Illud tamen apud nos obtinet, ut quidem inter plures ejuſdem gradus ſimul retrahentes is præferatur, qui præterea prope rem venditam confinia prædia poſſidet, Reinking. *d. quæſt.* 1. *num.* 56. ſed & inter omnes, etiam inæquabiliter & diverſo gradu venditorem contingentes, is præfertur, qui prior debite retractum inſtituerit, licet gradu remotior ſit, *Statut. Rhenoland. art.* 24. 25. 26. 32. neque refert quo gradu ſit, dummodo à proximiore conſanguineo non præveniatur. Vid. Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 16. *verſic.* **dit Recht** / *& ſeqq.* etiam eo caſu, quo uni ex pluribus conſanguineis res fuerit vendita, modo is ſit remotior. *Statut. Rhenoland. art.* 24. *in verb.* **by den genen die naarder Maag is van den verkooper / dan den kooper.** Quod & alii probant. Vide Gomez. *ad l.* 70. *Tauri. num.* 15. Berlich. *part.* 2. *concluſ.* 39. *num.* 34. Georg. Tholoſan. *Syntagm. jur. lib.* 26. *cap.* 13. *num.* 6. 7. Diſſentit Damhoud. *Prax. civil. cap.* 265. *num.* 9.

Sed ſi uni ex pluribus conſanguineis ejuſdem gradus res vendita ſit, retractui locus non eſt, 21
Quo caſu tamen quidam volunt cæteros, ſi velint, admittendos eſſe, ut cum emptore in ipſam rem concurrant. Gomez. *ad d. l.* 70. *Tauri. num.* 13. *in fin.* Berlich. *d. concluſ.* 39. *num.* 35. quod, quum nulla ratione aut lege nitatur, & ipſum totius retractus fundamentum excedat, quod non, niſi in proximitate, pro familiæ circa avita affectu, fundatum eſt, inibique moribus noſtris præferatur is, qui prior retractum debite inſtituerit, licet gradu ſit remotior, ut modo demonſtravimus: verior, & moribus noſtris magis conſentanea negantium opinio eſt, quam tenet Reinking *De Retract. quæſt.* 2. *num.* 340.

Utrum vero filius venditoris poſtquam patri heres exſtiterit, ad venditionis retractum admitta- 22
tur, quæſtionis eſt, ex eo quod ut heres defuncti factum præſtare debeat. *l.* 14. *Cod. de rei vindicat.* Quem, eo non obſtante, ad retractum admitti communis eſt doctrina; quia perſonale hoc privilegium eſt, quod filio ex propria perſona, & ex ſtatuti beneficio competit, quo ipſo per ſimplicem paternæ hereditatis aditionem privari non poteſt, quum hic non conſideretur ut heres, ſed ex propria perſona & jure ſanguinis agens. Vid. Pinnell. *ad l.* 1. *Cod. de bon. matern. part.* 3. *num.* 39. Roſenthal *de feud. cap.* 9. *concluſ.* 89. Tiraquell. *de Retract. gentil. §.* 1. *gloſſ.* 9. *num.* 47. *& ſeq.* Gomez. *ad leg. Tauri.* 70. *num.* 10. Ut in Brabantia receptum eſſe ſcribit Zyp. *Notit. Jur. Belg. de Retract.* Et à ſuprema Mechlin. Curia ſæpius judicatum refere Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 11. *art.* 3. *& vol.* 1. *deciſ.* 239. *&* 270. *vol.* 3. *deciſ.* 55. *num.* 5. Jure Friſico tamen heredi venditoris retractus denegatur, per ea quæ tradit Joann. à Sande *lib.* 3. *tit.* 5. *defin.* 7.

Competit autem jus retractus proximioribus conſanguineis, iiſque ſolis, & ſibi. Proprio 23
enim, non alieno nomine retrahere quis poteſt, propria pecunia, in proprium nec in alterius commodum & uſum, quod jure jurando ſibi ab emptore affirmandum, deferri poſſe diximus ſupra. Niſi quod tutor vel curator pupilli, vel minoris nomine, *arg. l.* 27. *ff. de adminiſtrat. & peric. tutor.* & maritus in uxoris commodum retractus jure uti poſſit, quæ ipſa, quum maritum curatorem habeat legitimum, ſine ipſius authoritate nihil agit, *l.* 2. *l.* 21. *Cod. de procurat. §.* 2. *Inſtit. de Injur.*

Quibus adde, quod nec hoc jus, ex eo quod ex ſanguine, & cauſa incommunicabili proveniat, 24
alteri cedi poſſit. *arg. l.* 59. *§.* 1. *ff. de Iure Dot. l.* 3. *§.* 4. *ff. de legat. præſtand. l.* 42. *ff. de adminiſtrat. & peric. tutor.* Nevell. 55. *cap.* 1. Matth. de Afflict. *de Retract. §.* 1. *num.* 43. *& §.* 2. *num.* 23. Joh. Papon. *lib.* 11. *tit.* 7. *art.* 4. Gomez. *ad l. Tauri.* 70. *num.* 8. Boër. *ad Conſuetud. Bituric. de Retract. & deciſ.* 139. Georg. Tholoſan. *Syntagm. Jur. lib.* 26. *tit.* 18. *num.* 1. Reinking *de Retract. quæſt.* 2. *num.* 551. Carpzov. *defmit. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 31. *defin.* 19. Renunciari tamen ab hoc jure poteſt, *arg. l. pen. Cod. de pact. l.* 46. *ff. eod. l.* 14. *§.* 9. *ff. de adulit. edict.* Sic ut poſteaquam cognatus proximus facta denunciatione juri proti- 25
miſeos ſemel renunciaverit, aut ſe redimere nolle reſponderit, ad retrahendum ulterius non admittatur. *l.* 2. *& l.* 29. *ff. de opt. legat.* Vide Menoch. *de arbitr. Judic. lib.* 2. *caſu* 37. Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib.* 3. *tit.* 4. *defin.* 4. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 32. *defin.* 1. Quod tamen expreſſis verbis, animoque in eum finem intento, fiat neceſſe eſt, *arg. l.* 39. *ff.* *de*

Digitized by Google

de pign. act. l. 34. §. 2. ff. de legat.. 2. & l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ubi JC. requirit actum in facto conſiſtentem: Sic ut huic juri non intelligatur renunciaſſe, qui forte rem ſibi ſimpliciter oblatam emere noluit, vel ipſi emptioni quum adeſſet non contradixerit, adeoque ſi vel ipſi venditionis inſtrumento tanquam teſtis ſubſcripſerit, quum ſciverit illud ſibi ſalvum manere. *arg. l. 160. ff. de Reg. Jur.* Vide Tiraquell. *de Retract. Gent. §. 1. gloſſ. 9. num. 14. & ſeq. & §. 30. gloſſ. 1. num. 4.* Hartmann. Piſt. *lib. 3. quæſt. 17. num. 12. & ſeqq.* Berlich. *part. 2. concluſ. 40. num. 48. & ſeq.* Reinking *de Retract. quæſt. 2. num. 196.* atque ita deciſum refert Joann. à Sand. *lib. 3. tit. 5. defin. 8.*

26 Poſt conſanguineos, id eſt, illis deficientibus aut negligentibus ſuo jure uti, ex multorum locorum jure municipali, admittuntur ſocii rem communem pro indiviſo poſſidentes, vulgo **leggende gemengder veur ende aarde**/ & poſt eos, contermini proximi, etiamſi alio vinculo quam communionis rei ſibi invicem obſtricti non ſint. *arg. conſtit. Frideric. de Jure protimiſ. lib. 5. cap. 15.* Gomez. *ad l. 70. Tauri. num. 26.* Matth. de Afflict. *de Jure protimeſ. ad d. conſtit. Frideric. §. tota hac lex. num. 23.* Quod & in Rhenolandia & alibi in Hollandia obtinere probat Grot. *Introd. lib. 3. part. 16. §.* **in Rhijnlandt.** ex *Stat. Rhenoland. art. 25.* Quod tamen quoad conterminos in Hollandia vix ſervari, recte notat Jacob. Coren *obſerv. Rer. in Suprem. Holland. Curia judicatar. 31.* De Flandriæ moribus hac in parte ita ſcribit Damhoud. *prax. civil. d. cap. 265. num. 5.* In quibuſdam locis, inquit, præcipue Brugis, moris eſt, ut quando aliquis vel trigeſimam partem in aliqua domo vel fundo habuerit, atque ea domus, vel fundus venditur, quod is, qui vel minimam juris proprietatem habet, eam domum aut fundum per retractionem vindicare poterit, ſi nemo eſt qui ex propinquis in hac retractione præferri voluerit.

Horum ſi duo ſimul retractum petant, is etiam præfertur qui proximior, vel qui ex latiore parte conterminus, vel ex majori parte ſocius eſt, niſi forte is, qui ex minore parte erat, ipſe rem comparaverit. Ut in Friſiæ Curia judicatum refert Joann. à Sande *lib. 3. tit. 5. defin. 9.*

27 Retractu ita debite inſtituto, pretioque cum omnibus expenſis & meliorationibus oblato, tenetur emptor rem reſtituere, una cum ſuis acceſſionibus, & fructibus adhuc pendentibus, qui pars rei eſſe cenſentur. *l. 44. ff. de Rei vindicat. percept.* itemque iis quos poſt motam controverſiam percepit. *arg. l. 25. §. 7. ff. de petit. hereditat. l. 10. Cod. De long. temp. præſcript.* aut quos percipere potuit. *l. 33. l. 62. §. 1. ff. de Rei vindicat. & l. 5. Cod. eod. l. 10. §. 20. ff. Quæ in fraud. creditor. l. 4. Cod. Unde vi. l. 25. §. 11. ff. De hered. petit.* Perceptos autem, ſive eos conſumpſerit, ſive non, compenſare, aut reſtituere non cogitur, quos pendente tempore, quo non retraxit proximior, indiſtincte ſuos facit, & jure dominii lucratur, in compenſationem uſurarum pretii ſoluti, *l. 42 ff. de Uſuris.* idque emptionis jure. *l. 7. l. 8. ff. de peric. & commod. rei vend. l. 1. 2. Cod. eod.* quæ ex cauſa retractus proprie non recidit ad non emptionem, ſed potius nova quædam emptio inducitur, poſtquam medio tempore prior plenum habuit effectum. Vide Reinking *de Retract. quæſt. 8. num. 1. 7. & 69.* Georg. Tholoſan. *Syntagm. Jur. lib. 26. cap. 21. n. 6.*

Cap. XXI.

De Statutario cujuſque regionis retractu, ejuſque ritu, & ſolennitate.

Summaria.

1. *Quale retrahendi jus ſit in* Hollandia, *de quibus rebus, & quomodo procedat.*
2. Rhenolandiæ *Statuta & Conſuetudines communes circa retractum gentilitium.*
3. *Agri* Vornani *Conſtitutio.*
4. Zuyd-Hollandiæ *vetus Conſuetudo.*
5. *Agri* Putteni *Statutum.*
6. Zelandiæ *Statuta generalia.*
7. *Statutum* Medioburgi, Zelandiæ *Emporii.*
8. *De* Ultrajectinæ *Diœceſis, & Ducatus* Gelriæ *moribus circa retractum.*
9. Tranſyſulaniæ *Statutum.*
10. *De* Friſiæ *conſuetudinario retractu.*
11. *De* Brabantiæ Flandriæque *moribus & conſtitutionibus.*
12. *Statutum* Mechlinienſe.
13. *Edictum perpetuum* Alberti *&* Iſabellæ.
14. *Statutum Civitatis* Bruxellenſis, *&* Scabinatus Gandavenſis.
15. *Statutum* Antverpienſe.
16. *Statutum* Bergizomienſe, *&* Sluſiæ Flandrorum.
17. *De* Galliæ *moribus & Conſuetudine generali.*

18. *Statutum Ducatus* Burgundiæ.
19. Bituricenſe.
20. Aurelianenſe.
21. Turonenſe.
22. Brittanniæ *Ducatus*.
23. *Jus* Pictonum *ſive* Pictavienſe.
24. Burdigalenſe.
25. *De* Hiſpaniæ *moribus & Conſuetudine circa retractum*.
26. *Senatus* Panormitani *&* Siciliæ *Regni Conſuetudo*.
27. Italiæ, *& Ducatus* Mediolanenſis.
28. *De* Germaniæ *&* Saxoniæ *Conſuetudine*.
29. *Statutum* Lubecenſe.
30. *Ducatus* Pruſſiæ.
31. *Regni* Hungariæ.

HActenus de communi utriuſque retractus jure, ſequuntur nunc ritus, & ſolennitates pro varietate locorum diverſæ.

In Hollandia quidem plerumque ad prædia ruſtica, aut ædificia ruri poſita reſtringitur, nec in urbibus aut ædificiis privatis locum habet. Solennitas autem talis eſt, ut proximior conſanguineus retrahens coram Magiſtratu loci rei ſitæ, vel alioqui ſeptem vicinis compareat, ſub quorum præſentia ſe retractus jure uti velle declaret, ſimulque in ipſius actus confirmationem terræ & graminis rei venditæ faſciculum manu ſua attingat, radicituſque exſecet; vulgo, **aardt ende gras-roeringe** / quo facto, emptori diem judicii præfigere debet, quo ipſe tanquam proximior emptore primo, emptor declaretur, paratus intra viginti quatuor horas univerſum pretium inferre, omniaque facere, quæ emptor virtute contractus ante ipſum fecit, aut facere obſtrictus eſt, debetque ſolenni juramento confirmare ſe rem venditam ſibi ſoli, ſuaque propria pecunia bona fide retrahere. Grot. *Introd. lib. 3. cap. 16. verſ.* **Die de naaſtinge.** a

Statuta quæ de jure retractus apud nos exſtant, fere ſunt Rhenolandiæ Statuta & conſuetudines communes ſupra memoriam multis ab hinc uſque temporibus pro certo juri obſervatæ, quæ ita ſe habent. a

TIT. Van Sinninge ofte Naeſtinge van Landen.

Art. 19.

Alle verkofte onroerende Goeden / 't zy van wat nature die zijn / als eygen Goeden / Leen-goeden / Erfpachten / Chynſen / ofte Thienden / die mach men Naeſten.

Art. 20.

Maer ſoo wat Landen / ofte andere onroerende Goeden weg gegeven / ofte jegens andere gelijcke / ofte omtrent gelijcke onroerende Goeden gebaetert ofte gemangelt werden / de ſelve en mach men niet Naeſten / ſtaende niet te min tot diſcretie van den Rechter / wat in ſulcke batteringe voor gelijcke of omtrent gelijcke goederen gereeckent werden.

Art. 21.

Alle Sinningen ofte Naeſtingen moeten gedaen worden binnens 's Jaers na de koop bezegelt is. Ten ware dat de ſelve Landen ofte Goeden verkoft worden in 't heymelijck ende in fraude van de Naeſtinge. Ende in ſulcken gevalle competeert de Sinnen ofte de gene die Naeſtinge doen mogen / een jaer / omme te mogen Naeſten naer dat de verkoopinge tot haerder kenniſſe gekomen is. Al-waert ſoo dat de koop niet bezegelt en ware / ende zy-luyden by eede ter goeder trouwen verklaren willen van den koop niet eerder geweten te hebben.

Art. 22.

Moeten noch alle Sinningen ofte Naeſtingen gedaen worden ten overſtaen van de Schout ofte Bode / ende ten minſten vier Schepenen / ofte Gebuyren / van de plaetſe daer de verkofte Landen / ofte goeden gelegen zijn / gevende elck der ſelver haren ſalaris opte verkofte goeden. Doende aldaer tot kenniſſe / aerdt / ende grasroeringe / ende den Kooper daer van een Regt-dagh beteyckenende / omme de koop ter naeſter Vierſchare rechtelijck in te brengen.

TIT. *De Congruo, ſive retractu prædiorum.*

Art. 19.

Immobilia omnia divendita, cujuſcunque generis, propria, feudalia, emphyteutica, cenſualia, item decimæ, retrahi poſſunt.

Art. 20.

Sed ſi quæ prædia, aliave immobilia, aliis donantur, prove aliis ejuſdem, aut æqualis generis permutentur, illa retractui non ſubjacent: adhibito tamen judicis arbitrio, quæ in ejuſmodi permutationibus pro ejuſdem aut æqualis generis reputabuntur.

Art. 21.

Omnis retractus intra annum à ſolenni venditionis conſignatione inſtitui debet. Niſi eadem bona, prædiave privatim in fraudem retractus vendita ſint: quo caſu conſanguineis aliiſve retractus jure gaudentibus, integer annus currit à die ſcientiæ ſuæ. Habetque locum, licet emptio ſolenniter conſignata non ſit, modo non prius eam ad eorundem notitiam veniſſe bona fide jurato que affirment.

Art. 22.

Omnis etiam retractus fieri debet interveniente Sculteto aut apparitore, præſentibus ut minimum quatuor Scabinis, aut vicinis loci rei ſitæ, debitum ipſis ſalarium in ipſo loco ſolvendo, faciendoque in facti fidem graminis, & glebæ exſecationem, ſimulque emptori judicii diem, quo emptionem ſolenniter inferat denunciando.

Art.

Art. 23.

Alle Naeſtinge moeten begonſt ende aengeleyt/ mitſgaders den kooper daer van geinſinueert ende Dagh van Rechte gepræfigeert werden/ ten minſten drie dagen voor den eerſt-komende Recht-dagh.

Art. 23.

Omnis item retractus inſtitui, emptori inſinuari, judicique dies præfigi debet trium ad minimum dierum intervallo.

Art. 24.

Soo wanneer eenig Landt ofte ander onroerent goedt verkocht is/ ſoo mach dat geſinnet ofte genaeſt worden by den genen die naerder maegh is van den verkooper/ dan den kooper/ 't zy van ſijn ſelfs zijde/ ofte ſijn Huyſvrouwen zijde/ ſonder aenſchouw te nemen van wat natuyr ofte van waer de ſelve goeden gekomen zijn.

Art. 24.

Si quod prædium aliave res immobilis fuerit divendita, retrahi illud poteſt ab eo qui proximior venditorem contingit, quam ipſe emptor, ſive ex ſua, ſive conjugis ſuæ cognatione, nulloque reſpectu cujus naturæ ſint, aut unde eadem bona devenerint.

Art. 25.

Gelijck mede den genen die met de verkofte Landen/ ofte onroerende Goeden/ gemengder veur ende aerde gelegen zijn/ ſoodanige verkofte Landen ende goeden/ mogen Naeſten. Des nochtans de Naeſtinge by Vrunden gedaen/ gepræfereert moet worden voor de Naeſtinge der voorſz. Landts-gelegenen/ ſoo wanneer de ſelve Vrunden den verkooper beſtaen/ in ofte binnen de graden van Broeders ende Suſters/ mitſgaders Oomen ende Moeyen kints-kinderen.

Art. 25.

Quemadmodum & illi qui cum prædiis boniſque divenditis poſſeſſionem habent indiviſam eodem retrahendi jure gaudent. Ita tamen, ut retractus à conſanguineis inſtitutus præferatur, ſi modo illi conſanguinei venditorem intra fratrum & ſororum, & patruorum amitarumque nepotum gradus contingant.

Art. 26.

Ende even verde dat daer Naeſtinge geſchiet van twee ofte meere/ die vande Vrunden even na gemaegtaeſt zijn aen den Verkooper die dat rechtelijck genaeſt/ ende ſijn Recht-dagh debite doen dienen heeft/ wort gepræfereert voor den genen/ die daer na Naeſtinge doet.

Art. 26.

Si retractus à duobus, aut pluribus, æquo gradu venditorem contingentibus inſtituatur, is qui prior ſolenniter inſtituerit, dieque præfixo debite experiri cœperit, præfertur illi qui poſtmodo retrahendi jure uti cœperit.

Art. 27.

Is't ſaecke datter twee/ drie/ ofte meer/ die even na gemaegtaeſt zijn/ de verkofte Goeden gelijck rechtelijck Sinnen ofte Naeſten/ ofte immers haren Recht-dagh/ gelijck debite doen dienen/ ſoo moeten ſy t'ſamen die genaeſte Goeden hebben/ ende daer van gelijck bereyt weſen, om te voldoen; ende die daer toe niet bereyt en is/ wort verſteken van ſijn Naeſtinge.

Art. 27.

Sed ſi duo, pluresve æquo gradu exiſtentes ſimul retractum inſtituerint, aut eodem die ſimul debite experiantur, eodem jure gaudebunt, ſimulque pro ſua parte ſatisfacere debent, quique eorum in aliquo defecerit, jure ſuo cadet.

Art. 28.

De voldoeninge van de Naeſtinge moet in allen geval geſchieden binnen vier en-twintich uyren/ naer dat de koop in gebracht is.

Art. 28.

Ipſa præſtatio omnimodo fieri debet intra viginti quatuor horas poſtquam emptio debite fuerit illata.

Art. 29.

Item: is de Naeſter gehouden by eede te verklaren/ dat hy de Naeſtinge doet voor hem ſelven/ ende voor niemant anders/ ende ſulex ter goeder trouwen/ en ſonder eenigh bedrogh ofte colluſie.

Art. 29.

Item, retrahens ſolenni juramento affirmare tenetur, ſe retractum inſtituere pro ſe, nec pro alio, bonaque fide, & remota omni fraude, aut colluſione.

Art. 30.

Alle verbeteringen die by den kooper aen 't gekofte goedt voor date vande Naeſtinge/ ter goeder trouwen gedaen zijn/ moeten d'ſelve by den Naeſter ter diſcretie ende tot taxatie van den Gerechte goet gedaen worden.

Art. 30.

Omnes meliorationes ab emptore interim in bona ante retractum motum, bona fide impenſæ, à retrahente pro judicis arbitrio & taxatione refundi debent.

Art. 31.

Gelijck den Kooper daer jegens weder den Naeſter ter diſcretie ende taxatie als voren gehouden is goet te doen/ alle verminderingen by hem voor date van de Naeſtinge aen de verkofte goeden gedaen.

Art. 31.

Sic ut ex adverſo emptor retrahenti, arbitrio & taxatione qua ſupra, reſtituere tenetur, quicquid à ſe ante retractum ipſi rei ablatum diminutumve fuerit.

Art. 32.

Ende al ſulck Goedt alſoo eens genaeſt/ ende de koope daer van inne gebracht zijnde/ 't zy de Nae-

Art. 32.

Ejuſmodi bona ita ſemel retracta, emptioniſque pretio debite oblato, ſive retractus ulterius adimpleatur,

ſive

ſtinge voldaen wordt / dan niet / en mach daer nae niet meer genaeſt werden / ende dat werdt ſulcx met vonniſſe geweſen.

ſive non, poſtea iterum retrahi non poſſunt: quod judici ſententia firmatur.

Art. 33.

Maer alſoo men by experientie / tot meer ſtonden bevonden heeft dat eenige Naeſtingen gedaen waren met præfixie van eenen Recht-dagh / ende dat de kooper alſdan compareerende / de koop van het genoeſte gerechtelijck inne brenght / ſonder dat de voldoeninge / gerequireert by het 28. Artijckel / hier vooren is volgende / ſoo dat den kooper blijft in ſijn koop / ende den Naeſter verſteecken / ſonder dat hy den Naeſter Naeſtinge gedaen hebbende / den eedt begrepen in het 29. Artijckel / wordt gepræſteert / gelijck hem de ſelve by den kooper niet en wordt afgeeyſcht / waer door ter quader trouwen anderen van hen recht van Naeſtinge worden gefruſtreeert. Soo ſal voortaen het voorſz. 29. Artijckel plaets grijpen / jegen alle de gene die eenige Naeſtinge doen / 't zy of den ſelven eedt hem by den kooper af-geeyſcht wordt / dan niet / aſt anders ſal by gebreck van voldoeninge ſoodanige Naeſtinge niet komen in conſideratie tot yemandts voordeel of præjuditie.

Art. 33.

Sed quum re ipſa aliquoties fuerit expertum, retractus ſubinde cum diei addictione inſtitui, emptoremque addicto die comparere, emptioniſque pretium quidem inferre, ulteriori tamen adimpletione art. 28. ſuperiori requiſita non ſubſequente. Sic ut emptor maneat emptor, & retrahens jure ſuo privatus, non præſtito quoque juramento art. 29. comprehenſo, quod ab emptore non exigitur: Quo ipſo alii retractus jure defraudantur. Idcirco in poſterum dictus art. 29. adverſus omnes omnino retrahentes obtinebit, ſive dictum juramentum ab emptore exigatur, ſive non, aut alioqui in ulterioris ſupplementi defectum ejuſmodi retractus aliis obeſſe minime poterunt.

Art. 34.

Item, ingevalle twee / drie / ofte meer perſoonen / gelijck rechtelijcken Sioninge ofte Naeſtinge doen / die den verkooper even na zijn / ende dat een van hen allen / met de verkofte Landen ofte goeden / gemengder weire leydt / ende gelegen heeft voor de verkoopinge / die wordt gepræfereert voor alle anderen die niet gemeen noch gemengender aerde uſt weire en leggen / hoewel de andere even nae gemaechtaelt zijn.

Art. 34.

Item, ſi duo pluresve æquo gradu venditorem contingentes ſimul retractum inſtituerint, eorumque aliquis cum ipſa re vendita communionem, & indiviſam poſſeſſionem habuerit, aliis omnibus præfertur, licet pari gradu conſiſtant.

Art. 36.

Ende ſoo wat Landen ofte goeden by voorgaende opſlach van Billetten ofte andere openbare verkondingen / te koope geſtelt / een openbare verkoopdagh mede gehouden / ende met luyder ſtemmen voor den meeſt ende hooghſt daerom biedende / verkoſt werden / die en mogen niet geſinnet noch genaeſtet werden.

Art. 36.

Sed ſi quæ prædia bonaque præcedente programmate, aliave publicatione venum expoſita, addicto die publice per præconem licitando fuerint divendita, retractui minime ſubjacebunt.

Quibus adde *Agri Vornani Statut. Conſuetud. art.* 59. Ex quo publicationes ſolennes requiri 3
conſtat, quibus conſanguineis proximioribus devendito probe innoteſcat, dato termino, intra quem, ſi velint, retractus jure uti poſſunt. His verbis:

Item, Wanneer eenig Landt verkoſt werdt by openbaer Kerck-geboden / ofte voor den Gerechte daer men den Ban houden ſal; indien yemant Naeſtinge daer aen begeeren wil / hy ſal dat gehouden weſen te doen binnen de drie eerſte Sondagen / ſoo verre hy binnen den Lande woonachtigh is / ofte hy ſoude daer en t'eynden verſtreecken zijn; ende wie over 't Water woonachtigh ware / ofte over Zee ware / die ſoude ſijn Naeſtinge mogen hebben binnen den Jare naer dat hy weder gekomen ware.

Item, ſi quæ prædia per publicationes ſolennes in templo, aut loco juri dicundo deſtinato factas venierint, in quibus quis retractus jure uti voluerit, is intra tres priores ab hinc ſeptimanas illud inſtituere debebit, ſi præſens ſit, quin eo jure cadet, qui vero citra flumen, aut trans mare degerit, intra annum poſt adventum ſuum ſuo adhuc retractus jure utetur.

Quo pertinent etiam quæ in eundem finem ex antiquis Zuidt-Hollandiæ conſtitutionibus ſu- 4
perſunt. His verbis:

Item, Wat koop men van Erf-goedt ſal hebben / ſoo haeſt de koop geſchiet is / ende die erffeniſſe ofte goedinge daer of gedaen is / als 't Recht / ende herkomen is / ſal men drie Sondaghſche Geboden doen in der Kercken daer dat Erf gelegen is / ende geven van elcke Geboden twee ſchellingen / op dat het Bloedt / ofte naeſter-gelander dat over nemen mogen / ende hebben ſullen voor die vreemde. Ende die nae-koop ſal aengaen / wanneer die voorſz. koop ofte erffeniſſe geſchiet is / ende binnen drie dagen lange nae die laetſte Kercken-geboden naeſt malkanderen volgende / ende des ſal voortgaen ten vijfden Lede / ende niet vorder / voor den naeſten gelande; ende ſoo wanneer van bloedts wegen den nae-koop eens gedaen is / ſoo en ſal niemant den na-koop mo-

Item, ſi qua patrimonialium bonorum venditio fuerit facta, ſimulac fuerit perfecta, ejuſque traditio ſolenniter facta fuerit, tres hebdomodariæ fient publicationes in templo loci rei ſitæ, dabunturque pro ſingulis publicationibus ſolidi duo; ut proximus conſanguineus, aut vicinus eam retrahat, extraneoque emptori præferatur. Retractus autem jus incipiet, ſimulac emptio, traditioque fuerit facta, durabitque per tres dies poſt ultimam ſe invicem ſubſequentem denunciationem, procederque ad quintum uſque gradum inter conſanguineos præ vicinis, non ulterius: & ſi quando à conſanguineo retractus ſemel factus ſit, à nemine iterum retrahi poterit, niſi is fuerit proximior gradu quam primus retrahens, retinebit enim redemptionem, præſo-

gen hebben / hy en ſal naerder van't bloedt weſen dan den eerſten na-kooper / want hy den na-koop behouden ſal voor den genen die gelijck met hem in gelijcke ſtede ſtaen / overmidts dat hy die eerſte is geweeſt ; ende ſal 't naeſte bloedt altijdt het naeſte voordeel hebben / by alſoo dat den na-koop ſal zijn tot ſijnen profijt / ende met ſijne penningen ende niemants anders ; ende naeſt / die naeſt geerfden : ende of den na-kooper vertwijffelden / dat in de koop eenige behendigheyt ware / dien nae-koop te beletten / ſoo ſullen Kooperen / ende Verkooperen / beyde ten Heyligen ſweeren / in manieren den Gerechten genoegh duncken ſal / dat in den Koop geen behendigheyt / noch argeliſt voor genomen noch gehandelt en is / om den voorſchreven na-koop te benemen.

præfereturque illi qui pariens eo gradu eſt, quia tempore prior: proximiorque ſanguine ſemper erit potior jure, ſi modo retractus ſibi, ſuaque propria, neque alterius pecunia fiat, poſtque eos, proximiores vicini: Si vero retrahens dubitaverit quid fraudis emptioni ſubeſſe, qua retractui illudatur, emptores venditoreſque, ambo ſub ſacramenti fide jurabunt, prout judici ſufficere videbitur, in ipſa emptione venditione, nihil fraudis, dolive molitum, adhibitumve eſſe, quo retractui illudatur.

5 In Delflandia & Kennemaria idem etiam jus obſervari refert Grot. *Introd. lib. 3. cap. 16. verſ.* **De plaatſelijcke.** Cujus tamen in Kennemariæ conſtitutionibus antiquis, nulla mentio: & in Delflandia paſſim obtinere negat Groeneweg. *in Not.* ad Grot. *ibid.* Niſi quod in agro Putteno, in eundem fere modum antiquitus conſtitutum, ex generalibus *Agri Putteni Statut. & Conſtitut. 18. Auguſti* 1587. editis & renovatis, conſtet.

Art. 33.

Soo wie ſijn Erf of Landt verkoopen wil / die ſal drie Dingh-dagen achter een volgende / de naeſtinge van dien openbaerlijck voor Schout ende Schepenen / ten Banne daer dat Erf ofte Landt gelegen is / aenbieden allen den genen die eenigh recht van Naeſtinge willen pretenderen; ende indien op eenige van de drie Dagen / een Suſter ofte Broeder / ofte yemant van den Maeghſchappe die den verkooper naerder is dan den kooper compareerde / die ſal den koop door hem ſelven mogen aen nemen: wel-verſtaende / dat indien daer twee ofte meer quamen om den koop te naeſten / den verkooper even naer weſende / dat van hen-luyden die eerſt ſpreeckende / ende Naeſtinge verſoeckende / gepreferteert ſal werden : Maer indien daer niemandt en quame / ſoo ſullen alle die gene die ſulcx ſouden willen pretenderen / daer van verſteecken weſen.

Art. 33.

Si quis prædium fundumve ſuum divendere voluerit, per tres dies juridicos ſolennes ſe invicem ſequentes ejus retractum publice coram Sculteto & Scabinis pro tribunali loci rei ſitæ offeret omni & cuilibet, qui retractus jus prætendere voluerit: Et ſi aliqua prædictorum dierum frater, ſororve, aliuſve ex conſanguineis venditoris comparuerit, qui eum propior contingit quam ipſe emptor, emptum ſibi recipere poterit: Ita ut ſi duo pluresve comparuerint venditorem pari gradu contingentes, prior inſtituens aliis preferatur. Sed ſi nemo comparuerit, omnes jure ſuo cadent.

Ende indien eenigh Landt ofte Erve by drie Ding-dagen / als geſeyt is / niet gelevert en werdt / ſoo ſal de Naeſtinge van dien't allen tijden / den genen die recht van Naeſtinge hebben / open ſtaen.

Et ſi fundus aut prædium per ejuſmodi, ut dictum, denunciationes non fuerit traditum, omni tempore ejus retrahendi jus, illis quibus id competit, patebit.

6 His proxime accedunt Zelandiæ Statuta generalia Anni 1495. Quibus de retractus jure *cap. 2. art. 12.* ita quoque diſpoſitum eſt.

Ende ſoo wie ſijn Landt-verkoopt / hy ſal't bieden by drie Sondagen onvervallen aen een / ende dan / ſijn Vader ofe Moeder / ſijn Broeder oft Suſteren / ende haren kinderen / ſijn Oom / ſijn Moeyen / ende haren kinderen / ende niet vorder / willen ſy 't koopen / ſy koopent als vremde luyden : Ende en willen ſy 't niet koopen / ſoo magh die verkooper ſijn Landt / of ſijn Hoff-ſtede verkoopen / wien ende waer dat hy wil. Ende indien dat yemant ſijn Landt verkoopt ſonder drie Sondaeghſche Geboden te doen inder manieren voorſz. / ſoo ſullen die voorſz. perſoonen behouden haer naerhede ende aenboorde binnen den naeſten Jaer ende Dagh naer dien dat Landt verkoft werdt / ende ſal ſijn aenboort ſoecken voor drie Schepenen in gehaende Vierſchare openbaerlijck.

Si quis prædia ſua vendat, offeret per tres hebdomadales proclamationes continuas, quo facto ejus pater, mater, frater, ſoror, eorumque liberi, patruus, amita, eorumque liberi, non ultra, ſi velint, emant ut extranei. Qui ſi emere nolint, venditori tum prædium fundumve ſuum, cui, & ubicunque velit vendere eſt permiſſum. Si vero quis prædia ſua omiſſis his trinis proclamationibus vendiderit, prædictæ perſonæ congrui, retractuſque jura per annum & diem ab emptione perfecta retinent, ſuumque retractum inſtituent, coram tribus Scabinis, publice, pro tribunali ſedentibus.

7 Quibus etiam adde Medioburgi celeberrimi Zelandiæ emporii conſuetudines renovatas 21. *Martii* 1569.

Tit. Van Aenbooedinge ende Naerdinge.

Art. 1.

Alle onroerende goederen by partyſen verkocht zijnde / mogen geabordeert ofte genaerdert worden binnen ſes Weecken / voor inlandtſche / ende binnen

Tit.

De Congruo, & Retractu.

Art. 1.

Bona immobilia omnia divendita retrahi poſſunt à præſentibus intra ſex ſeptimanas, & ab abſentibus intra annum poſteaquam traditio debite fuerit facta, illud-

een Jaer voor uytlandtſche perſoonen / naer dat die gifte ofte leveringe gedaen is / ende dat uyt reſpect van 't bloedt tot den vierden graet incluys / deel ende grondt in manieren naer volgende.

illudque reſpectu ſanguinis ad quartum gradum incluſive, in patribus, & fundis, eo quo ſequitur modo.

Art. 2.

De gene die naderſchap verſoeckt / moet ſulcks komen verklaren / ende verſoecken voor drie Schepenen / ende daer bezegelde Brieven van impetreren / ende daer na by ordonnantie van de ſelve Schepenen / den kooper van de Goeden die hy aenboorden wil / en wete doen by eenen Stadt-bode / jegens de naeſte Vierſchare / omme ſodanige Aenboordinge te advoueren of impugneren / ende daer op hooren / en wijſen naer behooren.

Art. 2.

Qui retractus jure uti intendit, illud indicare & petere debet coram tribus Scabinis, petitioniſque ſuæ diploma ſignatum impetrare, qua deinde eorundem Scabinorum mandato, emptor bonorum retrahendorum, per apparitorem ordinarium inſinuari debet, ut in eundem retractum conſentiat, aut ei contradicat, audiatque de eo debite & ſolenniter experiri.

Art. 3.

Dienende den dagh van Rechten / is d'eyſſcher van Aenboordinge gehouden te compareren / ende de oorſaecke of titule van ſijn naderſchap te allegeren ende verificeren / mitſgaders namptiſeren Silver ende Goudt in handen van de Secretariſen.

Art. 3.

Addicto die, actor ex cauſa retractus comparere, cauſam & titulum intenti retractus allegare, eamque juſtificare tenetur. fiduciarie in Graphiariorum manibus conſignando argenti aurique ſpeciem.

Art. 4.

Item: Alle Aenboorders zijn gehouden / ten verſoecke van Partyen / hen by eede te purgeren / dat ſy-lieden d'Aenboordinge doen tot hun-lieden eygen profyte ende behoeve / ende niemants anders / ende dat sy-lieden 't ſelve Goedt behouden ſullen jaer ende dagh.

Art. 4.

Omnes itidem retrahentes ad inſtantiam partium ſeſe juramento expurgare tenentur, ſe dictum retractum inſtituere ſibi, proprioque ſuo, nec alterius commodo, ſeque eadem bona ultra annum & diem reſervaturos.

Art. 5.

Ende alſdan die oorſaecke van Aenboordinge oprecht bevonden zynde / ſoo is den Kooper / mitſgaders den Verkooper / ten verſoecke van den Aenboorder / gehouden by haerliedér ſolemnele eede te verklaren / in wat manieren den Koop tuſſchen haer-lieden gepaſſeert is.

Art. 5.

Quo ipſo, retractus cauſa probata, rurſum emptor venditorque ad retrahentis inſtantiam, ſolenni juramento indicare debent, quo pacto emptio inter eos fuerit celebrata.

Art. 7.

Item: d'Aenboordinge verklaert zijnde van waerden / is den Aenboorder gehouden binnen vier-entwintich uyren op te brengen ende betalen alle 't gene den Kooper gedebourſſeert heeft / ende voorts al te volbrengen 't gene dat tuſſchen den Kooper ende Verkooper bevoorwaert was / op pene van vervallen te zyn van 't effecte van de Aenboordinge; ende den eerſten Verkooper is gehouden ſulcken een leverantie te doen den Aenboorder / gelijck hy den Kooper gedaen heeft / of ſoude moeten doen.

Art. 7.

Adjudicato retractu, retrahens intra viginti quatuor horas reſtituere debet omne id quod emptor impenderit, & porro præſtare id quod inter emptorem venditoremque convenit, ſub pœna caduci, primuſque venditor illi, eandem quam emptori priori, poſſeſſionem tradere tenetur.

Art. 10.

Item: Alle Aenboordinge / in gevalle van concurrentie / wordt gepreſereert die oudtſte ende naeſte Man / oock van de zyde daer het goedt af gekomen is / niet tegenſtaende hy die laetſte verſoecker geweeſt hadde / by ſoo verre datter geen ſtntentie gewesen ware.

Art. 10.

In omni itidem retractu, in caſu concurrentiæ præfertur proximior maſculus natu major, ejus lateris unde bona devenerint, non obſtante, quod poſtremus actor aut petitor fuerit, modo nulla ſententia interceſſerit.

Art. 11.

Item: Den Aenboorder van Bloets wegen / wort gepreſereert voor alle andere Aenboordinge.

Art. 11.

Retractus gentilitius omni alii retractui præfertur.

Art. 12.

Item: Alſſer twee ofte meer concurreren / die deel in 't verkochte Goedt hebben / en ter dier oorſaecke verſoecken Aenboordinge / ſoo wort gepreſereert die 't meeſte deel heeft; ende in gevalle van gelijcke deelen / wert gepreſereert die eerſt verſoeck gedaen heeft.

Art. 12.

Item, ſi duo pluresve concurrant qui communem in re vendita partem habent, & ex ea cauſa retractum petant, præfertur qui majorem habet partem, iiſque paribus præfertur is qui prior petere inſtituit.

Art. 13.

Item: Het recht van Aenboordinge is verſchenen terſtont als de Koop geſchiedt is / vermogen niet-te-

Art. 13.

Et retractus jus currit jam ſtatim emptione facta: poſſunt tamen emptor & venditor, ante ſolennem retractus

min den Kooper ende Verkooper haern koop renunſieren voor de rechtelycke inſinuatie van de Aenboodinge / by ſoo verre ſulcx niet en geſchiede in fraude van de Aenboodinge.

tractus inſinuationem ipſi emptioni renunciare, modo id non fiat in fraudem ipſius retractus.

Art. 14.

Item: Van Goeden verboden ter Vierſchare ende verkocht by Decrete en ſubhaſtatie / ofte openbaerlyck metten ſtocke / en valt geen Aenboodinge.

Art. 14.

Item bonorum pro tribunali publicatorum, judicifque decreto, aut ſub-haſta aut alias publice per præconem divenditorum retractus nullus eſt.

Art. 15.

Item: Een ſtuck of part van eenen Koop en magh niet geaenboodt worden / dan alleenlijck den geheelen Koop / alwaert ſulcx datter diverſche perceelen in den Koop gekocht waren.

Art. 15.

Neque pro parte rei emptæ retractus inſtitui poteſt; ſed omnis res divendita, totaque emptio retrahi debet: licet diverſæ partes emptæ, ei inſint.

Art. 16.

Item: Alle 't gene dat ſtaende den koop voor d'inſinuatie van d'Aenboodinge by den kooper geproſiteert is / volght ende hoort toe den kooper / nutſgaders d'afgehouwen Boomen ende andere afgebroocken Goeden ende materiaelen / die ten tyde van de Aenboodinge op den gront niet bevonden en worden.

Art. 16.

Quicquid porro pendente emptione, ante debitam retractus inſinuationem, emptori commodi utilitatiſque obvenit, eum ſequitur, adque eum pertinet, deſectæ item arbores, demolita, aliæque materiæ quæ tempore retractus in ipſo fundo non exſtiterint.

Art. 17.

Item: Den Aenbooder is gehouden den Kooper te reſtitueren boven ſijne gedebourſeerde penningen van den koop / alle noodelijcke reparatien die hy aen de gekochte Goederen gehangen heeft / ſonder die te mogen compenſeren met de Vruchten / maer van Timmeringe ofte reparatie niet noodelijck / is niet gehouden eenige reſtitutie te doen.

Art. 17.

Itemque retrahens emptori reſtituere tenetur, præter ipſius rei emptæ ſolutum pretium, omnes neceſſarias impenſas quas in rem emptam impenderit, quas nec cum fructibus perceptis compenſare poteſt: non neceſſarias vero impenſas refundere non tenetur.

8 Apud Ultrajectinos & Gelros, niſi conventionali, retractui locus non eſt. Quod & Tranſyſulaniæ Statutis *part. 2. tit. 8. art. 18.* expreſſe cautum eſt.

Land-Rechten van Over-Yſſel, 2. Deel. Tit. VIII.

Ex Jure Municipali Provinciæ Tranſyſulaniæ, part. 2. Tit. VIII.

Art. 18.

9 Voorts / ſoo ſal in deſe Landen / naer-koop alleen geobſerveert werden / wanneer die geconditioneert ende bedongen is / 't zy tuſſchen Vrienden ende Verwanten / oft oock tuſſchen andere Luyden: Alſoo oock dat alſſer geen tijdt noch graedt verſprooken ofte geſtelt is / daer mede die naer-koop te nemen ceſſeren ſal / de ſelve dan komt op te holden / ende evaneſceert in den derden graedt incluys.

Art. 18.

Porro, in hiſce regionibus ſolummodo retractuſ locus erit, ſi quando per emptionis conditionem ita fuerit ſtipulatum, ſive inter conſanguineos, ſive inter extraneos: Quemadmodum & ubi neque tempus neque gradus fuerit adjectus, quo jus illud retrahendi ceſſaret, poſt tertium illud gradum ceſſabit, evaneſcetque.

Art. 19.

Wie die naer-koop begeert te nemen / moet ſulcx doen binnen een jaer ende dagh / te reeckenen van den tijdt dat hem den koop is te weten gedaen / ende die naer-koop gepreſenteert ende aengeboden / of van den dagh / dat hy eerſt kenniſſe van den koop gehadt heeft: naer welcken tijdt die naer-koop niet genomen noch vergunt ſal werden als met wille van den kooper. Ende die de naer-koop neemt / is ſchuldigh alles nae te komen / dat den kooper beloofſt heeft / deſſelfs handt ſchadeloos te holden / ende den verkooper vol te doen / ſtellende daer voor genoegſame verſeeckeringe ofte Borge / ſoo noodigh.

Art. 19.

Qui retrahendi jure uti velit, illud inſtituere debet intra annum & diem numerandum ab eo tempore, quo emptio ei inſinuata, retractuſque oblatus ſit, aut à die quo ipſa emptio ad ejus notitiam venerit: Quo tempore elapſo, ipſe retractus non inſtitui nec concedi poteſt, niſi ex voluntate ipſius emptoris. Et qui retrahit, omnia quæ emptori incumbebant præſtare, eum indemnem ſervare, venditorique ſatisfacere tenetur ſub idoneis etiam fidejuſſoribus, ſi id exigatur.

10 In Friſia tamen obtinet uterque, ut ex eorundem legibus conſuetudinariis liquet.

Tit. XII.

Van Naeren der ontoerende Goederen.

Uyt de Coſtuymen van den 4. Januarii 1542.

Art. 8.

Dat het Naer alleenigh plaetſt heeft in Contracten van koop.

Tit. XII.

De Retractu immobilium bonorum.

Ex Conſuetudinibus 4. Januarii 1542.

Art. 8.

Ut retractui in ſolis emptionibus locus ſit.

Art. 9.

Dat op den derden dagh dat Naer wordt genomen ſoo verre de koop te bude werdt geſtelt / ende yemandt dat Naer wilt nemen.

Art. 9.

Ut tertio die retractus conſummetur, à quo emptio offertur, eoque jure quis uti vult.

Art. 10.

Item: Dat nae den voorſz. derden dagh 't Naer van den ſelven contracte geen plaetſe en heeft; nach yemant van 't Naer verſteecken wordt / eer de derde proclamatie gegaen is.

Art. 10.

Ut poſt dictum tertium diem retractui ejuſdem contractus locus nullus ſit: Et nec quis retractus jure cadat, priuſquam tertia proclamatio fuerit conſummata.

Art. 11.

Item: Dat het Naer eerſt ende voor al gegunt worde den genen die van Bloedts wegen dat ſelve Naer verſoeckt.

Art. 11.

Ut retractus primo cedat illi qui ex conſanguinitatis cauſa illud petit.

Art. 12.

Item: Dat nevens de preferentie dat Naer plaetſe heeft / gelijck de ſucceſſie van den Goederen; ſoo verre nochtans die gene die het Naer wil nemen in effecte / niet en repreſenteert den perſoon van den verkooper.

Art. 12.

Ut in prælatione retractus, idem juris ſit quod in bonorum ſucceſſione: ita tamen ut retrahens non præſentet perſonam venditoris.

Art. 13.

Item: Ende ſoo verre van Bloedts wegen niemandt dat Naer neemt: dat die Naeſtleger van 't gene dat verkocht is / dat Naer magh nemen.

Art. 13.

Si nemo ex conſanguineis retrahendi jure utatur, ut vicinus proxime à latere rei emptæ prædia tenens jam tum ad retrahendum admittatur.

Art. 14.

Item: Dat die gene / die dat Naer wil nemen by ſtaende Gerechte op den voorſz. derden dagh / de geheele volle penningen voor de aengecende goederen betaelt / moet met der daedt preſenteren; ende ingevalle van weygeringe van den ſelven te ontfangen / onder 't Gerechte conſigneren.

Art. 14.

Ut retrahere volens dicto tertio die ſtante rotula integrum rei immobilis venditæ pretium actualiter offerre, aut per refuſionem partis coram judice conſignare, ſolenniterque deponere debeat.

Et Brabantiæ Flandriæque moribus paſſim frequentatur. De quibus late Zypæus *Notit. Juris* 12
Belg. tit. de Empt. vend. §. de Retract. Damhoud. *prax. civil. cap.* 265. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 11. *per tot.* Quorum hæc ſunt capita:

Uyt de Coſtuymen der Stadt ende Provincie van Mecchelen.

Ex Conſuetudin. Civitatis & Provinciæ Mechlinienſis.

Tit. *Van Calengieren ende Naderſchap.*

Tit. De Retractu.

Art. 1.

In verkoopen van onroerlijcke Goeden valt calengieren ende naderſchap in drie manieren / te weten / van Bloedts wegen / van Deels wegen / ende van Grondts wegen.

Art. 1.

In emptione rerum immobilium triplici de cauſa jus 12
præferentiæ (ſive Græcè, protomiſeos) locum habet: hoc eſt, ut alienam emptionem in te transferas: datur enim hoc vel neceſſitudini ſanguinis, vel comparticipatui, vel fundorum ad præſtationes tolerandas conjunctioni.

Art. 2.

Die eenige onroerlijcke verkochte Goeden wilt vernaderen oft calengieren / moet het ſelve te kennen geven den Amman / is het erveliyck goedt; oft den Stadthouder ende Leenmannen / is het Leen goedt / ende ſtellen onder hen Gaudt ende Silver / met preſentatie van den koop te voldoen / gelijck dat behoort / verclarerende uyt wat ſaecke hy 't verkocht goedt wilt vernaderen / 't zy van Bloedts wegen / Deels wegen oft Grondts wegen / 't welck den Amman oft Clerck van de Leenen is ſchuldich te ſchrijven in ſijnen Regiſter / ende daer af de wete te doen den kooper ende verkooper: ende voorts moet den Amman daer af een brieſken geven de Secretariſſen vander Stadt / op dat ſy daer af geen guedinge en laten geſchieden / tetter tydt tue dat Partyen eens zyn metter Minnen / oft met den Rechter.

Art. 2.

Qui emptionem bonorum immobilium in ſe transſcribere velit, hoc ipſum, ſi bona feudalia non fuerint, præfecto prætorio indicabit; ſin autem feudalia, Vicario Domini & feudalibus beneficiariis aureum argenteumque nummum deponet, offeretque ſe ea, quæ ſunt emptionis, præſtiturum allegabit unà ſuæ præferentiæ cauſas, ſive id ſibi competat jure ſanguinis, ſive partis conſociatæ reſpectu, ſive ſoli communione: quam rem præfectus prætor, aut Scriba rerum feudalium in ſuis commentariis deſcribet, ipſumque illud emptori & venditori denuntiabit, deſcriptumque iis qui à Secretis ſunt, civitatis dabit, ne ſinant quemque in poſſeſſionem dominiumque mitti, donec inter partes vel gratiâ vel judicio transactum fuerit.

Art. 3.

Van Bloedts wegen magh een yeglijck den verkooper beſtaende ten vierden graed ofte Lede vander zijde daer de Goeden af gekomen zijn / calengieren ende vernaerderen verkochte onroerlijcke patrimonie goeden / ſoo verre hy in het verkoopen van de ſelve goeden niet geconſenteert en heeft / alwaer 't oock dat het ſelve goet eenen van 't Maeghſchap verkocht ware / even verre den calengierder den verkoopere naerder van Bloede beſtaende / dan den kooper.

Art. 3.

Jure ſanguinis is qui venditori ex ea ſtirpe, unde prædium deſcendit, vel ad quartum gradum propinquus eſt, emptionem immobilium patrimonialium bonorum in ſe transferre poteſt, ſi non ipſe ut venderetur conſenſerit: nec obſtat quòd emptor quoque venditori ſit propinquus, modo hic præferentiæ poſtulator, ſit ea propinquior.

Art. 4.

Daer meer perſoonen / den verkooper beſtaende als boven / willen komen tot calengieringe / ſoo behoort de naerderſchap te volgen die naerbeſtaet / niet tegenſtaende dat andere eerſt ſijn naerderſchap gepreſenteert hadde / maer daer twee even naer ende in eenen graedt de verkooper beſtaende / begeeren te calengieren / ſoo volght de naerderſchap / die eerſt ſijne naerſtigheyt daer in gedaen heeft.

Art. 4.

Ubi plures neceſſarii venditoris emptionem ſibi addici poſtulant, ibi Jus præferentiæ eum ſequitur qui cæteris neceſſitudine ſanguinis conjunctior eſt; neque ideò, in eo Jure impeditur, quòd alius prævenerit, & emptioni obnunciaverit: cæterum ubi pares gradus ſunt, is potiori Jure eſt qui prævenit.

Art. 5.

Die paert ende deele heeft in eenige onroerelijcke verkochte Goeden / magh de ſelve vernaerderen ende calengieren / ſoo verre hy in 't verkoopen van de goeden niet geconſenteert en heeft / ende gaet voor alle Bloedt / hoewel de calengierder van Bloedts wegen eerſt ſijne calengieringe gedaen hadde.

Art. 5.

Qui partem aliquam habet in bonis immobilibus, jus præferentiæ ſibi vindicare poteſt, modò in emptionem non conſenſerit, & omnibus cognatis & agnatis præfertur; neque illis prodeſt quòd priores fuere in hoc Jure poſtulando.

Art. 6.

Als twee perſonen / deel hebbende in een verkocht goedt / willen den koopvernaerderen / ſoo volght de naerderſchap den genen die het meeſte deel heeft; ende daer de deelen even groot zijn / ſoo volght die eerſt de calengieringe gedaen heeft / niet tegenſtaende dat de andere van den Bloede van den verkooper ware / want het Bloede niet geldt en wordt daer calengieringe van deels wegen geſchiedt.

Art. 6.

Ubi duo in re vendita partes habent, potiori Jure eſt, qui majorem partem poſſidet; cæterùm ubi partes æquales ſunt, qui prior eſt in poſtulanda præferentia, poſteriori antefertur, etiamſi cum venditore ſanguine conjunctus ſit, nam ratio ſanguinis non habetur, ubi comparticipatus ad præferentiam tendit.

Art. 7.

Als diverſche onbeweerlijcke goeden zijn chijnſgemeyne oft verbonden ſtaen voor een chijns / erffelijcke rente / oft Pacht / geenen grondt-chijns / oft Heeren-chijns zynde / ende den chijns / rente / oft Erf-pacht verkoft wordt / ſoo magh de gene die eenige van de ſelve goeden voor den chijns / rente / oft Pacht verbonden beſit ende toe behooren / de verkochte chijnſen / renten / oft Erf-pacht calengieren ende vernaerderen van grondts wegen / ende alſoo ſijnen grondt ſuyveren / indien hy in 't verkoopen van de ſelve chijnſen / renten oft Erf-pacht niet geconſenteert en heeft / ende moet gaen voor calengieringe van Bloedts wegen / ende deels wegen.

Art. 7.

Ubi diverſa prædia communi obligatione eoſdem cenſus, reditus, vel penſitationem hereditariam præſtant, modò eæ præſtationes ad Principem vel ad feudi Dominum non ſpectent, tum, ſi eorum prædiorum penſitationes vendantur, licitum eſt ei cujus prædium pariter ad hujuſmodi præſtationes obnoxium eſt, jus præferentiæ intentare, idque ratione ſoli, & ita ſuum ſolum purgare, modò in venditionem non conſenſerit; cæteriſque præfertur, qui vel Jure ſanguinis vel conſociatione partium nituntur.

Art. 8.

Dat meer perſoonen eenige chijnſen / renten / oft Erf-pachten calengieren willen van grondts wegen / moet de gene die den principalen pandt af den grondt principaelyck verbonden beſit / gaen voor dien die den tuepandt beſit; ende daer de gronden even gelijck verbonden zijn / moet voor gaen die 't meeſte deel van de verbonden gronden toe-behoort / hoewel d'andere eer ſijn calengieringe gepreſenteert hadde.

Art. 8.

Ubi plures ratione ſoli hujuſmodi præſtationum emptionem ſibi addici poſtulant, cujus ſolum principaliter obligatum eſt, præfertur illis, quorum fundi accesſorio nomine obligantur. Ubi autem fundi æquè obligati ſunt iis, is potiore jure eſt, qui majorem partem bonorum obligatorum poſſidet: neque exceptionem parit, quod alius in poſtulando Jure præferentiæ priorem ſe obtulerit.

Art. 9.

Een yegelijck moet ſijn calengieringe oft naerderſchap preſenteren voor de goedinge ende erffeniſſe van de ſelve Goeden / indien daer Kerck-geboden van de verkoopinge gedaen zijn; ende daer geen Kerck-geboden gedaen en worden voor de goedinge / blijven de verkochte goeden calengierbaer jaer ende dagh naer de goedinge / ende daer nae niet.

Art. 9.

Quilibet jus ſuæ præferentiæ proſequens debet inveſtitionem emptoris antevertere, ubi proclamationibus ea res in templis denunciata fuerit. Quæ ſi nullæ interceſſerunt, manet jus præferentiæ ſalvum in bonis venditis annum & diem, ex quo emptor in poſſeſſionem dominiumque miſſus eſt, & non ulterius.

Art.

Art. 10.

In 't calengieren van Leen goeden magh men Naerderſchap preſenteren binnen jare ende dage van der goedinge oft erveniſſe / ende daer naer niet / weder daer Kerck-geboden gedaen zijn oft niet.

Art. 10.

Aliud in feudis obſervatur: ſive enim emptio in templo proclamationibus eſt divulgata, ſive non, æquè tamen ſibi emptionem citra annum & diem poſtulare poterit, cui tale jus præferentiæ competit.

Art. 11.

Men magh geen Kerck geboden doen om Naerderſchap uyt te ſluyten / ten zy dat de koop van de Goeden tuſſchen den kooper ende verkooper eerſt gemaeckt ende met den Palmſlagh geſloten zy.

Art. 11.

Non permiſſum eſt in fraudem iſtiuſmodi præferentiæ ante contractum venditionis initum, & plauſu injectæ dexteræ confirmatum, proclamationes in templis facere.

Art. 12.

Een calengierder is ſchuldigh ten verſoecke van den kooper oft verkooper / alvooren ſijnen eedt te doen / dat hy de calengieringe gedaen heeft tot ſijns ſelfs behoef / ende niemandt anders / ende dat hy 't gecalengiert Goet behouden ſal jaer ende dagh / ſonder argeliſt.

Art. 12.

Sed ante omnia qui emptionem alienam ita in ſe transmovet, jurare debebit, ſi ab emptore vel venditore requiratur, ſuam ſe rem agere, non alienam: neque quod ita ſibi transſcriptum fuerit, ſine fraude ac dolo ad annum & diem poſſeſſurum.

Art. 13.

Welcken eedt gedaen weſende / ſoo zijn de koopere ende verkoopere ſchuldich ten verſoecke van den calengierdere ende in ſijne preſentie by hunnen eedt te verklaren / hoe ende in wat manieren de koopmanſchap op den Palmſlagh gemaeckt ende geſloten is / ſonder fraude ende argeliſt / ende ſonder eenigh toeſeggen dat ten laſte van den calengierdere ſoude mogen komen.

Art. 13.

Atque hoc ita jurato, viciſſim venditor emptorque jurejurando profitebuntur, quibus legibus emptio, dum dextra dextræ injiceretur, inita ſit, ſine omni dolo ac fraude: neque addent quidquam quod ad ejus, qui præferri contendit, detrimentum vergat.

Art. 14.

Naer welcke eeden alſoo gedaen / ſoo moet de calengierder binnen Sonneſchijn van dien dage onder Wet conſigneren ende namptiſeren de gereede penningen vandee koopmanſchappe die ſonder dagh te betalen zijn / ende voor de penningen die op dagen te betalen zijn / ende andere Voorwaerden ende conditien vander koopmanſchappe moet hy ſtellen goede cautie van Borghtochte / ofte panden / goet genoegh zijnde om te volkomen ende te volbrengen de geheele koopmanſchappe / naer uytwijſen vander Voorwaerde / op pene van vervallen ende verſteken te zijn van ſijne Naerderſchap.

Art. 14.

Quibus juramentis ultrò citroque factis, debet occupator iſte alienæ emptionis, ante occubitum ſolis ejus diei, pecuniam omnem, quæ ſine die debetur, conſignatam apud Judicem deponere; & de pecuniis quæ in diem debebuntur, aliiſque conditionibus pactiſque emptionis, per fidejuſſores aut per pignora ſufficientia idoneè cavere, ſecundùm leges contractus: nam niſi id faciat, cadit omni Jure præferentiæ.

Art. 15.

Inſgelijx ſoo moet de koopere / indien hy hem tegen 't calengieren opponeren wilt / ten ſelven dage binnen Sonneſchijne ook conſigneren ende namptiſeren onder Wet / ende cautie by Borghtochte oft panden ſtellen gelijck de calengierdere / op pene van te vervallen ende verſteken te blijven van ſijne oppoſitie / ſoo dat den calengierdere ſijne Naerderſchap volgen ſal.

Art. 15.

Quod ſi emptor præferentiæ contradicere velit, eodem die ante occaſum ſolis pecuniam Judicibus repræſentabit, cavebitque vel pignoribus vel fidejuſſoribus, eodem modo quo transſcriptor, emptionibus: quod niſi præſtet, jure contradictionis ſpoliatur, & jus præferentiæ inoffenſo decurrit.

Art. 16.

Soo verre de calengierder niet verſoecken en wil dat kooper ende verkooper by hunnen eedt verklaren / hoe ende in wat manieren de koopmanſchap by den Palmſlagh gemaeckt ende geſloten is / maer wil anders wettelijck toonen de koopmanſchap / 't welck hy wel doen magh / ſoo is hy gehouden / ten verſoecke van den kooper oft verkooper binnen Sonneſchijn te conſigneren ende namptiſeren / ende cautie te ſtellen als boven van het gene dat kooper ende verkooper ſonder eedt voor Wet ſullen affirmeren / ende de kooper van gelijcke / indien hy hem tegen het calengieren opponeren wil / op pene als voren.

Art. 16.

Quod ſi præferentiæ vindicator, non requiſito juramento venditoris & emptoris, ſed aliis rationibus legitimè docere paratus ſit, quænam ſint conditiones emptionis injectu dexteræ initæ & confirmatæ, id quidem ei licebit: verùm tenebitur, venditore aut emptore id poſtulante, ante occaſum ſolis conſignare, deponere, & idoneè cavere (ut priùs dictum eſt) de omnibus quæ emptor venditorque coram Judicibus injurati affirmabunt in pactis eſſe. Iidem quoque agendum ab emptore, ſi præferentiæ contradicere velit: quæ niſi fiant, eadem quæ ſuperiùs pœna committetur.

Art. 17.

Den verkooper begeerende ende verſoeckende voldaen te weſen van ſijne koopmanſchap / moet terſtont betaelt weſen van de genamptiſeerde pennin-

Art. 17.

Quod ſi venditor ſibi ſatisfieri cupiat, ſolvendum eſt illi ſtatim ex ea pecunia conſignata, quam poſtulator præferentiæ apud Judices repræſentavit; ſed tum viciſſim

gen by den calengierder geconſigneert; des is hy gehouden het verkocht Goedt op te dragen met den Halme in de handen van den Heere / tot behoef van den genen die daer recht aen heeft.

ciſſim cogitur venditor (de more feſtucam aut ſtipulam in manibus tenens) rem venditam per ceſſionem in manum Judicis ſequeſtrare, transferendo in eum cujus poſtulatio æquior fuerit.

Art. 18.

Het recht van calengieren ende Naerderſchap is verſchenen / ſoo ſaen de koop met den Palmſlagh geveſtight is: niet te min mogen kooper ende verkooper malkanderen wel quyt ſchelden / by ſoo verre daer als noch geene Naerderinge gepreſenteert en is / ende anders niet.

Art. 18.

Jus præferentiæ ſtatim locum habet, ex quo emptio plauſu injectæ dexteræ confirmata fuerit: ſed licebit emptori & venditori pacta reſcindere, ſi jus præferentiæ nondum intentatum ſit, poſteà autem non licebit.

Art. 19.

In het verkoopen van Goeden die ter Vierſchaeren by ſubhaſtatie den meeſt daer voor biedende verkocht moeten worden / en valt geen calengieren oft Naerderſchap.

Art. 19.

Wo aber das Gut vor die Nehergeltung gebührlich hypothecirt, in dieſen vnd dergleichen fällen / kan der Kauffer angeſprochen werde / dißfals haber hette ſtat / daß die Nehergeltung / die da conventionalis iſt / innerhalb dreyſſig Jahr / Jahr vnd Tag præſcribiret werden könte. Nach dieſer diſtinction ſollen ſich vnſere Gerichte ſprechen vnd erkennen.

Constitutio XXXIII.
PARTIS SECUNDÆ.

Was der, ſo den Vorkauff hat, vor ein Kaufgeld geben ſoll.

Wie wol auch dieſe Frage diſputiret worden / ob es gnug ſeie / dißfals das Kauff-geld nach dem rechten Werth des Guts zu zahlen / oder ob ſo viel darumb erlegt werden ſoll / als von einem andern licitatore auff ſolch Gut geſetzet wird; So haben doch vnſere Verordnete darauff geſchloſſen / daß

Pretium, retrahere volens, quale ſolvere debeat.

Quamvis & hæc quæſtio dubio non caruerit, ſatis ne eſſet ſi retrahere volens juſtum rei pretium ſolveret, an vero tantum ſolvendum eſſet, quantum alius licitator offerret: hoc poſterius tamen Deputati noſtri tenendum putarunt, niſi fortè dolo licitatorem illum agere, & animo alterum deterrendi tantum offerre appareret,

der / welchem der Vorkauff gebuhret / nicht allein juſtum pretium, ſondern ſo viel / als der Vorkauffer von einem andern darumb haben kan / zahlen und erlegen ſoll / So were dan ſache / daß betrieglicher weiſe einem und zu fuhren / oder von dem Verkauff mit groſſen Auffſatz abzuſchrecken / gehandelt / oder were durch vorgehnde pacta verglichen waß er geſtalt es auff ſolchen Fallerkauff werden ſolte / darbey wir es auch bewenden laſſen.

ret, vel quid aliud de pretio à retrahente numerando conventum eſſet, quam ſententiam & nos probamus.

Quorum Jure Polonos, Lituanos, Liſatos & Sileſios, uti alibi monuimus.

29 His adde ex Jure Lubecenſi *lib. 3. tit. 7. art. 1. & 2.* & ibi Davidem Mævium: ubi jus protomiſeos rationi conſanguinitatis univerſali fere Germaniæ conſuetudine obtinere refert. Statutum ita ſe habet:

Art. 1.

Wer frey Erb gut oder ligende grunde vorkauffen wil / der ſol ſie vor alle dingen anbieten den nechſten Erben durch zweene beſeſſene Burger / ob ſie das annehmen wollen vor den preys was andere darumb geben, wollen ſie ſolches nicht thun / ſo mag es das Gut ſo thewer als er kan vorkauffen / wehme er wil ohne alle gefahr / den Rentener vorbehalten ſeine gerechtigkeid / wo renten in denn Erbgut ſeyn / deme es fur allen anderen muß angeboten werden.

Art. 1.

Venditurus bona ſua libera immobilia, ea prius proximis heredibus per viros fide dignos, pro eo quod alii promittunt, precio, ad emendum efferre. Quod ſi id facere recuſent, venditio in alios quoſcunque libera eſt, & ſine periculo fit, reſervato illi, qui reditum in iis habet ſuo jure, cui poteſtatem emptionis ante omnes alios facere debet.

Art. 2.

Es kan kein Sohn oder Erbe verhinderen oder beyſprechen ein Haus oder ander Erbe / welches der Vater ſelbſt erkaufft / und oder nachwiederumb verkauffen wil Wehre ihm aber das Haus oder Erbe von ſeinen Vorfahren angeerbet / ſo kan er daſſelbe ohne ſeiner Kinder und Erben laub nicht vereuſſeren / ſonder muß bey dem Erbgange blieben.

Art. 2.

Filio aliive conſanguineo permiſſum non eſt impedire, aut impugnare venditionem bonorum immobilium, quæ parens emit, poſteaque iterum vendit. Quæ vero ex hereditate majorum accepta ſunt, ſine illorum conſenſu alienari nequeunt, ſed ſuis heredibus remanere debent.

30 Et quæ latiſſime, Juris Provincialis Ducatus Pruſſiæ Compilatores ex Jure Communi, Saxonico, & Culmenſi, de retractus ſive protimeſeos jure congeſſerunt, *lib. 4. tit. 7.* Quorum quædam excerpta maxime ad rem pertinentia hiſce adjecimus: ut ſunt ex *art. 1. §. 2.* Ubi:

Si conſanguineus fundum, prædium, agros, domum, emphyteuſin aut rem immobilem aliam ſive pro immobili habitam, quæ inter bona familiaria & avita numeretur, & ſucceſſionis & hereditatis jure acquiſita ſit, alienet, & vendat, competit venditoris ejuſmodi proximo cognato, id eſt propinquo tam per fœminas quam per mares conjuncto uſque ad quartum gradum incluſive juxta computationem civilem intra annum & diem, ex quo ea venditio in judicio perfecta, & actis inſinuata fuerit, poteſtas & jus eam rem revocandi, & retrahendi, adeoque emptorem priorem à contractu inito, repellendi, & impediendi. Ita tamen, ut cognatus retrahere volens in primis cognationem ſi de ea dubitetur in judicio probet, & pretium quod extraneus emptor ſolvit, cum arrhis, ſumptibus vini (vulgo Weinkauff /)aliiſque inſinuationis, & ſubſignationis impenſis, realiter offerat: quo facto emptor rem ad familiam revocantis pertinentem reſtituere tenebitur.

§. 5.

Si emptor intereà antequam res retrahatur neceſſario vel utiliter quid ædificet, aut impendat, niſi id retrahens ei per judicem interdici curaverit, æſtimatis bonorum virorum arbitrio impenſis, hæ quoque una cum pretio reſtitui debent.

§. 6.

Si de pretio retrahens emptori fidem habere nolit, eumque majus quam revera ſolutum ſit pretium, quo à retractu ſe abſterret, deſignaſſe prætendat, ſub juramento ſuo emptor verum rei pretium indicare tenebitur.

§. 8.

An etiam liberis vel filiis in bonis à patre alienatis jus retractus concedatur? placuit fundo vel prædio avito vendito liberis permittendum eſſe.

§. 11.

Si plures fratres vel conſanguinei eodem gradu concurrant, & uno eorum, vel aliquibus redimere volentibus, cæteri ipſi ſoli concedere nolint, omnibus ſimul rem retrahere permittimus. Et ſi res ſit ejuſmodi quæ diviſionem recipiat, liberum eſt concurrentibus ejuſdem gradus retrahentibus eam inter ſe pro ut viſum, vel conventum fuerit, dividere. Cæterum ſi dividi res non poſſit, ſorte decidendum eſt, quis eorum eam retrahat, & in ſolidum retineat.

§. 13.

Perpetuo in retractu perinde ac in ſucceſſione ii qui proximiores gradu ſunt cognatos remotiores excludunt.

§. 15.

Si prior emptor prædium retractui ſubjectum pendente adhuc tempore retractus alteri vendidit, & hic viciſſim tertio, & ſic deinceps, proximum conſanguineum non ſolum à primo, alterove emptore, ſed ab omnibus iis, ad quos res tranſlata eſt, etiamſi per manus tranſiiſſet, retrahendi jus habere conſtituimus, hac tamen conditione, ut actio retractus intra certum tempus, quod à prima venditione exordium capit, proponatur.

Art. III.

§. 8.

Si vero res ſecunda vice majori pretio venierit: non poſterioris venditionis pretium; quod is à quo retrahitur ſolvit, præſtandum eſt, ſed prioris. Poſterior tamen emptor actione ex empto ab auctore ſuo à quo emit, quod ſibi decedit, exigere poteſt.

In Bavaria hunc retractum etiam per omnia admitti multis probat Johann. Franciſc. Balthaſar, 31 *Reſolut. Juris Civil. & Bavar. tit.* 10. *per totum.* Et in Hungariæ Regno retractui gentilitio locum eſſe probat textus Juris Conſuetudinarii Regni Hungariæ à Stephano de Werhewez ex cenſura & authoritate Vladiſlai Regis editus, *part.* 1, *tit.* XVI. *& tit.* LXI. His verbis:

Titulus XVII.

Qui ſint, & intelligantur heredes, & poſteritates, & qualia bona ſolum maſculinum, qualitave utrumque ſexum concernant.

Notandum eſt, quòd quamvis appellatione poſteritatum, omnes de jure patri, vel matri ſuccedere debentes, etiam poſthumis incluſis, ſive mares, ſive fœminæ ſint, intelligantur: prolium vero nominatione, tam filii, quam filiæ jam nati, vel natæ, poſthumis excluſis, ſignificantur, liberorum autem nuncupatione & filii & filiæ, nepoteſque & neptes pariter continentur: tamen & vetuſta & approbata regni hujus noſtri conſuetudine: heredes ſolummodo filii legitimi, qui juribus paternis hereditariis ſuccedere ſolent, intelliguntur: licet in caſu, quo bona, & jura poſſeſſionaria paterna, vel etiam materna, utrumque ſexum, tam ſcilicet mares, quàm etiam fœmellas concernere dignoſcuntur. Heredis nomen ipſæ quoque filiæ (licet improprié) gerere permittantur. Filiæ itaque, quia non omnibus bonis, & juribus paternis participant, ideò rectè non heredes, ſed poſteritates potius nuncupantur. Et poſteritates quoque dico nuncupari, non quantum ad jurium paternorum communitet, & ſemper devolutionem: ſed quantum ad ſanguinis propagationem, & in caſibus, quibus legitime ſortiuntur bonorum paternorum, vel maternorum ſucceſſionem. Nam jura duntaxat poſſeſſionaria pecuniis paternis, aut maternis empta, & comparata, prætereà in homagium alicujus interempti nobilis data, & obligata, cæterum pro jure Quartalitio, ſeu in ſortem refuſionis, & reſtitutionis quartæ puellaris perpetuò collata, & inſcripta, dummodo hujuſmodi perennalis inſcriptio Quartalitii non ſit in præjudicium fratrum, vel aliorum ritè ſuccedentium facta. Item illa etiam jura poſſeſſionaria; in quibus aliquæ puellæ, vel fœminæ per Regiam majeſtatem (ſine tamen præjudicio fratrum generationalium) in veros ſucceſſores, quo ad utrumque ſexum, præficiuntur; jus fœmineum æquè, veluti maſculinum ſequuntur; alia verò univerſa jura poſſeſſionaria, qualitercunque acquiſita, ſolummodo juri maſculino deſerviunt. Et dixi notanter, pecuniis paternis, vel maternis empta, quoniam in bonis, & juribus poſſeſſionariis pecuniis aliquorum fratrum comparatis, puellæ, ſeu fœminæ, ſorores videlicet eorum, nil juris habere poſſunt, neque collaterali modo ipſæ fœminæ ſuccedere, aut portionem aliquam acquirere permittuntur: ſed juribus tantum de paternis, aut portionem congruentem in caſibus immediatè præſcriptis, aut jus Quartalitium pro ſe requirendi habent auctoritatem. Dixi enim, quo ad utrumque ſexum pari modo notanter. Nam in caſu, quo Regia majeſtas puellam, ſeu mulierem aliquam, in juribus paternis, vel etiam fraternis (ſi frater ipſe heredibus careat, & præfectioni conſentiat) in verum heredem, & ſucceſſorem maſculinum ſimpliciter, præfecerit, non inſerendo ſcilicet in litteris præfectionalibus, utrumque ſexum: tunc hujuſmodi jura poſſeſſionaria, mortua ipſa muliere, ſolummodo in filios (ſi habuerit, aliter autem rurſus in Fiſcum regium) devolvantur, & filiæ ſuæ juribus duntaxat earum Quartalitiis, de eiſdem juxta hujus regni conſuetudinem provenire debentibus, contentari debebunt.

Titulus LXI.

Quomodo portio fratris per alterum fratrem vendita, vel impignorata recuperari debeat.

Notandum ulteriùs, quòd pleruumque ſolent fratres natu majores, & interdum etiam minores, qui abſentibus fratribus natu majoribus bona, & jura poſſeſſionaria eorum paterna, & avita nondum diviſa domi manendo poſſident; oneribus cæterorum fratrum ſuorum carnalium, vel uterinorum in ſe ſumptis, eadem jura poſſeſſionaria impignorare, aut perpetuò vendere. Per hocque emptores non ſolùm portionem illius vendentis, vel impignorantis, verum etiam cæterorum fratrum ejuſdem, quorum ut puta illa gravamina in ſe accepit, portiones poſſeſſionarias conſueverunt pro ſe vendicare. Unde ſciendum eſt, quòd ſi aliquando talis venditio, aut poſſeſſionaria alienatio, ſimplici modo per quempiam committeretur; tunc portiones cæterorum fratrum, ſine omni prorſus ſolutione actoribus in primis octavis reddi, & reſtitui debent. Portio autem fratris venditoris æſtimabitur, & valor duntaxat communis æſtimationis ipſius portionis, emptori recompenſabitur. Sic etiam illa portio fratris venditoris actuti poſſidenda dabitur, oneris vel gravaminis præaſſumpti revocatione, ſeu depoſitione prorſus ſine omni pro re ſiduitate autem, & ſuperfluitate pecuniarum ſummæ in litteris Faſſionalibus denotatæ, reliqua bona, & jura poſſeſſionaria fratris ipſius vendentis, quæ ad recompenſam ejuſdem ſummæ ſe extendere, ſoffìcereque videbuntur, mox & ulteriori proceſſu juridico non expectatu, per judicem æſtimari: & manibus emptoris, ſub conditionibus in literis ejuſcemodi Faſſionalibus declaratis, dari debent poſſidenda. Si autem alia bona præter vendita non habuerit, & rebus quoque mobilibus ad portionem ſuam cedentibus adeò deſtitutus fuerit, ut ſumma prænorata ex illis inſtaurari, & recuperari non poſſit: tunc emptor ipſe damnum hujuſmodi ſuperfluitatis, neceſſariò tolerare cogitur, & hoc in caſu (ut præfertur) ſimplici ſuperius declarato. Nam in caſu rationabili etiam oneris retractatio (modo antelato) ſubſequi, & de illa ſuperfluitas prænarrata pecuniæ (in quantum poterit) emptori refundi debebit. Et hoc idem eſt intelligendum etiam de patre, qui jura ſua, & filiorum ſuorum avita in præjudicium, & ſine conſenſu ipſorum filiorum ſuorum, perperam, & irrationabiliter alienabit, vel venditioni, aut impignorationi exponere curabit: quòd ſcilicet Faſſio ſua in caſu ſimplici præallegato, ſimpliciter invalidari, & portio filiorum ſine omni prorſus ſolutione: portio verò patris, communi æſtimatione mediante eiſdem filiis reddi, & inſtaurari debebit.

Cap. XXII.

De Locatione & Conductione.

Summaria.

1. *Locatio conductio quid, & quotuplex.* & 3.
2. *An ſcripturam requirat, & quid moribus.*
4. *An recte alia dicatur ad certum tempus, alia in perpetuum inita.* Neg.
5. *In longum tempus, puta decem, viginti, aut plurium annorum contracta, an & quomodo ſubſiſtat.*
6. *Si nullum tempus fuerit expreſſum quamdiu duret.*
7. *Quis proprie ſit locator, quis conductor ad Interpret.* l. 2. ff. ad leg. Rhod. de Jact. *Ubi* Cujacius *&* Vinn. *reprehenſi.*
8. *Qui locare, & quæ locari aut conduci poßint.*
9. *An & quando quis iterum alteri relocare quod conduxerat poteſt.*
10. *Quid præſtare debeat ædium, aut fundi locator.*
11. *Quid operarum locatores & famuli.*
12. *Leges navales inter mercatores & nautas.*
13. *Quid conductor præſtare teneatur.*
14. *Tributorum impoſitio cui incumbat, locatori an conductori.*
15. *Quando finiatur locatio, & de tacita continuatione.*
16. *An & quando intra locationis tempus finitum, à locatione, aut conductione recedere liceat.*
17. *Remißio penſionum conductori quando concedenda.*
18. *An morte alterutrius finiatur, & an ſucceſſor locationi aut conductioni à prædeceſſore ſuo factæ ſtare teneatur.*
19. *Quid de ſucceſſore ſingulari, veluti emptore, aliove,* in Germania, Friſia, Gallia, Hollandia.

IIſdem fere regulis conſtat locatio conductio, quibus emptio venditio, *pr. Inſtit. & l. 2. ff. De locat. conduct. l. 19. 20. ff. De act. empti.* eſtque contractus quo uſus rei vel opera pro certa
1 mercede conceditur. *l. 1. 2. & tot. tit. ff. & Cod. locat. conduct.* quæ à parte concedentis locatio, à parte accipientis conductio eſt. *Inſt. III. XXV D. XIX. II. Cod IV. LXV. De locatione Conductione.*

Alia eſt quæ ſine ſcriptura perficitur, ſimulatque certa merces conſtituta ſit, *pr. Inſtit. locat.*
2 *conduct.* Alia quæ in ſcriptis celebratur, ſi nempe conſtat, eam eſſe contrahentium voluntatem, ut non prius perfecta ſit, quam ſcripturæ inſtrumento intercedente, quum alias ſcriptura nunquam ſit de eſſentia ipſius contractus, qui conſenſu initur. *l. 17. Cod. de fid. Inſtrumentor.* Quod moribus noſtris quidem procedit, nec mutatum in prædiorum urbanorum locationibus; ſed pro prædiorum ruſticorum locatione ſcriptura de neceſſitate requiri cœpit, ex Caroli V. Placito, Anno 1515. cui titulus **Jegens Huyzluyden ende Pachters** / & Politic. Holland. Ordin. *art.* 30. 31. 33. Vide Grot. *Introd. lib. 3. cap. 19. verſ.* **maer huyz van Landen.** Groeneweg. *De legib. abrogat. ad l. 24. Cod. locat.* Quod & Ultrajecti, etiam in prædiorum Urbanorum locatione obtinet, ubi nec ædificiorum conductiones teſtibus probari queunt. Statut. Ultraject. Rubric. 7. *art. ult.*

3 Alia iterum eſt uſus rei, quæ alio nomine utendi fruendi dicitur, alia operæ, ſive faciendi, *l. 2. §. 1. in fin. l. 13. §. 1. l. 19. §. 7. ff. locat. l. 22. §. 2. l. 51. §. 1. ff. eod. l. 2. in pr. & l. ult. ff. ad leg. Rhod. de Jact. pr. Inſtit. De locat.*

4 Denique alia pura eſt, alia in diem, alia ſub conditione. *l. 20. ff. locat.* Cæterum quod à quibuſdam alia dicatur quæ ad certum tempus, alia quæ in perpetuum initur, proprie ad locationem non pertinet, ſed in alium contractum tranſit: Emphyteuſin nimirum: & magis ſpectat domini quandam affectationem, & dominium utile vocatur, eaſdemque apud nos ſolennitates requirit, quæ in dominii tranſlatione adhibiri debent. De quo contractus ſive Juris genere ſupra *lib. 2. cap. 16.* ex profeſſo egimus. locatio enim & conductio non niſi ad tempus iniri poſſunt *l. 13. §. fin. ff. locat.* quod tamen ad longiſſimum tempus extendi, & in ipſius conductoris arbitrio poni poteſt, ut conductor maneat quouſque voluerit, qualis locatio ad vitam ejus extendi quidem, morte tamen extingui intelligendum eſt. *l. 4. ff. locati.*

5 Ne tamen in fraudem alienationum, pro longiſſimo tempore fundi aut prædia locentur, ut ſi locationes longum tempus, puta decem aut plurium annorum excedant, eandem ſolennitatem, quæ in alienatione, cujus naturam induit, requiri, nec ſubſiſtere volunt eas locationes quatenus longum tempus excedunt, niſi coram magiſtratu rei ſitæ fuerint celebratæ Vide DD. *ad l. 1,*

& l. ult. ff. Si ager vectigal. Mantic. *De tacit. & ambig. convent. lib. 5. tit. 4. num. 5. 6.* Gothofred. *ad Conſuetud. Aurelianenſ.* tit. 17. *cap.* 12. *in fin.* Sande *de prohibit. rer. alienat. part. 1. cap. 1. num. 45. & num. 47.* Chriſtin. *volum. 1. deciſ. 130. num. 11. 12. 13. & deciſ. 185. num. 6. 7.* Papon. *lib. 1. tit. 13. art. 4.* Covarruv. *Var. reſolut. lib. 2. cap. 16. num. 1.* Sed quum alienationum ſolennitates propter diſſimiles cauſas apud nos varie ſint mutatæ, & adauctæ, vix eſt ut ad mores extendi poſſit, neque uſu obtinet: quamvis ſemel ita judicatum referat Groeneweg. ad Grot. *Introd. lib. 3. cap. 19. num.* 21. Quod meo tempore ab eodem Senatu contra judicatum memini.

Si nullum tempus fuerit expreſſum, locatio prædii Ruſtici in annum facta cenſebitur, Urbani 6
tam diu durat, quamdiu de contrahentium conſenſu conſtat: ſingulis enim momentis indicari poteſt, ut quis migret, poteſtque inquilinus ſingulis momentis migrare. Ratio differentiæ eſt *in l. 13. §. ult. & l. 14. ff. locat.* Ita tamen ne intempeſtive inquilinus expellatur, ſed tantum temporis intercedat, quo interim ſibi de alia habitatione commode proſpicere poſſit. *arg. l. 17. §. 3. l. 18. §. 2. commodat.* prout pleriſque locorum ſtatutis conſtitutum eſt: Ut in ædificiis urbanis nec dominus ædium conductorem expellere, nec conductor demigrare poſſit, niſi trimeſtris aut ſimilis denunciatio vulgarem & communem demigrandi terminum præceſſerit, quod niſi fiat, locatio pro altero termino continuata cenſetur: prout ubique fere apud nos eſt receptum. Vide Conſuetudin. Antverp. *tit. 59. art.* 12. Ultraject. *Rubric. 25. art. 7.* Statuta Leydenſ. *art. 132. & ſeqq.* Joan. à Sande *lib. 3. tit. 6. defin. 1.*

In locatione conductione locator eſt is (ſi de uſu rei quæratur) qui præſtat uſum, qui mercedem pro uſu, dicitur conductor. In locatione & conductione operæ, diſtinguitur inter opus, & operam, qui eſt locator reſpectu operis, eſt conductor reſpectu operæ, qui eſt conductor reſpectu operis, eſt locator reſpectu operæ, quo modo conciliantur omnes textus, qui varié de ea re videntur loqui. Vid. *l. 11. §. 3. ff. locat. junct. §. 1. 2. l. 19. §. 7. l. 51. §. 1. ff. eod.* Nec ſolum in faciendo, de quo *l. 22. §. 2. l. 36. l. 51. §. 1. ff. locat. l. 27. in fin. ff. ad leg. Aquil.* ſed & in vehendo idem uſu venit. Quo ſenſu intelligenda eſt *l. 2. ff. ad leg. Rhod. de jactu in verb. Si non totam navem conduxerit, ex conducto aget.* Quæ ita emendat Cujac. *conduxerint, ex conducto agent.* Ut eo modo contra vectores conſocios, actio ſit. Sed male; conductio enim hic pro locatione eſt, & Magiſter navis unus idemque pro diverſo reſpectu & locator, & conductor eſt. *totam navem conduxerit*, id eſt, omnes merces quæ in navi ſunt vehendas conduxerit, ad quas operam ſuam locaverat. Quo facit etiam *l. 1. ff. de præſcript. verb. junct. l. 19. 20. ff. De act. empt.* Ex quibus eodem modo interpretatur Petr. Pecc. *De re nautic. l. 5. ff. de exercitor. act. in verb. ex locato ages, quod operas ſervi mei conduxeris.* Neque ad locationes conductiones pertinet quod Arnold. Vinn. *ad d. locum.* Peccii, contra argumentari nititur: Veteres emptionis venditionis verbis non uſos eſſe una pro altera, ſed una pro utraque, vel emptionis, vel venditionis, ad indicandum totum contractum. Quod demus illi licet, in emptione venditione rem ſeſe ita habere, non ideo minus in locatione conductione quod diximus obtinet, cujus in eo manifeſta differentia eſt.

Locare & conducere poſſunt omnes qui contrahere & efficaciter obligari. *arg. l. 43. §. 1. ff.* 8
De procurat. Locari conduci poſſunt res omnes quæ in commercio ſunt, *arg. l. 34. §. 1. ff. De act. empt. l. 5. ff. De Verb. obligat.* ſive corporales, ſive incorporales: Ut uſusfructus. *§. 1. Inſtit. de Uſu & habitat. l. 12. §. 2. ff. De Uſufruct.* etiam facta, quæ modo mercede æſtimari poſſunt & ſolent, ut ſunt, tabulam pingere. *l. 5. §. 2. De præſcript. verb.* onus vehere *l. 13. §. 1. ff. locat.* & ſimilia.

Imo & alienæ res locari poſſunt, ab eo qui modo rei poſſeſſionem aut detentionem habet, quo caſu ſi rei dominus conductorem turbet, aut re conducta uti prohibeat, locator conductori ad id quod intereſt tenebitur. *l. 7. l. 9. l. 15. §. 8. ff. locat.* Ex quo fundamento is qui rem conduxit, eam 9
iterum alteri totam vel pro parte relocare poteſt, *l. 6. Cod. locat. l. 48. ff. eod. l. 9. §. ult. ff. eod.* modo æque apte utenti. *arg. l. 31. ff. De ſolut.* Ut recte notat Gloſſ. & Bart. *ad d. l. 6. Cod. locat.* niſi lex contractus *l. 13. Cod. de pact.* vel probabilis contrahentium intentio refragetur, quum bonæ fidei negotium ſit. *§. 28. Inſtit. de actionib.* Ita quum in faciendi, ſive operæ locatione induſtria perſonæ electa ſit, ea ipſa alteri relocari non poteſt. *l. 31. ff. de Solut.* Et quum in ædificiis urbanis plurimum differat qui, & quomodo ædibus conductis utantur locatores, pleriſque apud nos municipali jure cautum eſt, ut ne conductori liceat irrequiſito domino ædes conductas alteri relocare, quin ipſe dominus retractus jure ſi velit uti, ædeſque locatas iterum ad ſe recipere poſſit. Ita cautum Jure Municipali civitatis Amſtelodamenſis, *cap. 51.* Ultrajectenſis, *Rubric. 25. art. 10.*

art. 10. Medioburgenſis, *tit.* **Van Huyzinge** / *art.* 5. Quod idem fere Roterodami & Goudæ conſuetudine eſt receptum. Vide Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 8. *art.* 19. *num.* 2. Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 19. *verſ.* **Een Huyzder.**

10 Qui fundum vel ædes ſuas locavit, præſtare debet ut iis commode conductor uti poſſit, *l.* 9. *l.* 15. *§.* 1. *&* 2. *in fin. ff. locat.* ædes ſartas tectaſque tradere, vulgo, **glas en dack-dicht opleveren** / oſtia, feneſtras, tectaſque, aliaque neceſſaria reficere, *l.* 25. *§.* 2. *ff. locat.* exceptis iis, quæ ipſe conductor ſua aut ſuorum culpa corrupit, *l.* 29. *Cod. eod.* Et porro quicquid contractus lege expreſſum. *arg. d. l.* 15. *§.* 1. *l.* 19. *§.* 3. *ff. locat. l.* 15. *& l.* 19. *Cod. eod.* vel ipſi negotio facite ineſt. *l.* 24. *§.* 4. *in fin. ff. eod.*

11 Operarum autem ſuarum locator fideliter eas præſtare debet. Quare famuli qui ante tempus, ad quod ſuas operas locaverant, à dominis ſuis aufugiunt, mercede addicta carere, damnumque ex fuga datum reſarcire debent. *arg. l.* 58. *ff. l.* 13. *l.* 17. *Cod. locat.* Treutl. *vol.* 1. *Diſput.* 29. *theſ.* 1. *litt.* G. Menoch. *de Arbitr. Jud. caſ.* 364. Dan. Moller. *l.* 2. *ſemeſtr. cap.* 17. Niſi juſtam habuerit cauſam, ſævitiam nempe dominorum. *arg. §. ult. Inſtit. De his qui ſui vel alien. jur.* Hinc apud nos plerumque Jure Municipali cautum, ne domini ultra modum in eorum famulos ſæviant, eoſve durius habeant, ſub pœna, ut ſi ob juſtam cauſam aufugerint, integra illis merces debeatur, *arg. l.* 24. *§.* 2. *l.* 38. *l.* 55. *§. fin. ff. locat.* rurſum ſi famuli famulæve aufugerint, operaſve ſuas ſine juſta cauſa dereliquerint, ſub pœna amiſſionis mercedis debitæ, ulteriorisque correctionis arbitrio judicis commiſſæ, utque inſuper nemini eos caſve in ſuum miniſterium coadoptare ſit permiſſum. Quo pertinent *Placit. Holland. Ordin.* 2. *Septemb.* 1597. *&* 8. *Maji* 1608. Vide etiam *Statut.* & Conſuetud. *Amſtelod. cap.* 51. *art.* 24. *& ſeqq.* **Willekeuren van Amſterdam** / *pag.* 243. *&* 247. *Statut.* Civitat. *Leydenſ. art.* 137.

12 De legibus Navalibus inter mercatores, nautas, eorundemque miniſtros, ſequimur fere *leges Navales Wiſbuyenſes Ordinat. vet. Naval. Karoli V.* 15. *Julii* 1551. *& Philippi Hiſpan. Regis Ultimi Octob.* 1563. Quibus adde *Hollandiæ Ordin. placit.* 27. *April.* 1582. 12. *April.* 1588. 2. *April.* 1605. *&* 15. *Feb.* 1619. Quorum præcipua capita collegit Hugo Grot. *Introduct. lib.* 3. *cap.* 20. Vid. etiam Anſelmi *Cod. Belg. in verb.* **Schippers.** *& in verb.* **Zee-regten.**

13 Conductor iterum à ſua parte, primo mercedem debitam, ſuo loco, & tempore ſolvere, *l.* 2. *ff. locat. l.* 16. *Cod. eod.* & omnia ſecundum conductionis legem, & præterea quæ ex bono & æquo præſtari oportet, curare tenetur. *l.* 24. *§. pen. ff. locat. l.* 11. *§.* 2. *ff. eod.* Ut ſunt: quod Colonus opera ruſtica ſuo tempore faciat, ne intempeſtiva cultura fundum deteriorem faciat, *l.* 25. *§.* 3. *ff. locat.* ſi nihil expreſſe cautum eodem modo colat, quo ab aliis antea coli conſuevit, ne ultimi anni defrugatione ſterilior reddatur, quomodo nec ex paſcuis fænum deſecare, aut aratro ſolum vertere, frumentoque conſerere ultra ſolitum, conductori eſt permiſſum, vulgo **hooyen / ploegen / teelen of insteecken** / per ea quæ tradit Bart. *ad l. & hac diſtinctio.* 35 *§.* 1. *num.* 3. *ff. locat.* & Caſtrenſ. *ibid. num.* 4. *arg. l.* 13. *§.* 4. 8. *& l.* 27. *§.* 1. *ff. de Uſufruct.* Cardin. Tuſc. *Practicab. concluſ.* 623. *num.* 3. *cum ſeq. littera* C. Bertachin. *repertor. in verb. Colonis.*

Præterea eam curam atque diligentiam circa rem quam conduxit adhibere debet, quam boni & providi patresfamilias propriis ſuis rebus adhibere ſolent, adeoque præſtare tenetur id, quod ipſius dolo, lata vel levi culpa, res vel amiſſa, vel deterior facta eſt. *l.* 9. *§. pen. l.* 11. *§.* 2. *l.* 25. *§.* 4. *& §. pen. ff. locat.* Culpam leviſſimam, aut caſum fortuitum non præſtat, *l.* 5. *§.* 2. *ff. commodati. l.* 23. *ff. De Reg. Jur. junct. l.* 28. *Cod. locati. l.* 25. *§.* 6. *l.* 59. *ff. eod.* Niſi ita convenerit, *l.* 7. *§.* 5. *ff. De pact. & l.* 13. *Cod. eod. l.* 55. *in pr. ff. eod.* aut opus conduxerit, quod exactiſſimam diligentiam requirit, *l.* 25. *§.* 7. *& l.* 13. *§.* 5. *ff. locat.* Vel mora, aut culpa ejus caſui cauſam dederit. *l.* 11. *§.* 1. *& §. ult. ff. locat.* Vide Grot. *Introduct. lib.* 3. *cap.* 19. *verſ.* **den Verhuyzder.**

14 Tributa vero aliave onera impoſitiva, licet à poſſeſſore colligantur, à locatore tamen repetit conductor: quia realia ſunt, nec perſonis, ſed prædiis cohærent, *l.* 7. *ff. De publican.* Niſi aliter convenerit, ut communiter apud nos fieri ſolet, aut tributa aliqua ſeu vectigalia ipſis fructibus ſpecialiter fuerint impoſita. *arg. cap.* 26. *in verbis, Sicut Colonus, extr. De decimis.* Vide Pinell. *ad l.* 1. *Cod. De bonis matern. part.* 2. *num.* 72. Alvar. Valaſc. *queſt.* 17. *num.* 27. Garſias *de Expenſis & meliorat. cap.* 14. *num.* 18. Tuſch. *volum.* 2. *practicab. concluſ.* 617. *litt.* C. Charond. *Pandectis du droict. lib.* 2. *cap.* 32. Tempore locationis finito, finitur etiam locatio condu-
15 ctio, niſi dominus prædii conductorem diutius in fundo permanere patiatur, quo caſu ipſa locatio tacite continuata cenſetur. *l.* 13. *§. fin. ff. & l.* 14. *ff. locat. l.* 16. *Cod. eod.*

Sed an hæc continuatio ſicut pro præterito, ita & pro futuro tempore facta cenſeatur? Quidam per-

perverſe diſtinguunt, quaſi in prædiis Ruſticis tantum pro anno, in urbanis autem prædiis pro omni tempore quo primo locatio facta erat, continuata cenſeatur. Ita cenſet Grot. *Introd. lib. 3. cap. 19. verſ.* overkominge / *in fin.* proque eo adducunt text. *in l. 13. §. ult. in fin. ff. locat.* Quod tamen ex eodem textu commode deduci non poteſt. Sed è contra potius, quum JC. *in pr. ejuſdem §.* in genere dixiſſet: quod qui impleto tempore conductionis remanſerit in conductione, reconduxiſſe videatur; nec aliquod tempus adjeciſſet, *verſ. ſeq.* latius explicat, pro quo tempore illud ſit intelligendum, quumque in prædiis ruſticis, propter fructuum pro cultura compenſatoriam perceptionem, pro integro anno locationem eo ipſo continuari dixiſſet, mox addit: reſtrictionem in prædiis urbanis, his verbis: *In Urbanis autem prædiis alio jure utimur, ut prout quiſque habitaverit, ita obligetur, &c.* Quæ verba manifeſtam reſtrictionem præteriti temporis important, nec ad integrum finitæ locationis tempus pro futuris applicari poſſunt. Ut eſt Bart. & DD. comm. opinio, qui in id tantum tempus in quo finita priori locatione conductor habitavit, pro rata mercedis relocationem factam volunt. Prout etiam moribus noſtris eſt receptum, quibus non tantum in prædiis Urbanis pleriſque locorum ſtatutis ita cautum eſt, Statut. Antverp. *tit.* 59. *art.* 12. Ultraject. *Rubr.* 25. *art.* 7. Leydenſ. *art.* 132. Prout etiam in Gallia obſervari tradit Mornac. *ad d. l. 13. §. ult.* atque in Mechlinia Chriſtin. *ad leg. Mechlin. volum. 3. deciſ.* 116. & à Friſiæ Curia judicatum refert Joann. à Sande *lib. 3. tit. 6. defin. 1.* Sed & in prædiis ruſticis, ex eo quod ſcriptura apud nos de neceſſitate requiratur, nunquam ex tacito conſenſu fundi relocatio facta cenſeri poſſit. Vide Menoch. *lib 3. præſumpt. cap.* 85. *num.* 28. Ita tamen ut neutro caſu colonus aut inquilinus qui voluntate domini in re locata permanſit, cum damno aut intempeſtive expellatur, ſed aut colono damnum reſarciatur, aut inquilino tantum detur ſpatium, quo interim ſibi de alia domo proſpicere poſſit. *arg. l. 18. §. 2. ff. commod.* Prout etiam expreſſis migrationum terminis limitantur ſtatuta ſupra allegata.

Extra quam tacitam locati continuationem poſt tempus locationis finitum, conductores ſeu heredes eorum inviti in conductione detineri non poſſunt. *l. 11. Cod. locat.* Iterumque nec locator priſtinum ſuum conductorem novo præferre cogitur, ſed cuicunque voluerit poſt locationis tempus expletum rem ſuam locare poteſt. *l. 32. Cod. locat. arg. l. 21. Cod. mandat.* Sande *Deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 6. defin.* 2. Exceptio eſt in fundorum publicorum conductoribus, qui ſi eadem augmenta, quæ à novis conductoribus offeruntur, præſtare velint, ex æquitate præferuntur. *l. 4. l. 5. Cod. de locat. præd. civil.* Quod ad mores noſtros non uſque adeo pertinet, quibus fundi publici, ut ſunt univerſitatis & collegiorum, nullo prorſus reſpectu veteris Coloni habito, ut plurimum publice pluris licitanti addici ſolent, atque adeo ſtricte hæc regula obſervatur, ut veteres conductores novo conductori, prætextu retractus, aut meliorationum, na-huyr / ofte verbeteringe / controverſiam aut moleſtiam aliquam inferentes, non tantum pœnæ temere litigantium ſubjaceant, ſed in eos qui vim aut minas novo conductori inferre, aut in aliquo fundorum culturam directe aut indirecte impedire, auſi fuerint, corporali pœna arbitrio judicis imponenda, quam ſeveriſſime fuerit animadverſum. *Placit. Carol. V.* 15. *Januar.* 1515. *Politic. Holland. Ordin. Anni* 1580. *art.* 31. *& ſeqq.* renovatum, variiſque articulis auctum.

Ante tempus autem nunquam finitur. Unde Regula: quod locatione perfecta, conductor conductioni initæ ſtare debeat, nec migrare poſſit, aut ſi migret, ad integram nihilominus promiſſæ penſionis ſolutionem obligatus maneat. *l. 24. §. 2. l. 55. §. 2. l. 27. §. 1. ff. locat.* Iterumque, nec locator conductorem conſtringere poſſit, ut migret ante conductionis tempus abſolutum, *arg. l. 5. Cod. De Oblig. & act. & l. 3. Cod. locat.* Sunt tamen aliqui caſus, quibus, & 16
conductor à conductione recedere, & locator conductorem ut migret ante conductionis tempus abſolutum, conſtringere poteſt.

Ita primo locator invito conductore, ante finitum conductionis tempus à contractu recedere poteſt, ſi ex ſuperveniente neceſſitate ædes reficiendas aut propriis uſibus neceſſarias eſſe probaverit. *l. 3. Cod. locat. l. 3. §. 3. ff. Uti poſſidetis. & ibi.* DD. Si modo tempeſtive inquilinum admoneat, ut interim de alia domo ſibi proſpicere poſſit. *arg. l. 17. §. 3. ff. commodat.* Nec propria auctoritate uſus rei eo caſu conductori à locatore auferri poteſt, ſed publica judicis auctoritas ex prævia cauſæ cognitione intercedere debet, ne tumultui detur occaſio, ſi locatori jus ſuum ſine judice exequi concedatur. *l. 176. ff. de Reg. Jur. l. 3. ff. de Pignor. l. 13. ff. Quod. met. cauſ.* Bronchorſt. *centur. 1. aſſert.* 82. Fachin. *lib. 1. controv. cap.* 95. Rebuff. *ad conſtit. Reg. De litter. oblig. art. 4. gloſſ. 2. n. 7.* Mornac. Autumn. & Groenew. *ad d. l. 3. Cod. locat.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 8. art. 8. n. 7.* Neque ſufficit eam neceſſitatem allegari à locatore, ſed probari legitime debet, ſic ut ſi ante finitum conductionis tempus conductorem expellere velit, eo prætextu,

textu, ut ipſe domo ſua egeat ad habitandum, illudque juramento confirmare velit, abſque aliis adminiculis audiendus non ſit. *arg. l. 17. ff. de Judic. & tot. tit. Ne quis in ſua cauſ.* Ut notat. Barboſ *ad d. l. 3. Cod. locat. num. 15.* Jacob. Cancer. *variar. reſolut. tom. 1. cap. 14. num. 8.* Atque ita judicatum probant Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 42. defin. 51.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 37. defin. 6.* Ubi hæc eadem non ſolum in domo, ſed etiam in fundo aliave re locata obtinere ſentit contra Sichard. & alios communiter, qui diſpoſitionem *d. leg. 3. Cod. locat.* ad prædia urbana reſtringi volunt: quorum tamen ſententiam propter nimiam rationis diſparitatem, pace tanti viri ſummique practici, ſequi malim.

II. Si inquilinus male in ædibus verſetur, *d. l. 3. Cod. locat.* veluti ſi grave & quod non facile reparari poteſt damnum ædibus inferat, *arg. l. 7. §. 12. ff. ſolut. matrimon. l. 45. §. 13. ff. De jure fiſci*, aut lupanar in ædibus exercuerit, quo Imperatorem reſpexiſſe *in d. l. 3. Cod. locat.* ex Inſcriptione Calimorphoniæ, in verb. *male verſata*, notat Sichard. *eod. num. 10.*

III. Si is qui ad quinquennium aut complures annos, ut plurimum in prædiis ruſticis fieri ſolet, prædium ea lege locavit, ut ſingulis annis ſolvatur merces conſtituta, adverſus conductorem, ut conductionis jure cadat, & ædibus expellatur, actionem habet. *d. l. 3. Cod. locat. junct. l. 56. & l. 54. §. 1. ff. eod. l. 10. §. 1. ff. de Publican. & Vectigal.*

17 Conductor vero juſtam reſiliendi & emigrandi aut remiſſionis à penſione cauſam habet: Si inopinatum aliquod damnum obvenerit. *l. 27. §. 1. ff. locat. l. 13. §. 6. l. 33. ff. de damno. infecto.* Ut ſunt impetus hoſtium & vis fluminum *l. 15. §. 1. & 2. l. 25. §. 6. ff. locat.* fructuum ſterilitas tanta, quam nullius anni fertilitas compenſare potuit. *l. 8. Cod. locat. l. 15. §. 4. ff. eod. cap. propter. ſterilitatem. extr. eod.* Quod magis obtinet in prædio ruſtico: in urbano autem prædio conductor juſtam emigrandi cauſam habet, ſi domus ruinam minetur. *l. 27. §. ult. ff. locat. l. 28. ff. de damno infecto. arg. l. 19. §. 1. ff. locat.* Gomez. *var. reſolut. lib. 2. cap. 3. num. 10.*

Et plures ſunt exceptiones, ſive limitationes, quibus à locatione, & conductione recedere contrahentibus liceat, quæ ut brevis ſim, judicis arbitrio & diſcretioni committuntur. *arg. l. 38. ff. de Rei vindicat. l. 13. §. 1. ff. de annuis legat. l. 14. in pr. ff. de diverſ. & tempor. præſcript.* A conductione & locatione recedi poſſe etiam intra annum videtur innuere *l. antepen. quibuſd. pen. Cod. locati.* Sed quæ aliena eſt, neque loci iſti convenit.

18 Morte alterutrius non finitur locationis, aut conductionis contractus, ſed in heredes tam locatoris, quam conductoris ad tempus conventum tranſit, *l. 60. §. 2. l. 19. §. 8. ff. locat. §. ult. Inſtit. l. 10. l. 29. l. 34. Cod. eod.* Quod ubique eſt receptum. Vide Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 41. defin. 36. num. 1.* idem de Saxoniæ moribus affirmant Georg. Schultz. *ad tit. Inſt. locat. conduct. litt. B.* Carpzov. *defin Forenſ. part. 2. conſtit. 37. defin. 1.* Præterquam in facto quod perſonæ induſtriam reſpicit, nec per alium præſtari æque commode poteſt, ideoque ipſi perſonæ adhæret. *arg. l. 13. Cod. de contrah. ſtipul.*

Item in bonis Uſufructuariis fideicommiſſo & reſtitutioni ſubjectis, in quibus locator plenum dominium non habet, ejuſdem jure per mortem ejus ceſſante, etiam ceſſat ipſa locatio conductio. *l. 12. & l. 35. §. 1. ff. de Uſufr. junct. l. 9. §. 1. ff. locat.* Item in præbendis, & beneficialibus vicariatui ſubjectis, in quibus ſi poſſeſſor, qui ejuſmodi beneficii fundos aliquos eo ſpectantes per aliquot annos locaverit, interim moriatur, ipſa locatio conductio ceſſat, jure enim locantis reſoluto, jus conducentis quoque reſolvitur. *l. 6. §. 1. ff. locat. l. 31. ff. de pignorib.* quum nemo plus juris in alium transferre poſſit, quam ipſe habet. *arg. d. l. 9. §. 1 ff locat. & ibi Gloſſ & Coſtal. l. 54. ff. de Reg. jur.* Atque ita ab Hollandiæ Curia deciſum, **In der ſaake van Andries Jasperſz. Deſanevelt** / contra **Claes Janſz. van Terhoode.** *22. Julii.* 1611. Vide Card. Tuſc. *vol. 5. pract. concluſ. 418. num. 32. & ſeq. litt. L.* & noviſſime Conſuetud. Antverp. *tit. 48. art. 7.*

19 Hæc quidem de heredibus & ſucceſſoribus univerſalibus, qui prædeceſſorum ſuorum factum præſtare, & contractui per defunctum inito ſtare tenentur, quum in eos & activæ & paſſivæ actiones tranſeant, *l. 1. l. 3. ff. De bonor. poſſ. l. ult. Cod. de heredit. act. §. 1. Inſtit. de perpet. & temporal. act.* Sed in ſucceſſore ſingulari res aliter ſe habet, puta in emptore aliove, qui locationi à venditore factæ, ſtare non tenetur. *l. 9. Cod. locat. l. 25. §. 1. ff. eod.* eumque expellere poteſt, niſi aliter fuerit conventum; quia pleno effectu rei dominus factus eſt, nec conductor ullum jus in ea habet, ultra quod ab emptore expulſus, ad id quod ſua intereſt agere poteſt, adverſus venditorem locatorem ſuum. *l. 24. §. 4. d. l. 25. §. 1. l. 30. l. 33. ff. locat.* Quod tamen hanc limitationem recipit, ut non procedat, ſi conductor in re conducta ſibi de hypotheca proſpexerit, quo caſu is emptori potior eſt. Sub qua limitatione hanc regulam receptam teſtantur.

In Germania, Georg. Schultz. *ad tit. Inſtit. locat. conduct. in fin.* Matth. Coler. *part.* 1. *deciſ.* 8. *num.* 18. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 37. *defin.* 4. 5. In Friſia Johan. à Sande *lib.* 3. *tit.* 6. *defin.* 1. *& defin.* 7. In Gallia. Imbert. *Enchirid. Jur. Galliæ. verb. locationi authoris, pag. mihi* 227. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 41. *defin.* 9. Sed Hollandiæ & pleriſque Belgii moribus emptor locationi antea factæ omnino ſtare tenetur, exceptis quibuſdam venditionibus neceſſariis, & ſub haſta publica factis; in quibus ſolum jus ſcriptum obtinere volunt: in cæteris generale axioma eſt, **Huyr gaat voor koop.** Quod etiam Juris ſcripti remedio gaudet. *arg.* quod Jure Romano conductoribus competat interdictum de vi, & vi armata. *l.* 1. *ff. de vi & vi armata. l.* 16. *ff. eod.* non actione locati, ſed ex interdicto. Vid Grot. *Introduct. lib.* 3. *part.* 19. *in fin.* Neoſtad. *Supr. Holland. Curia deciſ.* 30. Statut. Antverp. *tit.* 59. *art.* 1. Mechlin. *tit.* 8. *art.* 1. *& ibid.* Chriſtin. Gudelin. *de Jure Noviſſimo, lib.* 3. *cap.* 7. *verſ. finitimis. Statut. Noviſſ. Leydenſ. art.* 122. **Willekeuren van Amſterdam** / *pag.* 230.

CAP. XXIII.

De Societate, & Bonorum Communione.

SUMMARIA.

1. *Societas quid & quotuplex.* & 3.
2. *Omnium bonorum, præſentium aut futurorum etiam, quæ, quid contineat, & quando contracta intelligatur.*
3. *Communio bonorum an & quomodo differat à ſocietate.*
4. *Quæ ſit conſuetudinaria in* Anglia.
5. *In* Belgio *inter conjuges:* & num. 8.
6. *An domicilii mutatione ſolvatur.*
7. *Quid in diverſis contboralium domiciliis, quorum unum dictam communionem admittit, alterum non?*
8. *Quæ ſit conjugalis bonorum communio in* Hollandia, *Diœceſi* Ultraject. Tranſiſulania, Zutphaniæ *Ducatu*, *& per totam* Gelriam. *In* Flandria, Luſitania, Arragonia.
9. *In* Sleſvicenſi *Ducatu*, *in terris* Saxoniæ, *&* Bavariæ.
10. Panhormitana *conſuetudo.*
11. *An etiam ad feuda pertineat conjugalis bonorum communio.* Neg.
12. *An ad fundum retractu acquiſitum.*
13. *Quæ ſit conjugalis bonorum communio in* Hiſpania, *&* Cathalonia.
14. *In* Gallia.
15. *In* Brabantia, *&* Flandria.
16. *Statut.* Bruxellenſ. Mechlinienſ. Gandavenſ. Audenaerdenſ.
17. *Conſuetud.* Namurcenſ. Lovanienſ. *&* Leodienſ.
18. *Statut. & Conſuetud.* Friſiæ, *& agri* Groeningani.
19. *An conſuetudinaria bonorum inter conjuges communio etiam obtineat in ſecundis nuptiis in caſu exiſtentium liberorum ex anteriori matrimonio.*
20. *Quid de ære alieno ſive ſtante matrimonio, ſive ante matrimonium ab alterutro contractu, circa communionem juris, & quatenus teneantur conjuges.*
21. *Quid de ære alieno ante matrimonium contracto, matrimonio jam iterum diſſoluto & an adhuc ſuperſtes pro dimidio teneatur in* Gelria, Francia, *&* Hollandia. Affirm. *contra communes.*
22. *Quomodo & in quibus communio bonorum à conventionali ſocietate differat.* & num. 24.
23. *An ſub damni & lucri communione etiam hereditates, legata, aliaque aliunde obvenientia comprehendantur. Ubi de* Galliæ, Friſiæ, *&* Saxoniæ *conſuetudinum interpretatione.*
25. *De continuatione communionis conjugalis poſt alterutrius mortem inter ſuperſtitem & liberos, quid juris, & conſuetudinis.*
26. *An ad ſecundas deinde ſuperſtitis nuptias tranſeat.*
27. *Qui ſocietatem inire poſſint, & de quibus.*
29. *Dotis conſtitutio, an commune ſocietatis onus ad patrem promittentem pertineat.*
30. *Quæ veniant in ſocietatem omnium bonorum ſimpliciter contractam, an etiam futura?* Neg. *& quæ ſint partes lucri & damni.*
31. *Quibus modis finiatur ſocietas.*
32. *Quænam ex ſocietate competat actio.*

Inſt. III. XXVI. Digeſt. XVII. II. Cod. IV. XXXVII. Pro Socio.

SOcietas eſt contractus, quo inter aliquos res aut operæ, ad uberiorem quæſtum communicantur. *l.* 1. *& tot. tit. ff. pro Socio.*

Alia eſt univerſorum bonorum, alia certæ alicujus negotiationis, alia alicujus rei ſingularis. *l.* 5. *in pr. ff. pro Socio.* quomodo intellige *pr. Inſtit. de Societate.* Univerſorum bonorum iterum

alia

alia eſt tam præſentium quam futurorum, de qua in §. 4. *Inſtit. eod. & l. 3. §. 1. ff. eod.* alia præſentium tantum, qualis in dubio intelligitur. *l. 7. 8. 9. ff. pro Socio.* Differunt, quod hæc tantum continent quæ in quæſtu ſunt, & ex ipſa ſocietate cauſantur, nec adventicia lucra quæ ex præſentibus rebus communicatis proveniunt, comprehendat. *d. l. 7. & ſeqq. ff. pro Socio. l. 5. §. 1. l. 5. l. 67. §. unic. ff. eod.* Vide Anton. Fabr. *ad Cod. lib. 7. tit. 1. defin. 29. num. 3.* & poſt eum Carpzov. *defin. Forenſ. part. 3. conſtit. 15. defin. 45. num. 3.* Illa autem etiam omnia undecunque, & ex quacunque cauſa alteri ſociorum obveniant communicanda includat, &c. *l. 3. §. 1. l. 73. ff. pro Socio.*

Alia iterum dici poteſt pure contracta, alia in diem, alia ſub conditione. *l. 1. in pr. ff. pro Socio. l. 6. Cod. eod.* Alia publica vectigalium, alia privata, alicujus rei vel negotiationis privatæ. *l. 59. in pr. ff. eod.*

3 Alia denique eſt expreſſa, alia tacita. Expreſſa vulgo omnis eſt, quæ per ſtipulationem expreſſam, tacita quæ ipſo jure ex re & facto inita cenſetur. Quomodo intelligenda *l. 4. in pr. ff. pro Socio.*

4 Sed hæc magis proprie communio bonorum, quam ſocietas dici poteſt, eo quod ex ipſa actuali & reali communione proveniat. Veluti ſi fratres conſortes poſt mortem communium parentum, bona quæ ex eorum ſucceſſione obvenerunt, indiviſa retinuerint, lucra, ſive damna exinde provenientia communia ſunt, eo quod re ipſa, ipſoque facto oſtendant, ſe ſocios eſſe & permanere. *arg. l. 31. §. 1. verſ. nam quid intereſt. ff. de legib.*

Quomodo in Anglia, hi qui lege vel conſuetudine participes terras, aliaſque res conjunctim, vel in communi pro indiviſo tenent, ipſo jure ſocietatis effectu gaudent, haud aliter, ac ſi per expreſſam ſtipulationem ſocietatem iniviſſent. Uti ſunt, duæ plureſque fœminæ ejuſdem gradus, quæ ob maſculorum defectum, in anteceſſorum ſuorum hereditatem æqualiter, pro indiviſo ſuccedunt: Item & alii heredes qui ex variarum provinciarum conſuetudine pro æquis portionibus ad anteceſſorum ſuorum ſucceſſionem vocantur, ſive fratres ſint, ſive iis deficientibus ſorores, neptes, amitæ, &c. Ut late Litleton. *lib. 3. cap. 2. 3. 4.* & poſt eum Johann. Cowel. *Inſtit. Jur. Anglicani lib. 3. tit. 26. in pr. & §. 1.*

5 Quibus adde quod Belgarum, vicinarumque Regionum moribus, omnium bonorum communis, & univerſalis inter conjuges ſocietas ipſo jure conſtituatur, ſi, & quatenus ab ea non aliquo modo pactis antenuptialibus recedatur. Quæ ſtatim atque in Eccleſia, aut coram Magiſtratu loci matrimonium ſolenniter fuerit contractum, initium ſuum capit, licet concubitus nondum acceſſerit. *arg. l. 30. ff. de Reg. Jur. & l. 15. ff. de condit. & demonſtrat. l. 24. Cod. de Nupt. l. 6. & l. 16. Cod. de donat. inter vir. & uxor.* prout receptum & judicatum diximus ſupra *lib. 1. cap. 14.* Habetque locum etiam in bonis alibi ſitis, ubi talis communio locum non habet, quia hæc communio, mera perſonarum eſt ſocietas inter conjuges contracta, rei perſecutoria, haud aliter ac ſi de rebus communicandis ſpecialiter eſſet conventum; Quare nec mirum videri debet, quod extra domicilium etiam vires ſuas exerat. Ut recte notat Lambert. Goris *Adverſar. tract. 1. cap. 6. num. 16. & ſeq.* Nicol. Burgund. *ad Conſuetud. Flandriæ tit. 1. num. 15. & ſeqq.* Charond. *Reſponſ. lib. 13. cap. 46.* Quomodo etiam in facti ſpecie conſuluit Hugo Grot. *Conſult. JC. Batav. part. 3. conſ. 106.* & judicatum referunt Joann. à Sande *lib. 2. tit. 5. defin. 12.* Jacob. Coren *Suprem. Holland. Cur. deciſ. 20.* Neoſtad. *de pact. antenupt. obſerv. 9.*

6 Nec domicilii mutatione tollitur hæc conjugalis bonorum ſocietas, veluti ſi maritus, poſtquam aliquamdiu cum conjuge certo loco ubi talis conſuetudo obtinet, vixiſſet, alio poſtea cum eadem commigraverit, ubi forte conſuetudinariæ iſti inter conjuges ſocietati locus non eſt, hoc certe caſu altero eorum decedente, in conjugalium bonorum diviſione, conſuetudinariæ ſocietati, priori loco debitè contractæ nihilominus erit locus, etiamſi leges habitationis poſtmodo electæ, & ubi jam alteruter in fata conceſſit, aliud ſtatuant: domicilii enim mutatio non eſt modus diſſolvendæ ſocietatis, ſemel debite contractæ Vide Card. Tuſc. *practicab. concluſ. tom. 7. lit. S. concluſ. 512. num. 5.* Covarruv. *tom. 1. part. 2. de matrimonio cap. 7. princ. num. 9. verſ. nec refert.* Garz. *de conjugali acquaeſtu, num. 141.* Alvar. Veloſc. *tom. 0. conſ. 175. num. 13.* Burgund. *ad Conſuetud. Flandr. tract. 2. num. 13. & ſeq.* Boër. *ad Conſuetud. Bituricenſ. tit. 8. des mariages & douaires. §. 4. verſ. tertia concluſio.* & poſt eos Lambert. Goris *Adverſar. tract. 1. cap. 7. num. 3. & ſeqq.*

7 Sed quum aliquando evenire ſoleat, ut inter nuptias contrahentes, diverſa intercedant domicilia, quorum unum dictam communionem admittit, alterum vero non admittit, quæri ſolet an loci contractus, an domicilii, & cujuſnam, mariti, an uxoris domicilii conſuetudo ſit ſequenda?

veluti ſi quis uxorem ducat ex aliena provincia, ibique ut fieri ſolet, contractum matrimonii celebret, diverſis utrimque circa bonorum communicationem conſuetudinibus intercedentibus. Quia in cauſa, quum matrimonii conſummatio ubique locorum adimpleri poſſit, & ſolenniorem tantum reſpiciat, nec per ſe diſponat, non tam loci contractus, quam domicilii contrahentium rationem haberi placet, quumque ad exemplum deductionis ſponſæ in mariti domum. *l. 5. ff. de Ritu. Nupt.* Uxores potius viros ſuos quam viri uxores ſequi videantur, & mulier dotem repetens ejus nomine marito litem intentare debeat, non in loco contracti matrimonii, ſed domicilii maritalis, juxta *l. exigere dotem. 65. ff. de Judic.* ex communi DD. ſententia hæc in parte receptum eſt, non contracti matrimonii locum, nec uxoris, ſed mariti domicilium, inibique vigentem conſuetudinem conſiderari: niſi eo animo in domicilio uxoris matrimonium contraxerit, ut ibi ſit, & ut perpetuo maneat, larem ſuum ibidem tranſpoſuerit. Vide Coſtal. *ad. d. l. exigere. 65. ff. de Judic.* & Bart. *ibid.* Covarruv. *de Sponſal. & matrim. part. 2. cap. 7. pr. num. 9.* Card. Tuſch. *practicab. concluſ. tom. 7. litt. S. d. concluſ.* 512. Garzias *de conjug. acquaſt. num. 140.* Gomez. *ad leg. Tauri. 50. & ſeqq. num. 75.* Chaſſan. *ad Conſuet. Burgund. Rubr. 4. §. 1. verſ. In Ducatu Burgundiæ.* Nicol. Burgund. *ad Conſuet. Flandr. tract. 1. num. 1. & ſeq.* Alvar. Valaſc. *tom. 2. conſult. 138. num. 8. 9. 10. & ſeqq.* Quomodo etiam à Luſitaniæ ſenatu judicatum refert Georg. de Cabedo *pract. obſerv. part. 1. deciſ. 165.*

Quum autem circa hanc conjugalem bonorum communionem mores & conſuetudines varient, de ſingulis videndum.

In Hollandiæ viciniſque Regionibus omnium bonorum inter conjuges communio eſt mobilium, & immobilium tam præſentium quam futurorum, actionum, nominum, fructuum denique, omniumque acceſſionum, lucri & damni, caſuum, & calamitatum omnium, nullo excepto: imo etiam quæcunque hereditate, legato, aut donatione, conſtante matrimonio obveniunt, adeo inter conjuges ipſo jure confunduntur, ut nihil cujuſque proprium dici poſſit, & ſoluto matrimonio cum ſuperſtite æqualis ſit facienda omnium rerum, bonorumque diviſio, etiam ſi alteruter parum aut nihil in commune contulerit. Vide Grot. *De Antiquit. Reipub. Batav. cap. 2. in verbis: Hinc Batavi.* & *Introd. lib. 2. part. 11. circa. princip. & lib. 3. part. 21. verſ. penult.* Zuid-Holland. *Conſuetud. Anni. 1571. art. 6.* Quod idem de Ultrajectenſium moribus teſtatur Statut. ſive *Conſuetud. Ultraject. Rubric. 22.* odde Rodelant. *deciſ. Ultrajectenſ. 54. num. 11. 12.* Tranſyſalaniæ, **Landt-Recht van Over-Yſſel** *part. 2. tit. 2. art. 2.* Zutphoniæ, **Landt-Recht des Graafſchaps Zutphen** / *tit. 10.* Idemque per totam fere Geldriam obtinere teſtatur. Frid. a Sande *ad Conſuetud. Feudal. Gelriæ, tract. 2. tit. 2. cap. 3. num. 1.* Lambert. Goris *adverſar. tract. 1. cap. 1. num. 26. & in not. ibid.* Ubi idem Embricenſis Ducatus Cliviæ, & Graviæ ditionis Kuyckianæ civitatum moribus obtinere probat. De Brugenſis Flandriæ civitatis moribus idem etiam affirmat Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 72. num. 2.* De Luſitaniæ Regni conſuetudine eadem refert Alvar. Valaſens *de Partition. & Collat. cap. 1. deciſ. 183. num. 2.* & Gomez. Leon. *deciſ. Hiſpal. 1.* Ubi idem in Arragoniæ regno ſervari teſtatur.

Quæ etiam in Sleſvicenſi Ducatu obtinere refert Paul. Cypræus *De Sponſalib. cap. 5. §. 14. num. 4. & §. 35. num. 5. De matrimonio cap. 8. num. 5.* & cum Jure Saxonico quodammodo 9
conveniri videntur: quo maritus & uxor omnia ſua bona communiter & pro indiviſo poſſidere dicuntur. *Landt-R. lib. 1. art. 45.* adeoque bona conjugis utriuſque ex contemplatione correſpectiva, & compenſatione quaſi invicem factâ unita, & confuſa videntur. Quod tamen ita interpretantur, ut quamvis maritus & uxor boná ſua pro indiviſis poſſideant; non tamen illud ad proprietatem extendatur, ſed ſoluto matrimonio, ſua cuique, aut heredibus illata reſtituentur ſalva, quæ eodem conſtante confuſa videbantur, Zobel. *de differ. Jur. Civ. & Saxon. differ. 26.* Fachſ. *differ. 6.* Matth. Coler. *de Proceſſib. Executiv. part. 1. cap. 2. num. 191.* Cum quo fere concordant Bavariæ mores, quibus vidua eorum tantum bonorum portionem virilem capit, quæ communi labore ac induſtria conſtante matrimonio requiſiverunt, **das beede eheleuth von dem einkommen ihrer guterer ſpart / oder ſonſt durch ihren aignen fleiſz erobert haben / etc.** Referente Johan. Francis. Balthaſar. *practic. Reſolut. tit. 1. Reſolut. 1. num. 63.*

Et Panormitaniæ Conſuetudine, bona viri & uxoris tam quæ tempore conſummati matrimonii, quam quæ poſtmodo per eos acquiſita ſunt, undecunque provenientia, elapſo anno à tempore conſummati matrimonii, vel natis filiis, confundi, & unum corpus effici conſtat, ex antiquiſſimis Senatus Populique Panormitani conſuetudinibus, *cap. 43. De dotibus, & hereditatis diviſione*, ubi late Marius Muta. 10

Quæ tamen de omnium bonorum communione aut ſocietate conjugali ad allodialia reſtringenda ſunt, nec ad feuda pertinent, quæ jus ſcriptum ſequuntur. Sic ut, in Magnatibus, ſive 11
majo-

majorum gentium nobilibus, ut ſunt Comites, Barones, & quorum pleraque bona feudalia ſunt, communio illa vix habeat locum, prout à Suprema Hollandiæ Curia judicatum refert Neoſtad. *de pact. Antenupt. obſerv.* 9. *in notis. verſ. Sub ſpecie dot.* Vide Grot. *Introd. lib.* 2. *d. part.* 11. *verſ.* Leen-goederen. Everhard, *conſil.* 53. *num.* 9. 10. Quæ etiam plerisque ſtatutis ab ipſa conjugali ſocietate ſpecialiter eximuntur. De Gelriæ moribus vid. Frederic. à Sande *ad Conſuetud. Feudales Gelriæ tractat.* 2. *tit.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. Lambert Goris *adverſ. Jur. tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 33. Quibus etiam annumerat bona avita ſive patrimonialia in tetrarchia Ruremundenſi & imperio Neomagenſi ſita, quæ quoad proprietatem non communicantur, ſed ad ſtipitem unde originem trahunt ſeparata ſocietate conjugali revertuntur, reſervato ſuperſtiti earundem Uſufructu. Goris *ibid. num.* 32.

12 Cui limitationi quidam etiam addunt fundum ab uno conjugum per retractum acquiſitum. Ut in Friſia quidem obtinere probat Joann. à Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 3. aliiſque locis, quibus acquæſtuum, aut mobilium tantum inter conjuges communio eſt, de quibus infra, uſui venire poteſt: Ad nos autem, quibus omnia quæ modo in conjugum dominio ſunt communia eſſe diximus, non pertinet.

13 In Hiſpania conſtante matrimonio acquiſita tantummodo inter conjuges communia ſunt. Covarruv. *de matrimonio, part.* 2. *cap.* 7. §. 1. *num.* 7. Gomez. *ad l. Tauri.* 50. *Garr. de conjug. acquæſt. num.* 1. & 2. Quod idem de quarundam Cathaloniæ partium conſuetudine affirmat Johann. Petr. Fontanell. *tract. de pact. Antenupt. tom.* 2. *clauſ.* 11. *gloſſ. un.*

14 In Gallia fere generali conſuetudine communia ſunt omnia mobilia, & ex immobilibus ea quæ conſtante matrimonio acquiſita ſunt. Ut late teſtantur Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubr.* 4. §. 2. *in pr.* Argentr. *ad Conſuetud. Brittan. tit. des mariages. art.* 408. *gloſſ.* 1. Petr. Rat. *ad Conſuetud. Pictav. art.* 229. Fortin. *in Conferent. Conſuet. Pariſ. Pariſ.* 238. *tit. de communauté des biens.* Et Petr. Pythæus *ad Conſuetud. Trecenſ. art.* 83.

15 Quibus fere conveniunt Flandriæ & Brabantiæ Conſuetudines, quodammodo tamen inter ſe diverſæ. Ita Statuto municipali Antverpienſi, *tit.* 41. *art.* 67. & 68. Præter ea quæ conſtante matrimonio acquiſita ſunt, communicantur etiam mobilia omnia, actiones, domus ac fundi, in urbe urbiſque ambitu ſiti, excluſo ſolum reditu annuo, ſuper his conſtituto, niſi & ille conſtante matrimonio fuerit acquiſitus.

16 Bruxellis communia etiam ſunt immobilia omnia conſtante matrimonio acquiſita, mobilia ſoli ſuperſtiti cum uſufructu omnium bonorum allodialium debentur, recepto onere æris alieni. Statut. Bruxell. *Rubr.* Van 't Recht der gehoudde Lieden / *art.* 237. & *art.* 242. Prout etiam refert Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 216. Et Mechliniæ Statuto, *tit.* 9. *art.* 11. inter conjuges communia ſunt immobilia omnia bona, ædes, cenſus, reditus, conſtante matrimonio acquiſita. Quibus fere conſonant, Gandavenſium, *Rubr.* 20. *art.* 3. & *Rubric.* 25. *art.* 4. 6. 7. & Audenaerdenſ. Statuta *Rubric.* 14. *art.* 3. 4. 6. 7.

17 Namurci, Lovanii, & Leodii uxor ſuperſtes mobilia omnia lucratur, modo ejus ſunt generis & naturæ, ut in iiſdem communio conſiſtere poſſit. Referente Petr. Peck. *tractat. De Teſtament. conjug. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. *verſ. ſicut & illam.*

18 Inter conjuges Friſios acquiſitorum omnium eſt ſocietas, manentibus iis quæ matrimonio nondum inito, cujuſque propria fuere, Statut. Friſiæ *Januar.* 1542. *art.* 5. Kelat. inter Ordinarias Friſiæ leges & conſuetudines *lib.* 1. *tit.* 3. Vide Johann. à Sande *Deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 1. Quod de inquilinis & civitatum incolis intelligendum, quum in Ruſticis & paganis ad ſupellectilem & mobilia tantum reſtringatur. *ead. lege, aut Statutar. conſuetud. art.* 6. Quemadmodum & in agro Groningano inter eos quos Huneſgonios & Fivelgonios appellant, inter conjuges mobilia tantum communia ſunt. *Landt-R. van Huſingo. Fivelingo. lib.* 3. *tit.* 1. §. 17.

19 Proſequendo porro materiam noſtram quæritur, quum viduus aut vidua exiſtentibus ex anteriori matrimonio liberis, non plus per ultimas voluntates, dotis, aut donationis propter nuptias ratione, aut per aliam quamlibet diſpoſitionem, dare aut relinquere poſſit, quam uni ex anteriori matrimonio, cui minima portio relicta: juxta *l. hac edictali.* 6. *Cod. De Secund. nupt.* utrum hæc bonorum communio in ſecundis nuptiis etiam admittatur? Quod in praxi pro affirmativa eſt receptum, ſic ut dicta *l.* 6. per hanc legalem, ſive ſtatutariam conſuetudinem reſtringatur, ut ea non obſtante, ſi pacta nulla interceſſerint, dicta bonorum communio prævaleat, adeoque præter dimidiam aut bonorum, aut acquæſtuum partem, quæ cuique ex ipſa communione obveniunt inſuper ſecundo conjugi filialis portio ex dimidio altero, teſtamento relinqui poſſit, *arg. Politic. Ordin. Holland. art.* 23. *ex verbis*: 't Welck ooch plaets heeft. Ratio duplex af-

ferri poteſt. I. Quod Romanis legibus non utamur, niſi ubi propriæ leges aut certæ conſuetudines deficiunt, quæ hac in parte generales ſunt, nec diſtinguunt. II. Quod. *d. l. 6.* tantum loquatur de iis quæ teſtamento, pactis dotalibus, aliiſve conventionibus relinquûntur, quibus legales alienationes non comprehenduntur. *arg. l. 13. ff. fam. erciſcund.* Vide Pecc. *De Teſtam. conjug. lib. 2. cap. ult. num. 8.* Grot. *Introd. lib. 2. cap. 12. verſ.* **ſtaet te letten.** Ita deciſum teſtantur Neoſtad. *De Pact. antenupt. 4. in Not.* Jacob. Coren *obſerv. 30. num. 29.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 271. 11.* Vid. Conſult. JC. Batavor. *part. 1. conſ. 47.*

Cæterum, quum ex ſupradictis ſatis conſtet, lucri & damni inter conjuges eſſe communio- 20
nem, notandum eſt: hunc præcipuum etiam hujus communionis eſſe effectum, quod complectatur omne æs alienum ab alterutro conjugum debite contractum, quod ex communi venis ſolvendum. Sic ut creditori non tantum in ſolidum adverſus eum, cum quo contraxit, ſed ex ſemiſſe etiam adverſus alterum quo cum non contraxit actionem inſtituere poſſit, quod ſi totum ab uno fuerit ſolutum, poteſt is, ejuſve heres dimidium alteri imputare. *l. 3. Cod. de Negot. geſt. l. 25. §. 13. ff. famil. erciſcund.* Quod & eam vim habet præſertim iis in locis ubi univerſalis omnium bonorum communio eſt. Ut eo ipſo non modo debita conſtante matrimonio contracta, ſed & ea quæ longe ante matrimonium initum, alteruter contraxerit, comprehendat, proque iis uterque conjugum conſtante matrimonio teneatur, conveniríque poſſit: Univerſalis enim iſtius omnium bonorum communionis ea vis eſt, eaque efficacia, ut retro utrumque obliget conjugem, haud aliter ac ſi ipſemet cum creditore contraxiſſet. Vide Grot. *Introd. lib. 2. cap. 11. verſ.* **uyt de Boedel-menging.** Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubr. 4. §. 9. verſ. Dotom do debtez.*

Sed tota difficultas in eo eſt, an & ſoluto matrimonio ſupeſtes adhuc in dimidium æris alieni 21
ab altero conjuge ante matrimonium contracti teneatur, aut conveniri poſſit? Quod quamvis de Gelriæ moribus affirmet, ſic ut etiam ſoluto matrimonio ſuperſtes ex communibus bonis de ſingulis debitis creditoribus ſatisfacere, teneri putent, Lambert. Goris *Adverſar. tract. 1. cap. 4. num. 4.* Et Abrahamus van Weſel *ad Novell. Conſtit. Ultrajectinas art. 6. num. 8.* & tractat. *de connubiali bonorum ſocietate tract. 2. cap. 3.* non habita ratione temporis quo contracta fuerint, ita ut ſuperſtes conjugum, defunctique heredes, dimidium quiſque ferant, ceſſante omni illa argumentatione quod cum ſuperſtite neque contractum, neque quaſi contractum ſit, & conſequenter ex debito matrimonium præcedente, actio ad agendum efficax adverſus eundem non competat: Item, quod tempore contractus æris alieni, nulla fuerit conjugi poteſtas futurum conjugem obligandi, ut vulgo argumentari ſolent. Eo quod univerſalis illa omnium tum commodorum, tum incommodorum communio patriæ conſuetudine introducta, eam vim & efficaciam habeat, ut retro utrumque obliget conjugem, ſolutoque matrimonio, & in lucro & in damno antea plene communicato duas æquales faciat partes. Prout etiam Franciæ moribus ſervari teſtatur Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubr. 4. §. 11.* Idque ſummam habeat rationem, ut qui lucri quidem ante matrimonium contracti, ita & damni particeps fiat, & maneat.

Jure tamen noſtro non idem obtinere volunt Neoſtad. *De pact. antenupt. obſervat. 12.* Grot. *lib. 1. cap. 5. num. 11. verſ.* **maar naar** *num. 12.* Groeneweg. *ad l. 71. ff. de jure dot.* Quod & tempore contractus nulla conjugi poteſtas fuerit, futurum conjugem obligandi, & nunc quum petitur, ſublata ſit ea communio, qua ſola conjuges fecerat correos. Quibus tamen præter ea, quæ priori argumento ex univerſali communionis omnium inter conjuges natura, ſupra ſatis reſponſum demonſtravimus, pro poſterioris argumenti ſolutione & hoc addimus: Ipſa morte ipſam conjugum ſocietatem in futurum quidem finiri, pro præteritis autem & cum ipſo matrimonio, ſive lucra, ſive damna, in communionem adductis, nequaquam alterutrius morte ſolvi, niſi & præterea bonorum, lucri itidem & damni omnis æqualis diviſio fuerit facta: quæ tum ſuperſtitem, tum heredem defuncti pro præteritis omnibus debitis ſtante matrimonio contractis, & per matrimonium ipſo jure communicatis, ad dimidii ſolutionem in perpetuum obligat. Adeoque eorundem opinioni ſubſcribere non auderem, niſi ad hoc me adduceret haud vilis rei, à Suprema Hollandiæ curia, judicatæ authoritas. *arg. l. 34. & l. 38. ff. de legib.*

Hæc proprie communio bonorum eſt, & in ipſa communione conſiſtens ſocietas. Quæ in eo à 22
conventionali ſocietate, etiam omnium bonorum differt: Quod in hac ſocietate pro iis quæ aliunde, quam ex ipſis rebus in ſocietatem deductis, alterutri ſociorum obveniunt, communicandis, aut in ſocietatem deducendis, novatio, aut nova actualis communicatio fieri debeat. *l. 73. & ſeq. ff. pro Socio. l. 1. §. 1. ff. eod. in verb. quæ coeuntium ſunt.* In hac autem ea omnia quæ poſt nuptias contractas alterutri conjugum quoquo modo obveniunt, ipſo jure inter eos communia ſint. *l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. 2. l. 73. ff. pro Socio. §. 4. Inſtit. eod.* Grot. *Introd. lib. 2. cap. 11. circa pr. &*

lib. 3.

lib. 3. cap. 21. verſ. pen. Neoſtad. *De pact. Antenupt. obſerv. 9.* Goris *adverſar. tract. 1. cap. 5.* etiam ea quæ alterutri conjugum teſtamento, legato, aut ſingulari donatione ſeorſim obveniunt. Quod quidem dubium non habet in iis locis, ubi omnium bonorum inter conjuges eſt communio.

23 Sed an etiam hoc obtineat caſu quo excluſa bonorum communione, lucri & damni tantum communio remanſit, eorumve moribus conveniat ubi acquæſtuum tantum inter conjuges communio eſt: an ſcilicet legata & donationes alterutri ſtante matrimonio obvenientia, lucri aut acquæſtuum nomine veniant, vix convenit.

I. Cui diſtinguendo reſpondendum videtur, primo quod quoad clauſulam lucri & damni, acquæſtuumve, anteñuptiali pacto bonorum communione prorſus excluſa, ejus intentio tam generaliter extendi non poſſit, ut poſtquam omnis bonorum communio fuerit excluſa, ſub ea hereditates, legata, donationes, aut id genus alia alterutri extraneo obvenientia comprehendat, ſed ea tantum quæ ex induſtria, labore, ac opere communi proveniunt, & ex communibus bonis percipiuntur. Ut latius notavimus ſupra *lib. 1. cap. 12. num. 19.* Quoad ſtatuta vero, ſive conſuetudines legales, acquæſtuum tantum inter conjuges communionem admittentes, quum illa hoc legitimæ ſucceſſionis fundamento fere nitantur: Ut paterna paternis, materna maternis conſerventur, ut de illis omnibus, videri poſſunt, quæ de ſucceſſionibus ab inteſtato ſecundum diverſarum regionum mores & ſtatuta, ſupra late demonſtravimus; Iterum diſtinguendum videtur, ut ſi quidem hereditas aut ſucceſſio, alterutri conjugum ſtante matrimonio, ab inteſtato, aut etiam ex teſtamento eorum, quorum ab inteſtato heredes fuiſſent, obvenerit, ea bonorum maſſæ ſeorſim extra communionem accedat: ne hoc modo generalis ſucceſſionum ordo & regula ultra eorum intentionem intervertatur: ea autem quæ alteruter conjugum ab extranea perſona, per legatum aut donationem accedunt, communioni acquiſita cenſeatur. Nec diſtinguitur cujus ex conjugibus merito aut conſideratione donatio fuerit facta: quam diſtinctionem facit Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. tit. Des droicts appart. à gens mariez. in Gloſſ. 2. §. 2. in verſ. Acqueſtz.* ubi tractat quid veniat appellatione conquæſtus, dicitque inter cætera, quod donatio, ſive legatum, ſive hereditas, non ſit acquæſtus quando alias erat obventura, ſecus ſi non erat obventura alio modo, quam per donationem vel legatum, vel teſtamentum, & tunc talia ſunt communicanda, &c. Quomodo intelligenda quæ tractant Argentræus *ad Conſuetudines Britannnia, art. 418. Gloſſ. 1. num. 7.* Imbert. *Enchirid. Jur. Galliæ. verſ. donatio mutua.* Charond. *ad Conſuetud. Pariſienſ. pag. 139.* Valla *de Reb. dubiis, tract. 13. num. 2.* Idem Charond. *lib. 7. Reſponſor. cap. 143.* Joann. à Sande *Deciſ. Friſicar. lib. 2. tit. 5. defin. 3.* Quomodo etiam accipiendum eſt quod de Saxoniæ moribus affirmat Carpzov. *definit. Forenſ. part. 3. conſtit. 17. defin. 16.* eum cui jus eſt, in lucris acquiſitis ſuccedendi, etiam ſuccedere in bonis titulo hereditatis defuncto delatis. Sed & hoc eam limitationem recipit, niſi teſtator aut donator nominatim caverit, ne quid de eo alteri communicetur. *arg. l. 3. Cod. De donat. quæ ſub modo l. 9. Cod. De donat.* Chaſſan. *ad Conſuetud. Burg. Rubr. 4. §. 2. verſ. particeps, & verſ. acquiſitum. num. 15.* Ioann. Papon. *lib. 15. tit. 2. in Not. ad areſt. 16.* Ioann. à Sande *Deciſ. Friſic. lib. 2. tit. 5. defin. 3.*

24 II. Differunt quod à conjugali inter virum & uxorem communione, ſive ſocietate, nulla conventione, nec aliter quam per teſtamentum morte confirmatum firmiter recedi poſſit. *arg. l. 1. 2. 3. ff. & Cod. De donat. inter vir. & uxor.* Goris, *Adverſar. cap. 20.* A ſocietate autem mutuo conſenſu valide recedi poſſit. *§. ult. Inſtit. Quib. mod. toll. oblig. l. 35. ff. de Reg. Jur. l. 80. ff. de Solut.*

III. Quod ſocietas conventionalis morte diſſolvatur. *l. 59. l. 35. §. 9. l. 63. §. 8. l. 65. §. 9. ff. pro Socio.* Conjugalis autem ſocietas etiam poſt mortem uſque ad actualem bonorum diviſionem, aut ſaltem quod inventarium rite fuerit confectum receptum teſtantur, Coſtal. *ad l. 19. ff. pro Socio. num. 1.* Ioann Papon. *lib. 15. tit. 2. art. 6. 7. 8. & 9.* Boër. *deciſ. Burdegal. 203.* Ioann. à Sande *lib. 2. tit. 5. defin. 9.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 19. art. 29. in Not. num. 1.* Lambert. Goris *Adverſat. tract. 1. cap. 9.*

25 Quod inter viduum, viduamve, ejuſque liberos ita extenditur: Ut, ne quid damni ex ea continuatione ſentiant, acquæſtuum quidem omnium, poſt obitum præmortui parentis obvenientium medietas ad eos pertineat, damnum vero ſi aliquod intercedat ad ſuperſtitem ſolum pertineat, nec in eo participes ſint. Ut ex conſuetudine diverſarum gentium & provinciarum obtinere teſtantur, Ioann. a Sande *d. loco.* Chaſſan. *ad Conſuetud. Burgund. Rubric. 4. §. 1.* Goris, *de Societat. Conjugal. cap. 9.* Zypæus *Notit. Jur. Belg. lib. 5. tit. De jure dot. §. 1.* Et apud nos variis rerum pupillarium ſtatutis confirmatum, vide Statut. Antverp. *cap. 41. art. 93.* Ultraject.

Rubr. 23. *art.* 4. **Ordonn. van de Weeſ-kamer tot Alcmaer en Edam.** *tit.* 2. *art.* 28. **Amſterdam** *art.* 21. **Leyden** *art.* 24. *& ſeq.* **Dordrecht** *art.* 56. 57. Quæ communionis continuatio tamen ad hereditates, legata, & donationes aliaque ſuperſtiti interim aliunde, quam ex jacentia hereditatis ſubſtantia, obvenientia, extendi haud poteſt, ſed ad ipſum rerum hereditariarum acquæſtum reſtringitur. *arg. l.* 65. *§.* 9. *ff. pro Socio.* Buſius, *ad l.* 59. *ff. pro Socio.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de jure dotium in verb. communio.* Joann. à Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 9. Prout etiam expreſſe Statut. Ultrajecti; *d. tit.* 23. *art.* 4. Tranſiſulaniæ. *Statut. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 15. Antverpiæ, *d. tit.* 41. *art.* 93. Statut. Delphenſ. *vol.* 1. *pag.* 101. Leydæ tamen, Amſtelodami & Alcmariæ, cui conveniunt Statuta Civitat. Brielæ. *d. locis.* expreſſe cautum eſt, ut etiam hereditatea aliunde provenientes huic communioni, ſive ſocietati, cedant.

Sed an etiam hæc non factæ diviſionis continua communio locum habeat, reſpectu bonorum 26
ejus cum quo ſuperſtes parens, neglecta prædefuncti hereditatis diviſione, ſecundas nuptias contraxit? aliquando quæſitum fuiſſe memini: quæ quum reſpectu liberorum prioris matrimonii plane extrinſecus accedunt, ad eos nullo modo pertinere, nec ſecundi conjugis reſpectu ſocietatem, ſive communionem inter eum & liberos prioris matrimonii contrahi ſive continuari dicendum eſt, quoniam Socius ſocii mei meus ſocius non ſit. *l.* 47. *§.* 1. *ff. de R. jur.* ſed ejus tantum & pro ejus parte inter ſe, qui eum admiſit. per *text. in l.* 19. *ff. pro Socio.* atque ita me conſuluiſſe memini, ſecundum ea quæ tradit Coſtal. *ad d. l.* 19. *ff. pro Socio.* Goris, *Adverſarior. tract.* 1. *cap.* 9. *num.* 14. Et in Gallia deciſum referunt Johann. Papon. *lib.* 15. *tit.* 2. *art.* 6. & Chatond. *Reſp. lib.* 7. *cap.* 52. *& lib.* 10. *cap.* 23. Maxime, ſi ex ſecundo matrimonio, etiam liberi exiſtant, aut utrimque liberi ex priori thoro concurrant, qui propter confuſionem, & privilegium utrimque concurrens, pari jure gaudent, & æqualiter, id eſt, in duas ſemiſſes facta diviſione, ab inteſtato ſuccedunt, *arg. cap.* 1. *Novell.* 118. *& auth. In ſucceſſione Cod. De ſuis & legitim.* Ut pro diverſitate Statuti Mechlinienſis, recte diſtinguit Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 16. *art.* 30. *num.* 2. *& ſeqq.*

Quibus bene obſervatis, in reliquis fere conveniunt communio, & conventionalis ſocietas Sic ut ſi, & quatenus, conjugalis illa communio pacto antenuptiali fuerit excluſa, & convenerit, (ut communiter fieri ſolet) ut bona quærenda, item lucra, & damna conſtante matrimonio contingentia, tantum communia ſint, ea communio omnium bonorum ſocietati ſimpliciter initæ æquiparetur, *arg. l.* 7. *cum ſeq. ff. pro Socio.*

Societatem inire poſſunt omnes qui contrahere & efficaciter obligari poſſunt, tam patres quam 27
filiifamilias. *l.* 58. *§.* 2. *ff. pro Socio.* Modo filiifamilias peculium habeant caſtrenſe vel quaſi, aut eliter per emancipationem à parentum ſuorum poteſtate fuerint dimiſſi. *arg. pr. & §.* 1. *Inſtit Per quas perſonas.* *l.* 38. *& ibi DD. ff. de condict. indebiti.* Adeo ut & inter virum & uxorem lucri in commune faciendi gratia ſocietas contrahatur. *arg. l.* 1. *§.* 15. *ff. ad Senat. Syllan. l.* 8. *Cod. de pact. tam. ſuper dote. & tot. tit. Cod. ne Uxor pro. Marito.* modo non donandi animo fiat. *arg. l.* 32. *§.* 24. *ff. De donat. inter vir & uxorem.* Et hic diſtinguendum inter mores, quibus ipſo jure, per matrimonium bonorum communionem eſſe diximus, & Jus Romanum, quo vir & uxor bonorum ſocii non ſunt, *l.* 16. *§. ult. ff. de aliment. & Cibar. relict.* ſed vitæ tantum & mutui corporis uſus, *arg. l.* 1. *de ritu nupt. §.* 1. *Inſtit. de patr. poteſtat. l.* 22. *§.* 7. *ff. ſolut. matrimon.* non etiam bonorum quorum fructus ad ſuſtinenda matrimonii onera expenduntur.

Subjectum ſocietatis, & id de quo ſocietas initur, ſunt, omnes omnino res, vel operæ; modo illæ in commercio ſint. *l.* 63. *§. ult. ff. pro Socio.* honeſtæ tamem & licitæ. *l.* 53. *& ſeq. l.* 57. *ff. eod.*

In ſocietatem univerſorum bonorum ſpecialiter initam, cui fere convenit conjugalia omnium 28
bonorum communio, communicanda veniunt omnia, undecunque quæſita & quærenda, præſentia & futura, non tantum ea quæ ex induſtria & opera ſociorum, ſed & quæ ex beneficio alieno, & fortunæ dono alterutro ſociorum obveniunt, quibus etiam hereditates, legata, fideicommiſſa, quoad utile dominium, & donationes annumerantur. *l.* 3. *§.* 1. *&* 2. *l.* 73. *ff. pro Socio.* Et rurſus quicquid unus ex ſociis ex quacunque cauſa alteri debet, id omne etiam in ſocietatis rationem venit, niſi ex maleficio, aut delicto ſuo condemnatus ſit, quod ipſe damnum præſtat. *l.* 52. *§. ult. ff. pro Socio.* quum nullo criminum ſocietas ineatur, adeoque nec alter alterius criminis infortunio adſtringatur. *arg. l.* 9. *Cod. de bon. praſcript. l.* 58. *§. ult. ff. pro Socio.*

Hinc, ſi maritus filiam elocavit, & pro ea dotem numeraverit, commune id ſocietatis onus eſt, 29
non ſolius patris, *arg. l.* 19. *ff. de Ritu Nupt. l. ult. Cod. de dot. promiſſ.* Quomodo, ſi pater moribus noſtris, filiæ ſimpliciter dotem dare promiſerit, ex communibus bonis eum promiſiſſe, diximus

mus ſupra *lib. 1. tit. 12. num.* 8. Vide Menoch. *de arbitr. jud. caſ.* 127. Fachin. *lib.* 8. *controverſ. cap.* 4. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 51. *num.* 9. aut ſi pater filium in ſtudiis aluerit, eoque nomine aliquos ſumptus erogaverit, eos communitori imputandos eſſe dicendum eſt. *arg. l.* 73. *§.* 1. *l.* 81. *ff. pro Socio.* Vide Bachov. *ad Treutler. volum.* 1. *diſput.* 27. *theſ.* 8.

30 In ſocietate autem bonorum ſimpliciter contracta, præſentia tantum veniunt, non etiam futura, niſi ea quæ ex quæſtu eorundem proveniunt. *l.* 7. 8. 9. *ff. pro Socio.* aut alias ſi non omnium ſocietas ſit, ea tantum quæ in ſocietatem nominatim ſunt deducta. *l.* 5. *in pr. ff. pro Socio.* inibique æquales, utriuſque lucri & damni partes ſunt. *§.* 1. 2. *Inſtit. De Societate. l.* 29. *in pr. ff. eod.* ſi nempe contributio eorum, quæ in ſocietatem veniunt, æqualis ſit, ſi vero inæqualis ſit, veluti ſi unus plus in ſocietatem contulerit, quam alter, pro ratione ejus quod quiſque contulit, etiam partes fiunt, ſecundum Geometricam proportionem. *arg. l.* 6. *& l.* 80. *ff. pro Socio.*

Si vero lucri & damni partes ab ipſis contrahentibus fuerint expreſſæ, illis ſtandum eſt. *§.* 1. *Inſtit. De Societat.* etiamſi fuerint inæquales, & Geometricam proportionem exceſſerint. *d. §.* 1. *junct. §.* 2. *Inſtit. De Societate. l.* 30. *in fin. ff. eod.* Quod ut plurimum uſui venit, quum alter pecuniam, alter operam ſuam confert, cujus tanta licet æſtimatio non ſit, tamen lucrum inter eos commune ſit, conveniri poteſt: nec inæqualitas quæ conſtaret forte ejus operam tam pretioſam eſſe, ut juſtum ſit eum æquales lucri partes habere, efficere non poteſt, quo minus id quod placuit ſervari debet. *d. l.* 30. *ff. pro Socio. l.* 1. *Cod. eod.* Ita tamen ne conveniatur ut unus totum lucrum capiat, alter totum damnum, aut damni partem ſine ullo lucro, qualis conventio improbatur, à veteribus ſocietas Leonina dicta. *l.* 29. *§.* 2. *ff. pro Socio.*

Alias in dubio ſi partes in ſolo lucro expreſſæ fuerint, nec de damno mentio facta ſit, eædem tacite in damno conſtitutæ cenſentur: rurſumque in ſolo damno expreſſæ, etiam in lucro repetendæ. *§.* 3. *Inſtit. De Societat.* & ibi Schneiduin. & DD. Nicol. Everhard. *Conſil.* 197. Chriſtin. *vol.* . *deciſ.* 51. *num.* 2.

31 Finitur ſocietas morte, non ſolum omnium, ſed etiam unius ex ſociis, nec ad heredes tranſit. *l.* 4. *§.* 1. *l.* 35. *l.* 5.. *§.* 9. *ff. pro Socio.* etiamſi ita convenerit, *l.* 59. *l.* 63. *§ ult. ff. eod.* Ratio eſt quod nec ipſa ſocietas maneat inter invitos, faciliuſque aliquis rejicit, quam admiſſus rejiciatur: deinde non tam rei familiaris, quam fidei & induſtriæ ratio habetur, nec perſonalis eſt, nec in heredes tranſit. *§.* 5. *Inſtit. de Societat.* Adeoque unius ſociorum morte finitur, ut nec reliqui ſuperſtites ſocii maneant, niſi aliter placuerit. *d. §.* 5. *Inſtit. de locat. junct. l.* 65. *§.* 9. *ff. eod.* Excepta publicorum vectigalium, aliarumve ærarii publici collectarum ſocietate, quæ etiam in heredibus continuatur. *arg. l.* 59. *l.* 93. *§.* 8. *l.* 65. *§.* 15. *ff. pro Socio.*

II. Solvitur ſocietas diſſenſu, non tantum mutuo. *arg. l.* 35. *ff. de Reg. Jur.* ſed etiam renunciatione unius, invito licet ſocio altero. *§.* 4. *Inſtit. De Societate. l.* 63. *in pr. ff. eod. arg. l.* 77. *§.* 20. *ff. de legat.* 2. Quod tamen bona fide tempeſtive, & re integra fieri debet. *d. §.* 4. *Inſtit. & l.* 65. *§.* 3. 5. 6. *ff. pro Socio.*

III. Finito denique tempore conſtituto. *d. l.* 65. *§.* 6. *ff. pro Socio.* aut finito negotio, cujus cauſa ſocietas conſtituta eſt, ipſo quoque ſocietas finitur. *d. l.* 65. *§.* 10. *ff. pro Socio.*

32 Ex Societate naſcitur actio pro Socio, quæ ab utraque parte directa eſt. *§.* 2. *Inſtit. De Societate:* qua ſocii invicem tenentur de eo quod alteri ſocietatis ratione præſtari æquum eſt. *l.* 35. *& ſeq. l.* 38. *§.* 1. *l.* 40. *ff. pro Socio.* cui, quum utriuſque gratia principaliter ineatur, dolus, lata, & levis culpa, non etiam leviſſima, aut caſus fortuitus, ineſt. *§. ult. Inſtit. De Societat. l.* 5. *§.* 2. *ff. commodati.*

Cap. XXIV.

De Mandato.

Summaria.

1. *Mandatum quid & ejus requiſita.*
2. *Quotuplex.*
3. *Quomodo differat à Conſilio.*
4. *An & quando conſilium obliget.*
5. *Qui mandare, & mandata ſuſcipere poſſint.*
6. *Quæ res mandari poſſint.*
7. *Rei turpis, an & quatenus obliget.*
8. *Quid mandatario incumbat? & quando quis fines mandati exceſſiſſe intelligatur.* & num. 10.
9. *An & quando mandatum ſuſceptum rurſum alteri demandari poſſit?*

11. De

11. *De quo teneatur mandatarius & an etiam de leviſsima culpa.*
12. *Ad quid teneatur mandans mandatario?*
13. *An ſalarium petere poßit mandatarius, & quid moribus.*
14. *Quibus modis mandatum ſolvitur.*
15. *An procuratori ad lites recte ſolvi, & finita lite adverſus eum executio dirigi poßit.*

Inſt. III. XXVII. Digeſt. XVII. I. Cod. IV. XXXV. *Mandati vel contra.*

Mandatum eſt contractus quo aliquid gerere commiſſum gratuito ſuſcipitur. *l. 1. & tot. tit. ff. & Cod. mandati.* 1
Ex quibus patet quod mandare non ſit quovis modo committere, ſed committere aliquid gerendum, puta ut mihi fundum emas, negotia mea geras: nec gerendum committi ſufficiat, niſi & gratis ſuſcipiatur: ex officio enim, & mutua amicitia originem trahit, *l. 1. §. ult. ff. mandat.* Unde Regula, quod omne mandatum ſit gratuitum. Quod honorarium quandoque admittit, non ut mercedem, ſed ut gratuitæ operæ voluntariam remunerationem *l. 6. in pr. ff. mandati.* Suſcipiturque principaliter ſolius mandantis contemplatione, quamvis non omnis utilitas quæ ex ſuſcepto negotio reſultat, ſemper ad eum ſpectet. Quomodo intelligenda, *l. 2. ff. mandati.* Ubi Juriſconſultus proponit, mandatum contrahi ſolius mandantis gratia, aliquando ſolius tertii, aliquando mandantis & tertii, aliquando mandantis & mandatarii, aliquando mandantis, mandatarii, & alicujus tertii, aliquando etiam ad ſolum mandatarium utilitatem ſpectare, aliquando ad mandatarium & tertium.

Aliud eſt generale, quod ad omnes cauſas, omniaque negotia pertinet, vel ſpeciale quod ad 2
certam cauſam datum eſt, *l. 1. §. 1. l. 60. ff. De procurator. l. 11. §. ult. ff. De pignorat.* fieri enim multa poſſunt quæ per quodvis generale mandatum expediri non poſſent, veluti ſi de adeunda hereditate agatur, *l. 25. §. 5. ff. De acquir. heredit.* de in integrum reſtitutione minorum, de vendendo & alienando. *l. 63. ff. De procuratorib.* de debiti remiſſione, *l. 28. ff. De pact.* Gloſſ. *in l. 16. Cod. De administrat. Tutor.* De Tranſigendo. *l. 7. Cod. de tranſact. l. 13 ff. De pact.* & *l. 86. ff. de Solut.* de Juramenti præſtatione. *l. 17. §. ult. ff. De Jurejurand.* De qua vide Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 1. defin. 38. num. 1.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 1. conſtit. 12. defin. 12.* Berlich. *pract. concluſ. part. 1. concluſ. 29. num. 24. 25.*

Quorum tamen multa, ſi peracta à mandatario ratificentur, ſubſiſtunt, perinde ac ſi ab initio mandaſſet: *arg. l. ult. Cod. Si major fact. rat. habuerit, & ibi* DD. ratihabitio enim in multis mandato comparatur. *l. 60. ff. de Reg. Jur. l. fin. Cod. ad Senatuſconſult. Macedon.*

Mandatum generale aliud iterum eſt ſimplex, quum ſimpliciter demandata eſt omnium rerum adminiſtratio, *l. 63. ff. De procurat. l. 60. ff. eod.* aliud quod vocant cum libera, quum generaliter ad omnia negotia quis mandatum habet, cum inſerta hac clauſula, ut omnia poſſit agere liberrime, & quæcunque ipſe dominus ſi præſens eſſet, *d. l. 60. & l. 58. ff. De procurator.*

Aliud iterum eſt expreſſum, quod expreſſis verbis fit, ut ſunt, volo, jubeo, peto, rogo, fidei tuæ committo, & ſimilia. *l. 1. §. 1. ff. mandati. l. 25. ff. de acq. hered.* aliud tacitum, quod re ipſa committi præſumitur, veluti ſi præſens patiar per alium negotia mea geri, ſi ſciens patiar aliquem pro me fidejubere. *l. 6. §. 2. l. 18. & l. 53. ff. mandat.*

Aliud denique ad Judicialia, de quo ad *tit. De procurator.* aliud ad negotia extrajudicialia ſpectat, *l. 33. in pr. & §. 1. ff. De procurator.* De quo mandati genere hic proprie agitur.

Differt mandatum à conſilio, in eo quod qui mandat, petit, rogat, & urget ut ſuſcipiatur 3
quod mandatum eſt, unde etiam ex mandato obligatur: qui conſilium dat, arbitrio ejus cui dat, rem permittit, neque utrum fiat, nec ne, curat, aut ejus intereſt: quare nec ex eo obligatur, nemo enim obligatur ex conſilio non fraudulento. *l. 47. ff. de Reg. Jur.* etiamſi illud non bene ceſſerit ei, cui datum eſt, quod an expediat unuſquiſque apud ſe explorare debet. *l. 2. §. ult. ff. mandat. §. 6. Inſtit. eod.* Niſi tamen is qui conſilium dat, præterea indemnitatem promittat, aut de futuro lucro certum reddiderit eum, cui dat; licet tum eum ſolum non alium ullum res contingat: Exemplum eſt in *l. 32. in pr. ff. mandati.* aut mandavero tibi, ut pecuniam tuam fœneres non generaliter, ſed nominatim Titio. *l. 6. §. 4. 5. ff. eod. §. 6. Inſtit. eodem.*

Quod recte diſtinguendum, quum alioqui mandato, aut ſpeciali conſilio, de alteri credendo 4
non interveniente, qui ſimpliciter aliquem idoneum eſſe dixerit, ut cui pecunia credatur, mandati non tenetur. *l. 2. ff. de proxenet. l. 7. §. ult. ff. De dolo malo. & ibi* Coſtal. Ut latius ſupra hoc *eod. libro cap. 17. num. 17.*

Mandare, & mandata ſuſcipere omnes poſſunt, qui paciſci, & efficaciter obligari, etiam fi- 5
liifamilias, *l. 12. §. 6. l. pen. l. 39. ff. De Obligat. & act.* etiam fœminæ, dummodo non intercedendi cauſa, *l. 7. ff. ad Senat. Vellejan.* aut negotium, quod plane virile eſt, ſuſcipiant.

l. 7.

l. 7. §. 1. ff. De Inſtitor. act. l. 3. ff. De negot. geſt. l. 19. §. 6. ff. mandat. junct. l. 18. Cod. De procurator.

6 Mandari poſſunt omnes res, omnia facta modo ſint honeſta, & licita. l. 6. §. 3. ff. mandat.
Rei turpis & prohibitæ mandatum nullum eſt, nec ea eo mandati competit actio. §. 7. Inſtit.
7 mandati, niſi quod ad pœnam infligendam obligatorium ſit. l. 5. Cod. De accuſation. Vide Andr.
Gail lib. 2. obſerv. 39. num. 15. & ſeq. In tantum ut eadem pœna mandans qua mandatarius afficitur. arg. l. 15. §. 1. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. l. 11. §. 3. ff. De injur. l. 169. ff. de Reg. Jur. Neque enim mandantem excuſat, quod non ipſe, ſed mandatarius facinus perpetraverit, aut mandatario proderit, quod ab altero ſibi fuerit mandatum. Vide Jul. Clar. lib. 5. Sentent. §. final. quæſt. 89. & ibi Bajard. in Not. Menoch. arbitr. Judic. lib. 2. cent. 4. caſu 352. num. 2. Carpzov. defin. Forenſ. part. 4. conſtit. 14. defin. 6. Si tamen mandatarius mandati fines exceſſerit mandantem non aggravat: veluti ſi quis mandaverit vulnerari, mandatarius autem occiderit, extra ordinem mandans tantum punitur: quamvis enim cauſam præbuerit, dolo tamen & interficiendi propoſito caret, ſine quo ordinarium ſupplicium infligi haud poteſt. l. 1. §. 3. l. 7. l. 14. l. 16. ff. ad leg. Cornel. De Sicariis. atque ita communiter eſt receptum. arg. l. pen. ff. de pœn. Vide Fachin. controv. lib. 1. cap. 36. prout in ſuprema Mechlinienſi Senatu judicatum refert Chriſtin. vol. 3. deciſ. 49.

Mandatum non ſuſcipere ab initio cuilibet liberum eſt, ſemel autem ſuſceptum conſummari debet, ſtatimque ex conſenſu obligatio naſcitur. l. 22. §. ult. l. 27. §. 2. ff mandat. §. pen. Inſtit. eod. l. 5. Cod. De Obligat. & act. Quo inito mutuæ naſcuntur obligationes, præſtationeſque, quarum nomine duplices actiones productæ ſunt, mandanti & mandatario.

8 Mandatarii officium eſt, I. Ut mandatum ſuſceptum diligenter, & bona fide exequatur. l. 46. §. 4. ff. De procurat. l. 10. in pr. ff. mandat. l. 22. l. 35. l. 60. §. ult. ff. mandat. & in primis curet, ut ad præſcriptum agat, nec mandati fines egrediatur, aliudve faciat, quam quod ei mandatum eſt. l. 5. ff. eod. Nam ſi exceſſerit, non id quod mandatum eſt, ſed aliud facere videtur. l. 33. in fin. ff. eod. Vide Cujac. lib. 12. obſerv. 34. Anton. Fab. ad Cod. lib. 8. tit. 28. defin. 16. quo ipſo non tantum indemnitatis actionem adverſus mandantem amittit. l. 36. §. 2. ff. mandati. l. 12. Cod. eod. Menoch. arbitr. Jud. lib. 2. cent. 4. caſ. 352. num. 3. ſed & præterea ad damni & intereſſe reſtitutionem mandanti tenetur. arg. l. 13. l. 19. ff ratam rem haberi. Carpzov. defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 20. defin. 11. 12. Quod tamen ſane intelligendum eſt, ut ne fines mandati exceſſiſſe dicatur, qui ea fecit, quæ tacite ipſi mandato inerant, vel ſine quibus illud exequi non poterat. arg. l. 56. & l. 62. ff. De procurat. aut id fecit quod ita æquipollet ei, quod in mandatis accepit, ut domini nihil interſit. l. ult. §. ult. ff. mandat.

9 An is, qui mandatum ſuſcepit, id rurſum alteri demandare poſſit? Quidam indiſtincte volunt, arg. l. 8. §. 3. ff. mandat. Verum quum plerumque induſtria perſonæ eligatur, & natura negotii ſæpe non patiatur, per alium expediri quod alii demandatum eſt, id pro regula poni vix poteſt, arg. l. 5. ff. De Juriſdict. l. 10. Cod. De pact. Nec moribus noſtris uſque adeo convenit, quibus vix alterum ab altero ſubſtitui receptum eſt, quin & prius mandatum expreſſam ſubſtituendi clauſulam contineat. Vide Wurmſer. pract. tit. 5. obſerv. 1. num. 1. & obſerv. 2. num. 1. & Hartman. Hartmanni tit. 7. obſerv. 3. num. 6. Chriſtin. ad leg. Mechlin. tit. 1. art. 25. num. 7. 8.

10 II. Alterum quod à mandatorio præſtari debet, eſt ut negotio peracto, quicquid per cauſam & occaſionem mandati conſecutus fuerit: id mandanti ex bona fide reſtituat, ſive corpora ſint, ſive actiones, l. 45. in pr. & §. 5. ff. pro Socio.

11 Quam porro diligentiam præſtare, & de qua culpa teneatur? inter DD. non adeo conſtat. Quidam volunt, eum de dolo, lata, levi, & leviſſima culpa teneri, adeoque in ipſo facto, quod mandatum eſt, exactiſſimæ diligentiæ præſtationem debere. arg. l. 13. & l. 21. Cod mandati. in verb. dolum & omnem culpam. junct. l. 24. Cod. De Uſuris. Rurſum alii arg. l. 10. in pr. ff. mandati, in verb. nihil amplius quam bonam fidem, junct. l. 22. §. 5. l. 29. §. 1. & ſeq. l. 59. ff. mandati. fidem tantum, & diligentiam eum præſtare putant, & de dolo & culpa tantum teneri, id eſt levi, non leviſſima. l. 8. §. ult. ff. l. 11. Cod. mandati. junct. l. 23. ff. de Reg. Jur. Qui tamen textus, quotquot ſunt, facillime ad concordiam vocari poſſunt, modo ſtatuamus mandatarium pro rerum, negotiorumque varietate teneri, ſi vel dolo, vel calliditate, vel gratia, vel negligentia id omittat, quod in peragendo mandato per-

agi ipſum negotium deſiderat. *arg. d. l. 8. §. 10. ff. mandat. l. 5. l. 11. ff. eod.* quo ſenſu re-
cte etiam dicitur dolum & omnem culpam præſtari, *in l. 13. Cod. eod.* quum nimirum ipſum
negotium majorem diligentiam requirit. Alioqui ſi tantam diligentiam indiſtincte omnibus
rebus adhibere deberet mandatarius, nemo profecto alterius negotia ſibi imponi facile pate-
retur, quibus ſua alienis poſtponere cogeretur.

A mandatore autem hoc exigitur, ut finito mandato indemnem ſervet mandatarium, ei- 12
que reſtituat quicquid ei per cauſam mandati ab eſt, non tantum impenſas, in domini ne-
gotia mandati gratia factas, ſed & uſuras: quum nemini officium ſuum debeat eſſe damno-
ſum. *l. 11. l. 18. l. 20. §. 1. ff. mandati. l. 19. §. pen. ff. De negot. geſt.* & præterea om-
ne quod ſua intereſt mandatum ſuſceptum eſſe, *l. 12. §. 9. l. 22. §. 2. ff. mandati.* omne-
que damnum quod mandati cauſa extra fortuitum caſum ei obvenit. *l. 26. §. 6. ff. eod. l. 23.
in fin. ff. de Reg. Jur.* Salarium autem, quum merito gratuitum ſit, petere non poteſt, 13
quod locationem reſpicit. *l. 1. §. ult. l. 36. §. 1. ff. mandat. §. 13. Inſtit. eod.* Poteſt ta-
men mandator ſimplici pollicitatione ſalarium, ſive honorarium remunerandi cauſa manda-
tario promittere; pro cujus exactione mandatarius actionem habet eamque non quidem
mandati actione, ſed implorato prætoria officio extra ordinem inſtituere poteſt. *l. 7. l. 56 §.
pen. ff. mandati.* Similiter ſi quis mandat ei, qui non ſolet gratuitam operam præſtare, poteſt
is poſt operam, extra ordinem agere implorata prætoris cognitione, ſive certa, ſive incerta,
ſive etiam nulla pollicitatio intercellerit uti ſunt procuratores ad lites, obſtetrices, medici.
l. 1. & tot. tit. ff. De extraordin. cognit. Eoque jure utimur ut ſuſcepti negotii ſalarium peti
poſſit, & pro ratione perſonæ & rei, cui opera præſtita, ejuſque qui præſtitit judicis arbi-
trio taxetur. Vide Rebuff. *ad conſtit. Reg. De famul. Salar. Gloſſ. 3.* Mornac. & Autumnus
ad l. 17. Cod. mandat. Buſ. *ad. l. 56. §. pen. & l. 6. ff. eod.*

Solvitur mandatum I. contrario conſenſu mutuo. *arg. l. 35. ff. De Reg. Jur. §. ult. Inſtit.* 14
Quib. mod. toll. obligat.

II. Tempeſtiva mandatarii renunciatione, hoc eſt ſi ita renuncietur, ut mandatori ean-
dem rem per alios exequendi integra cauſa reſervetur. *l. 22. §. ult. ff. mandati*, aut aliqua
alia juſta cauſa intervenerit cur renunciare tempeſtive non poſſit, aut non debeat, ut ſunt ad-
verſa valetudo, vis hoſtium, capitales inimicitiæ, *l. 23. §. 2. & ſeqq. ff. mandat.*

III. Contramandato, ut vocant, id eſt, ipſius mandati revocatione. *l. 12. §. pen. l. 15.
ff. mandati*, quod, quum ſolius mandantis gratia ſuſcipiatur, quondocunque revocari poteſt,
modo id fiat re integra. *§. 9. Inſtit. mandati*, aut ſi mandatario ex cauſa mandati ſuſcepti ali-
quid abeſſe cœperit, indemnis ſervetur. *l. 15. l. 26. ff. mandati.*

IV. Morte alterutrius, *§. 10. Inſtit. l. 26. l. 27. §. 3. l. 57. ff. mandati. l. 15. Cod.
eod.* Sic ut poſt mandantis mortem, nec ipſe procurator teneatur, nec heredes mandato-
ris obligentur, ut patiantur ulterius exequi, quod à defuncto mandatum erat. *d. l. 26. &
l. 27. §. 3. ff. mandati*, adeoque ipſo jure nullum eſt, quod mandatarius poſt mandantis
mortem fuerit executus, niſi ſe ignoraſſe probaverit. *§. 10. Inſtit. eod.* Iterumque nec
mandatarii heredes poſt ejus mortem mandatum exequi ulterius tenentur, eo quod ipſe
tantum perſonam ex amicitiæ, & officii ratione, non etiam heredes ſuos poſt mortem
obſtrinxiſſe, ejuſque ſolius induſtriam & fidem in mandato ſpectaſſe intelligatur. *l. 57. ff.
mandati.*

V. Et ultimo extinguitur mandatum negotio, quod mandatum, finito. Quod admodum
ſtricte ſumitur, ſic ut quicquid poſt negotium, ad quod conſtitutus mandatarius, finitum,
ab eo aut cum eo fuerit actum, niſi dominus probet, de jure nullum ſit. Quomodo pro-
curatori ad lites, lite finita, neque executionis competit actio, *l. 86. ff. De ſolut.* adeoque 15
para ipſamet ad executionem citanda: Neque ſolutio ei recte fieri poteſt *l. 13. ff. De pact.
junct. d. l. 86. ff. De ſolut.* Rebuff. *ad conſtit. Reg. tractat. de Sentent. execut. art. 7. Gloſſ. 11.
num. 22.* Papon. *lib. 6. tit. 4. Arreſt. 7.* Sigiſmund. Saceiæ *tractat. de Appellat. quaſt. 11.
art. 8. num. 188.* In Gallia tamen ex conſtitutione *Caroli IX. Ann. 1563. art. 7.* pro-
curator qui mandatum ſuſcepit miniſterium in cauſa præſtandi, cogitur comparere in in-
ſtantia in qua de arreſti vel judicii executione agitur, ſic ut novo mandato opus non ſit.

CAP.

Cap. XXV.

De Obligationibus ex quaſi Contractu.

Summarium.

1. *Quaſi contractus quid, & quotuplex.*

1 Quaſi contractus, eſt omne factum non turpe quo ipſo tacite, is qui fecit, vel alium ſibi obligat, vel ipſe obligatur alii, haud aliter ac ſi ita conveniſſet. Dicitur factum non turpe, ut a maleficio diſtinguatur, quod in delicti ſpeciem cadit. Horum factorum duo ſunt genera, rerum alienarum adminiſtratio, & hereditatis aditio. *Inſt. III. XXVIII. De Obligationibus quæ ex quaſi contractu naſcuntur.*

Rerum alienarum adminiſtratio alia eſt voluntaria, quæ voluntate gerentis ſuſcipitur, veluti quum quis abſentis negotia abſque mandato gerit, unde ultro citroque obligationes, actioneſque negotiorum geſtorum, veluti ex mandato naſcuntur, *§. 1. Inſtit. de Obligat. qua quaſi ex contract. tit. ff. & Cod. de Negot. geſt.* alia iterum neceſſaria eſt, quam quis invitus ſuſcipere cogitur, quæ iterum ex publica vel privata cauſa provenit: quomodo neceſſitate publici muneris, tutores & curatores aliena gerere coguntur; unde inter tutores & pupillos, adoleſcentes ac curatores, mutuæ obligationes & actiones naſcuntur. *l. 1. & tot. tit. ff. de tutel. & rat. diſtrah. l. 1. & tot. tit. ff. de contr. tut. act. l. 6. & l. 17. Cod. de Negot. geſt. l. 7. Cod. arbitrium tutel.* Ex neceſſitate rei privatæ, res alienas attingere coguntur illi, inter quos res aliqua communis eſt, ſive inter coheredes, unde ſi quis communium heredum propter partem ſuam, etiam totius gerendæ neceſſitatem habuerit, familiæ erciſcundæ mutuæ actiones comparatæ ſunt, ſive extra hereditatis cauſam, quomodo & inter eos, quorum alii pro rei communis neceſſitate etiam aliena geſſerunt, de communi dividundo judicium eſt: Quibus adde ex lege Rhodia de jactu, communem ſumptuum damnorumque contributionem eorum, quorum merces per aliarum mercium jactum, navis levandæ cauſa factum, conſervatæ ſunt. De quibus ſingulis

Cap. XXVI.

De Rerum alienarum adminiſtratione, ſive negotiis geſtis.

Summaria.

1. *Negotiorum geſtor quis, & quomodo à mandatario differat.*
2. *Quid præſtare debeat.*
3. *An de leviſſima culpa teneatur.*
4. *Ad quid teneatur is cujus negotium geſtum eſt, pro geſtoris indemnitate.*
5. *Quænam pupillo competat actio ex tutela adminiſtratione, & ad quid tutores ex eadem cauſa teneantur.*
6. *Ad quid tenentur pupilli tutoribus pro eorundem indemnitate.*

1 Negotiorum geſtor eſt is, qui alterius negotia abſque mandato ſpontè gerenda ſuſcipit. *l. 1. ff. de negot. geſt. §. 1. Inſtit. De obligat. qua quaſi ex contr.* differt à mandatario in eo, quod is ex voluntate & conſenſu domini, hic, nec volente, nec nolente, ſed ignorante domino, intercedat, conſenſuro tamen, ſi ſciret: *arg. l. 2. ff. De negot. geſt.* requiritur enim tale negotium, quod dominus ſolitus fuerit ipſe gerere, aut aliis demandare. *Dig. III. XX. Cod. II. XIX. De negotiis geſtis.*

2 Qui alienum negotium gerendum ſuſcepit, duplicem obligationem in ſe recipit, geſti & non geſti; quod enim ſemel ſuſcepit, explicare & conſummare debet, *l. 21. §. 2. ff. De negot. geſt.* quarum iterum duæ præſtationes ſunt, geſti, ut quod negotii occaſione ad eum pervenit, cum fructibus & uſuris reſtituat. *l. 2. ff. De negot. geſt. l. 19. §. 4. l. 37. §. 1. ff. eod. l. 24. Cod. De Uſuris.* de damno, ſi quod ex ejus mala adminiſtratione dominus patiatur, teneatur: *l. 9. ff. eod.* Non geſti, ut lucri ceſſantis, & damni propter negligentiam dati æſtimationem præſtet. *l. 11. ff. De negot. geſt.*

3 Quare nec heredem de dolo tantum & culpa levi, ſed & leviſſima teneri, exactiſſimamque diligentiam præſtare volunt, *arg. §. 1. Inſtit. de obligat. qua quaſi ex contract. l. 21. Cod. mandati.*

quod in eo fundari putant, quod ultro ſeſe obtulerit, & rei ad ſe non pertinenti immiſcuerit, quod qui facit, diligentiam ſuam quodammodo polliceri videtur. *l. 1. §. ſæpe. ff. depoſiti. l. 36. ff. de Reg. Jur.* Quibus & caſum fortuitum addunt, cui culpa ejus cauſam dederit. Quod quum admodum durum ſit, præſertim iis qui mera affectione ducti ſolius ejus gratia, cujus negotium geritur, ne forte damnum patiatur abſens, ad res ejus accedunt; nec ad omnes caſus commode applicari poſſit; *l. 3. §. 9. ff. de negot. geſt.* adeoque, ſi nec ſufficeret ea diligentia, quam quis ſuis rebus ipſe adhiberet, abſentium negotia facile deperirent, quomodo etiam argumentatur Imperat. *in §. 1. Inſtit. De obligation. quæ ex quaſi contract. circa medium*, judicis arbitrio illud potius pro varia negotiorum conditione, & qualitate, relinquendum eſt, ut eam diligentiam præſtet, quam ipſum negotium deſiderat.

Quomodo ſi negotia plane ſunt deſerta, quæ vel ipſe dominus forte neglexiſſet, de dolo tantum & lata culpa tenebitur. *l. 3. §. 9. ff. De negot. geſt.* Si negotia ſunt talis, ut alius quilibet ea ſuſcepiſſet, de dolo, lata & levi culpa tenetur. *d. l. 3. §. 10. ff. eod.* ſi vero talia ſint, ut diligentiſſimus quiſque ſuſcepiſſet, ejus etiam diligentiam profiteri videtur, qui eo caſu aliquid ſuſcipit, tenebiturque de dolo, lata, levi, & leviſſima culpa. *§. 1. Inſtit. De obligat. quæ ex quaſi contract. l. 17. l. 20. Cod. de negot. geſt.* Non de caſu fortuito, niſi & ejus culpa cauſam dederit. Pro hac diſtinctione facit etiam *l. 6. §. ult. ff. De negot. geſt.*

Ne autem huic negotiorum geſtori officium ſuum ſit damnoſum, tenetur & is cujus negotium geſtum eſt, ei qui geſſit, utili actione refundere, id, quod ei ratione negotii geſti, abeſt, aut pro eo, quod quandoque abfuturum eſt, indemnitatem præſtare tenetur, *§. 1. Inſtit. De obligat. quæ ex quaſi contract. l. 5. ff. De obligat. & act.* Abeſſe intelligitur, non ſolum quod de ſuo erogavit, ſed quod propter geſti cauſam conſecutus non eſt, quum alioqui conſequi potuiſſet. *l. 2. l. 58. ff. l. 10. l. 18. Cod. De negot. geſt.* Abfuturum, in quod ſe propter negotium obligavit. 4

Diximus utili actione, quia tantum competit his qui utiliter geſſerunt: qui inutiliter, actionem non habent. *l. 2. ff. De negot. geſt.* Non quidem ut res utilem habuerit ſucceſſum, ſed quum faciebat fecerit utiliter, ita ut ex eo utilis effectus provenire potuerit, etiamſi effectu ſuo caruerit. *l. 10. §. 1. ff. De negot. geſt.*

Secunda ſpecies quaſi contractus eſt tutelæ adminiſtratio, ex qua pupillo directa tutelæ actio competit. *§. 2. Inſtit. De obligat. quæ quaſi ex contract.* qua Tutores, ex publici muneris neceſſitate, velut ex contractu pupillis ſuis ad reddendas rationes, & reliqua inferenda obligantur. *l. 1. ff. De tutel. & rat. diſtrah. l. 7. 9. Cod. arbitr. tutel.* & præterea præſtare tenentur, quicquid eorum dolo, lata, aut levi culpa amiſſum, vel non acquiſitum ſit, quum conſervari aut acquiri potuiſſet. *d. l. 1. l. 18. ff. De tutel. & rat. diſtrah. l. 4. & l. 7. Cod. arbitr. tutel. l. 23. Cod. De Adminiſtrat. tutor. l. 3. Cod. De pericul. tutor.* Non tamen de leviſſima culpa tenentur, ſed ſi pro captu ſuo bona fide fecerint quod poſſunt, eamque diligentiam quam ipſi ſuis rebus adhiberent, præſtiterint, non ulterius teneri conſtat. *d. l. 1. ff. De tutel. & rat. diſtrah. l. 7. Cod. arbitr. tutel. junct. l. 33. in pr. ff. De adminiſtrat. tutor.* 5

D. xxvii. iv. Cod. v. lviii. De contraria tutela & utili actione.

Et viciſſim pupilli, quaſi ex contractu mutuo tutoribus ſuis tenentur, quicquid in rem eorum impenderint refundere, & præterea ab interpoſitionibus aliiſque promiſſis, quibus ſe, ſuaſve res pro illis obligaverint liberare, aut indemnes ſervare. *l. 1. in pr. l. ult. ff. De contrar. tutel. act. l. ult. Cod. eod.* Quibus accedit, quod moribus noſtris quum tutelæ munus oneroſum ſit, quo ſæpiſſime à rebus ſuis neceſſariis avocentur tutores, ne officium illis ſuum fiat damnoſum, ſalarium etiam pro ſua adminiſtratione petere poſſint: Illudque iis ſi petierint, judicis officio, pro re nata concedi poſſit. *arg. l. 7. ff. Teſtam. quemad. aper. junct. l. 33. §. ult. ff. De adminiſtrat. tutor.* Vide Anton. Fabr. *ad Cod. lib. 5. tit. 36. defin. 1. num. 3.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 11. defin. 40. in fin.* Grot. *Introduct. lib. 1. cap. 9. verſ.* **Voogden zijn ſchuldig.** & quæ notavimus ſupra *lib. 1. cap. ult. circa fin.* Cæterum notandum, hic de tutoribus dicta etiam ad Curatores & adultos, mutatis mutandis, pertinere. *l. 8. §. 1. ff. de reb. eor. quæ ſub tut. l. 3. 4. & 7. Cod. arbitr. tutel.* Præſertim moribus, quibus tutelam etiam in curam tranſiiſſe notavimus ſupra, ubi de Curatoribus. 6

Cap.

Cap. XXVII.

De Familiæ erciſcundæ, & communi dividundo Judicio.

Summaria.

1. *Bonorum communio ex ipſa re in quibus conſiſtat, an & quo judicio ab ea diſcedi poßit.*
2. *Quæ ſit in ea præſtationum utrimque actio.*
3. *Familiæ erciſcundæ judicium quid ſit, & ad quid eo nomine heres condemnandus ſit.*
4. *De Communi dividundo judicium quid, & quid pro eo præſtandum.*
5. *Quomodo diviſio bonorum communium facienda, & quid ab altero alteri facta diviſione præſtandum.*
6. *Diviſio inter fratres in* Germania *&* Saxonia *quomodo facienda.*
7. *In* Hollandia *viciniſque regionibus bonorum inter plures communium diviſio quomodo facienda.*
8. *Uſus rei communis diviſio quomodo facienda.*
9. *Chartæ, tabulæ, aliaque inſtrumenta ad communionem pertinentia apud quem manere debeant.*

QUaſi contractui etiam annumeratur bonorum aut rerum communio extra ſocietatem contingens, *§. 3. Inſtit. de obligat. quæ quaſi ex contract.* Hæc eſt aut hereditatis inter coheredes, aut rerum ſingularum inter eos quibus eadem res donata aut legata eſt, quive ſimul eandem rem emerunt, aliove juſto titulo ſine ſocietatis affectu pro indiviſo poſſident. Quæ communio ita inter aliquos conſtituta duas obligationes parit.

1 Prima & præcipua eſt, qua conſortum alter alterum conſtringere poteſt, ut ſua cuique parte adjudicata, à communione, quam ſuſcipere nec retinere quiſquam cogitur, *l. 26. §. 4. ff. de condict. indebit. & l. ult. comm. divid.* diſcedatur: *l. 1. ff. famil. erciſcund. l. 1. ff. commun. divid. §. 20. Inſtit. de actionib.* quæ pro hereditatis diviſione familiæ erciſcundæ, pro alterius rei communi dividundo judicio, exequitur, *tot. tit. ff. & Cod. famil. erciſcund. & commun. dividund.*

2 Alia eſt, ut præſtationem ad communionem pertinentium, etiam diviſio ſive collatio inter conſortes pro rata fiat, cujus non tantum in ipſa diviſione habetur ratio, ſed ad quam etiam in communione manentes, obſtricti ſunt, *l. 22. §. 4. ff. famil. erciſcund. l. 4. §. 3. ff. commun. divid.*

3 Ita in actionem familiæ erciſcundæ, ſive hereditatis dividendæ veniunt, non ſolum ipſa hereditas, ſed & omne lucrum & damnum quod ex ipſa hereditate provenit, *l. 8. §. ult. l. 9. & ſeq. ff. famil. erciſcund.* adeoque heres coheredi eo quoque nomine judicio familiæ erciſcundæ condemnandus eſt, quod ſolus fructus fundi hereditarii perceperit, vel rem hereditariam corruperit conſumpſeritve, vel quod coheres in rem communem impenſas fecerit, quas propter partem ſuam neceſſe habuit facere, *§. 4. Inſtit. de offic. judic. l. 16. §. pen. l. 18. §. 3. l. 25. §. 15. §. 18. l. 44. §. 5. ff. famil. erciſcund.*

Dig. x. II. Cod. III. xxxvi. Familiæ erciſcundæ.

4 Idemque fere locum habet in communi dividundo actione, quæ eodem fine, iiſdemque rebus conſtat, quibus familiæ erciſcundæ judicium, rerum ſcilicet communium diviſione, & perſonalium præſtationem ineunda ratione, *l. 3. l. 6. §. 1. & ſeq. ff. comm. dividund.* Nec in alio differunt, quam quod communi dividundo actio ſit ſingularis cujuſcunque rei communis, familiæ erciſcund. rei univerſalis, nec cujuſcunque, ſed ſolius rei hereditariæ, *l. 1. §. 2. ff. famil. erciſcund. l. 2. in pr. ff. commun. divid.* Vocatur hæc actio duplex, eo quod uterque litigantium ſuſtineat partes actoris & rei, *l. 2. §. 1. ff. communi dividund. l. 13. ff. de jud.*

Dig. x. III. Cod. III. xxxvii. De communi dividundo.

5 Diviſio autem facienda eſt prout commodius poteſt, ut ſi plures ſint res, aut ſi de re una dividenda agatur, quæ facile dividi poteſt, veluti ædificiorum intercapedines per muros aut ſepes. Vide Grot. *Introd. lib. 2. cap. 34. verſ.* **Een mupt.** fundi aut agri per foſſas regionibus diſtinctas, ſingulæ ſingulis portionibus dandæ ſunt, & ſi cujus portio major eſſe videbitur, is viciſſim ſocio in certam pecuniæ ſummam ſit condemnandus, ut æqualitas per omnia ſervetur, *l. 52. §. 2. & l. 55. ff. famil. erciſcund. l. 1. Cod. commun. dividund.* Si autem res ſit, quæ nullas partes pro diviſo aut non ſatis commode recipiat, tota uni adjudicanda eſt, & is alteri certa pecunia damnandus, *l. 3. Cod. commun. divid. §. 4. 5. Inſtit. de offic. judic.* Dividenda enim alia bona non ſunt quam quæ commode dividi poſſunt, & eo modo quo poſſunt. *l. 25. §. an ea ſtipulatio. ff. famil. erciſcund.* & præterea curare debet Judex, ut ei cui res illa ſub onere refundendi pretii adjudicatur, à conſortibus de evictione caveatur, *l. 16. contr. cap. 68.* Caballin. *de evict. §. 4. poſt. num. 51.*

Andr. Gail lib. 2. abſerv. 14. num. 6. Quam quidem diviſionem (ſive à Judice ſive ab arbitris diviſoriis fiat rerum hereditariorum juſta æſtimatio, l. 34. ff. famil. erciſcund. atque inſuper ne quis ſe inæquali portione præ cæteris gravari forte conqueratur, quantumvis ipſæ partes ſibi invicem, ſive pecuniæ æſtimatione, ſive contributione alicujus ſummæ à majori, in minorem partem conferendo, ſive alio modo fuerit adæquata) per fortem cuique aſſignari oportet, l. 5. ff. famil. erciſcund. l. 3. in pr. Cod. commun. de legat. aut alias per publicam venditionem plus licitanti offerri, l. 1. l. 3. Cod. commun. divid. Niſi forte conſortum partes fuerint inæquales, & res commodam diviſionem non recipiat, quo caſu præferendus eſt is, qui majorem portionem ejus rei habet, arg. l. 34. §. 2. Cod. de donat. l. 10. ff. de Stat. homin. & l. 1. in fin. ff. de privileg. cred. Sichard. in l. 1. Cod. commun. divid. Barr. in l. ult. Cod. commun. de legat. Vide porro Weſenbec. ad tit. ff famil. erciſcund. num. 6. Schneiduin. ad § quadam actiones 20. Rubr. de act. famil. erciſc. num. 61. Menoch. de arbitrar. judic. cent. 2. caſ. 123. num. 1. & lib. 2. cent. 5. caſ. 442. Quomodo porro in praxi receptum teſtantur Ant. Fab. ad Cod. lib. 3. tit. 25. defin. 2. num. 1. Matth. Coler. part. 1. deciſ. 54. num. 1. Carpzov. definit. Forenſ. part. 3. conſtit. 15. defin. 1. in fin. Grot. Introd. lib. 3. cap. 28. verſ. De Verbintenisse / & seqq. Joann. à Sande. lib. 4. tit. 11. defin. 4. Chriſtin. ad leg. Mechlin. tit. 16. art. 44. num. 6. & art. 47. num. 3.

In Germania quidem & Saxonia, in diviſione hereditatis inter fratres, majori dividendi, minori eligendi ſive optandi jus conceditur, arg. cap. 1. de Paroch. teſte Andr. Gail lib. 2. abſerv. 116. num. 12. Mynſinger. centur. 4. obſerv. 37. num. 14. Carpzov. defin. Forenſ. part. 3. Conſtit. 15. defin. 2. Quod non tantum inter Ruſticos, ſed etiam inter Cives & Nobiles etiam in bonis feudalibus ibidem obſervari teſtatur idem Carpzov. d. loca defin. 3. & defin. 8, etiam tum, quum bona commode dividi nequeunt, quo caſu facta bonorum æſtimatione adhuc minori fratri competit optio, utrum prædium feudale an pretium conſtitutum eligere malit, arg. l. 3. Cod. comm. divid. l. 7. in pr. ff. commun. divid. Carpzov. dict. defin. 8. & defin. 9. 6

Quod & Hollandiæ vicinorumque Regionum moribus convenit, quibus plerumque obtinet, ut in rebus commodam diviſionem recipientibus, juſta rei æſtimatione præcedente, tot fiant partes, quot ſunt coheredes, ac tum ſorti etiam res committatur; ſi vero indiviſibilis ſit, alter æſtimet, alterique offerat, ut vel ſic emat, vel coheredi vendat, vulgo te geef ofte te neem / vel etiam pluris licitando inter ipſos coheredes, eoſque ſolos vendatur; Vide Chriſtin. vol. 3. deciſ. 116. num. 13. Statut. Antverp. tit. 47. art. 42. Mechlin. tit. 16. art. 47. Leydenſ. art. 123. Delphenſ. tom. 1. cap. 75. generaliter obtinere putat Grot. Introd. lib. 3. cap. 28. verſ. 't Gunt by ſtucken. Quod tamen ab aliis improbatur, qui, quum ſæpe eveniat, ut æſtimator dives ſit, conſors pauper, cui nec emere integrum eſt, nec injuſte æſtimato carere expedit, ſi aliter inter conſortes conveniri non poſſit, ad publicam venditionem procedendum rectius volunt, arg. l. 1. in fin. Cod. comm. divid. & ibi DD. Vide Statut. Ultraject. Rubr. 25. art. 4. 5. Radelant. Cur. Trajectenſ. deciſ. 123. Zypæ. Notit. Jur. Belg. Rubr. famil. erciſcund. in fine princip. Anton. Fab. ad Cod. lib. 3. tit. 27. defin. 14. num. 1. Carpzov. defin. Forenſ. part. 3. conſtit. 15. defin. 40. 7

Quæ autem & quales partes in rebus diviſionem recipientibus, veluti in fundis & prædiis ruſticis fieri debeant, aut quomodo diviſio illa facienda ſit. De moribus noſtris teſtatur Grot. Introd. lib. 3. cap. 28. verſ. Op veele plaetſen: fundorum aut prædiorum diviſionem fieri è longinquo per fundorum longitudinem, non à latere, aut per latitudinem fundorum, incipiendo ab ea parte quæ mare aut flumen publicum proprius ſpectat. Prout etiam à Rhenolandiæ incolis pro interpretatione earundem Conſuetudinum ſive ſtatutorum art. 53. turmatim probatum legimus, 18. Novemb. 1561. dict. Stat. pag. mihi 211.

Iiſdem fere modis quibus dominii, etiam uſus rei communio dividitur, per temporum ſive annorum vices utendo, ſi omnes eodem jure gaudeant inter ſe, arg. l. 19. §. fin. ff. commun. divid. aut alias ſi conveniri nequeant inter ſe, per licitationem inter ipſos conſortes factam, cedat illi qui majorem mercedem, ſive penſitationem obtulerit, per quodlibeticam æſtimationem ab uno factam pro qua, aut ipſe rei uſum accipiet, aut alteri utendo tradere cogatur, prout, pro diverſitate ſtatutorum aut conſuetudinum eſt receptum, vide Stat. Antverp. d. tit. 47. art. 2. Leydenſ. d. art. 123. Qui vero plus juris in ipſa re habet, electionem habet, utrum in uſu rei pro oblata mercede præferatur, aut alteri cedat, arg. d. l. 34. §. 2. Cod. de Donat. & l. 3. Cod. commun. divid. 8

Authenticæ chartæ, tabulæ, aliaque inſtrumenta ad communionem pertinentia apud eum 9
ma-

manent, qui majorem rei partem habet, *l. 4. §. fin. l. 5. ff. famil. erciſcund.* Si omnes ex iiſdem partibus veniant, ſiquidem de hereditate communi agatur, apud natu maximum, ſive ſeniorem: *l. ult. ff. de fide inſtrum.* Stat. Ultraject. *Rubr. 23. art. 19.* in cæteris, ſorte dirimendum eſt, aut ex conſenſu, vel ſuffragio eligendus eſt, apud quem deponantur: *d. l. 5. in fin. ff. famil. erciſc.* cautione tamen interpoſita, ut quoties res exegerit, exhibeantur, *d. l. 5. in fin. pr. l. 8. ff. eod. in pr.*

Cap. XXVIII.

De finibus conterminis diſtinguendis.

Summaria.

1. *Contermini fines quomodo diſtinguendi & probandi.*
2. *Quomodo noviter conſtituendi.*
3. *De lucri & damni contributione, & de culpa.*

Ex conterminis finibus etiam quaſi contractu tenentur illi, qui conterminos fines poſſident, ad hoc ut finium perfecta diſtinctio fiat, & veteres termini ſive fines inundatione, vetuſtate, confuſione, aliove modo amiſſi, & corrupti renoventur, *l. 8. l. 11. ff. fin. regundor. §. 6. Inſtit. de officio Judic. §. 20. Inſtit. de Actionib.* Dig. x. 1. Cod. III. XXXIX. Finium Regundorum.

1 Finium termini apud nos fere diſtinguuntur in hortis olitoriis per ſepimenta, vulgo **heyningen oſte ſchuttingen**/ ad ſeptem aut ſex ad minimum pedum ex terræ planicie in altitudinem exſurgentia. In paſcuis vero, & reliquis fundis per foſſas ad ſeptem communiter pedum latitudinem diviſas, ita tamen ut quemadmodum ſepimentorum, ita & foſſarum interjacentium proprietas atque uſus utrimque communis ſit, niſi aliter convenerit, Gloſſ. *in l. 2. §. 1. in verb. confinio ff. de aq. pluv. arcend.* Hi ſi amiſſi aut vetuſtate confuſi fuerint, ut reſtituantur & renoventur, primo inſpicitur, quo modo & loco termini hactenus obſervati, & poſſeſſi fuerint. *l. 3. Cod. fin. regund.* obtinetque is qui poſſeſſionem juſtam probaverit. *cap. in pari. De Reg. Jur. in 6. §. 4. Inſtit. de Interdict.* Niſi adverſarius de Jure proprietatis, aliiſque finibus docuerit. *cap. ex litteris. De probat.* Qui probari poſſunt, non tantum ex ſcriptura, aut teſtibus, ex rumore, & antiqua fama deponentibus. *l. 8. l. 11. ff. fin. regond. l. pen. ff. & l. 1. Cod. eod.* ſed & veteribus monumentis, ſepibus, foſſis, arboribus, & truncis. *d. l. 11. ff. fin. regund.* Vide Maſcard. *de Probat. concluſ.* 394. *& ſeq.*

2 Quomodo autem termini conſtituendi ſint, judicis arbitrio committendum eſt, qui quidem quantum fieri poteſt veteres terminos, per geometras, aut agrimenſores, quorum opera utriuſque partis ſumptibus uti poteſt, reſtituere debet, *d. l. 8. l. 11. ff. fin. regund.* ſi modo commode dirimi poſſint, vel quia obſcura ſunt utriuſque partis, tam poſſeſſionis quam proprietatis jura, vel ob aliam incommoditatem, poteſt judex veteris obſcuritatis amovendæ gratia, novos fines per aliam regionem, ubi commodum fuerit, dirigere, etiam ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adjudicando, ſi modo eum ut alteri certam pecuniam eo nomine præſtet, damnet. *l. 2. l. 3. & l. 4. §. ff. fin. Regund.* Quæ ut rectius fiant, ipſe judex ſuis oculis loca de quorum finibus agitur, inſpiciat, & in rem præſentem eat, & tranſeat, omniaque ad rem pertinentia perſcrutetur, aut ſi per occupationes non liceat, agrimenſores mittat, per quos jubeat, utraque parte præſente cauſam examinari, & per dimenſionem agrorum terminos declarari, ut ex eorundem relatione finium regundorum quæſtio decidatur. *l. 8. ff. l. 3. Cod. fin. regund. l. 44. ff. De recept. arbitr.* Atque ita moribus receptum teſtatur Chriſtin. *vol. 2. deciſ. 185. num. 4.* Quod & nobis paſſim ſervatur: Ut Agrimenſores mittantur, qui poſt menſurationem certos terminos ponunt, quos Judici referunt, qui eorundem factum ſententia ſua confirmat: ut ſic ſemper ſententia ſit certiſſima. Quibus adde quod honorarium ſuum, ab utraque parte accipiunt, etiamſi unus tantum litigantium in cauſa fuerit, cur res debuerit menſurari. Hanc materiam ex profeſſo tractant Hieron. de Monte *tract. De finib. Reg.* & Johannes Ottieger. *de Jure ac controverſ. limit. & finib. Reg.*

3 Perſonales præſtationes, quas præter ipſius rei diviſionem in hæc judicia venire diximus, aut lucri aut damni, aut impenſarum nomine veniunt. *l. 34. junct. l. 31. ff. pro Socio. l. 3. ff. commun. divid.* Quomodo inter eos, qui aliquo prædictorum modo rem inter ſe communem habent, quicquid lucri ad unum ex conſortibus ex re communi pervenit, tam ante, quam poſt diviſionem factam

factam cæteris quoque communicari debet. *l. 6. §. 2. ff. commun. divid. l. 25. §. 15. ff. fam. erciſc.* Et ſi quid damni in re communi unius culpa datum factumve fuerit, id cæteris pro cujuſque portione ſarcire debet. *l. 16. §. pen ff. famil. erciſcund. l. 25. §. 18. l. 44. §. 5. ff. eod.* Culpam tantum latam, & levem intellige, non etiam leviſſimam, eo quod ſocius propter ſuam partem gerendi cauſam habuit. *d. l. 25. §. 16. ff. eod.* Impenſæ, quæ ob uno in rem communem factæ ſunt, quas propter partem ſuam facere debuit, à cæteris pro rata reſtitui & præſtari debent. *§. 3. Inſtit. de oblig. quæ quaſi ex contract. l. 18. §. 3. ff. famil. erciſc.*

Cap. XXIX.

De Jactus contributione.

Summaria.

1. *Lex Rhodia de jactu.*
2. *Qui & quæ in contributionem jactarum mercium venire debeant & num. 5.*
3. *Propter quod damnum.*
4. *Merces amiſſa quomodo in jactarum mercium aliorumve damnorum contributione æſtimanda.*
6. *Jactarum mercium qualitas & quantitas quomodo probanda.*
7. *Adverſus quem pro amiſſarum mercium contributione ejuſque executione, competat actio.*
8. *An magiſtro navis retentio mercium pro contributione loco pignoris, aut tacita hypotheca eſſe recte dicatur: diſtinguend. contra communes.*
9. *Jactus contributio alia communis, alia grandis quæ.*
10. *Quæ merces à quo & quo ordine aut modo jactanda.*

Dig. xiv. 11. De lege Rhodia de jactu.

COmmode etiam hiſce annectitur materia legis Rhodiæ de jactu, qua cautum eſt, ut ſi levandæ navis cauſa jactus mercium factus fuerit, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt, *l. 1. ff. ad leg. Rhod. de jactu.* æquiſſimum enim eſt, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amiſſas res aliorum, conſecuti ſunt, ut merces ſuas ſalvas haberent. *l. 2. in fin. pr. ff. De leg. Rhod. de jact.* Quæ contributio, noſtro, aliarumve Europæ gentium navali jure, Avaria, ſive Havaria, dicitur à verbo **Haben**/ quod portum denotat, quaſi dicas, id per quod navis cum mercibus ſalva in portum redacta eſt. De cujus vocis origine atque ſignificatione diſſerit Marc. Zuer. Boxhorn. ad Arnold. Vinn. ſuper ejuſdem ad Peccii *De Re navali obſervationibus.* 1

In Avariæ contributionem veniri debent omnes quorum & quatenus intererat navem ſalvam eſſe, etiam ipſe dominus ratione navis ſuæ, & ipſi vectores ratione ſarcinarum, vel aliorum impedimentorum, etiam veſtimentorum, gemmarum, margaritarum, & annulorum nomine quos in digitis habent. Pecuniæ item numeratæ, ſeu nummorum nomine, contributio fieri debet. *l. 2. §. 2. ff. De lege Rhod. de jact.* Quod & moribus noſtris ſervatur, per ea quæ ſtatuit Philipp. II. *leg. Nautic. ult. Octobr. 1563. tit.* **van Schip-breeck / Zee werp** / *art. 7.* Atque ita deciſum refert Quintin. Weytſ. *tract.* **van Avarye** / *verſ* **questie of't Geldt.** Exceptis ſolis veſtimentis quotidianis aliiſque ordinario cultui & amictui ſervientibus, quorum nulla habeatur ratio, contra *d. l. 2. §. 2. ff. De Leg. Rhod.* vide *leg. Naut.* Philippi II. *de art. 7.* Quod idem de Gallorum moribus aſſerit Autumn. *Confer. du droict. & cenſur. Gall. ad d. l. 2. §. 2.* Quomodo etiam intelligendus *leg. Nautic* Wiſbuyc. *art. 20.* Ubi & Remiges cæterique navicularii præter magiſtrum, ſeu navis dominum ſarcinarum ratione contributioni obnoxii dicuntur, earum ſcilicet quas præter ea, quæ quotidiano illis ſunt uſui aut ſi quæ ſint exigui momenti, nec magnopere modum excedentia, quæ illis ex liberalitate extra communem contributionem, libera retinere, ut plurimum permittitur. Vide Quintin. Weytſen **Tract. van Avarye** / *verſ.* **Ende alle de Boots-geſellen.** Coren *obſerv. 41. num. 3. in Not.* 2

Cibaria etiam, quia eo caſu quo aliorum cibaria deficiunt ſingulis communicanda veniunt, de quo vid. Grot. *de Jure belli. & pac. cap. 2. num. 6.* in contributionem non veniunt, *l. 2. §. 3. in fin. ff. ad leg. Rhod. de jact.*

Nec tantum propter jactum mercium, ſed & propter quodlibet damnum, aut detrimentum, quod navis ſalvandæ cauſa obvenit, aut aliarum rerum conſervandarum cauſa factum eſt, puta ſi malus, clavus, anchoræ, rudentes, aliave tumultuaria armamenta removendi communis periculi cauſa dejecta fuerint. *l. 2. §. in fin. & ibi* Arn. Vinn. ad Pecc. *litt. A. l. 3. l. 4. in pr. l. 5. §. 1. ff. De leg. Rhod. de jactu.* 3

Idem-

Idemque juris eſt ſi voluntate vectorum, aut alias ex conſilio majoris partis, navis in littus impegerit in *leg. Naut.* Philippi II. *Anni* 1563. *tit.* **van den Schippers.** *verſ.* **Het Schip heeft doen ſtranden** / *art.* 4.

Sed quod vi tempeſtatis extra jactum aut deſecationem communi conſenſu factam, amiſſum, fractum aut corruptum eſt, in contributione non computatur, *d. l.* 2. *§.* 1. *ff. de Leg. Rhod. de jact.* conveniunt *leg. nav.* Philippi *art.* 8. *tit.* **Van Schip-breeck** / item *leg. nav. Wiſbuycenſ. art.* 12. Weytſ. *tract.* **Van Avarye** / *verſ.* **'tgunt by Tempeeſt.** Excepto ſi fracto malo, & una cum corbe, & artemone ita dejecto, ut navi adhuc hæreat, vitandi periculi, amovendique fruſti fractæ arboris cauſa, rudentes aliaque erecta armamenta cædi neceſſe fuerit, Weitſ. *d. tract. circa fin.*

Servorum quidem corporum mancipia vendi poſſunt, æſtimationemque recipiunt, *tot. tit. Cod. Si ſerv. export. ven.* quare etiam in contributionem venire dicendum eſt: liberi autem hominis, quemadmodum libertatis, ita nec corporis æſtimatio eſt, *l.* 106. *ff. de Reg. Jur. l. fin. ff. De his qui dejec. & ibi* DD. Ideoque nec in damnorum contributione liberorum corporum contributionem fieri cautum eſt. *l.* 2. *§.* 2. *ff. De leg. Rhod. de jact.* Sed moribus quibus liberi omnes naſcimur etſi hominum ſive corporum liberorum certa æſtimatio non ſit, receptum tamen eſt, ut ſi quis in miniſterio navis, aut conflictu, ſeu certamine, cum hoſtibus aut piratis læſus, vulneratus, mutilatus aut occiſus fuerit, hujus detrimenti reparatio cum plena mercede & vectura, & ſepulturæ ſumptibus computanda ſit, omneque ejus rei damnum communi navis & mercium contributione ad boni viri arbitrium debeat reſarciri, *leg. Nav.* Caroli V. *art.* 28. & Philippi II, *art.* 2. *tit.* **Van Schip-breeck / Zee-werp.** Illudque convenit, cum *leg. nav. veterum Hanſeatic. Civitat. art.* 35. Vide etiam Grot. *Introd. lib.* 3. *tit.* 29. *verſ.* **Wie in Schip dienſt.**

Illud tamen notandum quod dictæ contributioni locus non ſit, niſi navis ſalva evaſerit, adeo ut ſi ſcapha cum mercium parte ſalva ſit, navis perierit, earum quæ cum navi periere ratio, ſuper mercibus ſalvis, haberi non debeat. *l.* 4. *in pr. verſ. contra ſi ſcapha ff. de leg. Rhod. de jact.* vide Strach. *de nav. part.* 2. *num.* 19.

Præterea quod Piratis pro redimenda navi ſolutum eſt, etiam in Avariæ contributionem venire debet, *d. l.* 2. *§.* 3. *ff. de leg. Rhod. de jactu.* Quod vero Prædones abſtulerint ex alicujus mercibus, iſque ſuas merces redemerit, alii hoc damnum ſarcire non coguntur, *d. §.* 3. Weitſ. *d. tract. verſ.* **Ende uyt het gunt voorſz.** Ratio eſt, quod hoc damnum voluntarium non ſit, nec omnium cauſa datum, quod inſpici debet. Hinc ſi Prædo, perſuadente & demonſtrante nauta, has potius quam illas merces abſtulerit, quoniam eo ipſo factum ſit, ut reliquæ merces ſalventur, quod eo nomine ablatum eſt, contribuendum eſſe eadem ratio dictat, *arg. d. l.* 2. *in fin. pr. ff. ad leg. Rhod. de jact.* maxime quum ſemper præſumendum ſit, nautam pro commodo mercatorum merces viliores demonſtraſſe, damnumque minus majori antepoſuiſſe. Weitſ. *d. tract. verſ.* **Nu is de queſtie.**

4 In hac contributione duplex æſtimatio conſideranda eſt, æſtimantur enim res ſive merces ejectæ pro ratione damni dati, tantum ad valorem ejus quanti veriſimiliter fuerint emptæ, ſalvæ vero ad rationem lucri ejus quanti eo loci quo deſtinatæ divendi poſſent, *l.* 2. *§.* 2. *& §.* 4. *ff. de leg. Rhod.* Quam quidem æſtimationem *leg. nav.* Philipp. II. *Anni* 1563. *tit.* **Van Schip-breeck / Wiſbuyſche zee-regten** / *art.* 28. *contra. d. l.* 2. *§.* 4. tam ſuper ejectis quam ſalvis mercibus, ſine ulla diſtinctione, ad rationem ejus pretii, quo loco deſtinato venire poſſent, faciendam eſſe volunt, detractis prius vectigalium, aliorumque ſumptuum impenſis, additoque rurſum ipſius navis pretio, aut integra nautarum mercede, prout exercitores navium, quibus ea optio datur, arbitratu boni viri intercedente elegerint: quam diſtinctionem etiam ſequitur Grot. *Introduct. lib.* 3. *cap.* 29. *verſ.* **Tot verlijckinge.** Verum nunquam id aliter quam ſub hac ſolummodo diſtinctione receptum videtur, ut, ſi jactura mercium facta ſit, antequam dimidium cœpti itineris fuerit perfectum, amiſſæ merces quanti emptæ ſunt æſtimentur, ſi vero dimidio itineris ſuperato jactus fiat, ejus pretii æſtimatio ineatur, quo venditæ fuiſſent loco diſtinato, teſte Quintin. Weitſen, *tract.* **van Avarije** / *verſ.* **in de Taxatie.** vide Coren *obſerv. rer. in ſupr. Cur. jud.* 41. *num.* 4. *in marg.* & Arnold. Vinn. in *obſerv. ad* Pecc. *De Re Nautic. ad l.* 2. *§.* 3. *& de leg. Rhod. de jact. litt.* D. Ubi idem Italiæ, & Angliæ, *leg. nav.* cautum refert, ex William Wilwod. in ſuo *Abridgement of all zea lawes. tit.* 21. *in pr. &* Auth. lib. *Del conſolato de Marinari. cap. in che modo ſi debba contare roba gettata.* Pecuniæ autem, ſive nummorum æſtimatio, non ad extrinſecum, ſive impoſititium, ſed intrinſecum valorem fieri ſolet. Weitſ. *tract.* **van Avarye** / *verſ.*

queſtie oft 't gelt Grot. *Introd. lib. 3. tit. 29. verſ.* gemunt gelt. leg. Nav. Philippi II. *tit.* van Schipbreeck. *art. 7.*

Quibus ita æſtimatis quiſque pro rata mercium & bonorum tam amiſſorum quam ſervandorum computanda, æqualiter ad damni reſtitutionem tenetur, adeo ut ne ipſe dominus mercium amiſſarum, dejectarumve ejuſdem contributionis aut defalcationis patiendæ immunis ſit, ſed & ipſe in proprii ſui damni collationem pro tota teneatur, *l. 3. §. 2. ff. de leg. Rhod. de jact.* Quintin. Weiſſ. *d. tract. verſ.* nu is de vrage.

6 Hæc quidem de ineunda rerum & mercium æſtimatione. Sed quid ſi de mercium jactarum qualitate, numero, aut quantitate non certo conſtiterit, an ejus cujus res ſint, affirmationi aut juramento ſtandum? an potius ſibi id acceptum ferre debeat is, qui ante jactum, merces ſuas non teſtato expoſuerit? Quibuſdam dubium videbitur, ex iis quæ notat Pecc. *ad d. l. 2. §. 3. ff. de leg. Rhod. de jact. ad verb. portio autem:* ubi tandem ejus juramento ſtandum eſſe concludit, verum, quum hodie, ubique fere, omnia mercimonia publice annotentur, atque indicari debeant, ut certum portorium pro quantitate & qualitate cujuſque mercium eſolvatur, eumque in finem naves publice viſitentur, antequam ex portu educi queant, *leg. Nav.* Philippi II, *art. 11. & ſeq. tit.* van Toe-ruſtinge / & porro, omnium etiam mercium deſcriptio, & qualificatio continetur, inſtrumento nautici contractus, pro quibus tranſportandis ejus navis vectura locatur, vix eſt, ut amplius in diſceptationem venire poſſit, ut recte etiam obſervat Arnold. Vinn. in *Obſerv.* ſuis ad ejuſdem Peccii notas *ibid.* Ex qua annotatione dictam quæſtionem decidendam eſſe etiam notat Quintin. Weyſſ. *d. tract. circa fin. verſ. Quæritur* in de meeſte. Quibus accedit, quod *dict. leg. Naval.* Philippi II. *art. 5. d. tit.* van Schip-breeck / & *art. 28. leg. Nav. Wiſbuycenſ.* expreſſe cautum ſit: Quod ſi quis ex vectoribus in ciſtis ſuis aut ſarcinis, nummos, aurum, argentum, gemmas, aliaſve res pretioſas habeat, in tempore antequam jactus fiat, id indicare magiſtro navis teneatur: quin in computanda damnorum contributione earum non alia ratio habenda ſit, quam ſi tales ciſtæ & ſarcinæ fuerint, quales extrinſecus apparebant.

Ut autem hi, quorum merces jactæ ſunt, ad contributionem & contributionis executionem veniant, non adverſus cæteros quorum ſimul cum ipſa nave merces ſalvæ ſunt, ſed adverſus navis magiſtrum ex locato agere debent, qui deinde cum aliis quorum merces ſalvatæ ex conducto agere tenetur, ut detrimentum pro portione communicetur, *l. 2. in pr. ff. de leg. Rhod. de jact.* poteſtque is cujus merces perierint, ſi non ipſe ſatis vigilet, magiſtrum navis conſtringere, ut cæterorum merces retineat, eoque jure uti poteſt, donec damni portionem præſtent, *d. l. 2. in pr. ff. de leg. Rhod. de jact.* cujus legis interpretationem ſingularem vide ſupra *cap. 22. num. 7.* Quod admodum ſingulare eſt, in hoc caſu, quum alias à juris ſcripti ratione alienum ſit ab executione quaſi incipere. *l. 9. Cod. de obligat. & act. l. 1. Cod. de Execut. rei judicat.* 7

8 Hinc quidam exiſtimarunt merces in navem illatas eo nomine tacite pignoris jure magiſtro teneri, in eum finem ut & prælationis jure gaudeat. Quod licet nullo textu directe probari poſſit, prout probari deberet, quum omnes aliæ tacitæ hypothecæ per leges conſtitutæ ſint, communi tamen veterum opinione receptum videtur, per ea quæ tradunt, Gloſſ. Bart. & DD. *ad l. 5. & 6. ff. qui pot. in pignor.* & Bald. *in l. 5. Cod. De locat. quæſt. 4.* Neguzant. *De pignor. membr. 4. part. 2. num. 140.* Benvenut. Strach. *tract. de Nav. part. 3. num. 29.* Quos ſequitur Pecc. *De Re Nautic. ad d. l. 2. §. 6. ff. de leg. Rhod. de jact. num. 1.* Mihi cum Arnold. Vinnio in obſerv. ſuis ad dictum Peccii locum, rectius diſtinguendum videtur, inter retentionis & pignoris jura. Quum de jure ſatis conſtet, quod jus retentionis proprie pignus non ſit. *l. 33. in fin. ff. de condict. indeb. l. 21. ff. ad Senatuſconſ. Trebellian.* ſed aliquid pignori ſimile & quaſi pignus, *l. 13. §. 8. ff. de Act. empt. l. 11. §. 1. ff. De pignorib.* & eatenus illi merces ſalvas pro jactus contributione pignoris jure eſſe putem; donec eas retinuerit, quomodo intelligenda *l. 5. in fin. pr. ff. ad exhibend.* Cæterum amiſſa ſemel earundem poſſeſſione extingui, in tantum ut actione in factum eaſdem repetere, aut jus ſuum perſonali tantum actione perſequi poſſit. *arg. l. 11. §. 1. ff. de pignorib.* Quod quum aliquo modo durum videri poſſit, quod lex aliter ſcripta non ſit: id cum cæteris controverſiis, de quibus nihil certi aut ſcripto jure cautum, aut conſuetudine receptum, prudentiæ mercatorum aut nautarum negotiationibus maritimis aſſuetorum committi ſolitis. Stracch. *tract. de Navig. num. 25.* Mornac. *obſerv. ad l. 9. ff. de leg. Rhod. de jact.* leg. Nav. Wiſbuyc. *art. 38.* Eorum arbitrio & diſcretioni tutius committi putem, ut quibus haud conveniat de apicibus juris diſputare, ſed ex bono & æquo cauſarum pondera perſcrutari.

De

9 De moribus noſtris porro notandum, quod contributio illa alia ſit communis, alia grandis, vulgo *Avarie commune* & *Avarie groſſe.* Avaria communis eſt, ſimplex contributio communium impenſarum extra jactum, quod tantum communi mercium contributione pro cujuſque rata ſarcitur, navis autem ipſa in contributionem non venit: Avaria grandis ſive groſſa eſt, contributio damni ex jactu aut ſimili cauſa paſſi, qua navis in naufragii periculo ſalva evaſit, quod damnum omnium ipſius etiam navis, ſive nautæ contributione reſarcitur.

Avaria communis eſt, veluti I. Pecunia, quæ piſcatoribus aut aliis perſonis locorum gnaris, à magiſtro navis datur, ut navem in periculo conſtitutam cum mercibus ſalvam in tuto deducant, modo non excedat ſex librarum Flandricarum ſummam, quæ alias etiam Avariæ groſſæ annumeratur, *leg. Nav. tit.* **van Schip-breeckinge** / *art.* 9. *in fin.*

II. Etiam Avariæ communi annumerari ſolebat id, quod Archigubernio ſive Claſſis præfectui contra hoſtium vim, aut piratarum invaſuram conſtituto ſolvitur: Sed horum ſumptuum ratione pro re nata ab Unitarum Provinciarum Ordd. ipſis mercibus evehendis certum vectigal pro valoris ratione, juxta proportionem duorum, vel trium, quandoque etiam quatuor ad centum imponitur, quod cum reliquo damno etiam Avariæ groſſæ adſcribitur, teſte Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 22. *verſ.* **niet anders.**

III. Communi Avariæ contribuitur quod à magiſtro navis ſolvitur, dum prætervehuntur arces, fluminibus aut portibus interjacentes; aut quod pro navibus è flumine, aut portu educendis exigitur: vide Quintin. Weytſen *d. tract.* **van Avarye** / *circa pr.*

Avariæ Groſſæ locus eſt, propter jactum mercium, levandæ laborantis navis cauſa factum; item ſi armamenta navis, malus, anchoræ, rudentes, communis periculi evitandi cauſa in mare dejiciantur vel cædantur. Quod damnum omnium contributione, etiam ipſius navis, reſarciri debet. Vide Quintin. Weitſen *d. tract. verſ. Avarie Groſſe.* leg. Wisbuycenſ. *art.* 12. 21. 25. 28. 60. *leg. Nav. Caroli V. anni* 1551. *art.* 41. Et Philippi II. *Tit.* **van Schip-breeck** / *art.* 4. *& ſeq.*

10 Quibus adde, quod ne ex meticuloſo jactu extra ſummæ neceſſitatis cauſam facto, pretioſiſſimarum mercium jactura fiat, dictis legibus, conſtitutum ſit, non licere magiſtro navis proprio motu, quantumvis laborante navi mercium jactum facere, malumve, aut quod aliud inſtrumentum cædere, niſi re prius cum mercatore, ejuſve inſtitore communicata, ſiquidem in navi ſint, aut iis abſentibus aut conſentire nolentibus ex communi majoris ſociorum navalium partis conſenſu, & conſilio adhibito: qui ab itinere reverſi una cum eodem navis magiſtro jurejurando adſeverare tenentur factum id eſſe ex urgenti neceſſitate, conſilioque communi adhibito. Teneturque quoad ejus fieri poſſit, curare, ut earum rerum jactura fiat, quæ gravioris ſunt ponderis, & minoris pretii. Vide *leg. Nav.* Philippi. *d. tit.* **van Schip-breeck** / *art.* 4. *& ſeq.* Grot. *Introduct. lib.* 3. *cap.* 29. *verſ.* **Het Schip in noodt zijnde** / *& ſeq.* Quibus fere conveniunt leges Wisbuycenſ. *art.* 20. 21. 32. 59. Quod & Weſtcappellenſ. Statut. Nautic. ex Chronico Zelandiæ Boxhornii, & Gallorum legibus maritimis cautum eſſe multis probat Arnold. Vinn. *in obſerv. ad* Pecc. *Not. De re Naval. ad l.* 2. *in pr. ff. de leg. Rhod. de jact. litt. A. à medio ad finem.*

Cap. XXX.

De Hereditatis aditione, & quomodo quem ex quaſi contractu obliget, & de indebiti condictione.

Summaria.

1. *Hereditas quid, ad quid, & quibus adeuntem obliget.*
2. *Quotuplex.*
3. *Indebiti condictione quando quis obligetur.*

1 Etiam hereditatis aditio ignorantes nos ignorantibus obligat, quod eſt alterum genus quo ex quaſi contractu nos obligari conſtat, hæc alia mere hereditaria eſt, quæ ipſum jus defuncti ſpectat, quomodo hereditas eſt ſucceſſio in univerſum jus quod defunctus habuit. *l.* 24. *ff. de Verb. Significat. l.* 62. *ff. De Reg. Jur.* ex qua cauſa heres hereditatem adeundo cum defuncti creditoribus quaſi contrahere videtur, *l.* 5. *§.* 1. *ff. De oblig. & act. l.* 3. *§. fin. ff. De reb. auth.*

Jud. poſſid. ut in ſolidum teneatur, *l.* 10. *Cod. de Jure deliberandi*, *l.* 33. *ff. ſolut. matrimon. l.* 8. *l.* 37. *ff. De acquir. hered.* Alia teſtamentoria quia non tam jure hereditario, quam expreſſa teſtatoris voluntate, hereditatem ex eadem voluntate amplectendo, heres legatariis & fideicommiſſariis quibus quid à defuncto relictum eſt, & quicquid porro teſtator præceperit, præſtare adſtringitur. *l.* 36. *ff. de legat.* 2. *l.* 116. *ff. de legat.* 1. De quibus cum ſatis fuſe à nobis ſuo loco actum ſit, eadem hic repetenda admonere ſuffecerit.

Hiſce quidam etiam annumerant indebiti condictionem, nec abſque ratione, perinde enim is qui indebitum accipiet obligatur, ac ſi mutuum ei daretur adeoque quaſi ex contractu reſtituere tenetur quod indebite ſolutum eſt. *§.* 6. *Inſtit. De officio. Judicis, in fin.* Nam & qui ſolvit, interpretatione juris exiſtimetur eo animo eſſe, ut ſi indebitum ſit, accipientem ad reſtituendum obliget, & qui accipit, ea conditione accipere intelligitur, ut nihil alienum retineat, quæ res contractus ſpeciem, & negotii geſti vicem habet. *l.* 33. *ff. De condict. indeb.* Quam etiam inter contractus innominatos recenſuimus ſupra hoc eodem libro *cap.* 13. 3

Cap. XXXI.

Quibus modis tollatur obligatio ex contractu vel quaſi.

Summaria.

1. *Quibus modis tollatur obligatio.*
2. *Interpretatio* legis 35. ff. de Reg. Jur.
3. *Quando invito altero à contractu recedi poſſit.*

Inſt. III. XXX. Quibus mod. tollitur obligatio.

TOlluntur obligationes ex contractu vel quaſi initæ aut ipſo jure, per contrarium conſenſum, per ſolutionem, acceptationem, novationem, delegationem, compenſationem, confuſionem, & denique per ipſius rei interitum, aut ope Exceptionis alicujus aut remedii: Puta per in integrum reſtitutionem, ex cauſa læſionis, doli, minorennitatis, aut læſionis ultra dimidium, per bonorum ceſſionem, & ſimilibus, de quibus ſingulis. 1

De mutuo diſſenſu, quum ſcilicet mutuo conſenſu, aut potius diſſenſu, ab inito contractu receditur, *§.* 4. *Inſtit. Quib. mod. toll. oblig.* nulla difficultas eſt: quippe quod nihil tam naturale ſit, quam eo genere quidve diſſolvi quo colligatum eſt, *l.* 35. *ff. de Reg. Jur.* Quæ propria hujus materiæ ſedes videtur: ut apparet ex applicatione. *Ideo*, inquit, *nudo conſenſu obligatio contrario conſenſu diſſolvitur*, ex quibus verbis, *nudo conſenſu* patet, quod res adhuc integra eſſe debeat, id eſt, ut nihil adhuc præſtitum ſit eorum, quæ ex contractu præſtari debent, idemque eſt, quod Imperator in *d. §.* 4. *Inſtit. Quib. mod. toll. oblig.* exprimit his verbis: *Re nondum ſecuta, id eſt, &c.* Nam ſi præter conſenſum rei traditio interceſſerit, non ſolvitur contractus, niſi actus retroſimilis intercedat, *l.* 58. *ff. de pact. l.* 1. *Cod. quando liceat ab empt. reced.* ſic ut in iis obligationibus quæ re contrahuntur, non niſi per reſtitutionem vel ſolutionem rei, eodem ſcilicet modo quo contractæ, diſſolvi poſſint, *l.* 80. *ff. de ſolut.* 2

Fallit tamen regula in contractu ſocietatis, & mandati, qui licet duorum conſenſu contrahantur, unius voluntate invito altero diſſolvi poſſunt, donec res fuerit integra, nec alterius intereſſe cœperit *§.* 4. *Inſtit. de Societate*, *& §.* 9. *Inſtit. de mandato.* Ratio differentiæ eſt, quod etiam poſt contractum initum nullius adhuc intereſſe poſſit, in aliis autem contractibus, mox poſt utriuſque conſenſum editum alterius intereſſe incipiat, ideoque nec ob iis invita altera parte diſcedi poſſit, *l.* 5. *Cod. de obligat. & action.* 3

Cap. XXXII.

De Solutionibus.

Summaria.

1. *Solutio quid, ejuſque definitio.*
2. *Quomodo differat à ſatisfactione.*
3. *An alter pro altero recte ſolvat.*
4. *An alteri quam cui debetur invito creditore ſolutio fieri poſſit.*
5. *An procuratori recte ſolvatur.*
6. *An Creditoris parenti, aut filio, aut conjuncto, pro conjuncto.*

7. An

7. *An famulo, ſive Miniſtro amanuenſi.*
8. *Quis, & cui recte ſolvatur?*
9. *Quo modo fieri debeat ſolutio.*
10. *An per partes fieri poſſit.*
11. *An aliud pro alio.*
12. *Quibus nummis ſolutio facienda, & quid de certis nummis promiſſis, an ad ſolutionis, an ad contractus tempus æſtimatio reducenda.*
13. *An alio loco quam ubi promiſſum eſt ſolvi poſſit.*
14. *An debitor ipſe debitum ad domum Creditoris offerre, an creditor eo loci ubi debitor degit exequi ſolutionem teneatur? contra* Gloſſ. *& recept. opinionem.*
15. *An & quando quis in mora ſolvendi conſtituatur.*
16. *An & quando ante aut poſt diem ſolutio fieri poſſit.*
17. *Debitor ex pluribus cauſis, ſi ſimpliciter quid ſolverit, cui cauſa acceptum ferre debeat.*
18. *Quodnam reputetur gravius debitum in concurſu plurium cauſarum.*
19. *Solutio quomodo ſit probanda.*

1 SOlutio generaliter ſumitur pro omni ſatisfactione aut liberatione quoquo modo facta. *l.* 52. & *l.* 54. *ff. de Solut.* Quaſi eandem cum nummorum ſolutione & cæteræ liberationes poteſtatem habeant. Proprie tamen ad nummorum numerationem pertinet, definiturque naturalis & actualis præſtatio ejus, quod debetur, *pr. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.*

Digeſt. XLVI. III. De Solutionibus & Liberationibus.

2 Quomodo diſtinguitur à ſatisfactione, reliquiſque liberandi modis, quibus citra numerationem, aliamve rei debitæ præſtationem liberatio contingit, *l.* 49. *l.* 52. *l.* 8. *ff. de Solut. l.* 9. *§.* 3. *ff. de pignor. act. l.* 4. *§.* 3. *ff. de re judic.* vide Briſſon. *tractat. de ſolut. ſupr.* Carpzov. *defin. Forenſ part.* 2. *conſtit.* 28. *defin.* 23. *num.* 1. 2.

3 Ut ſolutio liberationem inducat, nihil refert utrum ipſe ſolvat, qui debet, an vero ejus nomine alius ſive procurator, *l.* 56. *l.* 49. *l.* 64. *ff. de Solut.* Sive is cui totorum bonorum adminiſtratio eſt conceſſa, *l.* 87. *ff. eod. l.* 58. 59. *ff. de procurat.* aut alius quilibet, modo non ſuo, ſed debitoris nomine ſolvat, *l.* 5. *Cod. de Solut.* adeo ut alius pro alio etiam invito & ignorante ſolvere poſſit, *pr. Inſtit. quib. mod. toll. oblig. l.* 39. *ff. de negot. geſt. l.* 23. *l.* 53. *ff. de Solut. l.* 17. *Cod. eod.*

4 Alteri autem quam illi cui debetur, invito creditore ſolutio fieri non poteſt, adeoque creditori creditoris mei quod ipſi debeo, ſolvere non poſſum. *arg. l. ult. Cod. de Negot. geſt.* neque eo ipſo liberatio contingit. Poteſt tamen is qui ita ſolvit, tanquam ex negotiorum geſtione, ſe doli mali exceptione tueri, vid. Coſtal. *ad. l.* 36. *ff. de negot. geſt.* Bart. *in l. ſi opera* 6. *ff. de dolo & met. except.* Pyrrh. Maur. *tract. de Solut. oblat. cap.* 5. *num.* 5. *& ſeq.* Carol. Graſſ. *de except.* 25. *num.* 23. *& ſeq.* Hinc eſt, quod ſi duo inter ſe contendant utri debeatur, is qui alterutri debet, neutri, interim donec cauſa fuerit deciſa, ſolvere teneatur, & ut caveat de ſolvendo ei, qui ſententiam pro ſe non reportabit, per Gloſſ. *in l. litibus* 20. *verſ. ubi autem eſſet contentio inter duos. Cod. de Agricol. & cenſ.* Bald. *ad l. Lucius* 38. *ff. famil. erciſcund.* Boër. *deciſ. Burdigal. deciſ.* 106. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 3. *tit.* 22. *defin.* 8.

5 Procuratori tamen etiam recte ſolvitur ſive generalis ſit, *l.* 34. *§.* 3. *ff. de Solut.* ſive ad exigendum conſtitutus, *l.* 12. *ff. eod.* etiamſi ignorante debitore mandatum fuerit revocatum, *l.* 12. *§.* 2. *ff. de Solut.* præterquam ad litem conſtituto cui ſolvi non poteſt, *l.* 86. *ff. de Solut. & ibi* DD. Bart. *ad leg.* 7. *Cod. de Tranſact.* Vide Rebuff. *ad Conſtit. Reg. de Sentent. execut. art.* 7. *Gloſſ.* 13. *num.* 8.

6 Ita nec creditoris parenti aut filio, aut conjuncto pro conjuncto ſolutio facta liberationem parit, *l. Filius* 23. *Cod. de pact. & ibi* DD. *l.* 31. *§.* 6. *ff. de negot. geſt.* ubi Alexand. vide Carol. Graſſ. *de except. except.* 25. *num.* 45. Gratiani *diſcept. Forenſ. tom.* 2. *cap.* 365. *& tom.* 3. *cap.* 431. *num.* 4. 5.

7 Hinc quæri ſolet de famulo ſive miniſtro amanuenſi, an per ſolutionem ei factam liberetur debitor? Quod non videtur *arg. l.* 34. *§.* 4. *ff. de Solut.* niſi ipſe famulus, mandatum, chirographum, aut apocham domini ſui oſtenderit, quo caſu ſolvens famulo ſui creditoris cum chirographo ad accipiendam ſolutionem miſſo liberatur, etiamſi interim ipſe famulus aufugerit, per ea quæ tradunt Bart. & DD. *ad l. eum qui.* 10. *§. fin. ff. commodat. arg. l.* 7. *Cod. mandati. & l.* 12. *§.* 1. *ff. commodat.* etiamſi fuerit falſum chirographum, modo juſtiſſimam credendi habuerit cauſam. Caſtrenſ. *ad d. l. eum qui.* 10. *§. fin. ff. commodat. & ad l. qui hominem.* 34. *§.* 4. *ff. de ſolut.* aut alias debitor ſolverit famulo, qui ſolitus erat exigere credita domini ſui, aut perſona ſit legalis & receptæ fidei, cui etiam debitor recte ſolvit, etiamſi domini ſui chirographum non habuerit, modo nomine creditoris venerit, ejuſque ſignum aliquod oſtenderit: ut communiter inter mercatores eſt receptum, Vide Guidon. Pap. *deciſ. Gratianopolitan.* 173.

num. 3. Et porro ad hanc quæſtionem Boër. *deciſ. Burdigalenſ.* 282. Gomez. *var. reſolut.*
tom. 2. *cap.* 7. *num.* 3. Carol. Graſſ. *tract. de Except. except.* 25. *num.* 63. *& ſeq.* Anton. Fab.
ad Cod. lib. 8. *tit.* 30. *defin.* 29.

An & quatenus latori literarum recte ſolvatur vid. *ſupra cap.* 7. *num.* 17. *& cap.* 16. *num.* 9.

Illud tamen ut quis recte ſolvat requiritur, ut talis ſit qui ſolvere, & ei ſolvatur qui libe-
rare debitorem poteſt. Quomodo pupilli ſine tutoris auctoritate, aliique qui alienare non poſ-
ſunt, non recte ſolvunt, nec rem accipientis faciunt, adeoque quod ſolutum ut reſtituatur vin-
dicare poſſunt, *l.* 14. *§. fin. ff. de Solut.* rurſumque nec ſolutionem accipiendo ſolventem li-
berant, *l.* 15. *ff. eod.*

Hactenus de perſonis, qui aut quibus recte ſolvant: ſequitur ut quomodo fieri debeat ſo- 9
lutio, & quænam concurrere debeant ut liberationem pariat, deſpiciamus. Et quidem, quum
ſolutione ejus quod debetur, nec alio modo liberatio contingat, *pr. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.*
conſequens eſt, ut totum quod debetur ſolvi debeat, neque partium præſtatio debitorem li- 10
beret, *pr. Inſtit. de Solut. l.* 3. *l.* 9. *ff. famil. erciſcund. l.* 41. *§.* 1. *ff. de Uſur.* niſi diverſæ
ſummæ debeantur, *l. fin. ff. quib. mod. pign. ſolvat.* aut pars debiti ſit illiquida, *l.* 21. *ff. de reb.*
cred. vel lex partium præſtationes admittat, veluti in heredibus, inter quos ipſo jure obligatio
dividitur, *l.* 6. *Cod famil erciſcund. l.* 11. *l. ult. ff. de diſtract. pignor.* Extra quos caſus, invito
creditori debiti pars obtrudi non poteſt, *l.* 3. *ff. famil. erciſcund.* adeoque nec ſortem ſine uſu-
ris acceptare creditor tenetur, *l.* 41. *§. Lucius ff. de Uſuris.* Salicet. *ad l.* 1. *Cod. de Solut.* DD.
communit. ad l. quidam exiſtimaverunt 21. *ff. de reb cred.* Fachin. *lib.* 10. *controverſ. cap.* 59.
Bronchorſt. *Cent.* 2. *aſſert.* 17. Gomez. *var. Reſolut. tom.* 2. *cap.* 10. *num.* 5. Carpzov. *defin.*
Forenſ. part. 2. *conſtit.* 28. *defin.* 13.

Cui conſentaneum eſt, ut idipſum quod debetur, non aliud pro alio ſolvatur: quum aliud pro 11
alio invito creditori ſolvi non poſſit, *l.* 16. *Cod. de Solut. l.* 2. *§.* 1. *ff. de reb. Cred. l.* 4. *§.* 3. *ff. de*
re judic. l. 31. *§. fin. ff. de conſtit. pecun.* veluti, ſi pro pecunia frumentum obtrudebatur, vel pro
ſpecie debita offeratur alia ſpecies, aut factum pro facto præſtetur, *l.* 98. *§.* 6. *ff. de Solut.* Gloſſ.
in d. l. 2. *§.* 1. *ff. de reb. cred.* Coſtal. *ibid. num.* 3. Bronchorſt. *Cent.* 4. *Aſſert.* 65. Anton.
Teſſaur. *deciſ.* 153. Gomez. *var. reſolut. cap.* 10. *num.* 8. Excipe, ſi ex quadam neceſſitate
ipſius rei aut facti præſtatio dari non poſſit, veluti ſi res debita poſt moram periit, *l.* 8. *ff. de con-*
dict. furtiv. aut exſtet quidem, ſed aliena ſit, atque eam dominus vendere nolit, *l.* 71. *§.* 3. *ff. de*
legat. 1. *l.* 26. *§.* 2. *ff. eod.* aut factum ſit, quod aut factum non eſt, prout fieri debuit, aut omni-
no præſtari non poteſt, & ſimilia, quibus pecunia deberi incipit, & ad æſtimationem facti, aut
ejus quod intereſt proceditur, ut latius ſupra de actione arbitraria, ſive æſtimatione facti, & eo
quod intereſt, *lib.* 4. *cap.* 14.

Porro quum nummorum ſpecies functionem quandam in ſe recipiat, poterit is qui pecuniam 12
debet, in qualibet forma, & materia nummos mutuo acceptos reddere, & creditori ſolvere, nec
eo caſu aliud pro alio ſolvi videtur, Gloſſ. *l.* 2. *§. mutui ff. de reb. cred.* & ibi Bart. & Bald. Dum-
modo ejuſdem ſint bonitatis & valoris, & nec ex eadem ſolutione damnum aliquod patiatur cre-
ditor, *l.* 99. *ff. de ſolut. l.* 1. *§.* 1. *l.* 35. *ff. de auro & arg. leg. l.* 55. *in fin. pr. Cod. de donat.* Zan-
ger. *de Except. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 160. Arnold. Vinn. *ad pr. Inſtit. quib. mod. toll. oblig. num.* 2.
Quare quum creditor certam nummorum ſpeciem mutuo datam in eadem ſpecie aut ejuſdem va-
loris ſibi reſtitui ſtipulatus fuerit, interimque eadem monetæ qualitas, extrinſecus fuerit aucta, ne
exinde creditor damnum aliquod pati videatur, diſtinguendum eſt, ut ſiquidem de certa nummo-
rum ſpecie, ſub certo pondere, & numero reſtituenda fuerit actum ipſa nummorum ſpecies præ-
ſtanda veniat, aut ejuſdem valoris præſens æſtimatio, quæ mutata poſtea, nec nocere nec pro-
deſſe poteſt creditori: quomodo intelligenda eſt opinio Car. Molin. *tract. de uſur. quaſt.* 92.
num. 693. Si vero in ipſa ſtipulatione certa monetæ ſpecies expreſſa non ſit, aut expreſſa qui-
dem, ſed non addito, quod in ſpecie, aut cujus valoris, æſtimationis ſit reſtituenda, ſolutio
facienda ſit ſecundum valorem aut æſtimationem eorundem nummorum, quæ eſt tempore ipſius
ſolutionis quo caſu eadem pecunia pondere & materia manente extrinſecus aucta & diminuta
creditori prodeſſe aut nocere poteſt: propterea quod eo caſu nihil præter æſtimationem nummo-
rùm creditum intelligatur. Prout ex communi DD. opinione receptum, & judicatum probavi
ſupra *lib.* 2. *tit.* 18. Quod adhuc reſtringendum, ne ex ea ſolutione creditor præſens aut imminens
damnum patiatur, *arg. d. l.* 99. *ff. de Solut.* Veluti ſi ſolutionis tempore aliqua monetæ ſpecies
quam proxime Magiſtratus aut Principis edicto improbanda aut minuenda veniat, illudque jam
ſcripto monitum aut alio modo fuerit certioratum, cujus monetæ ſolutione debitor nequaquam
libe-

liberabitur, neque cogi creditor poteſt ut ſolutionem accipiat, in ea nummorum ſpecie, quæ poſt paucos dies inutilis futura eſt, *arg. l. 132. ff. de ſolut.* Vide Menoch. *de arbitr. Jud. caſ.* 232. *num.* 26. Pyrrh. Maur. *de Solut. cap.* 6. *num.* 28. Gratian. *diſcept. Forenſ. cap.* 260. *num.* 19. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 30. *defin.* 37. *num.* 9. Anton. Sola, *de moneta, caſ.* 22. *num.* 5.

13 Deinde quemadmodum idipſum quod debetur, ita & eo quo debetur modo ſolvi neceſſe eſt. Quare alio loco quam in quem promiſſum eſt invito & diſſentiente creditore ſolvi non poteſt, *l.* 8. *Cod. de Solut. l.* 2. *§.* 7. *ff. de eo quod certo loco.* Si enim ſolutioni locus adjectus ſit eo loci facienda eſt, *l.* 9. *ff. de eo quod certo loco.* D. XIII. IV. *De eo quod certo loco.*

14 Hinc oritur quæſtio utrum debitor pro debiti liberatione, ad creditoris domum accedere, an vero creditor ſolutionem eo loci ubi debitor degit, exequi, debitoremque interpellare teneatur? quod videtur, *arg. l.* 18. *ff. de conſtit. pecun.* neque Gloſſæ & DD. in eandem legem probabilis aut recepta diſtinguentium eſt opinio, ut quoties debitor & creditor, diverſi ſint fori, toties creditor debitoris domum ſequi, cumque ſuo loco interpellare debeat: Sin autem ejuſdem ſint fori, debitor ad creditoris domum accedere teneatur: Quippe quod lex illa indiſtincte dicat, eum qui jam commiſſam moram vult purgare, vel aliquid ſibi juris æquirere, debere ad creditorem accedere. Quod eo uſque in praxi noſtra eſt receptum, ut coram judice ad ſolvendum debitum cita-
15 tus, nunquam in mora conſtituatur, ſi non ante debite interpellatum negans, ſolutioni paratum proponit. *arg. l.* 32. *ff. De Uſur.* & *l.* 23. *ff. de Verb. oblig.* Niſi aut aliter convenerit, aut certa conſuetudo in contrarium ſit, quæ ſervanda eſt, veluti ſi certo ſolutionis tempori, uſurarum præſtatio ſive ab initio contractus, ſive poſt moram ſolvendi ad actualem debiti liberationem computanda, ut communiter in contrahendis nominibus fieri ſolet, fuerit adjecta. Quo caſu dies interpellat pro homine, nec debitor niſi offerendo quod debetur, ab uſurarum præſtatione liberari poteſt. *l.* 12. *Cod. de Contrah. & committ. ſtipulat. l.* 2. *Cod. de Jure Emphyth.* Et moribus noſtris in emphytheuſi velut certa conſuetudine obtinet, ut etiam extra ſtipulationem expreſſam emphyteuta in domini manum aut ad ejus domum annui Canonis præſtationem conferre teneatur, quaſi hoc tacite actum ſit. Porro an & quando debitor pro facienda ſolutione creditoris domum accedere debeat: vide Caſpar. Roderic. *de Ann. & Menſtr. reditib. lib.* 2. *quæſt.* 6. Pyrrh. Maur. *tract. de Solut. cap.* 29. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 43. *defin.* 46. *& lib.* 8. *tit.* 30. *defin.* 4. Pecc. *De Jure Siſtendi cap.* 9. *num.* 2.

16 Quemadmodum & illud quod in diem debetur, ſuo tempore ſolvi debet. *l.* 122. *ff. de Verb. oblig.* minus enim ſolvit qui tardius ſolvit quam debebat. *l.* 12. *§.* 1. *ff. de Verb. Sign. §.* 33. *Inſtit. De action.* Ante diem vero etiam invito creditori ſolvere permittitur, quod in diem certum debebatur. *l.* 38. *§.* 16. *l.* 50. *l.* 41. *§.* 1. *l.* 137. *§.* 2. *ff. de Verb. obligat. l.* 70. *ff. de Solut. l.* 17. *ff. de Reg. Jur.* Pyrrh. Maur. *tract. De Solut. cap.* 92. Bronchorſt. *Centur.* 4. *Aſſert.* 63. Jul. Clar. *§. Emphytheuſ. quæſt.* 12. Gomez. *Variar. reſolut. tom.* 2. *cap.* 11. *num.* 22. Pecc. *De Jure ſiſtendi cap.* 37. *num.* 4. Niſi forte, ipſius creditoris gratia dies fuerit adjectus, veluti, ſi ſolutionis termino uſuræ adjectæ fuerint, ut communiter apud nos fieri conſuevit, quo caſu ante diem ſolvere volentem à creditore repelli poſſe conſtat. ex *l.* 122. *ff. de Verb. oblig. l.* 15. *ff. de Ann. legat.* Vide Cujac. *lib.* 23. *obſerv.* 23. Guid. Pap. *quæſt.* 291. prout etiam à Friſiæ Curia deciſum refert Joann. à Sande *lib.* 3. *tit.* 16. *defin.* 1. Quibus adde quæ notavimus ad Pecc. *De Jure Siſtendi cap.* 37. *num.* 4.

17 Qui vero ex pluribus & variis cauſis alteri quid debet, ſi ſimpliciter quid ei ſolverit, in continenti eligere & conſtituere poteſt, in quam cauſam ſolutum eſſe velit. *l.* 1. *ff. De Solut.* Si nihil conſtituerit, creditor ſuo jure conſtituere poterit, modo ſic agat, ut in re ſua agi ipſe vellet. *l.* 1. *in fin. l.* 2. 3. *ff. De ſolut.* nec in id debitum conſtituat, quod eſt in controverſia. Cujac. *lib.* 5. *obſerv.* 34. *d. l.* 1. *ff. eod.* Bronchorſt. *Miſcell. Cent.* 2. *Aſſert.* 56. Joann. à Sande *Deciſ. Friſic. lib.* 3. *tit.* 16. *defin.* Si neuter conſtituerit ipſo ſolutionis tempore, in graviorem vel duriorem, ſi nulla prægravet, in antiquiorem cauſam imputabitur. *l.* 3. *§.* 1. *l.* 5. 7. 97. *& l.* 103. *ff. De Solut.* ſi ejuſdem qualitatis ſint, cuique pro rata cedet, quod ſolutum eſt. *l.* 8. *ff. eod.* Vid. Coſtam. *de quota & rata quæſt.* 124 *num.* 22. Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 136. & *de arbitrar. caſ.* 493.

18 Pro graviori autem debito reputatur, quod pœnam, fidejuſſionem, hypothecam, aut uſuras adjunctas habet. *l.* 4. *l.* 7. *ff. De Solut. l.* 5. *§.* 2. *ff. eod.* Vide Pyrrh. Maur. *De Solut cap.* 9. Menoch. *De præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 136. Gratian. *diſceptat. Forenſ. cap.* 224. Rot. Gen. *De mercat. deciſ.* 121. Surd. *Deciſ.* 186.

Pro-

Probatur ſolutio per inſtrumenta & teſtes, per ea quæ late Maſcard. *De probat. vol. 3. concluſ. 1318. num. 56.* Optime tamen per confeſſionem ipſius creditoris, ejuſve ſcripturam vulgo, **quitantie.** Quamvis & præſumptionibus, & conjecturis quandoque probetur: præſertim in debitis antiquis, quorum probatio difficilis. De quibus late Maſcard. *d. loco.* & Menoch. *De præſumpt. lib. 3. præſ. 135.* Quomodo & a diuturnitate ſilentii, qua creditor per multos annos creditum petere diſtulit, vel ipſum debitorem in jus vocare neglexerit: Quum facile ei fuerit petere & experiri, contra eum debitorem qui ex curſu temporis & præſcriptione ſolviſſe præſumitur. Ut latius ſuo loco, ubi de præſcriptionibus. Et ex ſolutione annuæ penſionis tribus annis proximis facta, totius debiti in præteritum ſoluti præſumptio inducitur: quaſi omnium annorum penſionibus ſolutis. *l. 3. Cod. De Apoch. publ.* Gloſſ. & DD. *ad l. 2. Cod. De Jure Emphyt.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 29. defin. 32.* Quod & ad quaſcunque alias cauſas extendi volunt Trentacinq. *Var. reſolut. lib. 2. Reſolut. 2. num. 5.* Menoch. *lib. 3. præſumpt. 139. num. 15. 16.* Maſcard. *De probat. vol. 3. concluſ. 1320.* Et ſi quæ ſunt ſimiles præſumptiones, veluti ſi inſtrumentum debiti penes debitorem cancellatum reperiatur. Quod an & quatenus probet, vide *ſeq. cap.* Reliqua vide apud Maſcard. & Menoch. *d. loc.* 19

Cap. XXXIII.

De Acceptilationibus & non petendi pacto.

Summaria.

1. *Acceptilatio quid & quotuplex.*
2. *Quibus modis fiat.*
3. *Inſtrumentum debiti à creditore debitori redditum aut cancellatum apud creditorem repertum, an liberationem inducat.*
4. *Chirographum præter voluntatem creditoris amiſſum liberationem non inducit, & quomodo redintegrandum.*

D. XLVI. IV. Cod. VIII. XLIV. *De Acceptilationibus.*

Acceptilatio eſt imaginaria ſolutio, qua quod debetur acceptum fertur, ac ſi re vera ſolutum eſſet. *§. 1. Inſtit. Quib. mod. tollitur obligat. l. 1. ff. de Acceptil.* 1

Alia eſt ſimplex, quum verborum obligatio verbis tollitur. *§. 1. Inſtit. Quib. mod. ſolvit. obligat.* Alia quæ munita eſt Aquiliana ſtipulatione, ita dicta ab Aquilio Gallo inventore, qua quodlibet debitum in verborum obligationem transfunditur, & deinde verbis tollitur. *§. 2. Inſtit. eod.*

Quæ quidem Jure Romano certis ſtipulationum formulis fieri debebat, *d. §. 1. Inſtit. eod.* moribus autem, iiſdem formulis obſoletis, quibuſcunque verbis liberationem inducentibus fieri ſufficit, adeoque ſi ſtipulatio inutilis ſit, tacito pacto id actum videtur, ne peteretur. *l. 27. §. pen. ff. De pact.* hodieque confunduntur fere acceptilatio, & pactum de non petendo, quæ in eo differebant, quod acceptilatio ipſo jure obligationem tollere, pactum de non petendo tantum ope exceptionis liberationem induceret. *l. 27. §. 2. ff. De pact.* 2

Ad quod pacti genus commode refertur caſus, quo debiti inſtrumentum à creditore, aut ab alio ex ejus voluntate; redditum apud debitorem aut apud creditorem cancellatum exiſtere reperitur, quaſi eo ipſo tacite conventum videatur, ne peteretur. Apud creditorem autem cancellatum, non niſi voluntate ejus factum præſumitur: apud debitorem vero ſi à creditore ſibi redditum aut ſolutionem à ſe factam probavit. *l. 2. ff. De pact. junct. l. 7. Cod. De remiſſ. pignor.* aut ſi integræ exſtimationis ſit, in probationis ſupplementum ipſam ſolutionem, aut voluntariam redditionem juramento confirmaverit, *arg. l. 31. ff. De Jurejur. & l. 3. Cod. de reb. cred.* Vide Menoch. *de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 140. & ſeq.* Maſcard. *de probat. concluſ. 476. & 477.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 29. defin. 1.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. defin. 12.* 3

Secus ſi præter voluntatem creditoris chirographum in debitoris manus redactum, aut alio modo fuerit amiſſum: ſi enim creditor debiti inſtrumentum caſu aliquo amiſerit aut ſpe futuræ numerationis debitori reddiderit, debiti perſecutionem non amittit, ſed pro eo nihilominus priſtina actione adverſus debitorem experitur, ſi modo aliunde conſtet, adhuc deberi; per ea quæ tradit Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 30. defin. 23.* & poſt eum Carpzov. *defin. Forenſ. part. 2. conſtit. 29. defin. 15.* Quod & Creditoris juramento committitur aſſeverandum, ſe obligationem debitoris non habere, nec eam alteri dediſſe, aut apud alium voluntate ſua conſtitutam, nec dolo factum quo minus appareat, ſed re vera caſu amiſſam, per text. *l. ult. Cod. De fide inſtrumentorum*, cujus 4

bene-

beneficio additâ inſuper indemnitatis cautione ad novam obligationem conſcribendam compellere poteſt, *l. 57. ff. de Adminiſtrat. tutor.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 37.*

Cap. XXXIV.

De Novationibus & Delegationibus.

Summaria.

1. *Novatio quid & quotuplex.*
2. *Delegatio quid & quomodo à ceſſione differat.*
3. *An & quatenus facta ceſſione debitor cedenti ſolvere poſſit, aut ad id conſtringi poſſit invitus.*
4. *Simplex delegandi mandatum, vulgo* **aſſignatie** / *cujus ſit effectus, & an debitorem aſſignantem liberet.*
5. *Delegatio an & quando facta intelligatur.*
6. *An per prorogationem termini novatio facta cenſeatur, & per hoc pignora & fidejuſſores ſolvantur.*
7. *An & qua ſit novatio neceſſaria, & cujus ſit effectus.*

1 NOvatio eſt prioris debiti in aliam obligationem transfuſio aut tranſlatio. *l. 1. ff. de Novat.* Alia eſt in ſpecie ita dicta, quum manente eodem debitore & creditore vel ſumma ſive res, vel debiti cauſa, vel modus obligandi mutatur, *l. 1. in pr. ff. de Novat.* ejuſque ea vis eſt, ut ſimulac ea fuerit contracta, omnia mutentur ſimulque prior obligatio perimatur, atque adeo fidejuſſores, hypothecæ & pignora ipſo jure liberentur. *l. 18 ff. de Novat. l. 4. Cod. eod. l. 60. ff. De fidejuſſor.* *D. xlvi. 11. De Novationibus & Delegationibus. & Cod. viii. xlii.*

2 Alia quæ delegatio dicitur, quum debitoris aut creditoris perſona mutatur, veluti ſi debitor alium debitorem ſuum deleget, & alius debitor creditori ſui creditoris ſolutionem promiſerit, *§. 3. Inſtit. Quib. mod. toll. oblig. l. 11. ff. de Novat.* nobis **overſtellinge** / quæ in eo differt à ceſſione actionum, quod ceſſio ſine promiſſione fiat, etiam inter invitos ac reluctantes. *l. 1. l. 6. Cod. de Novat.* delegatio non niſi inter volentes, & quidem ſtipulatione ſive promiſſione interpoſita. *d. §. 3. Inſtit. Quib. mod. toll. oblig. l. 11. ff. de Novat.* Quare & delegatus priori ſuo creditori ſolvere non poteſt, & ſi ſolverit nihil agit. Is autem contra quem ceſſa eſt actio, priuſquam litem conteſtatus ſit, vel ei denunciatum, vel debiti partem ceſſionario ſolverit, priori ſuo creditori adhuc rectè ſolvit, & liberatur. *l. 3. Cod. de Novat.* Ubi tamen hodie cedentem facta ſemel ceſſione nullam penitus actionem retinere, ſed quicquid Juris habuerit in ceſſionarium transferre probat Groeneweg. ex Chriſtin. *vol. 3. deciſ. 18. num. 6.* Rebuff. *ad conſtit. Reg. tom. 2. De ceſſ. act. art. 2. Gloſſ. 9. verſ. Sed debitum.* & Gotis. *Adverſar. tract. 3. part. 1.*
3 *cap. 1. num. 5.* Unde per conſequentiam moribus noſtris cedentem facta ceſſione, debitorem invitum nunquam ad ſolutionem urgere poſſe, adeoque *d. leg. 3. Cod. de Novat.* obſoletam demonſtrat. Quod quidem quoad debitorem invitum ſequi videtur: Sed quid ſi is ipſe debitor ignorans forte aut diſſimulans ſaltem, non obſtante ceſſione ſuo creditori ſolverit? niſi ei dicta ceſſio debitè fuerit denunciata, adhuc eum priori creditori ſuo recte ſolvere nullus dubito.

4 Simplex tamen delegandi mandatum cui ipſa repromiſſio non intervenit, vulgo **aſſignatie** / neque delegationem, neque novationem inducere poteſt, adeoque nec primum debitorem liberat, licet ab aſſignato fuerit acceptatum. *l. 21. ff. de Novat.* Gratian. *diſcept. Forenſ. cap. 64.* Pyrrh. Maur. *tract. De Solut. cap. 6. num. 7.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 10. defin. 10. num. 9. & ſeqq.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 30. num. 8.* Rot. Gen. *deciſ. 2.* Stracch. *De adject. quæſt. 14. num. 2.* Statut. Antverp. *tit. 64. art. 2.* Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ. 38. & Suprem. Cur. deciſ. 12.*

5 Ad delegationem ſufficit ut ex ipſa re & interventu novæ perſonæ conſtet, licet directis verbis expreſſa non ſit, *l. ult. Cod. de Novat.* Quod & in novationibus obtinere probat Anton. Fab. *ad Cod. l. 8. tit. 30. defin. 11.* Grivell. *deciſ. Dolan. 111.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 30. num. 7. & ſeq.* In dubio vero neque delegatio, neque novatio præſumitur. *l. ult. Cod. de Novat.*
6 Quod eo uſque extendit Grot. *Introd. lib. 3. cap. 43. in fin.* Ut ſi ſolutionis terminus à creditore prorogetur, nulla novatio facta cenſeatur nec per hoc pignora aut fidejuſſores liberentur, quem ſequitur Groeneweg. *de legib. abrogat. ad §. 3. Inſtit. Quib. mod. toll. oblig.* Quod tamen cum diſtinctione accipiendum, ut ſupra hoc *eodem libro, cap. 17. num. 28.*

7 Alia iterum dicitur novatio voluntaria, quæ fit per conventionem, alia neceſſaria quæ per litis-

conteſtationem inducitur, per quam nec pignora, nec hypothecæ nec fidejuſſores liberantur *l. 3. §. 4. ff. De pignor. l. 8. §. 3. ff. De fidejuſſ.* nec uſura ſiſtitur. *l. 1. Cod. de Judic.* Nec mora purgatur. *l. 84 ff. De Verb. obligat.* Nec mirum, quum proprie novatio non ſit, ſed prioris obligationis accedens confirmatio, ſive continuatio, ut ſi quæ actio peritura eſſet tempore, fiat perpetua, & quæ morte interiiſſet, in heredes tranſeat, *l. unic. Cod. ex delict. defunctor. l. 87. ff. De Reg. Jur.*

Cap. XXXV.

De Oblationibus & Conſignationibus.

Summaria.

1. *Oblatio, obſignatio, & depoſitio, an & quatenus habeatur pro ſolutione.*
2. *Quo modo fieri deboat, & quæ ſint ejus requiſita.*
3. *Quomodo res immobilis, aut quæ commodam conſignationem non recipit, deponi poſſit, & debeat.*
4. *Quid ſi pars debiti ſit liquida, pars illiquida.*
5. *Tacita quæ ſit.*
6. *Apud quem judicem fieri debeat.*
7. *Qui ſint conſignationis effectus.*

1 SOlutionis vice etiam fungitur, ſolennis oblatio, obſignatio & depoſitio, quæ tamen quamvis juris poteſtate pro ſolutione & liberatione habeatur, vera tamen ſolutio, aut liberatio non eſt, antequam debite facta per judicis ſententiam confirmetur, neque ipſo jure debitorem liberat. Hæc quamvis alia res ſit oblatio, alia conſignatio, alia depoſitio, *arg. l. 6. l. 9. & l. 19. Cod. de uſur.* cumulative tamen ſumi ſolet, pro rei vel pecuniæ ſolenniter oblatæ, & obſignatæ apud Judicem legitima depoſitione vulgo, **Conſignatie.** *l. 1. §. 36. ff. depoſiti, l. ult. ff. de leg. commiſſor. l. 7. in pr. ff. l. 6. l. 19. Cod. de uſur.*

2 Hæc ut debite & ſolenniter fiat, requiritur. Debite quidem, ut idipſum, & totum, eoque quo debetur modo, offeratur, *d. l. 6. & l. 19. Cod. de uſur. l. 41. §. 1. ff. eod. l. 9. Cod. de Solut. l. 13. §. 8. ff. de act. empt.* eadem enim oblationis, quæ ſolutionis requiſita ſunt, de quibus ſupra, ſic ut quemadmodum nec pars debiti, aliud pro alio, alteri quam ipſi creditori, five qui pro creditore habetur, aliove quam congruo loco, & tempore ſolvi, ita nec offerri poteſt, quia juſtam recuſandi cauſam habeat creditor, *l. 21. & ſeq. de uſur.* Zanger. *tract. de Except. part. 3. cap. 2. num. 63. & ſeq.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 29. defin. 7. num. 1. & defin. 45. num. 1. & 2.*

Solenniter & legitime: Ut ſcilicet ipſius debiti oblationem parata pecunia teſtato factam, vulgo, **met openen Beurſe / ende klinckenden Gelde /** legitima obſignatio, & apud judicem creditore ad hoc citato, facta depoſitio ſequatur, *l. 9. l. 19. Cod. de uſur.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 29. defin. 6. & defin. 35. & ſeq.* Zanger. *de Except. part. 3. cap. 2. num. 79. & 83.* Quæ niſi concurrant, nec creditor pecuniam ex depoſito accipere cogitur, neque liberationem debitori parit, ſed condemnari & ad ſolutionem urgeri poteſt debitor, ac ſi nulla conſignatio facta ſit, ſalva ſolummodo ei pecuniæ depoſitæ repetitione, quum paria ſint quid factum non eſſe, aut minus legitime factum, *l. 6. ff. qui ſatiſd. cog. l. 2. ff. de autor. tutor.*

3 Si tamen res ſit immobilis, aut talis, quæ commode conſignari, aut deponi non poteſt, ut ſunt equi, boves, & ſimilia, ſola verbalis oblatio ſufficit, qua ſe ſolvere paratum dicit, vel ſub proteſtatione conſtituit, ſe eam nomine creditoris poſſidere: *arg. Novell. 91. cap. 2. & auth. dos data, Cod. de donat. ant. nupt. l. 18. ff. de acq. vel amitt. poſſeſſ.* Bart. & DD. *in l. acceptam 19. Cod. de uſur. num. 3. & in l. ſi mora 9. num. 5. 6. & 7. ff. ſolut. matrimon.* Unde communiter diſtinguunt inter oblationem realem, & verbalem, quarum hanc in immobilibus, illam in mobilibus locum habere volunt.

4 Præterea ſi pars debiti ſit liquida, pars illiquida, partem liquidam offerre, & de illiquida datis fidejuſſoribus, vel pignoribus cavere ſufficit, *l. 21. ff. de reb. cred. l. 5. & l. 34. in fin. ff. de Statu lib.* Nicol. Everhard. *conſil. 99. num. 2. & 6. & conſil. 240. num. 5.* Joan. Papon. *lib. 11. tit. 8. art. 1.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 30. defin. 5.*

5 Rurſus, ſi creditor oblatam à debitore pecuniam, realiter obſignari nolit, metuens forte ne ob dubium litis eventum, obſignationis ſumptus poſtea in ſe redundent, ideoque declaret ſe oblatam

pecu-

pecuniam pro obſignata ac ſolenniter depoſita habere, legitimæ conſignationis effectum per omnia habet debitor, ac ſi re vera obſignata ac depoſita fuerit: Prout à Friſiæ curia judicatum refert Joann. à Sande *lib. 3. tit. 14. defin. 13.*

6 Apud quem Judicem conſignatio fieri debeat? communis eſt doctrina, ut apud eum fieri debeat, qui illius cauſa futurus erat Judex, aut potius apud Judicem ejus loci, ubi ſolutio fieri debuit. vide Bart. *ad l. acceptam 13. Cod. de uſur.* Boër. *deciſ. Burdegal. 11. num. 4. & deciſ. 114. num. 9.* Jacob. Cancer. *var. reſolut. tom. 2. cap. 4. num. 37.* Acac. *var. reſolut. cap. ult. num. 76. & ſeq.*

7 Conſignationis effectus ſunt. I. Ut habeat vim conſtituti, *arg. §. 9. Inſtit. de Action. l. 1. & tot. tit. ff. & Cod. de conſtit. pecun.* II. Quod periculum rei in creditorem transferat: dummodo ſi pecunia, aut alia quantitas depoſita ſit, certo debitor probare poſſit, eam ipſam quæ oblata eſt periiſſe, *l. 39. l. 72. l. 102. ff. de Solut.* III. Quod moram purget, & uſurarum curſum ſiſtat, *d. l. 6. l. 9. & l. 19. Cod. de uſur. l. 1. in fin. & l. 7. ff. eod.* Bart. *in d. l. acceptam. 13. Cod. de uſur.* Nicol. Everhard. *conſil. 99. num. 1. & conſil. 240. num. 1.* Sande *d. lib. 3. tit. 14. defin. 13.*

Cap. XXXVI.

De Compenſationibus.

Summaria.

1. *Compenſatio quid ſit, unde dicta, & cujus ſit effectus.*
2. *Quando & quomodo exponi poſſit: & quid moribus.*
3. *Quæ ſint ejus requiſita: & debitum liquidum quid ſit.*
4. *Celeris ſatisfactio quæ dicatur, & intra quod tempus fieri debeat, & quid* Saxoniæ *aliorumque moribus.*
5. *An in quantitatibus ſolum, an vero etiam in ſpeciebus, aut rebus in genere præſtandis locum habeat.*
6. *An adverſus inſtrumentum guarentigiatum quod proviſionalem habet executionem opponi poſſit, & quid moribus.*
7. *Inſtrumenti guarentigiati cujus ſit vis atque efficacia in* Germaniæ.
8. *An & quatenus delictorum compenſatio admittatur.*
9. *An & quatenus id quod in diem aut ſub conditione debetur.*
10. *Qui & adverſus quos compenſare poſſint.*
11. *An & quatenus adverſus fiſcum, & vectigal publicum compenſatio opponi poſſit, & quid moribus.* & num. 13.
12. *Plures vectigalium conductores ſocii an & quomodo inter ſe compenſare poſſint.*
13. *Retentioni an & quando contra fiſcum ſive vectigal publicum locus ſit.*
14. *Ceſſat in alimentorum debitis.*
15. *An alieno nomine veluti per fidejuſſorem debitoris nomine compenſatio opponi poſſit.*
16. *An à debitore ejus debiti quod viciſſim creditor alteri cedenti ſuo debebat.*
17. *Eadem quæ cedenti etiam ceſſionario opponi poteſt, an & quatenus procedat ſi cedens interim fiat non ſolvendo, aut foro cedat.* 18.
19. *An & quatenus procurator domini ſui nomine conventus compenſationem opponere poſſit ejus pecuniæ quæ ab actore domino ſuo debetur.*
20. *An & quatenus in rem ſuam procuratorio nomine compenſare poſſit.*
21. *An & quatenus tutor pupillorum nomine aut ſuo compenſare poſſit.*
22. Anton. Fab. *&* Carpzov. *reprehenſi.*
23. *An & quando heres ex perſona defuncti compenſare, eique compenſatio opponi poſſit, & an coheredum alteri pro alterius portione.*
24. *An & quatenus correo aut ſocio objici compenſatio poſſit ejus quod correus aut ſocius debet.*
25. *An opponens compenſationem debitum confiteatur.*

1 Ipſa re, atque ipſo jure etiam obligationem tollit compenſatio, quæ eſt debiti & crediti inter ſe juſta & liquida contributio, *l. 1. ff. De compenſat.* ita dicta quod æs alienum cum eo quod utriumque debetur, per imaginariam quaſi ſolutionem penſitetur, & quoad concurrentem quantitatem minuatur, *l. 4. Cod. eod. l. 58. §. 3. in fin. ff. ad Senat. Trebell. l. 34. §. 5. ff. de leg. 2.* Habetque vim & effectum ipſo jure, nec actus aut factum requirit, niſi hactenus ut objiciatur, quod omnino requiritur, ut de voluntate compenſatoris conſtet; invitus enim compenſare nemo cogitur, ſi forte ob aliquam cauſam ſolvere malit. *l. 2. ff. de Compenſat. l. fin. in verb. objici. Cod. eod.* Anton. Fab. *ad Cod. l. 1. tit. 9. defin. 13. & lib. 4. tit. 23. defin. 4.* oppoſita autem retrofin-

Dig. XVI. II. Cod. IV. XXXI. De Compenſationibus.

gitur facta fuiſſe, ex eo tempore quo mutuo deberi cœpit. l. 11. l. 21. ff. eod. ſic ut & Uſuræ, vel quicquam aliud pœnale pro rato debiti quod penſari poteſt, ipſo jure elidatur, & currere deſinat. l. 4. Cod. De compenſat. l. 4. l. 11. l. 12. ff. eod. l. 2. l. 8. l. ult. Cod. De compenſat. Anton. Fab. d. defin. 4. num. 2. Carpzov. defin. Roman. Saxon. part. 1. conſtit. 8. defin. 6.

Opponi autem ſemper & omni tempore poteſt, nec ſolum pendente lite. l. 8. ff. De Compenſationib. ſed etiam poſt latam ſententiam in ipſa executione objici ſufficit. l. 2. Cod. eod. in verb. enim vero. Eſt enim quaſi ſolutio. l. 4. Cod. De Compenſat. quæ ſive ante, ſive poſt ſententiam facta, obligationem ipſo jure tollit, pr. Inſtit. quib. mod. toll. oblig. Eoque jure utimur. Vide Grot. Introd. Juriſprud. Batav. lib. 3. cap. 40. verſ. Verlijckingh. Andr. Gail lib. 2. obſerv. 17. Anton. Fab. ad. Cod. lib. 8. tit. 24. defin. 2. Carpzov. Juriſprud. Romano-Saxon. part. 1. conſtit. 8. defin. 6. & conſtit. 31. defin. 19. num. 6. Chriſtin. vol. 3. deciſ. 39. num. 3. 4. & ad leg. Mechlin. tit. 1. art. 32. ad num. 7. in addit. Statut. Antverp. tit. 64. art. 8. 2

In ea tamen Galliæ parte quæ moribus regitur, & quibuſdam Belgiæ conterminis locis ad obtinendam compenſationem Principis reſcriptum requiritur, & ſine eo compenſatio à judicibus non admittitur, referentibus, Mornac. obſerv. ad l. 4. Cod. De compenſat. & l. 21. ff. eod. Autum. Conſer. du droict. ad tit. D. Cod. eod. Joann. Papon. lib. 12. tit. 6. art. 1. Zyp. Not. Jur. Belg. Rubr. De compenſat. Chriſtin. vol. 3. deciſ 38. num. 3.

Requirit autem ut ſit debiti liquidi, puri, & præſentis. l. ult. §. 1. Cod. De compenſat. & ibi DD. liquidi enim ad illiquidum nulla compenſatio eſt, ne quidem per viam exceptionis, quia ſolutionis vice eſt, l. 4. Cod. De compenſat. quæ ut liberet, aliud pro alio ſolvi, non admittit, ejuſque oppoſitio contra executionem intentata rejicitur, reſervata opponenti, actione pro eo noviter inſtituenda (vulgo by rauw actie.) Ut recte monet Carpzov. defin. Forenſ. part. 1. conſtit. 8. defin. 5. 3

Debitum liquidum eſt quod jure aperto nititur, §. 30. Inſtit. de Action. quod pro certo, & indubitate ejuſdem utrimque qualitatis, atque æſtimationis apparet. nec multis ambagibus innodatum, ſed quod judici facilem præſtat ſui exitum: d. l. ult. §. 1. veluti ex confeſſione adverſarii, qua fatetur ſe tantundem debitori ſuo, eidemque creditori ex hac vel illa cauſa debere, aut quum non de facto, ſed de jure inter debitorem & creditorem diſputatur, quod ſemper certum ac judici apertum eſſe intelligitur, tot. tit. Cod. Ut quæ deſunt Advocat. part. Vel ſi quidem in facto verſetur quod debitor compenſandum opponit, ſed tale ſit, quod in continenti probari poteſt: ut ſi jam ſtatim ab initio litis, & in ipſa quaſi conteſtatione debitor paratam probationem offerat, quod etiam ſibi ab actore viciſſim aliquod debeatur. d. l. ult. §. 1. verſ. hoc. itaque Judices. Cod. compenſat. Menoch. De arbitrar. Jud. lib. 2. quæſt. 14.

Quænam autem ſit celeris & parata probatio, & intra quod tempus fieri debeat, quum in jure expreſſum non ſit, arbitrio & judicis diſcretioni relinquitur, eaque eſt communior & receptior DD. opinio, Schneiduin. ad §. 30. Inſtit. de Action. num. 18. & ſeq. Menoch. de arbitrar. Jud. quæſt. Centur. 1. caſu 14. num. 5. & ſeq. Matth. Berlich. part. 1. concluſ. 23. num. 10. Neque convenit opinio Donelli lib. 16. com. 15. & Sichard. ad Rubric. Cod. De compenſat. num. 13. & 15. exiſtimantium arg. l. 46. §. 4. ff. de Jure fiſci, huic probationi duos menſes præſtitutos. Quippe quod hanc compenſationis exceptionem ex ſolis inſtrumentis, aut partis confeſſione, minime autem per teſtes probari debere conſtet ex Gloſſ. in l. ult. Cod. De compenſat. Vide Johann. Zanger. De except. part. 3. cap. 8. num. 59. Carpzov. Juriſprud. Roman. Saxon. part. 1. conſt. 8. defin. 14. & 28. adeoque minori quam duorum menſium termino includatur. Sed in foro Saxonico communis probationis ſex ſeptimanarum & trium dierum terminus eſt, quem ut in cæteris, ita etiam in compenſationibus ibidem admitti probat Carpzov. defin. Forenſ. part. 3. conſtit. 8. defin. 13. 4

Ex quo Juris fundamento eſt, ut compenſatio tantum locum habeat in quantitatibus, quæ mutuam functionem inter ſe recipiunt, veluti in his quæ pondere numero & menſura conſtant, ut pecunia numerata, aut talibus creditis quæ pecunia ſolvi, aut liquide taxari poſſunt, l. 10. §. 2. l. 22. ff. De compenſat. Non vero in ſpeciebus, aut rebus in genere præſtandis, l. 18. in pr. ff. De condict. indeb. l. 36. §. 4. ff. eod. Fachin. lib. 1. controverſ. 6. & lib. 10. cap. 7. Bronchorſt. cent. 2. aſſert. 43. Neque in depoſitio, neque commodato locum habet. l. pen. Cod. depoſiti. junct. l. ult. Cod. De compenſat. Carpzov. defin. Forenſ part. 1. conſtit. 1. defin. ult. 5

Ita etiam ſi quis aureos in ſpecie debeat, in compenſatione deducere non poteſt id, quod ſibi in currente, ſive numerata pecunia debetur, quia aurum in ſpecie, id eſt, excellentiori & eminen-

nentiori modo ſumptum, in argento vel ære non conſiſtit, nec debitor aureorum in ſpecie per ſolutionem currentis monetæ liberetur; ne aliud pro alio ſolvat. *l. 16. & ſeq. Cod. De ſolut.* Ant. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 13. defin. 2. in fin.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 1. conſtit. 8. defin. 11.* Cæterum an & quatenus locum habeat ubi quantitas ab una parte debetur, ex altera vero quantitas ſe habeat ad inſtar ſpeciei. Vide Fachin. *lib. 1. controv. cap. 6.* Mæſtert. *tract. De compenſat. quæſt. 9. 10.*

6 Sed & hic quæri ſolet utrum contra inſtrumentum guarentigiatum ut vocant, id eſt, quod paratam ſive proviſionalem executionem habet, compenſatio opponi poſſit? Quod quamvis dubium videatur, quum tamen idem ſit ſolutionis, & compenſationis effectus, adeoque ſolutionis ſpecies ſit compenſatio. *l. 4. circa fin. ff. Qui pot. in pignor. l. 15. ff. Ratam rem haberi. l. 20. §. 2. ff. De Stat. lib.* dubitari amplius non debet, quin & contra inſtrumentum guarentigiatum & ejuſmodi pactum executivum, compenſationis exceptio admittatur, modo ejuſdem, aut ſimilis naturæ debitum, in continenti & liquido, probetur. Quod quidem moribus noſtris, quibus parata executio directe per pactum ſtipulari privato non permittitur, ſed tantum in fiſci debitis, & vectigalibus publicis, aliiſque privilegiatis obtineat, ad voluntarias condemnationes, **Willige condemnatien** / & præjudiciales conſignationes, **Proviſien van Namptiſſement**/reſtringi debet. Quomodo per compenſationem, quæ in continenti probari poteſt, proviſionalem condemnationem impediri poſt Chardond. *in memorab verb. faux ſanſeté*, recte notat Joann. à Sande *Deciſ. Friſic. lib. 1. tit. 8. defin. 3. verſ. allegata, in verb. Reliqua quoque.*

7 Sed in Germania, viciniſque regionibus, quibus pacti executivi, atque inſtrumenti guarentigiati, ut vocant, ea vis eſt, ut judicatis æquiparentur, atque executionem inducant. De quibus vide Matth. Colet. *De Proceſſib. execut. part. 2. cap. 1. num. 9.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 3. conſtit. 13. defin. 35. num. 11.* Jacob. Cancer. *Variar. reſolut. tom. 2. cap. 3. num. 3. & ſeqq.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 42. defin. 57.* Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib. 1. tit. 12. defin. 3.* cæteris paribus, indiſtincte compenſationem admitti recte notat idem Carpzov. *defin. Forenſ. part. 1. conſtit. 8. defin. 12.*

8 Omniumque adeo debitorum compenſatio admittitur, ut & in maleficiis, ex quibus pecuniarie, ob dolum aut culpam ad civile partium intereſſe, aut damni dati reſtitutionem agitur, compenſationi etiam locus ſit. *l. 10. §. 2. ff. De compenſat. l. 36. ff. De dolo. l. 39. ff. De Solut. matrimon.* In his quæ liquide compenſari poſſunt.

9 Porro diximus in compenſationibus debitum utrumque purum & præſens requiri, ſic ut quod in diem debetur invito debitore compenſari non poſſit, *l. 7. & ibi* DD. *ff. De compenſat.* niſi in gratiam creditoris dies adjectus ſit. *l. 3. §. pen. ff. De Uſur. l. 15. & l. 43. ff. de leg. 2.* Neque id quod ſub conditione debetur compenſari valide poteſt; quod enim ſub conditione pendet, maxime illiquidum, minimeque purum, imo indebitum eſt. *§. 4. Inſtit. De Verb. Oblig. l. 213. ff. De Verb. Signiſ. junct. l. 4. Cod. De compenſat. l. 16. ff. de Cond. indeb.* Schneiduin. *ad §. 30. Inſtit. De Actionib. num. 46. 47.* Carpzov. *defin. Forenſ. part. 1. conſtit. 8. defin. 4.*

10 Compenſare poſſunt omnes, & adverſus omnes quibus invicem ab iis quibus convenitur, aliquid debetur, ſive illi privati alicujus debitores ſint, *tot. tit. ff. & Cod. de compenſat.* ſive fiſci, civitatis, aut reipublicæ. *l. ult. ff. De compenſat. l. 3. Cod. eod. l. 46. §. 5. ff. de jure fiſci:* Excepto, I. ſi quis propter publicas penſationes vectigalia, aut tributa auctoritate publica indicta, con-
11 veniatur: eo quod Reipublicæ interſit paratam tributorum fieri executionem, nec à privato quopiam impediri aut retardari. *d. l. 3. Cod. de compenſat. & l. 46. §. 5. ff. de jure fiſci, l. 3. ff. de cenſib. l. 42. ff. de pact. l. 32. in fin. ff. de uſufruct. legat. l. 13. §. 6. ff. de act. empt.* II. Si quis debitor unius ſtationis, compenſare velit, quod ab alia ſtatione ſibi debetur, *l. 1. Cod. de compenſat.* Quod quum in communibus fiſci debitis ita ſit, multo magis in tributorum aut vectigalium ſtationibus, quæ nullam omnino compenſationem admittunt, ſervandum eſt; eo quod ſtationes ſingulæ, id eſt, manſiones in quibus officia fiſcalia conſiſtunt, (nobis **Comptoiren** / Gallis, *Beureaux des Receveurs*) diverſæ ſunt, & eorundem officia inter ſe diſtincta, quæ confundi non debent.

Quod tamen eo modo limitatur, moribus noſtris, ut debiti unius cum alterius etiam ſtationis debito, etiam ſi illæ ſint diverſæ, compenſatio ex uſu fiat, modo unius ſuſceptoris opera & officio adminiſtrentur, nobis **den Ontfanger Generael** / cui in totum ſuſceptores Vicarii, & particulares, ſuas reddunt rationes, inter quos mutuas ſæpe aſſignationes & compenſationes admitti conſtat. Quod fere convenit cum eo, quod à Neapolitanis Judicibus in ſimili
12 judicatum refert, Matth. de Afflict. *Deciſ. Neapolit. 192.* Quomodo plures vectigalium ſive

tributorum ſocii, conductorum vectigalium præſtationes plures etiam ad diverſas ſtationes per-
tinentes, modo ſub uno generali ſuſceptore comprehenſas, inter ſe compenſare poſſunt.

In cæteris autem fiſci Civitatum, aut Reipublicæ debitis, contra publicorum vectigalium
ſive tributorum penſitationes jus ſcriptum ſequitur, neque ulla compenſatio admittitur. Si autem 13
aliquid in ipſius tributi, ſive penſitationis cauſa fuerit expenſum, illud compenſari ſeu potius re-
tineri ab ejuſdem penſitationis debitore poſſe receptum eſt. Quomodo quum in facti ſpecie tri-
butorum conductor quidam, cauponam pro vini tributorum penſitatione conveniſſet, pararaque
adverſus eum executione experiretur, caupo per modum oppoſitionis contra executionem,
compenſationem objiceret ſumptuum eorum, quos ipſe conductor cum ſuis domi ſuæ ejuſdem tri-
buti cauſa expendiſſet, dictam compenſationem ſeu verius retentionem admittendam, eumque
oppoſitorem juſtum Scabinos Leydenſes declaraſſe quondam memini.

Ceſſat etiam compenſatio in alimentorum debitis, quæ Civitati, Xenodochiis, Orphanotro- 14
phiis, Brephotrophiis, Prochotrophiis, aliiſque locis, quibus infirmi, ſenes, pueri, puellæ,
aliæque perſonæ miſerabiles aluntur, ſunt relicta, *arg. d. l. 5. Cod. de compenſat. junct. l. 17. &*
l. 122. ff. de leg. 1. l. 8. *ff. de aliment. legat.*. Quod & ab aliis favore alimentorum ad quoſcunque
quibus aliquid pro alimentis relictum eſt extenditur, ne pendente compenſationis mora fame eos
perire contingat, *arg. l. 17. §. pen. ff. de inof. teſt. junct. l. ult. Cod. de Ord. cognit.* Atque ita à
Sabaudiæ Senatu judicatum refert, Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 23. def. 7.* Vide porro Car.
Graſſ. *de exceptionib. Except.* 16. *num.* 46. Zanger. *tr. de except. part. 3. cap.* 8. *num.* 28. 29. *&*
Carpzov. *def. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 8. *def.* 9.

Utrum ex alieno nomine compenſatio fieri poſſit? Non videtur, quia ejus quod non ei debetur 15
qui convenitur, ſed alii, compenſatio objici non poteſt. *l. 9. Cod. de compenſat. l.* 16. *l.* 18. *§. fin.*
ff. eod. Quomodo is qui alieno, veluti procuratorio, nomine agit, compenſare non poteſt id, quod
ſibi proprio nomine ab eodem debitore debetur. *arg l. 1. ff. de compenſat.* in verbis, *inter ſe*, id eſt
inter ipſos contrahentes per Gloſſ. *ibid.* & *l. 2. ff. eod.* in verb. *creditorem eundemque debitorem*
ſuum, etiamſi de rato cavere velit. Quod ſpeciali jure filio conceditur, ut compenſare poſſit,
quod patri debetur ſi de rato caveat, *l. 9. §. 1. ff. de compenſat.* quod cum benigno jure ei ſit
conceſſum, ad exemplum trahi non poteſt ab aliis. *l. 1. §. 2. ff. de conſtit. Princip.* Vide Coſtal.
ad l. 4. ff. de compenſat. Præterquam in fidejuſſore, qui quum ex ſubſtantia debitoris ſatisfacere
& ſolvere poſſit, *auth. Si captivi.* ſubjecta *l. 49. Cod. de Epiſcop. &* Cleric. ubi Bart. & Caſtrenſ.
junct. l. 8. §. 7. circa fin. ff. mandat. & quæ ſupra *cap.* 17. *num.* 18. compenſare minime pro-
hibetur quod ipſi reo debetur, per text. *in d. l. 4. ff. De compenſat.* & cum pro debitore princi-
pali ſolvit, compenſare eam quantitatem poteſt, quæ viciſſim à creditore debitori debetur,
l. 4. ff. De compenſat. & ibi DD. Omnes enim exceptiones & defenſiones quæ reo competunt,
ſiquidem in rem ſcriptæ, nec mere perſonales ſint, etiam fidejuſſori proſunt & objici poſſunt, *l. 7.*
l. 19. ff. De exceptionib. l. 11. Cod. De compenſat. l. 32. ff. De Fidejuſſorib. qualis etiam eſt com-
penſatio, *arg. l. 1. ff. De compenſat.* quæ ſimul atque jam objecta eſt, ipſo jure obligationem mi-
nuit, ac ſi ipſe reus debiti partem intuliſſet. Quod generaliter & indiſtincte verum eſt, ſive reus
fuerit ſolvendo ſive non, ſive reo principali antequam fidejuſſor daretur creditor debuit, ſive poſt-
ea, ſive tantundem, ſive minus, & ſive in certam ſummam fidejuſſit, ſive eam quam reus debet,
l. 4. ff. De compenſat vide Zanger. *de except. part. 3. cap.* 8. *num.* 32. *& ſeq.* & poſt eum Jacob.
Mæſtert. *tractat. De compenſat. quæſt.* 5.

Pari ratione etiam compenſatio à debitore opponi poteſt ejus debiti quod viciſſim creditor 16
alteri cedenti ſuo debebat. Quod enim alii debetur compenſari poteſt, ſi debitum illud à credi-
tore fuerit ceſſum, ut poſt Gloſſ. & Bald. *ad l. 9. Cod. De compenſat.* Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 4.
tit. 23. *defin.* 8. *num.* 10. Tiraquell. *De retract. lign. §. 3. Gloſſ. 3. num.* 13. Nicol. vander
Hoogh *Singul. Jur.* 34. *num.* 2.

Et è contra ea compenſatio quæ cedenti opponi poterat, poteſt etiam opponi ipſi ceſſionario, 17
non poteſt enim plus juris in ceſſionarium cedens transferre, quam ipſe habet, *l. 54. ff. de Reg.*
Jur. non autem habebat, quod vi compenſationis eliſum erat, *l. 21. ff. De compenſat. l. ult. Cod.*
eod. §. 30. Inſtit. De actionib. neque ea tantum quæ primo cedenti, ſed & quæ ſecundo, ſive ulte-
riori cedenti obſtabat, ceſſionario objici poteſt, *arg. l. 43. & 177. ff. de Reg. Jur.* Prout à Friſiæ
Senatu judicatum refert Joann. à Sande *lib. 3. tit. 17. defin.* 2.

Neque hic diſtinguendum eſt, utrum cedens ille interim bonis aut foro ceſſerit, aut alias 18
non ſolvendo factus ſit: propterea enim quod prior creditor poſtquam actionem alteri ceſ-
ſerit, non ſolvendo eſſe cœperit, hæc exceptio deſinit eſſe realis, ipſoque jure compenſatoria,

l. 7,

l. 7. ff. De except. Niſi forte poſt factum inſinuationem per modum delegationis ipſum ceſſionarium pro creditore ſuo agnoverit, aut alio modo eum ipſo novationem fecerit, quo caſu compenſationem cedentis nomine debitor amplius objicere non poteſt, arg. §. 3. Inſtit. Quib. mod. re contrah. oblig. Car. Graſſ. tract. De except. except. 16. num. 32. Teſſaur. Deciſ. Pedemontan 221. in fin. Cancer. var. reſolut. tom. 2. cap. 6. num. 84. Neoſtad. Suprem. Holland. Curiæ Deciſ. 71.

19 Quæ quum ita ſe habeant in fidejuſſore ceſſionario, aliove procuratore in rem ſuam conſtituto, multo magis obtinent in procuratore qui prorſus alieno nomine exequitur, quin is domini ſui nomine conventus, compenſationem opponere poſſit ejus pecuniæ, quæ ab actore viciſſim domino ſuo debetur. Quod enim quis per alium facit, hoc ipſe facere videtur. l. 56. ff. de Solut. l. 49. ff. eod. l. 180. ff. de Reg. Jur. perindeque eſt, ac ſi ipſe dominus compenſationem objiceret.

20 Qui tamen proprio nomine conventus ejus pecuniæ compenſationem objicere non poteſt, quæ ipſi ab eodem actore procuratorio nomine debetur; quemadmodum nec agens ſuo nomine dominici debiti compenſationem patitur, licet acceptandæ ſolutionis facultatem habeat, & mandatum in eam rem ſufficiens, ſicuti etiam officium procuratorium in propriis ſuis negotiis damnoſum eſſe non debet, ita nec procurator negotium domini ad ſe trahere, rationeſque confundere poteſt, alia enim eſt perſona domini, alia procuratoris, atqui ejus quod alii debetur, quam ei qui agit aut convenitur, nulla eſt compenſatio, l. 9. & ibi DD. Cod. de compenſat. l. 16. & l. 18. §. 1. ff. eod. Mart. Dig. noviſſim. tom. 3. tit. compenſatio, cap. 34. Jacob. Mæſtert. tract. de compenſat. quæſt. 6. Ant. Fab. ad Cod. lib. 4. tit. 23. def. 17. & def. 8. num. 6. in alleg.

21 Quemadmodum nec tutor, pupillorum nomine adverſus eum agens, cui ipſe ad certam quantitatem obligatus eſt, reſpectu ejus compenſationem patitur, l. Id quod 23. ff. de compenſat. & ibi DD. Rurſumque, nec eo caſu, quum tutor qui nomine pupilli convenitur, ſimul eſt creditor ejus qui agit, ſimulque debitor pupilli, compenſatio pupilli opponi poteſt, ne ſcilicet tutoris & pupilli jura & actiones confundantur, eoque modo alii quam ei qui agit, vel convenitur compenſatio objiciatur, arg. d. l. 16. l. 18. §. 1. ff. de compenſat. junct. l. 9. Cod. eod. Vide Bart. Caſtrenſ. & DD. ad d. l. Id quod. 23 ff. De compenſat. Mæſtert. De compenſat. quæſt. 9.

22 Nec me movere potuit quod Anton. Faber ad Cod. lib. 4. tit. 23. defin. 8. & poſt eum Carpzov. Juriſprud. Forenſ. part. 1. conſtit. 8. defin. 7. hac ratione tutori compenſationem ejus quod ſibi proprio nomine debetur concedi oportere putent: quod tutela conſiſtente facile fieri poſſit, ut tantundum pupillo tutor debeat, quantum liberandi ipſius gratia compenſare velit, nec quicquam vetet, tutorem de ſuo pro pupillo ſolvere, arg. l. 39. ff. De negot. geſt. & l. 23. ff. De Solut. Poſito enim quod tutor pupillo tantundem debeat, nihil tamen ipſi, vel ſuo vel alieno nomine viciſſim à pupillo debetur, neque ceſſio actionis inter tutorem & pupillum obtinet, quia tutor cum pupillo contrahere non poteſt, nec in rem ſuam auctoritatem præſtare, l. 1. & l. 7. ff. De auctor. tutor. quod tamen neceſſarium compenſationis requiſitum eſſe ſatis conſtat. Et porro, licet tutor de ſuo pro pupillo aliquid ſolvere poſſit, non ideo ſequitur quod poſſit compenſare, alius enim pro alio recte ſolvit, d. l. 39. ff. De negot. geſt. & l. 23. ff. De Solut. qui tamen pro alio compenſare non poteſt, ut eſt textus in l. 16. in pr. l. 18. §. 1. ff. De compenſat. & l. 9. Cod. eod.

23 Ex eodem fundamento etiam ſequitur, quod licet heredi, ſi quid proprio nomine petat, objici poſſit compenſatio ejus pecuniæ, quam defunctus debuit, rurſumque heres poſſit compenſare id, quod defunctus potuit, quia in univerſum jus ſuccedit, l. 3. Cod. De contr. tutel. Jud. Anton. Faber ad Cod. lib. 4. tit. 23. defin. 9. num. 2. Carpzov. defin. Forenſ. part. 1. conſtit. 8. defin. 8. Chriſtin. ad leg. Merblin. tit. 1. art. 24. in addit. ad num. 3. attamen non debeat ad compenſationem admitti debitor, qui alteri heredum obligatus, compenſare velit quod ab alio coherede ipſi debetur, arg. d. l. 16. in pr. & l. 18. §. 1. ff. & l. 3. Cod. De compenſat. Singuli enim heredes non repræſentant perſonam defuncti, niſi pro partibus hereditariis. l. 2. Cod. De hered. Act. & æs alienum inter coheredes ipſo jure diviſum eſt. l. 25. §. 9. ff. Famil. erciſc. l. 1. Cod. Si cert. petat.

24 Quibus idem de correis pluribus dicendum eſt. Ut ſi tertio alicui quem correus, ex propria perſona convenit, viciſſim aliquid ab altero correo debeatur, ceſſet compenſatio, arg. d. l. 16. & l. 18. ff. & l. 3. Cod. De compenſat. niſi & illi ſimul ſocii ſint. l. 10. ff. De duob. reis, quo caſu conventio eos pro una eademque perſona reputat, & quod alter pactus eſt, alteri prodeſt, alterumque relevat, quod alteri debetur. l. 9. §. pen. ff. De duob. reis. l. 25. ff. De pact.

Quod

Quod iterum tamen ad ſocietatis & communionis terminos reſtringendum eſt, ut ſcilicet ſociorum alter ſocietatis nomine conventus, actori non poſſit objicere compenſationem ejus quod viciſſim ei ſuo & proprio nomine debet: Sicuti nec è contra ei, qui ſocietatis nomine egerit, opponi poteſt compenſatio ejus quod ſuo & proprio nomine eidem pro convento debet, per leg. & rationes ſupra allegatas. Carol. Graſſ. *tract. De Except. 16. Except. num.* 40. Gratian. *Diſcept. Forenſ. tom. 5. cap.* 948. *num.* 3.

Hiſce communiter addunt quæſtionem illam, an opponens compenſationem debitum confiteri videatur? Cui quidem ita reſpondendum eſſe communis eſt doctrina: Ut quamvis ſatius ſit intentionem actoris inficiari, quam compenſationis difficultatibus ſeſe implicare, attamen non videri eum qui compenſationem opponit, eo ipſo debitum confiteri, quia exceptione utitur. *l. 9. ff. De Except. cap. exceptionem. De Regul. Jur. in 6.* Ut poſt alios Fachin. *Controv. lib.* 11. *cap.* 6. Mæſterr. *tract. De compenſat. quæſt. ult.* Car. Graſſ. *De Except. d. Except. 16. num.* 39. Jacob. Cancer. *Var. reſolut. tom. 1. cap. 18. num.* 15. Deinde, quod in jure ſit receptum, ut confeſſio qualificata dividi non poſſit, ſic ut pro parte accipi pro parte reſpui poſſit, prout late eandem quæſtionem tractant, Robert. Marant. *part. 6. tit. De Confeſſ. num.* 27. Boër. *Deciſ. Burdigal.* 263. *&* 339. Althuſ. *Dicæolog. lib. 3. cap. 38. num. 23. & ſeq.* Card. Tuſc. *Practic. concluſ. tom. 1. litt.* C. *concluſ.* 673. Gratian. *Diſcept. Forenſ. cap. 130. num. 16. & ſeq.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 7. tit. 24. def.* 1. Grivell. *deciſ. Dolan.* 12. 25

Cap. XXXVII.

De Retentione.

Summaria.

1. *Retentio quid, & cujus ſit effectus.*
2. *An & quatenus res ex certa cauſa, ſive in unum caſum obligata, pro alio debito retineri poſſit.*
3. *An & quatenus vidua pro dotis reſtitutione retentionis jure gaudeat.*
4. *Vidua poſſeſſione ſpoliata ante omnia reſtituenda.*
5. *An & quatenus locatori competat jus retentionis in invectis & illatis.*
6. *An & quatenus impendenti competat pro eo quod in ipſam rem impenſum aut erogatum.*
7. *An & quatenus conductori mercedem pro reparatione facta retinere liceat.*
8. *An & quatenus aurigis & tabellariis in rebus appertatis pro vectura, & expenſarum reſtitutione.*
9. *Cauponibus & hoſpitibus in rebus hoſpitum receptis, an & ceſſantibus ſolvere, pallia, veſtes, enſes, pileos ſua auctoritate detrahere, & retinere poſſint.*
10. *Sartoribus an & quando pro mercede veſtimenta licet ex aliena materia retinere liceat.*
11. *Advocati & Procuratores an & quando acta & litium inſtrumenta pro mercede ſive honorario retinere poſſint: & quid* Galliæ *moribus.*
12. *Retentio quomodo differat à compenſatione.*
13. *Poſſeſſor rei alienæ an & quando rem, ſub cautione, de impenſis in rem utiliter factis ſolvendis, reſtituere teneatur, vel non.*
14. *Quid moribus* Galliæ *Molinenſis.*

COmpenſationem ſequitur retentio, quæ quamvis non ſit ipſa compenſatio, quam proximè tamen ad eam accedit, *arg. l. ult. Cod. depoſiti.*

Eſt retentio rei poſſeſſæ pro debiti ſumptuum, aut impenſarum ſolutione aut reſtitutione, juſta detentio, qua quis indemnitati ſuæ interim conſulit, donec conſequatur id, quod ſibi propter eandem rem debetur, *l. 15. ff. de impenſ. in res dotal. fact. l. 26. §. 4. ff. de condict. indeb. l. 25. & ſeq. ff. de procurat. l. 5. ff. de dot. præleg. & ſimil.* 1

Quomodo per retentionem ſibi conſulit venditor in re vendita donec emptionis pretium ſit ſolutum, *arg. §. 41. Inſtit. de rer. diviſ. l. 13. §. 8. ff. de act. empt. l. 22. ff. de hereditat. vendit.* Neguzant. *de pignorib. 4. membr. 5. part. num.* 3. Pyrrh. Maur. *de retent. num.* 21. Item creditor in re ſibi oppignorata, pro conſequendo alio debito, quod ſine pignore debetur, *l. unic.* Cod. *etiam ob chirographariam actionem pignus retineri poſſe*, cujus argumento res ex certa cauſa ſive in unum caſum obligata, pro alio etiam debito liquido retineri poteſt, modo pignoris vinculum prioris debiti ratione ſubſit, atque ea voluntate res à debitore creditori fuerit tranſlata, aut conceſſa, quod omnino requiritur, *arg. d. l. unic. Cod. etiam ob chirographar.* Non magis etiam is, qui de pignore nullo modo convenit, rem debitoris pro pignore retinere poteſt, quam agendo eam 2

Cod. VIII. XXVII. Etiam ob Chirographariam pecuniam pignus retineri poſſe.

eam perſequi, *arg. l. 3. ff. qua res pignor.* Vide Pyrrh. Maor. *tract. de retent. num.* 11. 12. *& ſeq.* Bronchorſt. *Miſcell. centur.* 1. *aſſert.* 81. Hartmano. *tit.* 27. *Obſerv.* 6. *num.* 1. Wurmſer. *pract. tit.* 28. *Obſerv.* 2. Neguzant. *de pignor.* 4. *membr.* 5. *part. num.* 23. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 16. *defin.* 2. 3. 4. Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 25. *defin.* 24. *& ſeq.*

3 Eo etiam jure utitur vidua in bonis mariti pro dotis aut dotalitii rerumque paraphernalium reſtitutione, *arg. l.* 29. *Cod. de jure dot.* Neguzaot. *de pignorib.* 5. *part. memb.* 4. *num.* 5. Caroc. *deciſ.* 21 *num.* 11. Mynſinger. *cent.* 6. *obſerv.* 45. *num.* 5. Sed & pro lucro quod ex pacto, teſtamento, vel loci ſtatuto debetur, Dec. *Conſil.* 449. *num.* 23. Matth. Coler. *De proceſſ executiv. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 220. *cap.* 3. *num.* 241. *& part.* 1. *deciſ.* 62. *num.* 11. Matth. Berlich. *pract. concluſ. part.* 2. *concluſ.* 32. *num.* 1. *& ſeq. & num.* 28. cui enim competit actio, ei multo magis datur retentio, *l.* 25. *in fin. & ſeq. ff. De procurator. l.* 1. *§. is autem, ff. de Superficieb.* & facilius datur poſſidenti retentio, quam non poſſidenti actio, *l.* 1. *ff. de Pignor.* quæ & interdum datur nullam actionem habenti, *l.* 33. *in fin. ff. de condict. indebiti.* Antoo. Fab. *ad Cod. lib.* 5. *tit.* 22. *defin.* 15. *num.* 2. *& lib.* 4. *tit.* 36. *defin.* 9. *num.* 6. Quod vel maxime procedit noſtris & aliorum moribus, quibus maritus & uxor omnia bona communiter inter ſe pro indiviſo poſſident. In
4 tantum, ut ſi vidua ab heredibus mariti ex legitima portione fuerit dejecta, vel blandis ſermoonibus, quaſi heredes ei ſtatim quod ſibi ex hac cauſa debebatur eſſent ſoluturi, pellecta, vacuam bonorum poſſeſſionem tradiderit, ante omnia taoquam ſpoliata reſtitui debeat. Per ea quæ tradunt Dec. *conſil.* 400. *num.* 6. Matth. Coler. *De proceſſib. execut. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 222. Hartmann. Piſtor. *obſerv.* 107. *num.* 3. *& ſeq.*

5 Et locatori competit jus retentionis in omnibus bonis condoctoris, in prædio locato illatis, quæ includere & detinere poteſt, donec ipſi ſatisfiat, *l.* 9. *& ſeq. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. tacit. l.* 54. *§.* 1. *ff. locati, l.* 5. *Cod. eod.* de quo latius ſuo loco.

6 Sed potiſſimum conſiſtit in detractione ſive deductione ejus, quod ipſius rei detentæ ſive poſſeſſæ cauſa erogatum, aut impeoſum eſt; cuilibet eoim impendenti, ad quem res aliqua ſine vitio perveoit, propter impeoſas & ſumptus in rei detentæ utilitatem, conſervationem & neceſſitatem factos, jus illud retinendi competit, *l.* 9. *§.* 2. *verſ. utique ff. de acquir. rer. domin. l.* 5. *Cod. De rei vindic. d. l.* 33. *in fin. ff. de condict. indeb. l.* 14. *ff de doli mali & metus except. l.* 8. *ff de pignorat. act. l.* 15. *ff. de impenſis in res dot. fact. l.* 18. *§.* 2. *ff. commodati.* Pyrrh. Maur. *De retent. num.* 36. *& ſeqq.* Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 12. *num.* 6. Coſtal. *ad l.* 39. *ff. ad leg. Aquil.*

Quomodo inter cætera poſſeſſor qui bona aliqua, pro herede, bona fide aliquando poſſedit, eadem reſtituere condemnatus, retentionis jure utitur, pro æris alieni à ſe heredis oomine ſoluti, aut aliarum expenſarum in iis factorum reſtitutione, *l.* 3. *Cod. De petit. hereditat.* & *l.* 18. *§.* 3. *ff. famil. erciſcund.* & ibi DD. Nicol. Everhard. *conſil.* 93. *num.* 1. Mart. *Digeſt. Noviſſim. tom.* 1. *tit. retentio. cap.* 4. *&* 12. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 3. *tit.* 22. *def.* 15. & *lib.* 7. *tit.* 10. *def.* 12. Cravett. *conſil.* 148. *num.* 2.

7 Et conductori hoc retentionis, ſive deductionis jure ſubvenitur, pro expenſis oeceſſariis in reparatione domus aut habitatioois factis, quas à mercede promiſſa deducere & ſibi retinere poteſt, *arg. d. l.* 15. *ff. de impenſ. in res dotal. fact. & l.* 14. *ff. de doli except. l.* 20. *ff. de acquir. poſſeſſ.* Matth. Coler. *De proceſſ. execut. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 240.

8 Quo etiam jure gaudent aurigæ, & tabellarii in rebus apportatis, pro vecturæ & expenſarum quas fecerint reſtitutiooe, Bald. *ad l. ult. num.* 1. *Cod. commodati* Coler. *d. loco., num.* 241.
9 Item caupones, & hoſpitiorum domini, pro hoſpitatione ſive exhibitione ſua, pro qua tot res, & bona hoſpitantium retioere poſſunt, quot ad plenariam exſolutionem ſuffecerint, Bald. *ad l.* 5. *num.* 6. *Cod. locat.* Neguzaoc. *De pign. part.* 2. *membr.* 4. *num.* 138. Quocirca uſu & conſuetudine invaluit, ut caoponationes vinarias & cereviſiarias exercentes, ceſſantibus ſolvere pretium potus in taberna exhauſti, propria auctoritate detrahant pallia, veſtes, enſes, pileos, aut ſi quid ſimile, illudque retioeaot, donec de pretio ſatisfiat. Quod etiam de Germaniæ moribus teſtatur Matth. Coler. *De proceſſ. executiv. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 254.

10 Sartores porro veſtimeota, licet ex aliena materia confecta, retinere poſſunt, donec iis de mercede fuerit ſatisfactum.

11 Quod & de Advocatis & Procuratoribus, (abſque comparatione) aſſerunt, quibus acta eouſqoe retioere licet, donec ipſis de honorario ſatisfiat, *per text. & Gloſſ in l.* 12. *ff. De vi & vi armat. l.* 25. *in fin. ff. de Procurator. l.* 14. *§.* 1. *ff. commun. divid.* oiſi Reipoblicæ interſit, acta exhiberi, *arg. l.* 51. *§. ult. ff. ad leg. Aquil.* And. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 12. *num.* 5. Bald. *ad d. l. ult. num.* 1.

Cod. commodat. Ubi plura refert exempla. In Gallia tamen Advocatis vel Procuratoribus pro honorario & mercede inſtrumenta quæ ad inſtruendas defendendaſque lites receperint, retinere haud permittitur, teſte Mornac. *ad l. 1. ff. de pignorib.* Quod & in Foro Neapolitano prohibitum refert, Carpic. *deciſ.* 11.

Differt retentio à compenſatione. I. Quod compenſatio pro ſolutione ſit, *l. 4. ff. qui pot. in* 12
pign. & l. 4. Cod. de compenſat. Retentio eatenus tantum proſit, ut quod debetur ſolvatur, *l. 26. §. 4. ff. de condict. indebiti. l. 5. ff. De dote prælegata,* neque ut compenſatio, ita retentio ipſam actionem tollat.

Quod retentio poſſeſſionem, ſive actualem rei detentionem requirat, *l. 1. in pr. ff. de pignor. l. 29. §. 1. ff. de evict.* compenſationi vero etiam extra poſſeſſionem locus, ut in fidejuſſore qui licet nihil poſſideat, compenſationem tamen objicere poteſt ejus quantitatis, quæ ei pro quo fidem interpoſuit ſuam, debetur, *l. 4. ff. de compenſat.* & ibi DD.

III. Retinentur tam ſpecies quam res fungibiles, quum fungibilium tantum compenſatio admittatur, *l. 10. §. 2. l. 22. ff. de compenſat.*

IV. Quod compenſatio non ſit, niſi liquidi cum liquido, *l. ult. Cod. de compenſat.* Retentio etiam illiquidi ſit.

Quod quando locum habeat, & anne rei alienæ poſſeſſor, ſub cautione de ſolvendis impenſis & 13
meliorationibus in rem utiliter factis, reſtituere eam teneatur? Quamvis ea non obſtante nihilominis retentioni locum eſſe, crebriori DD. calculo receptum, & judicatum probent Anton. Capit *deciſ.* 17. Anton. de Amatis, *deciſ.* 13. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 3. tit. 22. defin.* 15. Joann. Sande *deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 15. defin.* 5. Radelant. *deciſ. Ultraject.* 100. Quum tamen tales aliquando circumſtantiæ eſſe poſſint, quibus judex ut cautionem admittat, moveri poſſet, an ſufficiens cautio contra retinere volentem admitti debeat, arbitrio judicis potius committendum, recte meo judicio notat idem Joann. à Sande *dict. defin.* 5. poſt Anton. Peregrinum, *De Fideicommiſſis. art. 5. num.* 8. ne ſcilicet per exquiſita effugia à callido rei alienæ poſſeſſore obtenta, lis ex lite protrahatur, & verus dominus interim juſta rei ſuæ poſſeſſione deſtituatur.

Quare in Gallia Molinenſi Conſtitut. Anni 1566. *art.* 52. Cuilibet rei immobilis poſſeſſori 14
ad reſtituendum condemnato menſem unum præſcriptum eſſe, quo impenſas ad purum perducat, & liquidas reddat, eoque elapſo victorem, datis fidejuſſoribus, atque inſuper manente, eo nomine, rei quæ addicta eſt perpetua hypotheca, fundum ingredi poſſit, probat Mornac. *Obſerv. ad l. 1. ff. de pignorib.*

CAP. XXXVIII.

De Confuſione.

SUMMARIA.

1. *Confuſio debiti & crediti quid, & quomodo obligationem & actionem tollat.*
2. *Pro qua parte.*
3. *An & quando principalem manente fidejuſſoria, vel fidejuſſoriam manente principali obligatione tollat.*
4. *An aliqua fiat confuſio debiti & crediti per aditionem hereditatis ſub inventarii beneficio.*

SEd & tacito quodam modo tollitur obligatio, per confuſionem, quæ eſt crediti cum debito 1
in una eademque perſona mutua conſolidatio & peremptio, quum creditor debitori, vel debitor creditori, vel tertius utrique heres exiſtit. *l. 5. ff. de Fidejuſſorib. l. 50. ff. eod. l. 1. in fin. ff. de Novat. l. 13. ff. De duob. reis. l. 95. §. 2. ff. De Solut. l. pen. ff. eod. & l. ult. ff. De Novat.* Quo caſu ex confuſione liberatio oritur, quæ totam obligationis poteſtatem ſubvertit: eo quod idem ſibi ipſi debere non poſſit. *l. 34. §. 8. d. l. 95. §. 2. ff. De Solut.* Adeo ut & fidejuſſoribus proſit. *d. l. 34. §. quidam. ff. de Solut. l. 21. §. 3. l. 58. §. 1. l. 71. ff. de Fidejuſſor.*

Sed pro ea tantum parte, atque ea ratione obligatio jure confuſionis tollitur, pro qua & quate- 2
nus quis alii ſuccedit. *l. 14. Cod. de Rei vindicat. l. 6. Cod. De hered. act. l. 24. & l. 50. ff. De Fidejuſſor.* In cæteris quibus non ſucceditur, obligationes manent ſalvæ. *l. 7. Cod. de Negot. geſt. l. 47. ff. de Fidejuſſor.* Quomodo duobus reis debendi acceptis, ſi alteri eorum creditor heres extiterit, obligationis confuſione una tantum perſona eximitur, alterque correus obligatus remanet, *l. 71. ff. de Fidejuſſor. l. ult. ff. de duob. Reis.*

Et creditore, debitori ſuo fidejuſſorem habenti ſuccedente, liberatur & debitor, & fidejuſſor, *d. l. 71. ff. de Fidejuſſor. l. 43. ff. de Solut.* Sed ſi fidejuſſori ſucceſſerit creditor, aut fidejuſſor creditori heres exiſtat, ſola fidejuſſoris obligatio perimitur, remanente principali, *d. l. 71. in fin. ff.* De *Fidejuſſor. l. 93. in fin.* & *l. 95. §. Quod vulgo. ff. de Solut.* Gomez. *Var. Reſolut. lib. 2. cap. 13. num. 20.*

3 Sic & ex Juſtiniani conſtitutione nulla fit confuſio actionum, per hereditatis aditionem ſub Inventarii beneficio factam. *l. ult. §. in computatione. Cod. De Jure delib. & ibi* DD. Vide circa hanc materiam latius Joann. Althuſii *Dicæolog. lib. 2. cap. 21.* & Barnab. Briſſon. *tractat. De Solut. lib. 2. tit. De confuſ.*

Cap. XXXIX.

De Rei debitæ interitu, & periculo.

Summaria.

1. *Quomodo & quando rei interitu obligatio ſolvatur.*
2. *Obligatio rei in genere debita, per ipſius rei interitum non ſolvitur.*
3. *An ſi facto & culpa debitoris perierit res debita, obligatio ſolvatur.*

1 SOlvitur porro obligationis vinculum per ipſius rei debitæ interitum, quando ſcilicet certa res aut ſpecies debita ſine debitoris facto ante ſolvendi moram interierit. *l. 23. ff. De Verb. oblig. l. 5. ff. De reb. cred. & ibi* DD. Fachin. *lib. 2. contr. cap. 72.* quo ipſo omnis obligatio extinguitur, ita ut nec æſtimationem præſtet debitor, *d. l. 23. ff. de Verb. oblig. l. pen. ff. de Solut. l. 45. ff. De obligat. & act.* aut ſaltem rerum commercio eximitur, ut ſua quaſi natura deberi deſinat. *l. 23. & l. 83. §. 5. ff. De Verb. oblig. l. 185. ff. De Reg. Jur.* adeoque nec partis quidem, quæ ex re perempta ſuperſit præſtatio peti poſſit: puta ex bove mortuo corium, aut caro, *l. 49. ff. De legat. 2.*

2 Si vero non certa aliqua res aut ſpecies in obligationem deducta ſit, ſed incerta, quæ perire non poteſt, puta genus, aut ſpeciei datæ æſtimatio, ut ſunt res fungibiles, quæ ponderis, numeri, & menſuræ functionem in ſuo genere recipiunt, nullo interitu ſuarum rerum debitor liberabitur, etiamſi rebus & fortunis omnibus exuatur, *l. 83. §. 5. ff. De Verb. obligat. l. 9. Cod. Si cert. petat. l. 11. Cod. eod. & ibi* DD. Gabriel. *concluſ. commun. lib. 3. tit. De Reb. Cred. concluſ. 1.* Atque ita deciſum referunt Neoſtad. *Suprem. Cur. Holland. deciſ. 82.* & Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 172.*

3 Aut ſi debitoris facto res perierit, veluti ob culpam, ut ſi ipſi caſui cauſam dederit, *l. 91. §. 1. ff. De Verb. oblig. l. 53. §. pen. ff. De legat. 1.* aut ſi res perierit, poſteaquam per debitorem ſteterit, quo minus eam daret, perpetuam obligationem eſſe, atque æſtimationem deberi placet, *l. 82. §. 1. ff. De Verb. obligat. l. 5. ff. De reb. cred. l. 23. ff. eod. De Verb. obligat. & ibi.* DD. *l. 15. §. ult. & ſeq. ff. De Rei vindicat. l. 14. §. 1. ff. Depoſiti. l. 40. ff. De petit. hered.* Fachin. *d. lib. 2. cap. 72. & lib. 8. cap. 361.* Bronchorſt. *cent. 1. aſſert. 74.* Ant. Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 24. defin. 23.* Chriſtin. *vol. 1. deciſ. 170. & 172.*

Quando autem & quomodo ſolvendi mora à debitore contrahatur, & quomodo ea purgetur, vide fuſius ſupra *de uſuris.*

Cap. XL.

De in integrum Reſtitutione.

Summaria.

1. *Reſtitutio in integrum quid: ejuſque effectus.*
2. *A quo & quomodo peti debeat jure civili.*
3. *Moribus.*
4. *An & quatenus ad ordinarios etiamnum ſpectet judices per res & cauſa remiſſionem, vulgo,* met committimus.
5. *Quomodo differat à pœnarum remiſſione.*
6. *Petere & impetrare reſtitutionem quo modo differant.*
7. *Reſtitutione poſtulata nihil innovandum: quo-*

modo moribus ſit receptum : in Hollandia, Gallia, Germania.

8. *An proviſionem impediat petita, necdum impetrata.*

9. *Cui & ob quam cauſam concedatur vel non.*

10. *Quanam ſint justæ reſtituendi cauſa generales, & ſpeciales remiſſive.*

HActenus diximus de iis modis, per quos ipſo jure obligatio tollitur: ſequitur ut quomodo, per quas exceptiones, & per quæ remedia externa, obligationum vincula diſſolvi aut potius annullari queant.

Hæc ſunt cauſæ omnes propter quas id quod à volentibus quidem, ſed malis artibus aut ſexus aut judicii fragilitate circumventis actum, ſummo jure valeret, per reſtitutionis beneficium re-

D. tit. 1. De Reſtitutionibus in integrum.

ſcinditur. Definiturque amiſſæ rei vel cauſæ redintegratio extra ordinem ob læſionem facta, 1
arg. l. 2. in fin. Cod. in quibus cauſ. in integr. reſtitut. neceſſ. non eſt. l. 24. §. 4. ff. De minorib. l. 16. in pr. l. 44. ff. eod. ejuſque potiſſimus eſt effectus, ut reſtituat, & in priſtinum ſtatum reponat ea quæ per læſionem fuerint ablata, *l. 48. §. ff. de minorib. l. 35. ff. de verb. ſignif. l. 173. §. 1. ff. de Reg. Jur.* Cui etiam fructuum reſtitutio hinc inde facienda includitur, *d. l. 24. §. 4. ff. de minorib. l. 22. l. 33. l. 35. l. 75. l. 81. l. ult. §. ult. ff. de verb. ſignificat.*

Cod. tit. XLIII. Ubi & apud quem cognitio in integrum reſtitutionis ſit agitanda.

Reſtitutionis beneficium peti debet Jure Romano à Judice, & quolibet Magiſtratu ſuperio- 2
rem juriſdictionem habente, *l. ult. Cod. ubi & apud quem*, eo ſcilicet, qui eſt competens ejus, cum quo negotium geſtum eſt, *l. 3. Cod. ubi in rem actio. l. 2. Cod. ubi & apud quem cognitio. l. 2. Cod. de juriſdict.* aut ſi in rem actio inſtituenda ſit, etiam à Judice ejus loci ubi res ſita eſt, *l. 3. Cod. ubi in rem act.* niſi contra ſententiam reſtitutio poſtuletur, quam ſolus decernit ipſe Judex, qui eam tulit, aut ejus ſuperior, non alius, *l. 2. 3. Cod. ſi adverſ. rem judicat. l. 18. junct. l. 26. §. ult. l. 42. ff. de minorib.*

Sed noſtris vicinarumque Regionum moribus, à ſolo Principe, (cujus apud nos hac in parte 3
Suprema Hollandiæ Curia vice fungitur, *Suprem. Cur. Holland. art. 33.*) oblatis precibus, reſtitutionis cauſas comprehendentibus, in integrum reſtitutio peti debet, qui deinde reſtitutionis cauſam Judici in cauſa principali competenti, examinandam tranſmittit, ſimulque reſcribit, ut ſi preces veritate nitantur, & juſta reſtitutionis cauſa ſit, petentem reſtituat, vulgo **Interinement.** vide Grot. *Introduct. lib. 3. part. 48. num. 7. 8.* Chriſtin. *vol. 2. deciſ. 119. num. 1. & deciſ. 134.* Zyp. *Not. Jur. Belg. tit. de in integr. reſtitut.* de Galliæ moribus idem teſtantur, Rebuff *ad Conſuetud. Reg. in proœm. Gloſſ. 5. num. 46.* Imbert. *pract. lib. 1. cap. 3. num. 2.* Autumn. *Confer. du droict. ad l. ult. Cod. ubi & apud quem cognitio in integ. reſt.*

Ita ut ipſa cognitio in integrum reſtitutionis eo pacto etiamnum ad ordinarios judices perti- 4
neat. Vide Ampliat. *Inſtruct. Cur. Holland. art. 33.* totaque mutatio in petitionis modo conſiſtat, neque adeo in ipſa re & cauſa, à Jure Romano ſit receſſum, quin judex Ordinarius cui cauſæ meri ita eo modo committuntur, vulgo **met committimus** / etiamnum examinare & cognoſcere poſſit, non tantum an cauſa ſit vera; ſed etiam an ſit juſta, ſecundum *l. 3. ff. De in integr. Reſt. & tot. tit. Cod. Si contra jus vel utilitat. public.* & ibi Bart. & DD. Contra eos qui hoc caſu illud tantum Ordinario Judici demandatum putant, ut examinet & cognoſcat an preces veritate nitantur, quemadmodum in delictorum pœnarumque criminalium remiſſionibus, ex gratia & indulgentia Principum, alicui ex allegata cauſa, commiſſi pœna remittitur, aut condonatur. Quippe
quod in criminalium pœnarum Remiſſionibus, poſt cauſam cognitam Principis favor, & gratia 5
intercedat, qui in reſcribendo, Ordinario Judici nihil aliud committit, quam ut examinet an preces veritate nitantur. In cæteris mandat, ut, ſalva precum veritate, ſuo nomine delicti pœnam ex ſingulari gratia remittat. Quod quum ad publicam ſolum vindictam ſpectet, cujus cauſam & perſonam ipſe Princeps repræſentat, nec ad læſæ partis intereſſe, cui primo ſatisfactum eſſe debeat, pertineat, ad civiles cauſas extendi non poteſt, neque ad in integrum reſtitutionem pertinet, quam unuſquiſque ſuo periculo petit, & euſque obtinet, ut ab ordinario judice, non tantum libelli veritas, ſed & cauſæ merita probè examinentur, an juſtum & æquum ſit petentem reſtitui, *arg. d. l. 3. ff. De In integr. reſtitut.*

Ne alioqui is qui reſtitutionem duntaxat petiit, hoc ipſo eam impetraſſe videatur: Aliud enim 6
eſt petere, aliud impetrare reſtitutionem. Petere cuicunque licet, ſed non impetratur, nec concedi poteſt, niſi cauſa cognita, & auditis omnibus quorum intereſt. *l. 13. verſ. cauſa enim cognita. l. 29. §. ult. ff. De minorib.*

Et hinc eſt quod in integrum reſtitutione poſtulata omnia in ſuo ſtatu manent, donec res 7
ipſa decidatur, *l. unic. Cod. In integr. reſtit. poſtulat.* Adeoque contractus, cujus per reſtitutionem

peti-

Digitized by Google

petitur reſciſſio, interea tenet, vireſque ſuas habet. Bart. *ad l. unic. Cod. In integrum reſtit. poſt. cap. ſuſcitata.* 6. *& cap. conſtitutus* 8. *Extr. De in integr. reſt. & ibi Canoniſt.* Vide Andr. Fachin *lib.* 12. *cap.* 17. 19. Sfort. Odd. *De reſtit. in integr. quaſt.* 42. *&* 43. Quod ubique in praxi obſervatur. In Gallia, Autum. *Confer. du droict. ad l. unic. Cod. In integr. reſtit. poſtul.* Joann. Papon. *lib.* 18. *tit.* 1. *art.* 28. *& ſeq.* Argentr. *ad conſuetud. Brit. art.* 283. *Gloſſ.* 1. *num.* 25. Rebuff. *ad conſtit. Reg. in proœm. Gloſſ.* 5. *num.* 58. In Belgio, Neoſtad. *Suprem. Holl. Cur. deciſ.* 73. Joann. à Sande *lib.* 1. *tit.* 8. *defin.* 4. Chriſtin. *vol* 2. *deciſ.* 137. In Germania, Carpzov. *defin. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 26. *defin.* 22. *num.* 4. 5. Andr. Gail *lib.* 1. *obſerv.* 127. *num.* 11. Si notoria ejus ſit nullitas, dilucideque, & liquide ex actis appareat, vel aliunde in continenti probari poſſit, prout illud limitant Matth. Coler. *De Proceſſ. Executiv. part.* 4. *cap.* 1. *num.* 87. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 113. *num.* 2.

Cod. 11. 1. *In integrum reſtitutione poſtulata ne quid novi fiat.*

8 Ex quo etiam fundamento in praxi eſt receptum, ut quum plerumque procraſtinandi, tergiverſandique cauſâ reſtitutio peti ſoleat, ejuſmodi reſtitutiones interjectæ, & oppoſitæ inſtrumenti publici, & debiti liquidi proviſionem ſub fiduciaria cautione decernendam, ejuſve executionem impedire minime poſſint: Ut deciſum referunt Joann. à Sande, Neoſtad. Chriſtin. *dict. locis.*

9 Nec conceditur alicui reſtitutio in integrum, qui non juſtam læſionis ſuæ cauſam probaverit, *arg. l.* 3. *ff. De in integr. reſtit.* Neque ob rem minimam; niſi majori rei vel cauſæ præjudicium fieret, *l.* 4. *ff. De in integr. reſtit. l.* 6. *ff. De minoribus.* Fachin. *lib.* 3. *cap.* 4. Neque illi, qui alio remedio ſe tueri poteſt, reſtitutionis remedium, tanquam extraordinarium refugium, admittitur. *l.* 16. *ff. De minoribus. l.* 3. *ff. de Oper. nov. nunciat. l.* 32. *l.* 13. *§. de illo. ff. De damno infecto.*

Juſtæ in integrum reſtitutionis cauſæ ſunt, Generalis, ſi qua juſta cauſa videbitur. *l.* 1. *§.* 1. *in fin. ff. ex quibus cauſ. major. l.* 7. *ff. De in integr. reſtit.* Speciales ſunt potiſſimum juſtus metus, dolus malus, minor ætas, & læſio ultra dimidium: De quibus ſingulis.

Cap. XLI.

De Metu, & eo quod metus cauſa geſtum eſt.

Summaria.

1. *Metus quid, & quotuplex.*
2. *Metus juſtus quis.*
3. *An & propter infamia metum ulla detur actio.*
4. *Ex eo quod metus cauſa geſtum quanam detur, & quotuplex ſit actio.*
5. *Metus exceptio an & quatenus actionem perimat, & qua pro eo quod ex metu datum aut promiſſum, detur reſtitutio.*
6. *Reſtitutionis ex cauſa metus actio an ſit perſonalis, an realis.*
7. *Reſtitutio rei cum omni cauſa facienda.*
8. *Actio, ex cauſa metus civilis, in ſimplum, triplum, aut quadruplum quid, & an obtineat.*
9. *Cui & adverſus quem competat actio ex metu, & qua actione.*

1 Metus eſt præſens animi trepidatio, propter inſtans vel futurum malum, *l.* 1. *ff. Quod met. cauſ.* Alius juſtus, alius injuſtus ſive vanus eſt, qui cadit in quemvis meticuloſum, *l.* 5. 6.
2 *ff. eod.* Juſtus metus eſt, non qui juſte infertur, ſed qui merito in hominem conſtantem cadit, ut eſt majoris mali timor, veluti mortis, deportationis, ſtupri, ſervitutis, carceris, vinculorum, cruciatus corporis, potentiæ, perfidiæ, & quandoque minatum, *l.* 3. *§.* 1. *& ſeqq. l.* 5. *l.* 6. *ff. Quod. met. cauſ.*

D. iv. 2. Cod. ii. xx. *Quod Metus cauſa, & De his quæ vi metuſve cauſa.*

3 Propter infamiæ metum autem nulla datur actio, aut reſtitutio, *l.* 7. *ff. eod.* non enim aliena opera & conviciis, ſed ſuo quiſque facto infamis efficitur.

4 Ex eo quod metus cauſa geſtum eſt, duplex oritur actio, alia rei reſtitutoria, de qua hic proprie, alia damni & injuriæ, ex maleficio perſecutoria, de qua ſuo loco.

5 Hac actione quod per metum abeſt vim paſſo reſtituitur: *l.* 9. *§. ult. l.* 12. *§. ult.* & *l.* 14. *in pr. & §.* 1. *ff. Quod met. cauſ.* Ita ſi quis metu coactus quid alienaverit, aut dederit, cujus nomine illi quid deeſſe cœperit, reſcinditur quod geſtum eſt, aut ſi quis metu compulſus, per timorem majoris mali, quid promiſerit, quo alteri obligatio acquiſita erit, exceptio quod metus cauſa reſtitutionis auxilio actionem perimit, *l.* 9. *§.* 3. *& tot. tit. ff. de doli mal. & met. except.* Hinc,

 quod

quod alicui per concuſſionem poteſtatis, aut judicii futuri metu illicite injecto extortum eſt: veluti ſi magiſtratus, aut privatus ſimulato magiſtratus juſſu illicite quid imperat, aut exigit, & is cui imperatur aliquid det, ut eo metu liberetur: actione in perſonam reſtituitur. *l. 14. §. 5. ff. quod met. cauſ. l. 1. ff. de concuſſ.*

Sed metus cauſa geſtum eſſe requiritur; nam ſi quis gesſerit quid, puta promiſerit metu compulſus, deinde extra metum ſolverit, non reſtituetur: quia ante poterat non ſolvere, *l. 9. §. 3. ff. Quod met. cauſ.* ſponte ſolvendo novum conſenſum adhibuiſſe & obligationem de novo confirmaſſe intelligitur, *l. 2. & 6. Cod. Quod met. cauſ.*

Qualis autem hæc cauſa eſt, talis etiam eſt reſtitutio, ejuſdemque juris, realis ſi rei perſecutoria, in perſonam ſi perſonalis actio ſit.

Re tradita, eam una cum fructibus & omni cauſa reſtitui jubet prætor, *d. l. 9. §. 7. l. 12. &* 7
l. 14. §. 1. ff. quod met. cauſ.

Obligatione per liberationem extincta, jubetur eam rurſus in ſe ſuſcipere debitor, ſimulque fidejuſſores & pignora in eandem cauſam reſtituere. *d. l. 9. §. 7. & §. ult. l. 10. ff. eod. l. 3. Cod. eod.* Promiſſione obligatus acceptilatione liberandus eſt. *d. l. 9. §. 3. & §. 7. ff. eod.* juxta formam. *§. 1. & 2. Inſtit. Quib. mod. toll. oblig.*

Sed & pœna Jure Civili huic actioni addita eſt, in quadruplum ejus, quod reſtitui oportet, 8
intra annum. *l. 14. §. 1. & 4. ff. l. 4. Cod. Quod met. cauſ. §. 25. Inſtit. de Act.* poſt annum cauſa cognita, ſi alia actio non erit, in ſimplum tantum competit actio, quanti ea res eſt, jurejurando actoris æſtimanda. *l. 18. ff. De dolo.* Ita tamen ut in hoc quadruplo & ſimplum inſit, *d. l. 14. §. 10. ff. Quod met. cauſ. §. 27. Inſtit. de Action.* adeoque ſi interim res, culpa ejus qui vim aut metum intulit, perierit, tripli pœna ſufficit, *d. l. 14. §. 11. ff. eod.* Quæ tamen pœna noſtris & aliorum moribus exolevit, hodieque in ſimplum tantum, ſicut in cæteris perſonalibus actio ad triginta uſque annos competit. Autumn. & Groenew. *ad l. 4. Cod. de his quæ vi metuſve.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. eod tit.*

Datur hæc actio omnibus qui metu quid amiſerunt, non tantum adverſus eum qui ab initio 9
metum intulit, ſed etiam adverſus omnes, qui rem per vim aut metum nobis ablatam, aut extortam poſſident, poſtquam ſcientes rem nobis vi aut metu ablatam reſtituere recuſaverint, *l. 6. §. ult. d. l. 14. §. 3. ff Quod met. cauſ. l. 10. ff. & l. 3. Cod. eod.* Actione ſcilicet in rem ſcripta, non quod re vera ſit actio in rem, aut proveniat ex jure quod quis in rem habet: ſed quod indefinite de eo quod metu geſtum eſt, ſine perſonæ deſignatione, ad quam dirigatur, ſit concepta, *arg. d. l. 9. §. ult.* quo ſenſu etiam perſonalis recte dicitur, contra eos qui actiones in rem ſcriptas perſonales dici poſſe negant. Ut *arg. §. 31. Inſtit. de action.* poſt Duaren. & Donell. optime notat Arnold. Vinn. *ad §. 2. Inſtit. de Actionib. num. 12.*

Sed & heredibus competit, *l. 16. §. 2. ff. Quod met. cauſ.* & fidejuſſoribus prodeſt, *l. 7. §. 1. ff. de Except.*

Cap. XLII.

De Dolo Malo.

Summaria.

1. *Dolus malus quid ſit.*
2. *Quænam competat actio de dolo, cui & adverſus quem.*
3. *Quomodo differat ab actione quod metus cauſa.*
4. *Ad quid competat.*
5. *Exceptio doli an & quatenus à reſtitutionis remedio differat.*

Dig. IV. III. Cod. II. XXI. *De Dolo malo.*

QUæ dolo malo facta ſunt legibus etiam vindicantur, & reſtitutionis beneficio reſtituuntur.
Dolus malus eſt, omnis calliditas, & machinatio ad circumveniendum, & lædendum alte- 1
rum adhibita: *l. 1. §. 2. ff. De Dolo.*

De dolo actio eſt prætoria, arbitraria, competens illi qui dolo circumſcriptus eſt, ad id quod 2
ei abeſt, adverſus illum qui decepit, aut eum ad quem aliquid ex alieno dolo pervenit. *l. 13. in pr. ff. De dolo. junct. l. 17. §. 1. ff. eod.* Cujus ſolenne erat prætoris edictum, in hæc aut ſimilia verba conceptum: *Quæ dolo malo facta eſſe dicentur, ſi de his rebus alia actio non erit, & juſta cauſa eſſe videbitur, de iis ei, cujus intererit id factum non eſſe, qui modo certo comprehenderit, quid dolo malo*

malo factum eſſe, adverſus eum qui dolo fecerit, intra annum quo experiundi poteſtas erit judicium dabo, ut niſi ea res qua de agitur, arbitrio judicis reſtituatur, condemnatio ſequatur. l. 1. §. 1. ff. De dolo malo.

3 Eſt actio perſonalis, ſicut actio quod metus cauſa; à qua tamen differt, quod non ſit in rem ſcripta. *l. 15. §. 2. 3. ff. De dolo malo*: nec adverſus heredes competat, quam quatenus ad eos aliquid ex eodem dolo pervenit. *d. l. 17. §. 1. ff. De dolo. l. 27. l. 28.*

4 Competit ad id quod dolo malo abeſt, ut reſtituatur cum omni cauſa, arbitrio judicis æſtimandum: eſt enim actio hæc arbitraria. *l. 18. ff. De dolo.*

Non competit tamen. I. Ob rem minimam quæ Jure Romano duobus aureis taxatur, *l. 9. 10. 11. ff. De dolo.* II. Non eſt locus huic edicto, ſi utriuſque contrahentium dolus verſetur, aut ſi alterius dolus contractui cauſam dederit, quo caſu ipſo jure contractus nullus eſt. *l. 7. l. 36. ff. De dolo. l. 34. §. 3. l. 57. §. fin. ff. de contrah. empt.* Adeo ut ex eo res ad tertium quemque poſſeſſorem devoluta vindicari denuo poſſit; quemadmodum à ſuprema Holland. Curia judicatum refert Neoſtad. *deciſ. 5. & deciſ. 47.* III. Non competit, ubi aliud juris remedium ſupereſt. *d. l. §. 4. ff. de dolo l. 7. §. 1. ff. de in integr. reſtit. l. 2. Cod. de dolo malo.*

5 Ab hac etiam actione communiter ſeparant reſtitutionis remedium, quaſi ab hac actione ſeparatum, & doli exceptionem à parte rei, quam, quum de dolo actio pro actore biennio circumſcribatur, *l. ult. Cod. de dolo malo.* perpetuam eſſe volunt, *arg. §. 9. Inſtit. de Except.* Quod moribus noſtris uſum non habet, quibus omnis reſtitutoria, ſive propter dolum, ſive propter metum competens actio, indiſtincte ſolenni in integrum reſtitutionis beneficio auxilioque eget, neque ulla niſi illis mediantibus reſtitutio dari ſolet: neque temporis inter hanc actionem à parte actoris, aut exceptionem à parte rei ulla prærogativa eſt, ut quibus omnes indiſtincte actiones aut exceptiones perſonales, perpetuæ ſint, & non niſi triginta annorum lapſu præſcribi conſtet.

Cap. XLIII.

De Reſtitutione Minorum.

Summaria.

1. *In integrum reſtitutio minorum quid & quibus caſibus locum habeat.*
2. *An & quando in integrum reſtitutio neceſſaria non eſt, & quid moribus* Galliæ.
3. *Quid in* Hollandia.
4. *Quando duplici, ordinario & extraordinario juris remedio pro læſione gaudeat minor.*
5. *Qui non reſtituantur, & an minores artem aliquam profitentes.*
6. *An minori Juriſconſulto læſo ſuccurratur.*
7. *An & his qui dolum aut culpam admiſerunt.*
8. *Ceſſat reſtitutio ſi minor major factus ratum habuerit, aut per quadriennium ceſſaverit.*
9. *Quadriennii reſtitutionis tempus quomodo currat & continuetur, & quid moribus: an de momento in momentum.*
10. *Quomodo hoc reſtitutionis genus ab aliis differat.*
11. *Majores qui ſint.*
12. *Qui ætatis veniam impetrarunt, an & illis currat reſtitutionis quadriennium.*
13. *An & quando minor contra contractum juramento confirmatum reſtitui poſſit: & quid* Hollandiæ, Galliæ *&* Friſiæ *moribus.*
14. *Pœna Cameræ quæ ſit & cujus effectus.*
15. *An contractus de jure invalidus juramento confirmari poſſit.*

1 Sequitur in integrum reſtitutio minorum, qua minoribus, ſive puberibus, ſive impuberibus, ex contractibus, quos ipſi interveniente tutorum vel Curatorum auctoritate, vel alioquin tutores, aut Curatores ſoli eorundem nomine inierunt, læſis, per in integrum reſtitutionem cauſa cognita ſuccurritur. *l. 1. in pr. & tot. tit. Cod. de In integr. reſtit. minor. junct. l. 47. in pr. & §. 1. l. 1. & tot. tit. ff. de minor. l. 2. l. 3. & l. ult. Cod. ſi tutor. vel. curat. interv.* Quæ datur etiam puberibus Curatorem non habentibus *d. l. 3. verſ. Si vero ſine Curatore.* Habentibus vero tutores vel Curatores, non aliter quam ſi ex eorundem auctoritate & conſenſu geſtum aut actum fuerit id, *Cod. II. tit. De in integrum reſtitutione minorum. D. IV. IV. De minoribus, viginti quinque annis.*
2 ex quo minores læſi reperiuntur: Si enim abſque tutorum aut Curatorum conſenſu, & auctoritate minores contraxerint, ipſo jure tuti ſunt, neque reſtitutione egent: quum in contractibus ipſo jure nullis, ipſo jure, & communi auxilio reſtitutio fieri debeat, neque hoc extraordinario reſtitutionis remedio opus ſit. *l. 16. ff. de minorib. l. 3. Cod. de In integr. reſtit. minor: arg. l. 3. ff. de oper. nov. nunciat.*

ciat. l. 32. *l.* 13 *ff. De damn. infect.* Quod & mores ubique probant: Vide Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 48. *verſ.* **Argeliſt.** *& ſeq.* Neoſtad. *Suprem. Holland. Cur. deciſ.* 3. 5. *&* 47. Sande *lib.* 1. *tit.* 8. *defin.* 4. Ant. Fab. *ad Cod. lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 1. Conſuetud. Antverp. *tit.* 43. *art.* 69. Zyp. *Notit. jur. Gall. tit. De in integr. reſtitut.*

In Gallia tamen ita diſtinguunt, ut illæ tantum nullitates ipſo jure proſint, quæ contra receptæ conſuetudinis formam peccant, ut ſunt contractus Uſurarii, & ſimoniaci, aut ſimiles, & quæ edictis regiis palam adverſantur: Papon. *lib.* 16. *tit.* 5. *art.* 11. Imbert. *Enchirid. Jur. Gall. verb. Contract.* Quibus etiam includunt caſum, quo, ſi pater, ut legitimus filii adminiſtrator, bona ejus aliter quam in caſibus à jure permiſſis, alienaverit, filius ſine reſtitutione ſolenni eadem vindicare poſſit, etiamſi patri heres extiterit. Prout poſt Molin. *conſil.* 40. *ſub fin.* Choppin. *de Domanio lib.* 3. *tit.* 12. *art.* 23. & Charond. *lib.* 3. *reſponſ. lib.* 3. *cap.* 29. *lib.* 6. *cap.* 46. *& lib.* 8. *cap.* 58. in Pariſienſi Curia judicatum refert Chriſtin. *vol.* 2. *deciſ.* 152. *num.* 14. 15. In reliquis vero, quæ ex Jure Civili procedunt, etiam ſolennem reſtitutionem requiri volunt. Argentr. *ad conſuetud. Brittan. art.* 283. *Gloſſ.* 8. *num.* 3. *& ſeq.* Papon. *Notair.* 3. *l.* 9. *De Reſtit. de majeurs. verſ. pen.* Guenois *in addit. ad Imbert. pract. civil. & crimin. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. *litt. B.*

Cod. II. XLI. *In quib. cauſ. in integr. reſt. tut. neceſſ. non eſt.*

Quo exemplo de moribus noſtris quidam etiam de jure ſuo nimium diffidentes, omni 3
caſu indiſtincte ſolenne reſtitutionis beneficium deſiderari, ſibi perſuaſum habent. Quibus aſſentiri, receptæ etiam hac in parte leges Romanæ, quarum præſcripto, contractus ipſo jure nullos (præſertim minorum) quotidie etiam citra ſolenne reſtitutionis reſcriptum reſcindi videmus, ut & in cæteris ex Neoſtad. ſupra notatum, haud ſinunt: Niſi quod in jure controverſo, & propter circumſtantias incerto, utrum contractus ipſo jure nullus ſit nec ne, in majorem cautelam reſtitutionis auxilium potius adhibere, quam totam cauſam fortunæ judicio, incertoque litis eventui committere, *arg. l.* 13. *ff. De Stat. hom. & l.* 51. *ff. De pecul.* quandoque ſit conſultum: prout communiter in praxi eſt receptum, vulgo, **voor ſoo veel des noodt zy.**

Competit tamen quandoque minori electio, utrum ordinarie an vero extraordinarie, per re- 4
ſtitutionis auxilium ſibi conſultum velit; ceſſatque regula, quod reſtitutio regulariter non competat, quando minor communi jure tutus eſſe poteſt; ubicunque modo per extraordinarium reſtitutionis remedium vel in aliquo magis ſit proſpectum. Quomodo minoris eſt eligere, utrum in caſu factæ alienationis ob defectum ſolennium requiſitorum laborantis, adverſus poſſeſſorem experiri, & bona alienata rei vindicatione repetere, aut ſi juris auctoritas alienationi non reſtitit, læſus reſtitutionis auxilium petere velit: licet auctoritas curatoris, & decretum judicis intervenerit. *l.* 2. *l.* 21. *Cod. De præd. minor. l. ult. & tot. tit. Cod. Si tut. vel Curat. interv. l. ult. Cod. Si advers. rem judicat.* An vero perſonali actione à tutore vel Curatore, propter malam adminiſtrationem jus ſuum conſequi velit, quæ tamen nullum ei in impetrando reſtitutionis auxilio præjudicium adfert, ut eſt text. in *l.* 3. *Cod. Si Tut. vel Curat. interv junct. l. ult. Cod. eod. l.* 25. *ff. De adminiſtrat. tutor. l.* 7. *§. ſed & in judiciis. l.* 25. *l.* 36. *ff. De minorib.* Bart. Gloſſ. & DD. *ad d. l.* 3. *Cod.* Hartmann. Piſtor. *part.* 1. *quæſt.* 12. *num.* 7. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 5. *tit.* 59. *defin.* 2. *num* 6. Prout in foro Saxonico judicatum refert Carpzov. *definit. Forenſ. part.* 2. *conſtit.* 10. *defin.* 34.

Cod. II. XXV. *Si tutor, vel curator. interv.*
Cod. II. XXVII. *Si adverſus rem judicat.*

Non reſtituuntur minores qui artem aliquam profitentur, in cujus exercitio quum verſarentur, 5
propter imperitiam ſuam damnum aliquod paſſi ſunt: quare nec minori Juriſconſulto ex ignorantia juris læſo per in integrum reſtitutionem ſuccurritur. *arg. l.* 2. *§.* 43. *ff. De origin. Jur. l.* 6. *Cod.* 6
De mancip. patrimon. l 9. *§.* 3. *ff. De Jur. & fact. ignor.* Vide Sfort. Odd. *De Reſtitut. in integr. part.* 1. *quæſt.* 23. *art.* 7. *num* 32. *& ſeq.*

Nec conceditur hoc reſcriptum his qui dolum admiſerunt, veluti ſi mentiendo ſe majores dixe- 7
rint, *l.* 1. *l. pen. & ult. Cod. Si minor ſe major. dix.* Vide Odd. *de Reſtit. in integr. quæſt.* 24. Quod etiamnum obſervari teſtantur Chriſtin. *vol.* 2. *deciſ.* 131. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 65. Charond. *Pandect. de droict de France. lib.* 2. *cap.* 4. Argentr. *ad conſuetud. Brittann. art.* 471. *num.* 3. aut ſi intervertendo, frangendo, rumpendo data operâ rem de qua agitur corruperunt, *l.* 9. *§.* 2. *ff. De minorib.* Uti nec illis, qui delinquendo in pœnam incidunt: Ut ſi furati ſint, raſerint, injuriam fecerint, damnum dederint, &c. *d. l.* 9. *§.* 2. *l.* 37. *§.* 1. *ff. De minorib. l.* 2. *Cod. Si advers. delictum.* Quamvis ut plurimum minores, tanquam ex lubrico animi affectu facilius peccantes, mitius puniri ſoleant, *arg. l.* 108. *ff. De Regul. Jur.* & ibi DD. & *ad Cod. Si advers. delict.*

Cod. II. XLIII. *Si minor ſe majorem dixerit.*
Cod. II. XXXV. *Si adverſus delictum.*

Ceſſat

8 Ceſſat deinde reſtitutionis beneficium, ſi major factus, id quod in minori ætate geſtum erit, ratum habuerit, *l. 3. §. 1. ff. De minorib. l. 2. Cod. Si major fact. rat. hab.* Aut ſi intra quadriennium continuum, poſt majorennitatem dictum reſtitutionis beneficium petere neglexerit, quo ipſo quaſi ratum habuiſſe cenſetur, quod in minori ætate geſtum erit. *l. ult. Cod. De tempor. in integr. reſtitut.* In quo hæc minorum ab alia generali reſtitutione differt, quod illa non niſi communi 30. annorum præſcriptione tollatur, *arg. l. 28. in fin. & ſeq. ff. De dolo.* Ut recte notat Grot. *Introduct. lib. 3. cap. 48. in fin.*

Cod. v. xxiv. *Si major factus alienationem ſine decreto factam ratam habuerit.*

9 Quod quidem quadriennii tempus pro anno utili eſt, adeoque continuum, ut interea non tantum interponenda, ſed & finienda lis ſit, *d. l. ult. Cod. De tempor. in integr. reſtitut.* Quæ noſtris tamen & aliorum moribus per litiſconteſtationem interpoſita ſufficit, licet longo demum poſt tempore lis finiatur. eo quod per unius (in Gallia tertii à die ultimi termini) anni, ante cauſæ concluſionem, lapſum, ipſa inſtantia perimatur, ut ſuo loco: & poſt concluſionem in cauſa per litigatores non ſtet, quo minus lis terminetur. Vide Chriſtin. *vol. 2. decis. 139. num. 2.* Adeoque ſi vel ipſa petendæ reſtitutionis tempora effluxerint adverſus temporis lapſum, ſimul & ſemel, ut loquuntur, reſtitutio peti & facile impetrari ſolet: Quod in Gallia & Hiſpania ad decennium, à viceſimo quinto ætatis anno completo computandum, referunt Mornac. & Autumn. *ad l. ult. Cod. De tempor. in integr. reſtitut.* Rebuff. *ad conſtit. Reg. de Reſciſ. contract. art. unic. Gloſſ. 2.* & ex edicto perpetuo Regis Hiſpan. *Anni 1611.* Zyp. *Not. Jur. Belg. Tit. eod.*

Cod. xi. xiii. *De Tempor. in integr. reſtitut.*

Quibus adde illud tempus, ſive quadriennii, ſive decennii, aut ulterioris, non currere de momento ad momentum poſt perfectam ætatem; ſed ab eo demum tempore quo quis læſionem in minori ætate factam ſcivit, aut ſcire potuit; ignorantia enim juſta reſtitutionis cauſa eſt, *arg. cap. unic. De reſtit. in 6.* Rebuff. *ad tit. De reſtit. præfat. in num. 25. 26. & Gloſſ. 1. art. 2.* etiamſi quadraginta, vel centum anni fuerint elapſi: ut ex communi DD. opinione receptum & deciſum referunt, Gratian. *diſcept. Forenſ. cap. 408. num. 11. 12.* Odd. *De reſtitut. in integr. quæſt. 19. 20.* Gomez. *Var. reſolut. tom. 2. cap. 14. num. 7.* Balb. *de præſcript. part. 1. princ. 5. quæſt. 2. num. 2.* Boër. *deciſ. Burdigal. 39. num. 4.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 48. num. 5.* Berlich. *deciſ. aur. part. 2. deciſ. 218. num. 5. & ſeq.* Radelant. *Cur. Traject. deciſ. 104. num. 10. & ſeqq.* Anton. Fab. *Cod. Sabaud. lib. 2. tit. 35. defin. 3.*

10 Hoc in eo differt ab aliis reſtitutionum generibus, quod, quum minores contrahendo naturaliter obligentur, proque eorundem obligationibus recte accedat fidejuſſor, *l. 127. ff. de Verb. Obligat.* ut ſupra *cap. 1. & cap. 16.* probatum; propterea reſtitutio minori conceſſa ejuſdem fidejuſſoribus datis non profit. *l. 1. & tot. tit. Cod. De fidejuſſor. minor.* Adeoque non obſtante reſtitutione fidejuſſoribus ſuis de indemnitate tenentur, *d. l. 1.* niſi & pro ipſis, aut adverſus eos quoque fuerint reſtituti.

Cod. v. xxiv. *De fidejuſſoribus minorum.*

11 Majores ſunt qui viceſimum quintum annum adimpleverunt: adeo ut vel momento ante totius anni complementum minores reputentur. *l. 3. §. 3. ff. De minorib.* Niſi ſtatuto vel lege municipali ſuæ curæ committantur: De quibus vide ſupra *lib. 1. cap. 8.* Quibus etiam annumerantur illi, qui ætatis venia ex principali reſcripto conceſſâ propter morum honeſtatem mentiſque ſolertiam, non obſtante minorennitate propriæ ſuæ curæ committuntur, & pro majoribus habentur: quod ut procedat dixi etiam ſupra *lib. 1. cap. 18. num. 8.*

12 Unde, quum pro majoribus habeantur, qui per ætatis veniam, vel municipali lege, aut ſtatuto prohibente, dum adhuc ætate viginti quinque minores ſunt, propriæ ſuæ curæ ſubjiciuntur: quæritur, an & eo caſu quoque citius reſtitutionis beneficium amittant, & dictum quadriennium ſtatim ab initio ſtatutariæ aut privilegiatæ majorennitatis currere incipiat? Cujus tamen facilis eſt reſponſio: quod quum de jure, non obſtante ætatis veniâ, reſtitutio ex minorennitatis cauſa etiam duret ad viceſimum quintum annum completum, *l. 5. Cod. De temp. in integr. reſt.* & per conſequens non tollat aut minuat etiam ordinarium petendæ reſtitutionis terminum; ne quod in favorem introductum eſt, in odium eorundem cedat, *arg. l. 6. Cod. de Legibus.* Neque hic dicendum eſt ſtatutum aut jus municipale in minorennium favorem introductum, plus operari, quippe quod ſtatuta ſtricte prout ſonant interpretanda, nec juris civilis correctoria ſint: ut alibi ſufficienter demonſtratum. Pro hac ſententia contra communes concludit Joann. Franciſc. Balthaſar. *Reſolut. Jur. Civil. & Bavar. tit. 5. Reſolut. 5. circa fin.* poſt Berlich. *deciſ. aur. part. 1. deciſ. 6. num. 5.* ubi *num. 8.* ita à Scabinis Lipſienſibus judicatum refert.

13 Ultimo hic monendum venit jure civili ceſſare reſtitutionis beneficium ſi contrahendo minor caveat ſe adverſus ea quæ geſta ſunt non venturum, idque inſuper juramenti ſacramento confirma-

Cod. ii. xxviii. *Si adverſus venditionem.*

verit, *l. 1. & auth. Sacramenta puberum Cod. ſi adverſus venditionem*: In cujus quidem deciſionis rationem alius inquirere operæ pretium non eſt: eo quod nullibi illud ſit receptum, ſed & multarum contra gentium ſtatutis in contrarium prudentiſſime cautum reperiatur: ejuſmodi juramentum tanquam inſidiis & captionibus obſtrictum, ipſo jure nullum infirmumque haberi, ne qui eadem qua ad contrahendum facilitate ad jurandum adducuntur, in præceps fortunarum, animæque periculum incurrant. Niſi quod eatenus ſubſiſtere quodammodo dici poſſit, ut contractus alioqui ipſo jure nullus, ſi juramento confirmatus fuerit, ſecundum quoſdam, per reſtitutionis beneficium reſcindi debeat, illudque haud concedi ſoleat niſi & de læſione conſtet, vide Neoſtad. *ſuprem. cur. deciſ. 80.*

De Belgarum moribus teſtantur Grot. *introd. lib. 1. cap. 8. verſ.* **De minderjarige** / *circa med.* Chriſtin. *vol. 2. deciſ. 125. & vol. 5. deciſ. 225.* Gudelin. *de jure noviſſim. lib. 3. cap. 14.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de in integr. reſtitut. verſ.* In Gallia idem obtinere referunt, Imbert. *Enchirid. Jur. Gall. in verbis jurisjurandi aliquot effectus juteſcripto proditi, qui moribus ſunt abrogati.* Argent. *ad Conſuetud. Brittan. art. 471. num. 1.* Charond. *Memorab. in verb. jurament. & pandect. du droict Franc. lib. 4. cap. 31. in fin.* Et apud Friſios Ordinum placito 23. *Julii* 1588. *art 4.* ſancitum eſt: **Dat op alle renunciatien met eede te doen by minderjarige / geen reght werde gedaen / ten reſpecte van den eedt / wyders dan op andere Contracten ſonder eede by minderjarige gecelebreert.** Id eſt: ne renunciationibus à minoribus ſub juramenti ſacramento faciendis, reſpectu ejuſdem juramenti in judicando plus juris tribuatur, quam aliis quibuſcunque Contractibus non juratis: Cui mox *art. 5.* additur: **Ende wordt de Notariſſen verboden eenige Contracten van minderjarige met eede te maecken / ofte den ſelven minderjarigen / eedt af te nemen / by privatie van haer Ampt / ende arbitrale ſtraffe.** Id eſt: & prohibentur tabelliones contractus minorum juramento confirmatos conſcribere, aut ab illis juramenta exigere, ſub officii privatione, aliaque extraordinaria pœna.

Cum quo fere convenit ſolennis juramenti formula in Hollandia circa Notariorum admiſſio- 14
nem uſitata, **dat ſy geen Obligatien ofte Verbandt-brieven ſullen maecken** / ſub pœnis Cameræ, *id* eſt ne Obligationibus aut Contractibus ſub pœnis Cameræ adſtipulentur: Quæ verba *ſub pœnis Cameræ*, quum alioqui obſcura videantur, illum ſenſum habent, ut ne contractuum uſurariorum illiciti fœnoris, alteriuſve rei turpis aut illicitæ inſtrumentis, jurisjurandi ſacramento ſub conſcientiæ voto, aut fori eccleſiaſtici ſive Cameræ banno pœnali ſtipulatione, corroboratis ſubſcribant.

Quæ quum ita ſe habeant moribus, facilior eſt reſponſio: nullum jusjurandum ejus efficaciæ 15
eſſe, ut negotium actumve de jure invalidum confirmare queat, per *l. 112. §. fin. ff. De legat. 1. l. 5. Cod. De legib. l. 7. §. 16. ff. De pact.* De quo fuſe DD. *ad d. l. 1. & auth. Sacramenta puberum. Cod. Si adverſus venditionem.* Vide Mæſtert. *tract. De Inſtit. Romanar. leg. lib. 2. dubit. 23.*

CAP. XLIV.

De Reſtitutione ex cauſa læſionis ultra dimidium.

SUMMARIA.

1. *An & quatenus contrahentibus ſe invicem circumvenire liceat, vel non.*
2. *Reſtitutio læſionis ultra dimidium in omnibus contractibus & negotiis locum habet, etiam in tranſactionibus.*
3. *Exceptis venditionibus ſub haſta publica; & quid aut quatenus* Saxoniæ, Galliæ, Sabaudiæ, *&* Friſiæ *moribus receptum.*
4. *Ceſſat in his quibus donatio ſubeſt.*
5. *Reſtitutio in integrum non ipſo jure, ſed beneficio competit.*
6. *Quomodo, an & quatenus ab utraque parte fiat: & quid de fructibus reſtituendis.*

D. xviii. v. Cod. iv. xliv. *De Reſcindenda venditione, & quemadmodum liceat ab emptione recedere.*

QUamvis communiter & naturaliter liceat contrahentibus in juſto rei pretio ſe invicem cir- 1
cumvenire, *l. 16. §. 4. ff. De minorib. l. 37. ff. De dolo.* & quod pluris eſt, minoris emere, aut quod minoris eſt, pluris vendere, *l. 22. §. ult. ff. locat. l. 8. Cod. de Reſcindend. vend.* Si nempe ſine aperto dolo, & fraude contingat: qui toto jure reprobatur, *l. 1. & tot. tit. ff. de dolo malo.* Si
tamen immodica ſit læſio, ut, ſi ultra dimidium juſti pretii in dando, aut accipiendo alteruter fuerit 2
deceptus, poteſt is adverſus alterum agere, ut vel recepto pretio rem reſtituat vel id quod juſto pretio

pretio deeſt, ſuppleat aut reſtituat. Quod quidem præcipue in emptione & venditione cautum eſt, *l. 2. Cod. De reſcind. vendit.* ad alia tamen omnia negotia, quibus alteruter contrahentium ultra dimidium læſus fuerit, extenditur; *arg. l. 10. & ſeq. ff. De legib. l. 2. ff. & Cod. De rer. permutat. l. 1. Cod. communia utriuſque judic. l. 4. Cod. De Evict.* Pinell. *tract. ad l. 2. De Reſcindend. vend. part. 2. cap. 3. num. 1. & ſeq. uſque ad num. 7.* etiam ad tranſactionem: prout indiſtincte moribus ubique receptum teſtantur Grot. *Introd. lib. 3. cap. ult. verſ.* 't Welck bevonden. Chriſtin. *vol. 2. deciſ. 288. num. 11. & vol. 1. deciſ 66. & ſeq.* Joann. a Sande *deciſ. Friſic. lib. 3. tit. 4. defin. 11.* Carpzov. *defin. Forenſ. Romano-Saxon. part. 2. conſt. 34. defin. 10. 11. 12.* Petr. Heig. *part. 2. quæſt. 9. num. 24. & ſeq.* Mynſing. *Cent. 1. obſerv. 33. & Cent. 6. obſerv. 91. num. 9.* Rebuff. *de Reſcind. contract. art. unic. Gloſſ. 15. num. 18. & ſeq.* Thom. Grammat. *deciſ. 66.* & Berlich. *pract. concluſ. part. 2. concluſ. 41. num. 5. & ſeqq.*

3 Exceptis venditionibus ſub haſta publica factis, quas contra receptos in Hollandia viciniſque regionibus mores, propter læſionem ultra dimidium, cum cæteris etiam reſcindi quidam exiſtimant, *arg. l. 16. Cod. De reſcind. vendit.* Quod quomodo probetur, aut qua ratione nitatur non video: quippe quod haſtæ publicæ fides tam facile contaminari non debeat, *arg. l. 4. Cod. De Remiſſ. pignor. l. 7. §. 5. l. 24. §. 1. ff. De minorib.* vide late nec minus eleganter in hanc rem Berlich. *deciſ. 126.* & DD. *ibid. num. 5.* De Hollandiæ moribus teſtantur Grot. *Introd. lib. 2. cap. ult. verſ.* De reden / *in fin.* Conſuetud. Antverp. *tit. 60. art. 23.* Neoſtad. *Suprem. Holland. Cur. deciſ. 75.* niſi quod ubi non omnis ſolennitas aut exequendi ordo ſervatus ſit, per appellationis remedium ordinarium læſus juvetur. In cæteris publicis venditionibus licitando per præconem publicum factis omne penitus in integrum reſtitutionis ceſſat auxilium: propterea quod vix ſciri poſſit, quodnam juſtum ſit pretium, niſi illud quod publice factâ venditione per licitationem conſtitutum reperitur, juſtum habeatur: *d. l. 7. §. 5. ff. De minorib. l. 5. §. 2. ff. De author. tutor. l. 63. ff. ad leg. Falcid. l. 33. ad leg. Aquil.* Ita tamen à Juriſconſultis Lipſenſibus concluſum & deciſum refert Berlich. *d. deciſ. 126. num. 19.* Quod tamen (licet eam probabili ſatis ratione fulciri fateatur) in foro Saxonico Electoratus conſtitutiones admittere negat Carpzov. *definit. Forenſ. part. 2. conſtit. 34. defin. 13.* Sed idem in Gallia obtinere teſtantur Loyſeau *du deguerp, lib. 3. cap. 7. num. 10.* & Mornac. *ad d. l. 16. Cod. de reſcind. vendit.* Guid. Pap. *deciſ. 22. in fin.* Sed in Sabaudiæ & Friſiæ Curiis contra, propter læſionem ultra dimidium juſti pretii etiam ſubhaſtationes reſcindi, probant Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 30. def. 4.* Sande *lib. 3. tit. 4. def. 12.*

4 Ceſſat etiam reſtitutionis beneficium in his quibus donatio ſubeſt, aut quatenus minor aliquid donandi animo conceſſerit. *tit. Cod. Si adverſ. donationem.* Vide Covarruv. *Var. reſolut. lib. 2. cap. 4. num. 6.* Menoch. *De arbitrar. Judic. caſ. 144.* Fachin. *lib. 2. cap. 19.* Pinell. *ad d. l. 2. Cod. De reſcind. vendit. part. 1. cap. 2. num. 20. & ſeqq.* aut quæ ex teſtati, aut fideicommiſſi cauſa ita fieri debebant: veluti, ſi teſtator voluerit bona ſua certo, eodemque dimidio minori pretio alicui divendi. *arg. l. 49. §. 9. ff. De legat. 1.* Pinell. *ad d. l. 2. part. 1. cap. 1. num. 19.* *Cod. ii. xxx Si adverſus donationem.*

5 Quod ad modum attinet, quum ad omnes contractus indifferenter dictum remedium extendatur, propter conſenſum adhibitum, non ipſo jure, ſed per ſolenne reſtitutionis beneficium inſtitui ſolet. Quomodo in Hollandia uſitatum refert Grot. *Introduct. lib. 3. cap. ult. in fin.* atque ita obſervari perhibet Inſtruct. *Suprem. Holland. Cur. art. 23.* ejuſdemque Ampliatio *art. 7.* De Galliæ moribus idem teſtatur Mornac. *ad l. 2. Cod. De reſcind. vendit.*

6 Petita hac reſtitutione, ſi pars adverſa etiam à contractu deſiſtere velit, ab utraque parte reſcinditur quod geſtum eſt, reſtituiturque quod datum, acceptumve, cum omni ſua cauſa: alias quod deeſt ſuppletur, aut quod supereſt reſtituitur: poteſtque venditor aut emptor, offerendo id, quod juſto pretio deeſt aut ſupereſt, reſciſſionem contractus evitare. *d. l. 2. Cod. de Reſcind. vendit.*

Dico *cum omni cauſa*: Ut & fructus reſtituantur, *l. 38. §. 4. ff. de Uſur. l. 22. ff. De Verb. Signific.* & fidejuſſoribus proſit, *arg. l. ult. ff. De pact.* Pinell. *ad d. l. 2. Cod. de Reſcind. vendit. part. 2. cap. 3. num. 43. 44.*

Sed an reſciſſa venditione, emptor cum re etiam fructus interim perceptos reſtituere teneatur? Negant Gomez. *Variar. reſolut. tom. 2. cap. 2. num. 24.* Fachin. *lib. 2. controverſ. cap. 24.* Pinell. *ad d. l. 2. Cod. De Reſcind. vendit. part. 2. cap. 4.* Secundum quam opinionem in Friſiæ Curia etiam negative deciſum eſt teſte Joann. à Sande *lib. 3. tit. 4. definit. 12.* Quæ tamen abſolute vera non eſt, nec ulterius procedit, quam quatenus cum uſuris pretii, aut cul-

cultura & cura compenſari poſſint, ut illi quidem reſtitui non debeant: ſuperflui vero cum ipſa re omnino reſtituendi ſint. *arg. l. 65. ff. de Rei vindicat. l. 23. §. quum redhibetur. l. 31. §. pen. ff. de Ædilit. edict. l. 4. §. 4. l. 6. in pr. & l. ult. ff. De in diem addict. l. 16. Cod. De præd. minor.* Covarruv. *Var. reſolut. lib. 2. cap. 3. num. 9.* ita etiam diſtinguit Odd. *De Reſtit. in integr. part. 1. quæſt. 45. num. 29 & ſeqq.*

Cap. XLV.

De Solutionum Induciis, ſive reſcriptis moratoriis, & corporis ſecuritate.

Summaria.

1. *Induciæ ſolutionum quid: quotuplices, à quibus petantur & quomodo procedant.*
2. *Non ſine fidejuſſione, etiam non petita, quæ nec à principe remitti poteſt.*
3. *In defectum fidejuſſorum an Juratoria admitti poſſit:* Neg. contra Andr. Gail.
4. *Creditorum majori parte conſentiente an minor pars ſequi debeat in induciarum conceſſione.*
5. *An idem in quacunque debiti remiſſione.*
6. *Majoris partis creditorum remiſſoria pactiones an & quatenus aliis non conſentientibus obeſſe poſſint.*
7. *Creditorum pars major non ex numero, ſed ex quantitate æſtimanda.*
8. *Induciarum remedium quibus proſit vel non.*
9. *Moratoria dilatione durante an & uſura in ſtipulationem deducta remiſſa cenſeantur, earumve curſus ſiſtatur.*
10. *Induciæ ſolutionum, an & fidejuſſoribus proſint.*
11. *Securitas corporis, an, & pro quo tempore concedatur.*

SUnt & alia remedia quibus obligationum vincula extra actualem debiti præſtationem non quidem in totum, ſed pro parte tolluntur, aut minuuntur: ut ſunt Solutionum induciæ ſive reſcripta moratoria, corporis ſecuritas, & bonorum ceſſio.

Solutionum induciæ, ſunt certi (ut plurimum quinque annorum) termini obæratis debitoribus, 1
pro ſolvendis debitis gratioſe conceſſi. Quæ duplicis ſunt generis, aliæ quæ à Principe ex ſingulari gratia conceduntur, per reſcripta moratoria juxta *l. 2. Cod. De precib. Imperator. offer.* Cujus vicem in Hollandia Suprema Curia ſuſtinet, *Inſtruct. Suprem. Holland. Cur. art. 23.* Aliæ, quas à majori creditorum parte ex *l. fin. Cod. qui bon. ced. poſſunt*: debitores à Provinciali Curia impetrare aſſueverunt: quarum uſus frequentior eſt. Pro quibus ex ſtylo, ſuper libello ſupplice ad induciarum impetrationem oblato, expediuntur litteræ, quas vocant inductionum, ad Magiſtratum loci: cui præcipitur ut debitoris impetrantis creditores omnes convocari curet, omnibuſque mediis, ſive perſuaſionibus idoneis inducere conetur, ut debitori, ſub cautione petitas inducias, concedant, niſi cauſam; qua examinatâ dicti ſolutionum termini aut negari, aut ex majori conſentientium parte concedi ſolent. Formam & requiſita vide *Ord. Carol. V. de Anno* 1544. *art. 31. & ſeq. junct.* Ampliat. *Inſtruct. Cur. Holl. art. 6. 7.*

Circa quæ ſciendum eſt impetratas induciarum litteras non procedere, niſi præſtetur fidejuſſio idonea pro debiti ſolutione ſuo termino præſtanda: *l. 4. Cod. De precib. imperat. offerend.* 2
Quæ etiam non petita præſtari debet, præſertim moribus, quibus ipſæ litteræ cautionis clauſulam expreſſam continere ſolent: quare creditores ad approbationem, ſive interinationem litterarum, ut vocant, citati reſpondere non tenentur, niſi prius cautione interpoſita, primoque die ſerviente, non exhibita fidejuſſione requiſita, comparitionis venia dari ſolet, cum expenſis: ut in ſimili de Curiæ Brabanticæ ſtylo refert Henric. Kinſchot *tractat. De ſolution. induc. cap. 2.* Quod & Ordinat. Caroli V. *Anni* 1544. *art. 35. in fin.* expreſſe cavetur, **Dat geen Brieven van reſpijt ende atterminatie van ſchulden ſullen werden verleent / om te dwingen den Crediteur te conſenteren/dat men gebe dagh van betalinge ſonder cautie.** Id eſt: *Ut nulla litteræ dilatoria, aut atterminationis debitorum concedantur, quibus creditor conſtringatur conſentire ſolutionis terminum abſque cautione interpoſita*: atque ita deciſum vide apud Neoſtad. *Supr. Holl. Cur. deciſ. 53.* Quid quod nec à Principe hæc cautio remitti poſſit: per Gloſſ. & DD. *ad l. 4. Cod. De precib. Imp. offer.*

Sed quid ſi fidejuſſores invenire non poſſit? Putat Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 47. num. 8.* jura- 3
toriam

toriam quandoque cautionem admitti, *arg. Nov.* 112. *cap.* 2. *&* *Novell.* 134. *cap.* 9. quod tamen de jure certum, nec moribus receptum affirmare auſim propter verba, *d. l.* 4. *ibi: niſi fidejuſſio idonea.* quæ nec pignoratitiam admitterent, niſi & ea pro ſufficienti, in quacunque cauſa, eſſet accepta: vide Henric. Kinſchot *tract. De ſolut. induc. cap.* 4.

4 Et hoc ſingulare eſt, ut majori parte creditorum conſentiente, minor pars ſequi debeat, neque illa terminum à majori parte conceſſum impedire queat: *l.* 7. *§. ult. l.* 8. *ff. de pact. l. ult. qui bon. ced. poſſ. circa fin.*

5 Quod & ad quaſcunque debitorum remiſſiones extendendum quidam volunt. *arg. d. l.* 7. *§. ult. & l.* 8. *& ſeq ff. eod.* Quod moribus receptum non eſt, ut quibus in quacunque vel minima debiti remiſſione, minor creditorum pars majorem conſentientem ſequi nullo modo cogi poſſit: Ut eſt text. *in d. Ordinat. Caroli V. Anni* 1544. **Dat men geene Brieven verleenen en ſal om te bedwingen den Crediteur te conſenteren in het appointement van ſijnen ſchuldenaer / met de meeſte parthye van ſijne Crediteuren: ſoo verre dat by den voorſz. appointemente men quijt ſcheldt eenige parthye van de ſchuldt.** Id eſt: *Ne concedantur litteræ, quibus creditor pactioni debitoris ſui cum majori parte creditorum ſuorum, ut ſi qua debiti pars ſit remittenda, inita, conſentire conſtringeretur*: vide Jacob. Coren *Conſil.* 8. Idem in Gal-

6 lia receptum teſtatur Autum. *Confer. du droict. ad l.* 8. *ff. de pact.* Neque adeo de jure conſtat majoris partis creditorum remiſſoriis pactiones aliis non conſentientibus obeſſe, quin & illud ad certos caſus reſtringendum ſit: ſi veluti, debitore defuncto heres ejus nolit adire hereditatem, niſi pars cujuſlibet debiti à creditoribus remittatur: De quo loquitur text. *in l.* 7. *§.* 19. *ff. de pact. junct. l.* 3. *§.* 1. *ff. ad leg. Aquil.* Quibus addunt idem dicendum eſſe: Si debitor abſens aut fugitivus ut revertatur petat alicujus debiti remiſſionem: aut ſi propter paupertatem paratus ſit cedere bonis, niſi pars debiti ei remittatur. Quibus ſolum caſibus, ne majori parti per unum alterumve tergiverſantem præjudicium fiat, minor pars etiam majoris partis pactionibus ſubſcribere tenetur. *d. l.* 7. *§. ult. & leg. ſeq. ff. De pact. junct. l. fin. Cod. qui bon. ced. poſſ.* Quod ipſum etiam arbitrarium, & judicis diſcretioni committendum eſt: quum alioqui, ubi præſens eſſe debitor poteſt, aut nullum majori rei vel cauſæ præjudicium verſatur, nunquam major pars minorum diſſentientem ut remiſſoriæ pactioni ſubſcribat, conſtringere poſſit, per Gloſſ. & DD. *ad d. l.* 7. *§.* 19. *ff. De pact.* Matth. de Afflict. *deciſ. Neapolit.* 288. Trentacinq. *Var. reſolut. lib.* 3. *reſolut.* 3. *num.* 15. Matth. Brun. *De ceſſion. bonor. quæſt.* 22. *pr.* Anton. Teſſaur. *deciſ.* 186. Matth. Coler. *de proceſſib. execut. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 15. Benvenut. Strach. *de decoctorib. part.* 6. *num.* 5. *& num.* 21. Daniel. Moller. *Semeſtr. lib.* 4. *cap.* 6. Joann. Zanger. *de except. part.* 2. *cap.* 12. *num.* 2. *& ſeq. & poſt eos.* Matth. Berlich. *deciſ. aur. part.* 2. *deciſ.* 235. neque obtinet ſi unus vel alter illorum creditorum pinguiori jure, puta pignore, vel hypotheca gaudeat, per ea quæ tradunt Valentin. Franc. *de Fidejuſſ. cap.* 3. *num.* 24. Matth. Coler. *de proceſſib. executiv. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 17. Joann. Zanger. *de except. part.* 2. *cap.* 12. *num.* 2. & late idem Berlich. *d. deciſ.* 235. *num.* 36. *&* 37. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. Qui bon. ced. verſ. ſed neque. & tit. De pactis.*

7 Major hic pars non ex perſonarum numero, ſed ex rei debitæ quantitate æſtimatur. *l.* 8. *ff. De pact. in pr.* Si autem quantitates debitorum utrimque pares ſint, perſonarum numerus prævalet: ſi & quantitas debitorum & perſonarum numerus æquentur, utrimque æquabilium opinio ſequenda: juxta *l. ult. Cod. qui bon. ced. poſſ. l.* 4. *Cod. De precib. Imperat. offer. junct. l.* 8. 9. 10. *ff. De pact.*

8 Non tamen adverſus omnes creditores hoc remedium obtinet: non datur enim, nec conceſſum extenditur adverſus ſententias homologatas, & eas quæ in rem judicatam tranſierunt; ita nec adverſus actiones reales, hypothecarias, aliaſque privilegiatas. De quibus late Henric. Kinſchot *tract. De Solut. induciis. cap.* 7. 8. Vide etiam Guid. Pap. *deciſ.* 97. *& deciſ.* 109.

9 Sed an durante hac moratoria dilatione uſuræ in ſtipulationem deductæ, remiſſæ cenſeantur, earumque curſus ſiſtatur? Negat Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 1. *tit.* 9. *defin.* 8. Eo quod Princeps,

1 ſive Magiſtratus per reſcriptum moratorium uſuras, tanquam jus quæſitum creditoribus auferre non poſſit, neque id velle præſumatur. *arg. l.* 2. *& l.* 4. *Cod. De precib. Imper. offer. junct. l.* 2. *§.* 10. *& §.* 16. *ff. ne quid in loco publico. l.* 8. *ff. De Stipulat. prætor.* Sed quum uſuræ ipſam ſortem ſequantur, *l.* 26. *in fin. pr. Cod. De Uſur.* conſequens eſt, quum interim ipſa quaſi ſors debeti ſuſpendatur, etiam uſuras ſuſpendi: quod niſi fiat, ipſas inducias nullius gratiæ aut effectus fore certum eſt: Neque adeo creditoribus in jure quæſito præjudicari ſequitur; quod, quum eis ſortem ſolvi poſſe periculum ſit, dato termino idonea cautione certiores reddantur: adeoque rebus ita

ſtantibus & manentibus, ſolutioni tantum terminus detur, ejus ſcilicet, quod tunc temporis debetur: neque adeo abſolute conceditur, quin & creditores ad hoc vocati contradicere poſſint, quod niſi fiat, aut ſi non ſatis juſtam eos contradicendi cauſam habuiſſe, judicatum ſit, conſenſiſſe intelliguntur. Quare non tam ex Principis voluntate, quam ex juris ratione, & ipſorum creditorum conſenſu eſſe dicendum eſt: ut durante moratoria dilatione uſuræ, licet in ſtipulationem deductæ, ſuſpendantur: quarum ſane haud pinguior conditio eſſe poteſt, quam earum omnium quæ ex ſolvendi mora extra inducias effective peti poſſent, quæ tamen interim non præſtari certum eſt. Pro hac affirmativa, ut veriori opinione deciſum refert Boër. *deciſ. Burdegal.* 296. *num.* 5. *in fin.* Carpzov. *defuit. Forenſ. Romano-Saxon. part.* 2. *conſtit.* 30. *defin.* 46. Idemque in æquitatis ratione conſiſtere defendunt Daniel Moller. *lib.* 4. *Semeſtr. cap.* 7. Hering. *De Fidejuſſor. cap.* 22. *num.* 59. *& ſeq.* Niſi forte ad pinguiorem fortunam debitor interim pervenerit, & durantibus induciis creditorum pecunia emolumento ſuo fuerit uſus, quo caſu, ceſſante ratione, debiti non ſoluti uſuras & intereſſe exigi poſſe nullus dubitem. *arg. l.* 14. *ff. De condict. indeb.* Quomodo etiam diſtinguit idem Carpzov. *dict. defin.* 46. *in fin.* In Hollandia tamen dictam affirmativam opinionem obtinere negant quidam: quod ut ſit, penes judicem arbitrium eſto.

Utrum vero, & fidejuſſoribus proſit; nec illi interim conveniri poſſint, major difficultas vi- 10
detur? Affirmant Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 1. *tit.* 9. *defin.* 14. Rebuff. *de litt. dilat. art.* 1. *Gloſſ.* 1. *num.* 42. Trentacinq. *lib.* 3. *reſolut.* 1. *num.* 25. *De Solut.* Treutl. *part.* 2. *diſput.* 24. *theſ.* 4. *litt.* E. *arg. l. ult. §.* 1. *Cod. De Uſur. rei judic.* Sed quum in fidejuſſorum adſtipulationibus fere ſemper Ordinis Diviſionis, & Excuſſionis beneficio renuncietur, tutius eſt etiam fidejuſſorum nomine reſcriptum peti.

Interim dum aut moratoriam dilationem aut debiti aliqualem remiſſionem requirit obæratus 11
debitor, corporis ſecuritas per tres quatuorve menſes ei indulgeri ſolet, quibus interim liber aditus pandatur, nec in perſona ſua inquietetur, aut carceri includi poſſit: *arg. l. quoties.* 2. *Cod. De Securitate corporis, vulgo ſalvus conductus.* De quo vid. Henric. Kinſchot. *tract. De ſecuritate corporis.* & quæ latius infra de Corporis ſecuritate; pro abolitionibus aut remiſſionibus impetranda.

CAP. XLVI.

De Ceſſionis bonorum beneficio.

SUMMARIA.

1. *Ceſſionis beneficium quid, & cujus ſit effectus.*
2. *Qui bonis cedere poſſint vel non, &* Num. 9.
3. *Non poſſunt qui ad factum obligati.*
4. *Nec qui ex delicto vel quaſi obligati.*
5. *Vel ſuo vitio diſſiparunt, aut callido conſilio ſub ſpe ceſſionis creditores ſuos deceperunt, ut Bancorruptores.*
6. *An illi qui ſolutionum inducias impetraverunt poſtea bonis cedere poſſint.*
7. *Ceſſionis beneficio an & quatenus renunciari poſſit.* Neg. *ne quidem jurato.*
8. *Femina an & quatenus carceribus includi propter debita civilia poſſint, & quid moribus in* Belgio.
9. *Ceſſionis beneficium an & quatenus privilegium ſit ipſis civibus cujuſque civitatis privative datum.*
10. *Ceſſionis bonorum ſolennitas qua ſit, & quid moribus* Belgii, Galliæ, *&* Germaniæ.
11. *In* Saxonia *&* Hiſpania *an & quando obtineat.*
12. *Ceſſio bonorum an & quatenus debitorem liberet, & quid moribus.*

D. xlii. 3. Cod. vii. lxxi. De Ceſſione bonorum, & Qui bonis cedere poſſint.

UBi autem parata pecunia in promptu non eſt, qua creditoribus ſatisfiat, neque moratoriam ſolvendi debiti executionisve dilationem impetrare poterit obæratus, ut tamen ignomi-
nioſum executionis actum avertat, ultimum ſupereſt remedium ceſſionis, quo omnia ſua bona 1
in creditores ſuos voluntarie transferendo à carcerum incluſionibus liberatur. *l.* 1. *Cod. qui bon. ced. poſſ.* neque ulterius pro reſiduo debiti tenetur, quam in quantum facere poteſt, & in iis quæ poſtea acquiſivit, habeat competentiæ beneficium, quo victum ſemper, amictum, & habitationem pro dignitate & qualitate deducat. *l.* 4. 6. 7. *ff. De ceſſion. bonor. l.* 6. 7. *Qui bon. ced. poſſ.* Vid. Matth. Brun. *De ceſſion. bonor. quaſt. princip.* 3. *num.* 5. *& quaſt.* 28. *princ. & ſeq.* Menoch. *de Arbitr. Jud. lib.* 2. *Cent.* 2. *caſ.* 183. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 21. *art.* 6.

Bonis

2 Bonis cedere poſſunt omnes tam filii quam patres famil. mares ac feminæ, l. 7. Cod. qui bon.
ced. exceptis iis qui facti debitores ſunt, quod præſtare poſſunt, quod an & quomodo præſtandum,
nec præſtando id quod intereſt liberetur moribus, dixi ſupra, hoc eodem libro, cap. 13. De con-
3 tract. innominat. circa fin. Cæterum obligatus ad factum an poſſit cedere bonis: vide Matth. Brun.
De ceſſione bonor. quæſt. 4. Quarta quæſt. principal.

4 Excipiuntur etiam qui ex delicto vel quaſi obligati ſunt, quorum qui in ære non habet luet in pelle. l. 1. §. ult. ff. de pœn. l. 7. §. 3. ff. de Juriſdict. l. ult. ff. De in jus vocand. Vide Chriſtin. vol. 4. deciſ. 123. num. 5. & 19. Johan. Papon. lib. 10. tit. 10. Arreſt. 1. & 8. Grivell. deciſ. Dolan. 78.

5 Item illi qui ſuo vitio ſua diſſiparunt, aut qui dolo malo aut callido conſilio factitarunt, quo minus ſolvendo ſint, ſub ſpe ceſſionis contrahentes, ut decipiant creditores, quibus etiam remedium ceſſionis non competit. arg. l. fin. ff. De his quæ in fraud. creditor. De quibus late etiam Brun. dict. tract. quart. quæſt. princ. quæſt. 28. Quemadmodum & illi, qui bona ſua evehendo, latitarunt, (vulgo Banco-ruptores) quo pertinet Placit. 7. Octob. 1532. & 4. Octob. 1540. Brun. d. quart. quæſt. princ. quæſt. 5. Plures exceptiones, & qui bonis cedere poſſint vel non, vide apud eundem Brun. quæſt. 4. princip. per tot. Nicol. vander Hoogh Singular. 86. Socin. Reg. 65. & Georg. Tholoſan. Syntagm. Jur. lib. 22. cap. 9. Matth. de Afflict. deciſ. 378. & ſeq. Boër. deciſ. 349. Peec. de Jure ſiſtendi cap. 5. num. 10. Grot. Introd. lib. 3. cap. 51. verſ. Mans ende Wyfs / & ſeq. Damhouder. Prax. rer. Civil. cap. 70. Chriſtin. ad leg. Mechlin. tit 21. art. 3.

6 Utrum vero his, qui ſolutionum inducias impetraverunt, poſtmodo ceſſionis beneficium concedi debeat? Negant communiter, quaſi per electionem unius ab altero renunciatum ſit. Ita Gloſſ. & DD. ad l. fin. Cod. qui bon. ced. poſſ. Quod tamen in praxi ubique receptum non eſt; prout de Galliæ moribus referunt Johann. Papon. lib. 10. tit. 10. in Append. Arreſt. 1. Rebuff. ad Conſtitut. Reg. vol. 2. tract. litter. Dilat. Gloſſ. 1. num. 61. Ubi non obſtante dilationis ſive induciarum termino, ceſſionis beneficium concedi probant: Quod & moribus noſtris facilius admittetur: quia, quum in ſolutionum induciis, idonee cavetur, neque datis fidejuſſoribus ceſſionis beneficium à principali obtentum, aliquo modo iis prodeſt, arg. §. ult. Inſtit. De replicat. junct. l. 4. Cod. De precib. Imper. offerend. propterea creditoribus nullum, aut perexiguum fit præjudicium.

7 Sed quid de ceſſionis renunciatione, & an huic beneficio valide renunciari poſſit: Communis eſt DD. ſententia huic beneficio, non obſtante renunciatione etiam jurata, ſemper locum dari: propterea quod nemo ſibi ad carcerem obligare poſſit: per ea quæ tradunt Salicet. & DD. ad l. 1. Cod. Qui bon. ced. poſſ. & ad l. 14. ff. Solut. matrimon. Quod cum aliorum moribus, præcipue noſtris, obtinere conveniens eſt, ut quibus nec paratam executionem, per ſtipulationem acquiri alibi dixi: Ad hanc quæſtionem vide Bronchorſt. Centur. 4. aſſert. 20. Covarruv. Var. reſolut. lib. 2. cap. 1. num. 7. Jacob. Cancer. Var. reſol. tom. 2. cap. 9. num. 37. & ſeq. Anton. Fab. ad Cod. lib. 7. tit. 31. defin. 8. Papon. lib. 10. tit. 10. arreſt. 3. Ant. Teſſaur. deciſ. Pedemontan. 36.

8 Feminæ Jure Romano ad hoc ut carcerum incluſionem effugiant ceſſionis beneficio opus non habent, quippe quod propter debita civilia carceribus includi non poſſint ipſo jure. auth. hodie. Cod. De exhibit. reorum. Novell. 134. cap. 9. Sed illud moribus receptum non eſt, quibus, quum non militum cuſtodiis, ſed ordinariis commentarienſibus probis & honeſtis carceres committi ſoleant, indifferenter tam feminas, quam mares debitrices conſtitutas & condemnatas pro ſententiæ executione carceribus includi receptum eſt. In Belgio vid. Neoſtad. Suprem. Cur. deciſ. 57. Radeland. Trajectenſ. deciſ. 54. num. 6. 7. Gudelin. de Jure noviſſim. lib. 3. cap. 14. verſ. plane. Zyp. Notit. Jur. Belg. tit. De Execut. rei judic. verſ. Sed &. Pirez. ad Cod. De Cuſtodia Reor. num. 6. in fin. Gallia: Annæ. Robert. Rer. Judic. lib. 2. cap. 7. Rebuff. ad conſtit. Reg. De litter. oblig. art. 11. Gloſſ. 4. in fin. Hiſpania: Gutierez. Practic. quæſt. lib. 2. quæſt. 25. Gomez. ad l. Tauri 62. num. 1. In Germania tamen jus ſcriptum obtinere videtur: niſi ubi expreſſe aliter ſtatutum reperitur, per ea quæ tradit David Mævius ad Jus Lubecenſe lib. 1. tit. 3. art. 1. num. 31.

9 Sed ſolis civibus Romanis, & his qui ex conſtitutione l. 17. ff. de Stat. homin. pro civibus habentur hoc adjutorium ceſſionis beneficium conceſſum fuit: exteriſque denegatur. l. 4. Cod. Qui bon. ced. poſſ. Quod & in Gallia etiamnum obſervari tradunt Autumn. ad d. l. 4. Chriſtin. vol. 4. deciſ. 123. num. 16. Choppin. de doman. Franc. lib. 1. tit. 12. num. 3. Georg. Tholoſan.

Syn-

Syntagm. Jur. lib. 22. *cap.* 9. Quod tamen Hollandiæ mores non probant, niſi forte retorſionis jure contra eos, qui ipſos ab eodem beneficio excludunt.

Pro bonorum ceſſionis ſolennitate, Jure Romano ſufficit debitoris declaratio ſe hoc jure uti vel- 10
le, nec tantum in judicio, ſed extra jus fieri poteſt, per nuncium, per epiſtolam. *l. ult. ff. De ceſſione bonorum.* Sed moribus inſuper reſcriptum Principis deſideratur, cujus locum ſupremam Hollandiæ Curiam repræſentare diximus, quo impetrato, per mandatum ſive diploma ordinario judici committitur, ut cognita cauſæ, præſente debitore, convocatiſque creditoribus ſolenniter confirmetur: quo facto curator conſtituitur qui creditoribus reſpondeat, & cuique pro ratione prioritatis, ex ceſſionantis bonis pro cujuſque rata debitum ſolvi curet, relictis ſolum ceſſionanti veſtibus quotidianis, quæ nec damnatis ad mortem detrahi ſolent. *l.* 6. *ff. De bonis damnator.*

De noſtris & Gallorum moribus vide Provinc. Holland. *Cur. Inſtruct. art.* 223. & Suprem. 11
Cur. *art.* 23. Ampliat. *art.* 6. *Placit.* 19. *Maji* 1544. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. Qui bon. ced. poſſ.* Gudelin. *de Jure Noviſſim. lib.* 4. *cap.* 16. *verſ. tribuit.* Chriſtin. *volum.* 4. *deciſ.* 123. & *ad leg. Mechlin. tit.* 21. *art.* 3. *num.* 2. Bugn. *De leg. abrogat. lib.* 1. *ſat.* 94. Autumn. *Conſer. du droict ad l. ult. ff. De ceſſion. bonor.* Quod de ſatisfaciendis creditoribus per publicum creditorem ab Electore Saxoniæ diſertis etiam verbis *In Ordinat. Proceſſ. Induciar. tit.* 39. cautum refert Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part.* 1. *conſtit.* 32. *defin.* 9. & *Reſponſ. Jur. Electoral. lib.* 6. *tit.* 7. *Reſponſ.* 73. *num.* 24. In cæteris apud Saxones, non modo ad carceres, ſed etiam ad operarum præſtationem, vincula privata, & mancipationem excluſo ceſſionis beneficio obæratos damnari ſcribunt Weſenbec. *Paratit. ff. De ceſſion. bonor. num.* 3. & Matth. Coler. *de Proceſſib. execut. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 125. *& ſeq.* Quod & de Hiſpaniæ moribus teſtatur Covarruv. *lib.* 2. *Var. reſolut. cap.* 1. *num.* 5. Quo pertinet etiam Statutum Lubecenſe, *lib.* 1. *tit.* 3. *art.* 1. Quo in poteſtate creditoris conſtitutum eſt, an debitorem ad bonorum ceſſionem admittere velit, an vero mancipio eum accipere præoptet.

Ceſſione interpoſita, boniſque in creditores eo modo tranſlatis, in tantum liberatur debitor, 12
ut pro reſiduo debiti non ulterius in futurum teneatur, quam in quantum, deductis neceſſariis, facere poteſt, *d. l.* 6. *Cod. Qui bonor. ced. poſſ.* Ulterius, nec in totum liberari poteſt: præterquam in iis locis ubi bonorum ceſſiones non niſi pœnali, & ignominioſo actus ſolennitate celebrari ſolent: Ut in quibuſdam Hollandiæ locis, ubi ceſſionantes ad interulam nudati per aliquod tempus in lapide elevato, & loco eminentiori ignominioſe expoſiti, palam confiteri debent, ſe hoc beneficio uti. Quod de Suevorum ignominioſa ceſſione teſtantur Zaſ. *ad Rubric. ff. De ceſſion. bonor. num.* 3. Lugdunenſium Guid. Pap. 343. Papienſium Menoch. *De arbitrar. Jud. caſ.* 183. *num.* 14. & pleriſque hodie locis receptum refert Hoſtienſ. *ad cap. Odoard. extr. De Solut.* Quibus ceſſionibus debitores propter infamiam adjunctam (quæ in aliam non cadit. *l.* 11. *Cod. Ex quib. cauſ. infam. irrogat.*) in totum à reliquo debito liberari volunt: *arg. l.* 13. *§.* 7. *ff. De his qui not. infam. l.* 4. *Cod. Ex quib. cauſ. infam. irrogat.* Georg. Tholoſan. *Syntagmat. Jur. lib.* 22. *cap.* 8. *num.* 6. Guid. Pap. *d. quaeſt.* 343. Menoch. *de Arbitr. Jud. d. caſ.* 183. *num.* 22. *& ſeqq.* Quod de jure tamen adeo certum non eſt, nec quum rarius iis locis bonorum ceſſiones fieri ſoleant, de conſuetudine certa in tantum conſtat, ut pro indubitato affirmare auſim: Diſſent. Hottomann. *Illuſtr. quaeſt.* 26. Covarruv. *Variar. reſolut. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. & poſt eos Anton. Matth. *tract. de Judic. diſput.* 13. *num.* 62.

CEN-

CENSURA FORENSIS,

&c.

LIBER QUINTUS.

Cap. I.

De Criminibus, ſive delictis, quomodo & à quibus committantur.

Summaria.

1. *Crimen quid ſit & quotuplex.*
2. *Publicum aut privatum quid, an & quatenus moribus diſtinguantur.*
3. *Aliud dolo, aliud culpa committitur.*
4. *Lata culpa an in criminalibus dolo comparetur.*
5. *Conatus, aut voluntas ſine effectu an & quando puniatur, & quomodo.*
6. *Conſilium delinquendi alteri datum an & quomodo puniendum.*
7. *Conſilium dare quid ſit.*
8. *Culpa rem an ſit, qui quum potuit eadem non prohibuit.*
9. *Furi monſtrans viam ut aufugiat non tenetur.*
10. *Conſcii criminis an & quando puniendi & in quibus delictis.*
11. *Defendere, aut ſubvenire aliis in periculo conſtitutis quatenus obligemur.*
12. *Defenſio ſui etiam cum læſione alterius omni culpa caret.*
13. *Defenſio famæ, honoris, & facultatum juſta, nec aliquam pœnam meretur.*
14. *Adulteri in adulterio deprehenſi à patre aut marito an impune occidantur.*
15. *Furem nocturnum an & quatenus interimere liceat.*
16. *Delinquere, & ex delicto obligari quinam poſſint.*
17. *Infantes, & infantia proximi qui ſunt, & quatenus ex delicto obligentur.*
18. *Furioſi, inſani & dementes an & quatenus ex delicto obligantur.*
19. *Qui dicantur aut quomodo probentur furioſi.*
20. *Furioſus an à delicti ante furorem commiſſi pœna excuſetur.*
21. *Dementes, an & quatenus excuſandi à delicti pœna.*
22. *Phrenetici & Melancholici an & quomodo puniendi.*
23. *Ebrietas profunda an & quatenus à delicti pœna excuſet, & quid moribus.*
24. *Caroli V. ſanctio adverſus ebrios delinquentes.*
25. *Defenſio ſententiæ à Scabinis* Delphenſibus *lata.*
26. *Statutum Regni* Galliæ *adverſus ebrietatis vitium.*
27. *Criminum ſive delictorum Methodica diviſio.*

POſt obligationes ex civili cauſâ, puta ex contractu vel quaſi, provenientes, ſequuntur & obligationes ex maleficio vel quaſi, quæ generali nomine crimina ſive delicta appellari ſolent. *Inſt. IV. I. De obligationibus quæ ex delicto naſcuntur. & IV. XVIII. De publicis judiciis.*

1 Crimen ſive delictum eſt quælibet offenſio contra jus doloſe illata *l. 1. in pr. ff. Si famil. furt. feciſ. dicat.* qua quis ſe quaſi per contractum vindictæ legis ſubjicit, ac quaſi in pœnam, quam ſcelere ſuo promeruit, conſentire videtur. Aliud majus eſt, quod crimen atrox, aliud minus, quod peccatum levius, & culpa eſt, unde & quaſi melaficium vocatur: ſunt enim delicta quædam tam levia ut pro iis nulla legibus ſit impoſita pœna, ſed civiles tantum ſunt propoſitæ actiones. *l. 5. ff. De obligat. & act. l. 14. §. 14. ff. De Religioſ. & ſumpt. funer. l. 3. §. 4. ff. De Sepulchro violato. l. 39. ff. de furt.* alia rurſum ita gravia ſunt, ut quamvis pro iis civili judicio agatur, inſuper etiam ex publica cauſa, quæ delicta puniri deſiderat, criminaliter & extra ordinem agatur ab eo, qui gladii poteſtatem habet ad animadvertendum in facinoroſos homines.

2 Hinc alia publica ſunt, quorum obligatio & actio ad publicam utilitatem refertur *l. 1. ff. de publ. judic. §. 1. ff. Inſtit. eod.* alia privata, quæ ad privatam tantum utilitatem referuntur, *tit. ff. de privat. delict.* *D. XLVII. I. De privatis delictis.*

delict. & ibi Gothofred. *l.* 131. *in fin. ff. de Verb. Significat. l.* 17. *§.* 18. *ff. de ædilit. edict.* quæ proprie delicta, aut crimina non ſunt, quatenus ſcilicet pro iis non criminaliter ad publicam vindictam, ſed civiliter ad privatorum intereſſe agitur, quamvis alioqui magnam cum delictis ſimilitudinem habeant, quare & obligationes ex quaſi delicto vocari ſolent. *tot. tit. Inſtit. De obligat. ex quaſi delicto.*

Nec ad mores pertinet quod Jure Romano cuique ex populo publica criminum accuſatio competebat, qui modo talionis pœnæ ſubſcribere non verebatur: Sed hodie omnia publica ſunt crimina à fiſco reipublicæ nomine perſequenda, privatique non niſi damnum datum adverſus delinquentes civili actione perſequuntur, adeoque delicta ſive crimina, quæ Jure Romano alia erant privata, alia publica, nunc unius generis eſſe cœperint, ut recte notat Jul. Clar. *§.* 1. *quaſt.* 1. *num.* 6. & noviſſime Anton. Matth. *De Criminib. ad lib.* 48. *ff. tit.* 20. *cap.* 4. *num.* 1. Neque eſſentialis eſt diſtinctio Gudelini *De Jure Noviſſimo lib.* 5. *cap.* 14. Quod publica dicantur quatenus ad publicam vindictam, privata, adverſus quæ pro privatorum intereſſe agatur: quippe quod à privato, qui intereſſe tantum ſuum, & damnum datum reſtitui perſequitur, propter crimen aut delictum agi vere dici non poſſit, neque ulla ſint crimina ſive delicta propter quæ non ex publica cauſa, etiam ad pecuniariam pœnam publice agatur. Quæ à quibus, & quo modo & formâ coram judice vindicari debeant, ſuo loco ubi de procedendi modo ac formâ tam in civilibus quam criminalibus cauſis, agemus.

Crimen aliud dolo malo, id eſt animo & affectu delinquendi committitur, aliud quod culpâ 3
tantum & errore contingit: quomodo furtum ſine affectu furandi haud committitur. *§.* 7. *Inſtit. De obligat.* & ne latam quidem culpam dolo æquiparari leges permittunt, *l.* 7. *ff. ad leg. Cornel. De Sicar.* non quod lata culpa non puniatur, ſed quod mitius & extra ordinem puniri ſoleat. *l.* 9. 4
ff. De incend. ruin. & naufrag. l. 3. *§.* 2. *l.* 4. *§.* 1. *ff. ad leg. Corn. de Sicar. l.* 12. *ff. De exhibit. reorum.* Et rurſum peccantis mentem, & conſilium fraudulentum non exitum puniri reſcripſit Hadrianus *l.* 14. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* Quare, quum ex ipſis rerum circumſtantiis, loco, tempore & occaſione de delinquendi animo & affectu inquirendum ſit, in multis etiam, & plerisque criminibus, delictorum pœnæ pro circumſtantiarum varietate incertæ, atque arbitrariæ ſunt, judiciſque arbitrio & diſcretioni committi ſolent, etiam in his, quibus alias certa pœna de jure conſtituta eſt.

Hinc celebris illa quæſtio, an & quomodo nudus delinquendi conatus, aut voluntas puniatur? 5
Ratio dubitationis eſt, quod nuda delinquendi cogitatio crimen non ſit; nec pœnam mereatur, *l.* 18. *ff. De pœnis. l.* 225. *ff. De Verbor. Signific.* Et contra in maleficiis voluntas ſpectatur non exitus. *l.* 14. *ff. ad leg. Corn. De Sicar.* eademque ſeveritate voluntatem ſceleris quâ effectum puniri reſcripſerunt Impp. Arcad. & Honor. *in l.* 5. *Cod. ad leg. Jul. Majeſtatis.* Quæ ut probe concilientur diſtinguendum neceſſe eſt, inter nudam cogitationem, conſilium nudum, quod proprie crimen non eſt, ſecundum *d. l.* 18. *ff. De pœnis.* interque crimen quod aſſumpto aliquo actu inchoatum dici poteſt: veluti ſi quis hominis occidendi, furtive faciendi cauſâ, cum telo obambulaverit: aut venenum coxerit: aut ſi ſtupri cauſa virginem in terram proſtraverit, licet perficere non potuerit: quod licet conſummatum non fuerit, quatenus tamen ipſi actui delictoque proximum eſt, crimen eſſe conſtat. text. eſt in *l.* 1. *ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Quorum nuda quidem cogitatio, conſilium nudum, nulla etiam pœnâ coërcetur, ut eſt text. *in d. l.* 18. *ff. De pœnis:* talis vero affectus & conatus qui aſſumpto aliquo actu, delinquendi, & perpetrandi criminis animum arguit, pœnæ etiam ſuæ ſubjacet: ſed ut culpa, etiam ea quæ dolo comparatur, non tamen uti dolus coërcetur, *arg. l.* 7. *ff. ad leg. Corn. de Sicariis.*

Ita nec attentatum ut conſummatum, ordinariâ, ſed mitiori atque arbitrariâ pœnâ plecti communis eſt doctrina, *arg. l.* 1. *§. ult. ff. De extraordinar. crimin.* etiam in graviori crimine & atrociori delicto, quomodo interpretanda *l.* 1. *in pr. ff. ad l. Cornel. de Sicar. junct. l.* 16. *§.* 1. *ff. de pœnis.* niſi aut quatenus expreſſâ lege aliter cautum reperiatur, & eo etiam caſu ad actum proximum ſit perventum. Uti ſunt crimen læſæ Majeſtatis *l.* 5. *Cod. ad l. Jul. Majeſt. l. unic. Cod. Si quis Imperat. maled.* crimen raptus. *l.* 5. *Cod. de Episcop. & cleric.* Aſſaſſinium & Sicariatus, per text. *cap.* 1. *de homicid. in* 6. de quo criminis genere *d. l.* 1. *ff. ad l. Corn. de Sicariis*, nobis **van Moord ende Moordenaars.** Vis publica à latronibus, incendiariis, & graſſatoribus commiſſa. *l.* 10. *§.* 1. 2. *ff. de vi publicâ.* & ſimilia. In quibus ſimplex conamen etiam ordinariâ facti pœnâ punitur. Vide Anton. Matth. *De criminib. lib.* 48. *tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 7. *& cap.* 6. *num.* 9. Gudelin. *de Jure Noviſſimo lib.* 5. *cap.* 17. Zyp. *Not. Jur. Belg. tit. ad leg. Corn. de Sicariis, & ad leg. Jul. Majeſtatis.* Rebuff. *ad Conſt. Reg. in proœm. Gloſſ.* 5. *num.* 28. Anton. Fab.

ad Cod. lib. 9. *tit.* 9. *deſin.* 3. Gomez. *tom.* 3. *reſol. cap.* 3. *num.* 11. 30. & in terminis Jul. Clar. *§. fin. quæſt.* 92. & Farinac. *tom.* 1. *quæſt.* 17. *num.* 48. 49. ubi per multos probant ex generali totius mundi conſuetudine hodie nunquam attentatum ſicut conſummatum puniri, neque eo caſu arbitrariam pœnam etiam in graviſſimo & atrociſſimo crimine extendi.

6 Neque ſolum is qui factum ipſum exercuit, ſed etiam is qui juſſit, perſuaſit, curavitque quid fieri, delinquere non ambigitur, *l.* 11. *in pr. ff. De injur. l.* 15. *ff. ad leg. Cornel. De Sicar.* Sed utrum nudum conſilium aliis dediſſe crimen ſit? Diſtinguendum inter conſilium non fraudulentum, ut ſi forte præter conſultoris intentionem quid in maleficium tranſierit, aut male ceſſerit, cujus nulla obligatio. *l.* 47. *ff. De Regul. Jur.* Et conſilium mere fraudulentum, quod dolum conjunctum habet, & in manifeſtum crimen incidit. Quomodo etiam furti tenetur, cujus conſilio furtum factum eſt, *l.* 36. *l.* 52. *ff. De furt.* & lege Julia tenetur, cujus conſilio adulterium factum eſt, *l.* 12. *ff. ad leg. Jul. De adult.* Itemque ex Cornelia lege damnatur, cujus dolo malo incendium factum, *l.* 1. *in pr.* qui necandi hominis cauſa venenum vendiderit aut habuerit, *l.* 3. *§.* 1. & qui ſeditionis auctor fuerit, *l.* 3. *§.* 4. *ff. ad leg. Corn. de Sicariis.*

7 Conſilium dare, eſt aliquem ſuadere, impellere, inſtigare, inſtruere, ut eſt text. *in l.* 50. *§. pen. ff. De furt.* Quæ verba non copulative, ſed disjunctive etiam ſunt accipienda, ut non tantum is qui alium ad delinquendum inſtruxerit, viam oſtenderit, occaſionem demonſtraverit, operam & auxilium tulerit, delinquentem receperit, aut occultaverit, criminis reus judicetur. *l.* 52. *l.* 54. *§.* 4. *ff. De furt. l.* 7. *ff. ad leg. Pomp. de Parricid. l. unic. verſ. & qui ei auxilium. Cod. De rapt. virgin. l.* 1. *§.* 1. *ff. ad. leg. Corn. de Sicar. l.* 1. *& tot. tit. ff. De receptator. & Cod. De his qui latron. vel. al. crimin. reos occult.* Sed & is qui monuit tantum, aut exhortatus eſt aliquem ut delinquat, ſecuto eventu ejuſdem criminis reus efficitur, *l.* 1. *§. incidit. ff. ad Senat. Turpillian. l.* 12. *ff. ad leg. Jul. De adult. l.* 1. *§.* 4. *ff. De Serv. corrupt. l.* 26. *ff. De furt.*

8 Culpæ reum quidam etiam faciunt eum, qui cædem, aut aliud crimen, quum potuerit, non prohibuit: ut ſi quis quum præſto eſſet, quum poſſet, vitæ periculo laboranti non ſuccurrit, aut propoſitæ cædis conſcius, non præmoneat, aut indicet, eo ipſo pœnæ ſe obſtringit. Quod tamen niſi ad certos caſus reſtringatur, de jure verum non eſt. Crimen enim non committit, qui pavore aut ſocordia, aut quod putet ſe non teneri quieſcere, quam periculo ſe exponere malue-
9 rit, nec ob id laboranti ſubvenerit. Quid quod de furto nominatim conſtitutum ſit, non committere furtum eum, qui furi fugitivo iter monſtraverit. *l.* 62. *ff. de furt.* & rurſus eum, qui furem novit, ſive indicet eum, ſive non, furem non eſſe. *l.* 48. *§.* 1. *ff. eod.*

10 Caſus, quibus criminis reus efficitur is, qui id quum poſſet, non indicavit, neve impediit, ſpeciales graviſſimorum tantum criminum ſunt ſpecialiter in jure expreſſi, læſæ majeſtatis ſcilicet, parricidii, & raptus, quibus, qui criminis conſcii, lege Julia Majeſtatis, *l.* 5. *Cod. ad leg. Jul. majeſtat.* parricidii, *l.* 2. *& l.* 6. *ff. ad leg. Pomp. de parricid.* & raptus pœna tenentur. *l. unic. Cod. de raptu virgin.* ſi id non revelaverint. Quibus adde, perſonas quæ vi poteſtatis, aut obſequii defendere tenentur, ut ſunt parentes, domini, ſervi, & liberi in poteſtate conſtituti, de quibus *l.* 2. *ff. & l.* 4. *Cod. de Noxal. act. l.* 1. *§.* 1. *ff. Si famil. furt. fec. dicatur. junct. l.* 1. *& l.* 14. *ff. de Senat. Syllan. l.* 6. *§. pen. ff. de re militar.* Quæ quum ſingularem patriam poteſtatem & ſervitutem Romanam ſpectent, quam moribus inuſitatam diximus, ad uſum non pertinent.

11 Extra hos caſus, naturali æquitati convenit laborantibus, & in vitæ periculo conſtitutis ſubvenire, proximumque ſuum ut ſe ipſum adverſus injurias & vitæ pericula minitantes, etiam cum damno ſuo defendere. Quare & illud in conſcientiæ foro, quemquam obligare, ac propterea Jure Canonico cautum legimus, ut defenſionem proximi omittens æque peccet, ac ille qui offendit, *cap. Non inferenda, & ſeq. cap. ſic.* 23. *quæſt* 3. *cap. quanta.* 47. *de Sent. excom.* quod & DD. quoſdam movit indiſtincte admittere, quemvis ad alios in diſcrimine vitæ conſtitutos defendendos præciſe teneri, & cogi, adeo, ut ſi eos non defenderit, ſed ab aggreſſoribus interfici paſſus fuerit, pœnam extraordinariam incurrat. Inter quos Covar. *ad cap. peccatum. de Reg. Jur. in* 6. Gomez. *Variar. reſolut. tom.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. Vaſq. *Illuſtr. controv. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 5. *&* 6. & eos ſecutus Carpzov. *tract. de criminib. part.* 1. *quæſt.* 32. *num.* 12. Quod tamen de Jure probari non poteſt: neque moribus convenit, quibus ad defenſionem alterius nemo ulterius tenetur, quam ſibi conſultum videbitur, neque omiſſio ejus pœnæ aut culpæ vertitur. Ut recte notat Damhoud. *prax. crim. cap.* 80. *num.* 5. 6. 7.

12 Qui ad defenſionem ſui vel alterius corporis quid fecerit, omni prorſus culpa caret. *arg. l.* 3. *ff. De Juſtit. & Jure.* Adeoque in ipſo homicidio, quod non dolo, ſed coacte, ob vitæ, corporis, honoris, facultatumque defenſionem committitur, pœna ceſſat. *arg. l.* 45. *§.* 4. *ff. ad leg. Aquil. l.* 1. *§.*

vim vi, ubi Gloſſ. in verb. Natura. ff. De vi & vi armat. l. 4. Cod. ad leg. Corn. De Sicar. Quod non
tantum de Jure Civili, ſed & Jure Divino, *Exod.* 21. 13. & *Deut.* 19. 9. ſi aliter quis pericu-
lum evadere nequeat, *Geneſ.* 14. 14. & Jure Canonico conceſſum eſſe patet, *cap. dilecto in pr. extr.*
De Sentent. excomm. in 6. cap. quia te. diſtinct. 50. *cap. cum homo.* 23. *quæſt.* 5. *cap. Significaſti,*
De homicid. voluntar. vel caſ. Si modo id fiat cum moderamine defenſionis, & inculpatæ tutelæ.
Quod in quonam conſiſtat, & cujus ſit effectus fuſius infrà, De homicidio dicetur.

Nec tantum qui ob defenſionem corporis, ſed ad conſervationem famæ, honoris, aut faculta- 13
tum ſuarum, damnum dederit, jure feciſſe videtur, nec ob id aliquam meretur pœnam: Quomo-
do adulterum cum uxore deprehenſum à marito, & adulteram filiam à parente cum adultero de- 14
prehenſam impune occidi leges Romanæ permiſerunt. *l. 20. & ſeq. ff. ad leg. Jul. De adult. l. 4.*
Cod. eod. Quod à moribus tamen alienum, neque ulterius receptum, quam, ut quum difficilli-
mum ſit: eo caſu juſtum temperare dolorem. *l. 38. §. 8. ff. ad leg. Jul. De adult.* mitius & ex-
traordinaria tantum & leviori pœna puniantur, notavimus ſupra *lib. 1. cap. 1. num. 9.*

Et pari ratione quum ſemper juſte quis metuere poſſet, ne furi, aliique aggreſſori nocturno 15
in agris vel vias obſidenti, viatoribuſque inſidianti, ſine periculo parcere poſſit, eundem impune
occidere leges permittunt, *l. 4. ff. ad leg. Aquil. cap. Si perfodiens. 3. De homicid. l. 4. Cod. ad leg.*
Cornel. De Sicar. Quod ubique ſervari teſtantur Jul. Clar. *§. homicidium. num.* 47. Chriſtin.
vol. 2. deciſ. 168. Grot. *Introd. lib. 3. cap. 33. circa fin.* Carpzov. *Deciſ. criminal. part. 1.*
quæſt. 32. num. 37. & ſeq. Sub hoc tamen moderamine, ut hoc fiat cum defenſione ſui ipſius,
aut rerum ſuarum, & aggredi eum volens, clamore prius eum abigere conetur, eoque teſtetur
de injuria illata, & furi parcere ſine periculo ſe non poſſe. *l. 4. §. 1. ff. ad leg. Aquil. l. 9. ff. ad leg.*
Corn. de Sicar. Quomodo ſine rebus ſuis recedentem, aut aufugientem occidere nemo poterit,
per ea quæ tradunt Gloſſ. Bart. & DD. *ad d. l. furem nocturnum. 9. ff. ad leg. Corn. De Sicariis.*
Et propter exceſſum juſtæ defenſionis in ſimili caſu, arbitrariæ, carceris, vel mulctæ pecuniariæ,
atque etiam fuſtigationis, & perpetuæ relegationis pœnam à Scabinis Lipſienſibus immoderato
defenſori impoſitam refert Carpzov. *d. quæſt.* 32. *num.* 40. 41.

Sed quum ut plurimum fures nocturni ignoti ſint, adverſus quos reſiſtentes, aut fu-
gientes nullo alio modo quam internecione, res ablatæ recuperari poſſunt, adeoque periculum vitæ & cor-
poris ſemper concurrant, in quolibet dubio pro domino præſumitur, quod propter inſidioſam
nocturni furis aut aggreſſoris violentiam, ei ſine periculo ſuo parcere haud potuerit: Nec tan-
tam habet difficultatem moribus noſtris: Quibus Hollandiæ Ordin. Placit. 16. *Decemb.* 1595.
art. 16. & 19. *Martii* 1614. *art.* 7. indiſtincte perhibent: **Yp ſoo verre eenige der voor-
ſchreven Dieven by een Huyſ-heer / of yemandt van ſyne familie des nachts op 't
feyt bevonden zynde / doodt geſlagen / ofte gequetſt worde/verſtaen wy / dat daer
mede niet verbeurt ſal zyn.** Id eſt: Si fortè aliqui prædictorum furum à domino aut ali-
quo ejus familiæ de nocte in ipſo facto deprehenſi, cæſi aut vulnerati fuerint: eo ipſo nihil com-
miſſum præcipimus. Et ab Hollandiæ Ordd. expreſſa ſanctione 18. *Julii* 1608. Renovata 8. *Ju-
lii* 1651. de fructuum terreſtrium furibus cautum eſt, ut cuique etiam cum læſione corporis eo-
rum abigere eos liceat. Quod tamen diſtinguendum putem ſecundum ea quæ infra hoc *lib. 5.*
cap. 29. num. 13. notavimus.

Quum ergo non niſi dolo & culpa crimina & delicta conſtent & ex mente ac voluntate cujuſ- 16
que, tanquam præcipuis, & interioribus eorum cauſis, principaliter dijudicentur, *l. 53. in pr.*
l. 39. ff. De furt. l. 41. in fin ff. ad leg. Aquil. cap. 53. extr. De Sentent. excomm. conſequens eſt
nec ab aliis quam qui doli & culpæ capaces ſunt committi poſſe. Quomodo infantes, qui doli nec
culpæ quæ in dolum incidere poſſit, capaces ſunt, non delinquunt, ſed hos conſilii innocentia
tuetur. Ut eſt text. *in l. 12. ff. ad leg. Corn. de Sicar. l. 1. §. 33. l. 14. ff. ad Senat. Syllan.* Ne-
que eos ex delicto teneri, ſed ab omni prorſus pœna excuſari communis eſt doctrina. Ut late
Proſper. Farinac. *Prax. criminal. quæſt.* 42. *num.* 46. & 50. Menoch. *De arbitrar. Jud. lib. 2.*
caſ. 329. *num.* 1. Jul. Clar. *lib. 5. Sentent. §. fin. quæſt.* 60. Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 42.
num. 1. & ſeq. Gomez. *Var. reſolut. tom. 3. cap. 1. num.* 57. Et poſt eos Carpzov. *Deciſ. crimi-
nal part. 3. quæſt.* 143. Ubi & idem de Jure Saxonico indiſtincte receptum defendit.

Infantes ſunt qui ſeptimum ætatis annum nondum exceſſerunt, *l. 18. Cod. de Jure delib. l.* 14. 17
ff. De Sponſalib. l. 1. §. 2. ff. De Adminiſtrat. tutor. Menoch. *De arbitrar. Jud. lib. 2. caſ.* 57.
num. 2. Farinac. *d. quæſt.* 93. *num.* 3. Exinde dicuntur infantiæ proximi, deinde impuberes, &
pubertati proximi, de quibus, quamvis indiſtincte quidam, idem etiam de infantiæ proximis ad-
mitti velint, arbitrio tamen judicis committendum rectius alii defendunt. Ut ſi judex animadver-

tat

eat in iis aliqualem malitiam, & alicujus doli capacitatem, non in totum à pœna ſint immunes, ſed arbitrarie, & ſi non ſeveriori pœna, ſaltem in carcere pro delicti ratione virgis caſtigentur; præſertim moribus noſtris, quibus

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Horat. Carm. lib. 3. Od. 6.

Et quibus infantes, & infantiæ proximi non ſemper, omniſve doli ſunt expertes. Ut recte notat Hippolyt. & Marſil. *ad d. l. 12. ff. ad leg. Corn. de Sicar. num.* 2. & Damhoud. *prax. criminal. cap.* 84. *num.* 2. *& ſeq.* Quo facit diſtinctio Farinac. *d. quæſt.* 92. *num.* 49. & quæ de infante doli capace excipit Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 110. *num.* 31.

18 Idem obtinet in furioſo, inſano, demente, & quolibet mente capto, qui omnes in jure pari paſſu ambulant, & promiſcue ſumuntur, *l.* 25. *Cod. De Nupt. l.* 28. *Cod. De Epiſcop. aud. l.* 2. *ff. De Inoffic. teſtam.* ut, quum nec his ullum animi ſit judicium, neque voluntas, quo negotium aliquod gerere poſſunt, *l.* 4. *ff. De Reg. Jur. l.* 5. *ff. eod.* ita quoque nullum delinquendi conſilium, aut propoſitum quo delinquere, aut ob id pœna aliqua coërceri poſſunt. *d. l.* 12. *ff. ad leg. Corn. de Sicar. l.* 9. *§.* 2. *ff. ad leg. Pomp. De Parricid. l.* 14. *ff. De offic. Præſid. l.* 61. *ff. De Adminiſtr. & peric. tut.* & paſſim. *cap. aliquis.* 1. *quæſt.* 1. *& Clement. unic. De homicid.* ubi Gloſſ. *in verb. furioſus.* Vide Farinac. *Prax. criminal. quæſt.* 93. *num.* 19. & Menoch. *De præſumpt. lib.* 6. *præſumpt.* 45.

Sed quum furoris plures ſint gradus, & furioſorum quidam dilucida habeant intervalla, notandum eſt, Regulam loqui de eo furore, aut dementia, quæ continua iſta mentis alienatione, omni plane intellectu caret: neque ſufficit delinquenti furorem allegaſſe, quum quilibet præſumatur ſanæ mentis, ejuſdemque qualitatis, quæ naturaliter homini ineſt, per Gloſs. *in cap. ult. De Succeſſ. ab inteſt. verb. compotem*: & text. *in l.* 5. *& ibi* Bald. *Cod. de Codicill.* Alciat. *de præſumpt. Regul.* 1. Adeoque qui ſe in furore fundat, probare eum debet, *arg. l.* 2. *Cod. Qui teſtam. fac. poſſ.* alias quilibet ſanæ mentis ad pœnam evitandam, furorem, aut dementiam obtenderet, à qua caveant judices ſedulo monentur, *l.* 14. *ff. de offic. præſid.* Vide Gomez. *Var. reſolut. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 7. Maſcard. *de probat. lib.* 2. *concluſ.* 824. *num.* 5. Menoch. *de præſumpt. lib.* 1. *quæſt.* 18. *num.* 7.

19 Quæ tamen probatio, quum aliquo modo difficilis ſit, ſignis & conjecturis exterioribus, item per teſtes, de diverſis actibus furorem arguentibus deponentes fieri admittitur: veluti, ſi quis aliena, & deridenda loquatur, ſi per vias curſitet, per fana bacchetur, inordinata reſponſa det, caput jactitet & ſimilia. *l.* 4. *§.* 1. *ff. de Ædilit. edict.* Vide Menoch. *de præſumpt. lib.* 6. *d. præſumpt.* 45. *num.* 23. Maſcard. *d. concluſ.* 824. *num.* 1. *& ſeq.* Boër. *deciſ. Burdigal.* 23. *num.* 41. Quibus ut plurimum medicorum inquiſitio officio judicis ſubordinatur: qui cum delinquente converſentur, ejuſque temperamentum, & cauſas furoris exquirant: Ut recte monet Farinac. *Pract. criminal. quæſt.* 94. *num.* 24.

Si vero eum ante furore correptum fuiſſe conſtiterit, licet dilucida quandoque habuerit intervalla: quum plerumque ſit morbus durabilis, difficilioriſque curationis, is qui ſemel furioſus judicatus eſt, eodem genere mali ſemper laborare præſumitur, *d. cap. ult. de Succeſſ. inteſtat.* quum de præterito in præſens efficax ſit præſumptio, *l.* 2. 3. 16. *Cod. de probat. junct. l.* 4. *Cod. ad exhib.* Niſi in totum deſiiſſe probetur. *arg. l.* 30. *Cod. de Inoffic. teſtam. & cap.* 3. *§. dormientes. in fin. de Baptiſm. junct. l.* 22. *ff. de probat. & l.* 2. *Cod. eod.* Adeoque ſi conſtiterit eum dilucida habuiſſe intervalla, in dubio, an delictum intervalli tempore fuerit commiſſum: furoris potius, quam ſanæ mentis tempore perpetratum, præſumitur: niſi & hoc in ſpecie fuerit probatum. Dec. *ad l. furioſum.* 9. *Cod. qui teſtam. fac. poſſ. num.* 22. Menoch. *d. lib.* 6. *præſumpt.* 45. *num.* 63. *& ſeq.* Hanc etiam diſtinctionem facit Gomez. *Var. reſolut. tom.* 3. *reſol.* 1. *num.* 71. & noviſſime Anton. Matth. *de criminibus prolegomen. cap.* 2. *num.* 6.

Intervallo ſanæ mentis probato à delicti pœna non excuſatur, *d. l.* 14. *ff. de offic. præſid.* Gomez. *d. tom.* 3. *reſolut.* 1. *num.* 70. Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 110. *num.* 21. *in fin.* ejus ſcilicet quod intervalli tempore fuerit perpetratum.

20 Neque ſolum excuſatur qui in ipſo furore delinquit, ſed & ſi furor ſupervenerit, & delinquens poſt delictum furere cœperit, qui durante furore, capitali, vel corporis afflictiva pœna affici non poteſt, ſed differtur executio, uſque ad ſupervenientiam ſanæ mentis, ne quum ſatis puniri dicatur, qui perfecto crimine in furorem prolapſus eſt, *d. l.* 14 *de offic. præſ.* afflictio afflicto addatur, quem fati infelicitas ab omni corporali coërcitione excuſat. *l.* 12. *ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Ut poſt Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 110. *num.* 22. & Matth. Stephan. *in Not. ad Caroli V. criminalem*

lem cauſtitutionem art. 179 *num.* 5. noviſſime contra eos, qui enim ſaltem extraordinarie bonorum
publicatione, aut ſimili puniendum volunt, latius defendit Anton. Matth. *De Criminib. proleg.*
cap. 1. *num.* 7.

Quod de furore, idem de dementia dicendum, eam ſcilicet intelligi, quæ omni prorſus intel- 21
lectu caret, quum alias illi qui non omni animi judicio, mentiſve ſolertia carent, ſi non dolo, ſal-
tem ex culpa obſtringantur, ut pœna extraordinaria leviori plectendi veniant, quæ judicis arbi-
trio dijudicanda relinquitur, per Bart. *in l. perſpiciendum.* 11. *ff. De pœn.* Jul. Clar. *§. homicidium.*
verſ. culpa dicitur. Tiraquell. *De pœn. temper. cauſ.* 14. *num.* 1. Menoch. *De Arbitr. Jud. lib.* 2.
caſ. 324. *num.* 12. Ut & in furioſis delinquentibus Scabini Lipſienſes intellectum aliquem vel
culpam deprehendentes, in carcere virgis eos caſtigandos quandoque pronunciaſſe refert Carp-
zov. *Pract. criminal. part.* 3. *quæſt.* 145. *num.* 51. Idemque de Melancholicis & Phreneticis di- 22
cendum: quos ab omni prorſus pœnâ haud immunes eſſe, ſed mitiori quadam pœna extraordina-
ria puniri per multos ibidem probat, & ab eodem Scabinatu deciſum refert idem Carpzov. *d. loco,*
num. 60. *& ſeq.*

Sed an ad mitigandarum pœnarum cauſas etiam pertineat profunda ebrietas? Inter DD. am- 23
bigitur. Diſtinguentes inter eum, qui, quum ſolitus ſit inebriari, & in ebrietate delinquere, in
profundam ebrietatem inciderit, atque ebrius homicidium, aut aliud delictum perpetraverit, or-
dinaria pœna afficiendus ſit, neque ebrietas licet profunda eum excuſet, quod culpa non careat,
nec excuſari poſſit, qui, quum præcavere debebat, in promptum delinquendi periculum incide-
rit, eoque caſu bis peccare dicatur, qui potus peccat: & inter eum, qui, quum nunquam ſolitus
fuerit inebriari, caſu quodam in profundam inciderit ebrietatem, qua mentis, & omnis rationis
expers homicidium, aut aliud delictum facti neſcius perpetravit, quem neque ob ebrietatem, ne-
que ob homicidium aut aliud delictum ulterius ſecutum, ordinaris, ſed mitiori & arbitraria aliqua
pœna puniri volunt, *arg. l.* 6. *§.* 7. *in fin.* 7. *De re militari.* eo quod in ebrio dicatur mentis exi-
lium, & alienatio, *cap. à crapula. extr. de vita, & honeſt. clericor.* neque in illis ulla reperiatur ra-
tio, neque ullum vitæ gerendæ rectum conſilium, ut refert Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 110.
num. 24. ab iiſque abſit dolus, & peccandi voluntas. *cap.* 2. *De malefic.* ut nec velle, nec conſen-
tire dicantur. *cap. qui concupiſcentia* 15. *quæſt.* 1. ita ſentiunt. And. Gail *d. lib.* 2. *obſerv.* 110.
num. 28. Farinac. *Prax. criminal. quæſt.* 93. *num.* 1. Jul. Clar. *lib.* 5. *ſentent. §. fin. quæſt.* 60.
verſ. præterea quæro. Damhouder. *Prax. rer. criminal. cap* 84. *num.* 19. Menoch. *de Arbitrar.*
Judic. caſ. 316. Tiraquell. *de Pœn. temper. cauſ.* 6. Gutierz *Canonicar. quæſt. lib.* 2. *cap.* 4.
num. 85. *& ſeq.* & noviſſime Anton. Matth. *de Criminib. prolegom. cap.* 2. *num.* 14. Atque ita
obtinere putat Zyp. *Not. Jur. Belg. tit. De Abolit. verſ. & quamvis.* Ubi idem de Hiſpan. morib.
affirmat: contra Gudelin. *de Jure Noviſſima lib.* 5. *cap.* 17. *verſ. cum ebrietas.*

Sed quum an & quando quis ita profunde ebrius fuerit, ut omnis rationis, conſilii, & ipſius
etiam facti inſcius deliquerit, ipſumque delicti factum contrarium ſemper arguat, vix eſt ut ejuſ-
modi caſus fingi poſſit, quin dolus & culpa ipſum delictum ſemper comitentur, adeoque magis
ex imprævata conſuetudine, ebrietati, fertiliſſimæ ſegeti & meſſi omnium vitiorum, quam ex
jure conſtituto, aut ratione ita ſuadente conſuli videtur. Quare ut huic malo occurreret Ca-
rol. V. Imperator expreſſa ſanctione 30. *Januarii* 1545. præcepit, ne ullæ homicidiorum in 24
ebrietate commiſſorum, à pœna ordinaria fiant remiſſiones, ſed tum propter ebrietatem, tum
propter delictum ſeverius in eos qui per ebrietatem lapſi deliquerunt animadvertatur: his verbis,
**Om te remedieren ende beehoorden / etc. hebben wy geordonneert ende expreſſelijck
bevolen / den Hooft-lieden van onſen Secreten Rade / dat zy-lieden van nu voort-
aen / goede ende ſcherpe toeſichte nemen op de doodt-ſlagen / ende andere delicten die
door dronckenſchap geſchieden ſullen; ſoo wanneer de delinquanten daer van remiſ-
ſie begeeren ſullen / ende doen aentaſten / ende apprehenderen de geene die in dronc-
kenſchap gedelinqueert hebben / doende de ſelve punieren / ten exempele van eenen
„ yegelijcken / verbiedende ende interdicerende / etc.** *Id eſt:* Ut ei certo remedio ſubveniatur,
„ &c. præcepimus & expreſſe mandavimus ſecreti noſtri conſilii Præſidibus ac Senatoribus, ut
„ abhinc ſedulo & ſevere inquirant in homicidia, aliaque delicta in ebrietate commiſſa, ſi quando
„ delinquentes eorundem delictorum petierint remiſſiones, utque apprehendant eos qui in ebrie-
„ tate deliquerint, aliorumque exemplo tradant puniendos. Adeoque nec pro militibus, in quorum
favorem, facit *l.* 6. *§.* 7. *in fin. ff. de re militari*, hac in parte indulgentia eſt moribus noſtris, ut
quorum Inſtructione militari 13. *Auguſti* 1599. *art.* 67. huic legi expreſſe derogatum ſit: Quæ
cum ita ſint, facilis eſt defenſio Scabinorum Delphenſium pro ſententia contra *Zybertum van-*

der

25 *der Haven*, menſe Maji 1651. latam, quâ eundem *vander Haven*, quod in profundâ ſatis (ſi unquam) ebrietate in homicidium incidiſſet, rejectis variorum, etiam famoſiſſimorum Advocatorum pro mitigandâ pœnâ conſiliis & reſponſis, ordinariâ legis Corneliæ & decapitationis pœnâ damnarunt.

26 Et notatu dignum eſt, quod non tantum adverſus delictum in ebrietate commiſſum, ſed adverſus ipſum ebrietatis vitium apud Gallos conſtitutione Franciſci Galliarum Regis *Anni* 1536. „ ſeveriſſime fuerat animadverſum his verbis: Ut deſidiæ, blaſphemiæ, homicidia, aliaque crimina & damna, quæ naſci ex ebrietate ſolent, compeſcantur, ſancimus, ut quicunque ebrii „ deprehendentur, in carcerem ſtatim conjiciantur, & certos dies omni cibo & potu, præter merum panem ac aquam abſtinere: & ſi in idem vitium recidant, virgis aut fuſtibus caſtigari: Et „ ſi eæ correctiones ad ejuſmodi emendandos homines non ſufficiant, aurem iis præſcindi, „ & infamiâ notati, ac relegari.

27 Hactenus de his qui crimen committunt; committitur autem, aut reipublicæ, cujus cauſam fiſcus ſuſtinet, aut privato cuique, cujus damni aut injuriæ datæ actio eſt: ut initio hujus capitis diſtinguendo demonſtravimus. Sequitur ut ad ulteriorum delictorum diviſionem totiuſque tractatus methodum accedamus: quam ab objecto commodiſſime ſumi putem. Sunt enim delicta alia, quæ adverſus Majeſtatem & Rempublicam, alia quæ adverſus vitam, alia quæ adverſus naturalem libertatem, alia quæ adverſus famam & honorem cujuſque, alia quæ in bonis, aut adverſus aliorum bona committuntur, quorum omnium extra damnum datum reipublicæ intereſt: Ut de ſingulis.

Cap. II.

De Delictis circa Majeſtatem & Rempublicam; & de perduellione.

Summaria.

1. *Læſæ Majeſtatis crimen quibus modis committatur.*
2. *Perduellio quid, ejuſque ſpecies.*
3. *Ejus pœna.* & Num 5.
4. Balthaſaris Gerardi *Pro* Guielmi Auriaci *Principis internecione ſupplicium.*
5. *Perduellionis mortem etiam ſequitur memoriæ æterna damnatio.*
6. *Perduellionis conſcii qui, an & quatenus obligentur.*
7. *Voluntas nuda in perduellione an & quatenus puniatur.*

1 IN Rempublicam varie committitur. Primum eſt læſæ Majeſtatis crimen, quod committitur bifariam. Primo & principaliter, ſi quis directo adverſus Rempublicam, aut ſuperiorem poteſtatem quid hoſtile molitur Deinde quum quis ea quæ Majeſtatis ſunt violat & ſibi arrogat.

2 Primi generis eſt perduellio, quum quis Principis perſonam offendit, aut offendere cogitat, cujus itidem variæ ſpecies proponuntur *in l. 1. l. 2. l. 3. l. 4. ff. & l. 5. Cod. ad leg. Jul. Majeſtat.* Veluti, ſi quis ex odio, & prævià conjuratione Principem interfecerit, aut interficere tentaverit, aut aliquam factionem inierit de nece virorum illuſtrium, qui conſilio Principis interſunt, aut Senatorum ejus, qui pars corporis ejus cenſentur. *d. l. 5. Cod. ad leg. Jul. Majeſtat.* aut ſi quis ſeditionem in republica moverit, patriam prodiderit, aut hoſtibus ſecreta Reipubl. communicaverit. *l. 1. ff. ad leg. Jul. Majeſtat.* aut plebem contra Rempublicam collegerit, *l. 1. & 2. Cod. De Seditioſis, & de his qui plebem contra Rempubl. audent collig.*

D. xlviii. iv. & Cod. ix. viii. Ad d. leg. Jul. Majeſtatis.

Cod. ix. xxx. De Seditioſis, & de his qui plebem contra Rempubl. audent colligere.

3 Ejus pœna eſt ultimum ſupplicium, non capitis amputatio, ut quidam per verbum *gladium*, *in d. l. 5. ad leg. Iul. Majeſtat.* intelligunt, ſed quodlibet graviſſimum ultimi ſupplicii genus, quomodo per gladii nomen, tanquam inſigne rerum capitalium judicii, quodvis extremum ſupplicium, *l. 3. ff. De Iuriſdict. l. 31. ff. ad leg. Iul. de Adult.* & per capitis pœnam quodvis ſupplicii genus innui conſtat, *l. 6. §. 4. l. 7. ff. de Re militar. l. 8. §. 2. l. 38. §. 1. & 2. ff. de Pœnis* Quomodo hujus criminis reos pro re nata, quandoque gladio, quandoque igne, & quandoque diſſectione in quatuor partes, aut ſeverioris mortis genere puniri paſſim eſt receptum.

4 Ita anno 1584. Balthaſaro Gerardi, Guielmi Principis Auriaci interfectori primo manus dextra, qua nefarium, perfidumque facinus perpetraverat, ferro candenti conſtricta & combuſta, deinde candentibus forcipibus, ſexies, diverſis locis, carnes in brachiis, pedibus, & aliis cor-

poris

poris partibus exuſtæ, & divulſæ, vivumque adhuc corpus, in quatuor partes ab inferiori parte incipiendo, fiſſum, poſtea caput amputatum præpilatæ haſtæ impoſitum, & quatuor diſſectæ cadaveris partes in quatuor oppidi propugnaculis ſuſpenſæ ſunt.

Mortem ut plurimum ſequitur memoriæ æterna damnatio, bona ſucceſſoribus eripiuntur, & 5
fiſco vindicantur: ſic ut nec ante ſententiam mortui immunes ſint, nec, ſi naturæ ſatisfecerint, etiam legibus ſatisfeciſſe intelligantur. *l. fin. Cod. ad leg. Jul. Majeſtat.*

Nec ſolum in ipſos reos, ſed & in conſcios & miniſtros eadem pœna animadvertitur. *d. l. 5.* 6
§. 1. 3. 6. Cod. ad leg. Jul. Majeſtat. Quorum nomine non tantum intelliguntur illi, quorum conſcientia ſceleris quadam ſocietate illigata eſt, ſed & ii, quibus modo factio, aut conſpiratio innotuit, nec quum potuerint, facinus detexerint, licet nihil ipſis cum Machinatoribus fuerit commune, *d. l. 5. §. 6. Cod. ad leg. Jul. Majeſt. arg. l. 6. ff. De Pœnis:* Quos tamen mitius & extra ordinem puniendos ex ſententia Baldi contra Bartolum verius probat Anton. Matth. *de Criminib. ad tit. 2. lib. 48. num. 23.*

Sed & illud huic delicto proprium ac peculiare eſt, ut non tantum ipſe effectus, ſed & nuda 7
voluntas quæ innotuit, & conſpiratio, eâdem quâ perpetratum pœnâ puniatur. *d. l. 5. in pr. Cod. ad leg. Jul. Majeſt.* non ea tamen quæ in nuda cogitatione conſiſtit, cujus nulla pœna eſt. *l. 18. ff. de Pœnis.* ſed quam ſecuta eſt ipſius ſceleris inchoatio aliqua, aut certum & demonſtrativum propoſitum: veluti, ſi quis venenum paraverit, etiamſi non porrexerit Principi, ſi quis ſeditioni, aut factioni ſacramentum dederit, aut alios ſacramento adigere curaverit, aut ſi quis ſceleſta oratione aliis hoſtilia perſuadere conatus fuerit, etiamſi nec perſuaſerit. *l. 1. l. 3. in fin. ff. ad leg. Jul. Majeſt. verb. quive eorum. l. 225. ff. De Verb. Significat.*

CAP. III.

De Monetæ adulteratoribus & falſariis.

SUMMARIA.

1. *Moneta adulterina crimen quid & qui in illud committant, ejuſque pœna.*
2. *Quid moribus:* & Num. 3.

Cod. IX. XXIV. De falſa moneta.

ALterius generis violatæ Majeſtatis ſpecies eſt, falſæ ſive adulterinæ monetæ crimen; qua 1
tenentur illi qui adulterinos nummos cudunt aut feriunt, qui probos adulterant, radunt, exſcindunt, *l. 8. ff. ad leg. Corn. de Falſ.* Item qui nummos ſtanneos, aut plumbeos emunt, aut vendunt dolo malo. *l. 9. §. 2. ff. eod.* Horum adulteratores ipſi flammis ſubjiciuntur, & domus in qua pecunia adulterina facta eſt, propter ſolam incuriam vel negligentiam domini publicatur. *l. 1. 2. Cod. De falſ. Monet.* Reliqui radentes probam, aut adulterinis dolo malo emendo vendendove utentes, cum in legem Corneliam de falſis, & legem Juliam Majeſtatis incidant, mitiorum, ſed capitalem tamen pœnam merentur. *d. l. 8. & 9. ff. ad leg. Corn. de Falſ. junct. l. 6. ff. ad leg. Jul. Majeſtat.* Secundum quam diſtinctionem Saxoniæ conſtitutiones moderari probat Carpzov. *Pract. criminal. part. 1. quæſt. 42. num. 24. & ſeqq.*

Et de moribus noſtris idem ſtatutum jure conſuetudinario diœceſeos Ultrajectinæ, *Ru-* 2
bric. 41 art. 2. his verbis: **Soo wie de munte van den Heere valſcht/'t zy met ſchropen/ conterfeyten / met coleuren / ofte anderſins / of die valſche munte ſlaet / die ſal verbeuren 't lijf / te weten / die ſchroders metten galge / ende die valſche muntenaers „ metten vyere.** *Id eſt:* Qui monetam publicam adulteraverit, ſive radendo, ſive in aliam for-„ mam mutando, tingendo, aliove modo, aut ſi falſam cuderit, in capitalem incurret pœnam, raſo-„ res nimirum furca, adulteratores vero igne concremandi. Quod ita communiter per totum Belgium invaluerat extendi, ut falſæ monetæ fabricatores, in fervente, ſive bulliente oleo ſuffocarentur. Prout teſtantur Friſiæ Omlandorum Jura conſuetudin. *lib. 7. art. 48.* his verbis: **men ſalſe ſieden in een Ketel/ ofte men ſalſe bernen.** *Id eſt:* Ut aëno inditi vivi elixentur, aut igne concrementur. Prout etiam ſtatutum anni 1456. de generali totius Belgii conſuetudine atteſtante aëni expreſſam facit mentionem, his verbis: **Het is gewoonte alle Duytſche Landt door: den Dieff der Galge; den Moordenaer ende den Moordt-brander dat Radt; Manſlage ende den Roovers dat Swaert; den Valſcher/ den Ketel/ etc.** „ *Id eſt:* Per totum Belgium conſuetudinis eſt ut fures cruce, latrones, atque incendiarii graſſa-

„ tores

„ tores rota, ſicarii, & raptores gladio, adulteratores aëno plectantur. Quod de circumjacentium regionum moribus idem antiquitus obtinuiſſe referunt Jul. Clar. *§. falſum.* Argentr. *ad Conſuetud. Brittan. art.* 589. Chriſtin. *deciſ. Belgic. vol.* 4. *deciſ.* 199. *num.* 22. Zyp. *Notit. Belgic. lib.* 11. *de veter. numiſm. poteſt. circa fin.*

3 Quod, quum rarius apud nos in cudendæ ſive fabricandæ monetæ crimen incidiſſe reprehendantur, antiquarum ſcribit Groeneweg. *de legib. abrogat. ad l.* 2. *Cod. De falſ. moneta*, qui eos indiſtincte gladio necari, omniaque eorum bona fiſco vindicari putat: Cui tamen, ut præter rationem aut legem, non aſſentior. Illud tamen notandum, propter ſolam incuriam, ſive negligentiam ejus, qui ipſe criminis conſcius non eſt, domum, vel fundum, in quo ab alio falſa moneta cuſa, aut fabricata eſt, fiſco vindicari, iniquum, & à moribus noſtris alienum eſſe, contra *d. l.* 1. *Cod. De falſ. moneta.* per ea quæ in ſimili diſputat idem Groeneweg. *ad l.* 5. *§.* 1. *Cod. ad leg. Iul. Majeſtat.* An ejuſdem criminis conſcii liberi, uxor, aut reliqui familiares nec delatores eadem teneantur pœna, quæritur? Quod quibuſdam videtur ex *l.* 1. *Cod. De falſ. moneta.* Sed quum illa tantum de monetariis conſtitutis, nec de quibuſvis falſæ monetæ fabricatoribus privatis loquatur, exinde concludi non poteſt: neque movet, quod Majeſtatis crimen dicatur, quod in conſcios & miniſtros eadem pœna puniri ſolet *l.* 5. *Cod. ad leg. Iul. Majeſtat.* quum id non de omni læſa Majeſtate, ſed de perduellione, quod in ſpecie læſæ Majeſtatis crimen eſt, prædicari poſſit ſecundum *dict. l.* 5 Et prætere a diſtinguendum eſt illud tantum apud Romanos Majeſtatis crimen dici, quod in adulterandis ipſis Imperatorum monetis propriam eorundem imaginem repræſentantibus committeretur, prout indicat *l.* 2. *Cod. de falſa moneta*, in verb. *monetis noſtris.* Quod quum moribus ſtatuis & imaginibus præſertim nummariis nulla tribuatur dignitas, eo uſque extendi nequit, adeoque omne adulteratæ monetæ crimen apud nos in falſum incidere verius eſt. Quod & alii iterum diſtinguunt an in propria, quod ordinariam, an in extera & permiſſa tantum moneta committatur, quod extraordinariam tantum pœnam mereret, cujus tamen omni imaginariæ & ſtatuariæ dignitatis ſuperſtitione ſublata differentiam non video. Mulierem tamen quæ ſcivit falſam monetam à marito & aliis cudi, nec revelavit, extraordinaria pœna puniri poſt *Jul. Clar.* defendit Anton Fab. *ad Cod. lib.* 9. *tit.* 15. *defin.* 3. Quorum ſententiam non probo: quum vel ipſo Jure Romano, ſi quis ex familiaribus cujuſcunque criminis delator extiterit, non ſit puniendus ex eo. *l. penult. Cod. de his qui accuſare.* Excepto ſolum Majeſtatis crimine, quod ad falſæ monetæ crimen moribus extendi non poſſe diximus.

Cap. IV.

De eo qui Principi maledixit, ſtatuas fregerit; De privatis Carceribus, & de Blaſphemiis.

Summaria.

1. *Principi maledicens an & quomodo puniendus.*
2. *Statuis & imaginibus nulla tribuitur ſanctitas apud reformatos.*
3. *Privata carceris pœna.*
4. *Blaſphemia definitio.*
5. *Alia ex conſuetudine, alia ex ira & juſto dolore, alia præmeditate ex malitia committitur.*
6. *Blaſphemia pœna*, in Germania Belgio, Gallia, Italia, Hiſpania.

SEd & plures aliæ ſunt violatæ Majeſtatis ſpecies, leviores.

1 Quarum primi generis ad dignitatem magis, quam ad Reipublicæ ſtatum pertinent. Veluti ſi quis non quidem hoſtilia machinatus fuerit: quibus ipſam rempublicam læſit, ſed tamen Principi, aut ſummæ poteſtati maledixerit, quod negotium ad Principem deferendum eſt, ut is ex perſonis hominum, & rerum circumſtantiis dicta penſitet, & utrum prætermitti, an exqui-
2 ri, cenſeat; *l. unic. Cod. Si quis Imperatori maledixerit.* Item ſi quis ſtatuas, aut imagines Impera- *Cod. 12. † 1. Si quis Imperatori maledixerit.*
toris jam conſecratas, fregerit, aliudve quid ſimile admiſerit, mitius punitur. *l.* 6. *ff. ad leg. Jul. Majeſtat.* Præſertim apud reformatos, quibus quod Statuis atque imaginibus nulla tribuatur ſanctitas, aut conſecrationi locus ſit, ut legi Juliæ Majeſtatis ſubjaceant, ſed extra ordinem arbitrarie puniatur.

3 Qui carceres privatos habuerit, in crimen etiam læſæ Majeſtatis incidiſſe videtur; eo quod Magiſtratus juriſdictionem turbet, ac merum imperium privata auctoritate exerceat. Cu- *Cod. v. 12. De privatis carceribus.*

jus quidem pœna de Jure Civili capitalis eſt, *l. unic. Cod. De privat. carcerib. in verb. nam
illud perſpicuum eſt.* Quæ moribus hac in parte non mortis pœna, ſed alia mitior, & arbitraria
imponitur, & communis obſervantia juris rigorem mitigat: Prout in Parlamento Burdiga-
lenſi quendam dominum in pecuniariam ſummam condemnatum refert Johann. Papon. *lib.* 23.
tit. 1. *art.* 1. quod famulum ſuum aliquamdiu in privato carcere detinuiſſet, quem refert Jul.
Clar. *§. fin. quæſt.* 68. *num.* 32. Vide etiam Farinac. *part.* 1. *oper. crimin. quæſt.* 27. *num.* 35. Ubi
nunquam ſe vidiſſe, ait, ad mortem condemnatum eum, qui ſolum privatum carcerem exercuit,
& ab ea obſervantia, quæ maximam in ſe continet æquitatem, in judicando non recedendum
monet. Quibus adde Menoch. *de Arbitr. Iud. caſ.* 340. *num.* 2. ubi idem judicandum probat in
eo, qui privata auctoritate torturam in alium exercet. Secundum quæ à Scabinis Lipſienſibus
(ubi alias ſeverius in crimina, debitaque, præſertim publica, ſolet animadverti) tres perſonas
ob exercitam torturam privatam admodum crudelem in puero à furti crimine inculpato, fuſti-
gatione cum perpetua relegatione abſolutos teſtatur Carpzov. *Prax. criminal. part.* 1. *quæſt.* 41.
in fin.

Quemadmodum & blaſphemia hoc loco non inepte cum læſæ Majeſtatis crimine compara- 4
tur: Blaſphemia ſcilicet illa, quæ in divinam Majeſtatem committitur: definiturque quodlibet
dictum contumelioſum in divinam Majeſtatem: cui nullum aliud crimen æquiparari poteſt, ut
propter quod integra regna devaſtata, fames, terræ motus, & peſtilentiæ ſuboriantur. *Novell.* 77.
cap. 1. *§.* 1. De quo latius vide Farinac. *Prax. criminal. lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 20. *num.* 4. *& ſeq.*
Menoch. *lib.* 2. *arbitr. quæſt. cent.* 4. *caſ.* 375. *num.* 23. Covarruv. *cap. quamvis.* 2. *De pact.* in 6.
part. 1. *§.* 7. *num.* 16. *& ſeq.* Boër. *deciſ.* 301. *num.* 3. *&* 4. Jul. Clar. *§. Blaſphemia.* & ibi
Bajard.

Hæc alia eſt quæ ex conſuetudine & malo more pravo loquendi uſu committitur, alia quæ ex 5
ira & juſto dolore præter morem aut animi intentionem cauſatur, alia quæ præmeditate & præ-
ſenti animo fit. In quam Jure Divino abſque diſtinctione quidem, ſeveriſſime animadverſum legi-
mus. Levitic. *cap.* 24. *verſ.* 13. 14. *& Num. cap.* 4. mortis pœna ſcilicet, qua blaſphemi extra
civitatem educti lapidibus obruebantur. A quo nec Jus Civile recedit, quo iidem ultimo ſuppli- 6
cio puniuntur. *Novell.* 77. *cap.* 1. *§.* 2. Sed depravatis moribus, veræque relligionis abuſu, in
tantum ab ea pœna paulatim eſt receſſum, ut apud omnes fere gentes mitior, & arbitraria facta
ſit, fereque impunita maneat; niſi tam horrenda fuerit blaſphemia, ut omnis impietatis exempla
tranſgreſſa videatur: quam etiamnum morte puniendam defendit Jodoc. Damhouder. *Prax. cri-
minal. cap.* 61. *num.* 22. per DD. *in cap. final. extr. de maled.* Bald. & Salicet. *ad l.* 2. *Cod. ad
leg. Jul. Majeſtat.* Atque ita in noviſſimis Imperii Romano-Germanici conſtitutionibus Ca-
roli V. in *Receſſ. Auguſt. Anno* 1548. indefinite pœna mortis, aut mutilationis membrorum blaſ-
phematoribus decernitur, *ſub tit.* **vom des Gottesläſterungen.** *verſ.* **Nemblich ſoo pe-
mants / etc.** Quas etiam ſpecialiter confirmavit D. Mauritius Elector Saxoniæ *In ordinat. Pro-
vinc. de Anno* 1550. *poſt pr. tit.* **vom Gottesläſteren / fluchen / und ſchweeren.** *in verb.*
Derohalben die Khayſerliche Majeſthat. Quibuſdam linguæ perforatione atque exilio
puniuntur, ut eodem Jure Saxonico illa verba (aut mutilatione aliquot membrorum) ab Auguſto
Elect. *Anno* 1572. *in Conſtit. Elect.* 1. *part.* 4. ad linguam, qua nimirum delictum commiſſum
eſt, reſtringuntur. Et in Belgio ex Galliæ moribus, de quibus Buër. *Deciſ. Burdigal.* 310. ex
Caroli V. edict. 7. *Octob. Anni* 1531. ſervatur, quo cavetur *art.* 43. Ut blaſphemi rigide punian-
tur, per carcerem menſtruum in pane & aqua, gravius qui Deum abjurant animo improbo, præ-
ter carcerem, lingua tranſcindatur, alias arbitrarie in ære luant, ſine conniventia. Adde *legem
Rerum Capitalium* Caroli V. Sacrique Roman. Imperat. Ordinum *Annis* 1530. *&* 1532. ſancitas.
Quibus *cap.* 106. conſtitutum; *Ut ſi quis blaſphemo ore Deum optimum maximum impietatis, im-
potentiave inſimulaverit, qui quod Deo dandum eſt, detraxerit, vel negarit, quod non dandum aut
imputandum adſcripſerit, denique qui Deo maledixerit, is in vincula conjiciatur, & prout blaſphemia
atrocior leviorque fuerit, in corpore membri velut linguæ reſectione aut evulſione, vel etiam mulcta
coërceatur.* Vide etiam Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 61. *num.* 13. Matth. *De crimin. lib.* 48.
tit. 10. *num.* 6. 7. Toloſæ ſi quis impietatis blaſphemiæ reus ſit, uſque ad ſubuculam nudatus,
cavea cancellata ferrea incluſus in fluvium vel paludem trina merſione citra mortem caſtigatur,
teſte Georg. Tholoſan. *Syntagm. Jur. lib.* 33. *cap.* 12. *num.* 12. In Regno Neapolis, *Conſtit.
Regn. ſub Rubr. de Blaſphemantibus.* Blaſphemus Dei & Sanctorum ad mutilationem linguæ
condemnatur. Quod etiam tantum ad linguæ cum acu ferrea ſeu clavo perforationem ſemper
interpretari teſtatur Thom. Grammat. *Deciſ. Neapolitan.* 50. *in pr.* In Hiſpani etiam blaſphe-

mator

mator prima vice pro menſe uno relegatur, ſecunda pro ſex menſibus, ſupra mille aureorum mulctam, tertia vice idem perpetrans, ad linguæ perforationem condemnatur, teſte Covarruv. *relect. part. 1. §. 7.*

Quæ quidem de horrenda illa blaſphemia directe & immediatr erga Deum commiſſa, ſunc intelligenda, à qua diſtinguunt eam qua mediate tantum erga Dei Majeſtatem committitur. Ut ſi quis per vulnera, paſſionem, aut ſacramenta Salvatoris noſtri aliiſve execrandi, aut imprecandi modis aliis maledixerit. Quod proprie dicitur noſtratibus, **bloecken / ſweeren.** Qui mitius puniri ſolent. Quo reſpicit quod Jure Canonico, *cap. ult. extr. De Maledict.* cavetur, ut ,, blaſphemus in ſeptem diebus dominicis præ foribus Eccleſiæ ultimo eorum die dominico, ,, neque pallium, neque calceamenta habens ligatus circa collum in manifeſto exponatur, Eccle- ,, ſiam nullatenus ingreſſurus, ſeptemque præcedentibus feriis in pane & aqua jejunans. Quomodo etiam Noviſſim. Elect. Saxon. *Conſtit. part. 4. Conſtit. 1.* per anteriorum Conſtitutio- ,, num renovationem, diſtinguendo ſtatuitur, ut hi qui per vulnera, paſſionem aut ſacramenta ,, Salvatoris noſtri aliis maledixerit, præ foribus templorum, curiarum, vel tabernarum publice ,, omnibus conſpiciendi ſiſtantur, & præterea pœna pecuniaria, vel carcere mulctentur, vel ,, denique, niſi deſtiterint, relegentur. Quæ tamen apud nos depravatis tandem moribus, & obtepta maledicendi conviciandique libidine, in tantum excrevere, ut multi ejuſmodi verba quæ quidem blaſphemiam important, proferant, ſed incogitanter, alioque ſenſu, & ex pravo tantum uſu loquendi, atque laſcivia in ea incidentes, adeoque vix ulla pœna contra eos obtineat; præterquam quod quibuſdam Hollandiæ civitatibus, ut apud Ultrajectinos *Statut.* 12. *Julii* 1553. Harlemenſes 8. *Decemb. ejuſd. anni*, & Leydenſes 15. *Maji* 1655. magno reipublicæ bono, pecuniarie in eos fuerit animadverſum: Et quidem jure meritoque. Quamvis enim à rigoroſa mortis pœna communis uſus loquendi & laſcivia blaſphemantem excuſet, per ea quæ tradit Jul. Clar. *lib. 5. ſent. §. blaſphemia. in fin.* non tamen, etiam ſi totus mundus illa uteretur conſuetudine, ſimpliciter, & in totum à pœna excuſaret. *cap. flagitia.* 31. *quæſt.* 7. *cap. objiciuntur.* 32. *quæſt.* 4. Vid. Farinac. *Prax. Criminal. lib. 2. tit. 3. quæſt.* 20. *num.* 46. Anton. Gabriel. *lib. 6. concluſ.* 8. *num.* 17. Quippe, quod in hac cauſa admodum affectionem attendi oportere communis ſit doctrina. Teſte Paulo Caſtrenſ. *ad l. qui per ſalutem.* 33. *ff. De Jurejurand.* Conſuetudo enim aggravat delictum, & pœnam ordinariam. *l.* 28. *§.* 3. *§.* 10. *ff. de pœn. l. 3. Cod. De Epiſcop. aud. l. 8 §. 1. ad leg. Jul. De vi.* efficitque ut pœna, quæ ex delicti natura eſt pecuniaria, propter delinquendi frequentiam in corporalem, & quandoque etiam in pœnam mortis commutari poſſit, ſecundum Bart. & Alexandr. *l. 1. Cod. De Superexact.* Quod & in crimine Blaſphemiæ locum habere dicit Angel. de Aretin. *tract. De maleſic. in verb. verba injurioſa. num.* 15.

Is etiam qui ira ſive juſto dolore commotus lubrica lingua in blaſphemiæ vitium incidit, ab ordinaria pœna excuſatur: præſertim ſi ira illa ortum habeat ex juſta & non levi cauſa. Is enim non ex propoſito, neque malitioſe peccat: per ea quæ late tractant Farinac. *Prax. Criminal. lib. 1. tit. 3. quæſt.* 20. *num.* 47. 48. Berlich. *Pract. concluſ. part. 1. concluſ. 1. num.* 93. Jul. Clar. *lib. 5. ſent. §. fin. quæſt.* 60. *num.* 9. Menoch. *De Arbitr. Jud. lib. 2. cent. 4. quæſt. caſ.* 375. *num.* 33.

Alterius vero generis, ſed levioris, itidem violatæ Majeſtatis ſpeciea, non tam dignitatem quam Reipublicæ quandam labefactationem internam ſpectant. Ut ſunt Sacrilegii, peculatus, repetundarum & ambitus, annonæ fraudatæ, monopolii, & Stellionatus crimina.

Cap. V.

De Sacrilegio, Peculatu, & Plagio.

Summaria.

1. *Sacrilegium quid ejuſque pœna.*
2. *Sepulchri violati crimen quid, ejuſque pœna.*
3. *Peculatus crimen quid, ejuſque pœna.*
4. *Reſiduum quid, & ejus pœna.*
5. *Peculatus pœna in* Belgio, Gallia, *&* Germania.
6. *Plagium quid ſit & ejus pœna.*

1 SAcrilegium, eſt furtum, & contrectatio rei ſacræ, ſive ex loco ſacro, ſive profano quid auferatur, cujus pœna de Jure Civili varia eſt, pro qualitate perſonarum & facti circumſtantiis, D. XLVIII. XIII. *Ad legem Juliam pecu-* l. 4.

latu, & de Sacrilegio & de Reſiduis. Cod. ix. xxviii. De Crimine Peculatus.

l. 4. §. 2. & l. 6. in pr. ff. ad leg. Jul. peculat. ut plurimum capitis, præſertim ſi noctu templa effregerint, ſolerque in his exaggerari pœna, ob ſanctitatem quam his rebus ineſſe, & reverentiam quam iis deberi ſuperſtitioſa eredidit antiquitas, prout etiamnum ſervatur apud Pontificios; quibus ex Iuris Canonici præſcripto, *cap. Si quis contumax. §. Sacrilegium.* 17. *quæſt.* 4. triplex conſtituitur ſacrilegium. 1. Si quis rem ſacram aut divino cultui dicatam in loco ſacro. 2. Rem ſacram in loco prophano. 3. Rem prophanam in loco ſacro furtim auferat aut intercipiat. Quod & aliorum moribus convenire teſtantur Boſſ. *Prax. crimin. tit. De Sacrilegis. num.* 1. Iul. Clar. *lib.* 5. *ſententiar. §. Sacrilegium num.* 1. *in fine.* Menoch. *de Arbitr. Iud. quæſt. lib.* 2. *caſ.* 289. *num.* 11. & 13. Farinac. *part.* 7. *Oper. Criminal. quæſt.* 172. *num.* 7. Georg. Tholoſan. *Syntagm. Jur. lib.* 33. *cap.* 14. *num.* 8. *verſ. & generaliter.* Prout etiam à Carolo V. Ordinat. criminal. Imperii Romano-Germanici *art.* 171. expreſſe cautum reperitur. His verbis: **Stelen von Geweiheten dingen oder ſtätten iſt ſchwerer dem andere diebſtal / vnd geſchicht in dreyerley weiſen. Zum erſten: Wenn einer etwas Heiliges oder Geweihetes ſtielet an Geweiheten ſtätten. Zum andern: Wen einer etwas Geweihetes an ungeweiheten ſtätten ſtielet. Zum dritten: Wenn einer ungeweihet dingh / an Geweiheten ſtätten ſtielet.**

Sed quum apud reformatos, extra uſum ſacrum rebus eccleſiaſticis nulla omnino ſanctitas, aut reverentia tribuatur, vix eſt ut nobis ſeverius puniri ſoleant, quam alii fures, de quorum pœna ſuo loco.

D. xlvii. xii. Cod. ix. xix. De Sepulchro violato.

Huc etiam pertinet ſepulchri violati coërcitio, qua is qui ſepultorum ſaxa, epitaphia, colum- 2
nas, ſtatuas, aliave ſepulchralia ornamenta fregerit, aut abſtulerit, aut ſi temerarie è ſepulchris cadaver inanime, aut ipſius oſſa ulla, aut relliquias quaſvis amoverit, ut ſacrilegus, capitali, aut alia arbitraria, pro qualitate perſonarum & rerum circumſtantiis pœna punitur, *l. 4. & l. 5. Cod. De ſepulch. violat. junct. l. final. ff. eod.* Quod & in foro Saxonico ſecundum jus ſcriptum dijudicari probat Carpzov. *Prax. Criminal. part.* 2. *quæſt.* 83. *num.* 63. *& ſeq.* Vide Damhouder. *Prax. Criminal. cap.* 111. Farinac. *Prax. Criminal. lib.* 1. *tit.* 13. *quæſt.* 20. *num.* 120.

Peculatus eſt furtum publicum, quod committitur ab eo qui pecuniam publicam quaſi ex pecu- 3
lio ſurripuit *l. 6. §. 2. ff. ad leg. Jul. pecul.* Vel in tabulis publicis quid delevit, vel induxit. *l. 8. §. 1. ff. eod.* Vel minorem pecuniam quam qua quid venierit adſcripſit, aliudve quid ſimile commiſit. *l. 10. ff. eod.* Hujus pœna erat relegatio *l. 3. ff. ad leg. Jul. pecul.*

Sed judices quorum fidei, & curæ, pecuniæ vel aliæ res cum adminiſtratione reipublicæ nomine ſunt commiſſæ, ſi adminiſtrationis ſuæ tempore pecunias publicas ſubtraxerunt, iique qui ad hoc ipſis miniſterium præbuerint, capitali pœna plectuntur, *l. unic. Cod. de crimine peculat.*

Reliqui vero, qui pecuniam penes ſe ex delata adminiſtratione reſidentem, & publicis uſibus 4
deſtinatam, in ſuos uſus converterint reſiduum committunt, *l. 2. ff. ad leg. Jul. pecul.* Cujus pœna pecuniaria eſt tertia pars ejus quod debent fiſco inferenda *l. 4. §. 5. ff. eod.*

Sed moribus noſtris eorundem criminum pœna arbitraria eſt, quod ut plurimum falſi crimen 5
concomitari ſoleat, gravius pro re nata, in ea ut plurimum ſolet animadverti. De quibus vide Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 117. Quomodo etiam in Gallia, ex Regia conſtitutione peculatus crimen capitale eſſe conſtat, teſte Georg. Tholoſano, *Syntagm. juris lib.* 33. *cap.* 19. *num.* 7. neque unquam levius, quam ſi quando falſi crimen abſit, puniri ſolet, quo ſolo caſu, quandoque in exilium & pœnam pecuniariam peculatus criminis reos condemnatos referunt, Guenois *in addit. ad Pract. civ. & crimin.* Johann. Imbert. *lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 25. & Antumn. *Confer. du droict. in l. 3. & 4. ff. ad leg. Jul. & l. unic. Cod. ad leg. Jul. peculat.* Et in hac noſtra patria noſtris temporibus peculatus & falſi criminis reos, publice virgis cædi, & in exilium mitti, alios iterum dignitate expulſos, in quadruplum condemnari vidimus. Secundum ea quæ tractat Damhouder. *cap.* 117. *num.* 1. & 6. Ita & in Germania, *arg. conſtit. criminal. Carol. V. art.* 170. Illi quorum fidei & curæ, pecuniæ aliæque res cum adminiſtratione publica ſunt commiſſæ, ut ſunt Prætores, Quæſtores, Præfecti, Præſides, Ædiles, Publicani, & ſimiles, ſi pecuniam ſibi ſuorumque fidei commiſſam negligant, in rationibus omittant, intercipiant, ſubvertant, furti pœna criminaliter pro judicis arbitrio puniuntur. Quod deinde arbitrium ad tres caſus ab Auguſt. Elect. *Novell. conſtit. part.* 4. *conſtit.* 41. relatum eſt. I. Ut ſi non exceſſerit quinquaginta florenorum uſitatæ monetæ ſummam, carcere, vel exilio temporali mulctentur. II. Si vero excedat quinquaginta, nec tamen centum eorundem florenorum ſummam adæquet, fuſtigatione cum perpetua relegatione puniantur. III. Si centum florenorum ſummam adæquet, vel exce-

dat,

dat, inſtar alterius furis laquei ſupplicio afficiantur; Neque ab hac pœna excuſari poſſe, licet illud, quod de rebus ſibi concreditis ſubtraxerint, vel ejus æſtimationem reſtituere, aut ſolvere vel ipſi velint, vel ejus nomine illi qui pro ipſo ſpoponderunt, & fidem pro ipſo interpoſuerunt promulgatum, & repetendo conſtitutum fuiſſe refert Dan. Moller. *ad conſtit. Saxon. d. part. 4. conſtit. 41. num. 3. verſ. Ex quo & illud.*

6 Plagium eſt furtum hominis, ſive liberi, ſive ſervi, cujus etiam furtum fieri conſtat, *l. 14. §. 13. l. 37. & ſeqq. ff. de furt. §. 9. Inſtit. de Obligat. quæ ex delicto.* In ſpecie autem ſumitur plagiarius pro eo, qui celandi, ſeu privandi animo liberos parentibus ſurripiunt, & abducunt. Quorum primo pœna pecuniaria erat aliave arbitraria. *l. pen. §. 2. l. ult. ff. ad leg. Fab. de Plagiar. l. 6. Cod. eod.* Sed ex lege Conſtantini in gladii pœnam commutata, *l. final. Cod. ad leg. Fab. de Plagiar.* Quam in Germania etiamnum ſervari probat Carpzov. *Prax. Crimin. part. 2. quæſt. 83. num. 9.* Sed noſtris & aliorum moribus, plagii crimen mitiori, fuſtigationis, & relegationis pœna coërceri ſolet. Vide Jul. Clar. *§. fin. quæſt. 68. num. 31.* Perez. *ad tit. Cod. de Plagiar.* & Groeneweg. *ad §. 10. Inſtit. de Public. Iud.* D. lib. XLVIII. Tit. xv. Cod. lib. IX. Tit. xx. *Ad leg. Fab. de Plagiariis.*

Cap. VI.

De Crimine Falſi.

Summaria.

1. *Falſi crimen quid & quotuplex.*
2. *Ejus pœna.*
3. *In* Gallia.
4. *In* Belgio.
5. *In* Germania.
6. Poloniæ *Regno.*
7. *In* Hiſpania, *remiſſive.*

1 SEquitur crimen falſi non quod circa nummos de quo ſupra, ſed quod circa inſtrumenta publica verſatur. Cujus duo ſunt genera, unum quod circa teſtamenta & ultimas voluntates committitur, quod ipſa lege Cornelia vindicatur *l. 1. §. 5. ff. ad leg. Corn. de falſis.* qua tenetur qui teſtamentum verum amoverit, celaverit, eripuerit, deleverit, interleverit, ſubjecerit, reſignaverit, falſum ſcripſerit, ſignaverit, recitaverit, cujuſve dolo malo id factum erit. *d. l. 1. §. 5. l. 2. l. 7. l. 16. in pr. ff. & l. 14. Cod. ad leg. Cornel. de Falſis.* Alterum quod ex Senatus-Conſultis & Principum conſtitutionibus ad quælibet alia inſtrumenta productum eſt. *l. 1. §. ult. l. 16. §. 1. & 2. ff. ad leg. Corn. de falſ.* Quomodo, ſi quis quid aliud, quam in teſtamento ſciens dolo malo falſum ſignaverit, ſignarive curaverit, recitaverit, ſi inſtrumenta alterius apud ſe depoſita prodiderit: ſi in rationibus, tabulis cereis, litteris publicis, aliave qua re ſine conſignatione falſum fecerit, vel ut verum non appareat, celaverit, ſubripuerit, ſubjecerit, recitaverit, reſignaverit: ſi menſuris publice probatis, item ulnis, ponderibus, ſtateris & ſimilibus rebus, abutatur, eaſve falſas proſtituat, eadem legis Corneliæ pœna coërcetur. *d. l. 1. §. 4. & 6. l. 9. §. pen. l. 16. §. 1. & ult. l. 23. l. 25. l. 28. l. 29. l. 31. ff. ad leg. Corn. de falſ. l. 13. l. 14. l. 20. Cod. eod. l. 38. §. 9. ff. de pœnis.* D. XLVIII. x. Cod. IX. xx. *Ad leg. Cornel. De falſis.*

Hujus pœna propter varietatem circumſtantiarum fere arbitraria eſt, deportationis, exilii, aut ſi id exigat magnitudo commiſſi, ultimi ſupplicii. *l. 22. Cod. ad leg. Corn. de Falſ.* Comprehendit enim multos caſus leviores, magis ad privatorum intereſſe, quam ad dignitatem Majeſtatemque Principum pertinentes. Quomodo privatorum inſtrumentorum ſurreptionem publici judicii crimen negat Paulus. *d. l. 16. ff. ad leg. Corn. de Falſis.* Cui conſequens eſt, ut vel furti eo nomine actio inſtituatur, vel extra ordinem vindicetur. *arg. l. 27. & ſeq. ff. de furt. junct. l. 1. §. 5. l. 2. l. 16. §. ult. ad leg. Corn. de Sicar.* vide Jul. Clar. *§. falſum. num. 16. & 31.* Menoch. *de arbitr. jud. caſ. 306.*

2 In publicis vero inſtrumentis: jure feudali, ſcribs, qui falſum alienationis inſtrumentum ſciens conſcripſit, poſt amiſſionem officii ſui cum infamiæ nota dextram manum amittit. *cap. 1. verſ. callidis. tit. de prohibit. feud. alienat. per Frideric.* Quod cum jure Novellarum convenit, quibus falſi pœnam pro qualitate commiſſi ad manus amputationem extendi conſtat: & communior etiam apud pleraſque gentes, addita relegatione pœna eſſe ſolet. *Novell. 17. cap. 8. & Novell. 42. cap. 1.*

3 In Gallia ex Regia conſtitutione capitalis eſt: per ea quæ tradit Rebuff. *ad Conſtit. reg. in*

præm. Gloſſ. 5. *num.* 110. Papon. *lib.* 22. *tit.* 13. *art.* 1. Imbert. *Pract. civ. & criminal. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 13. & ibi Guenois.

Et ex edicto Caroli V. 30. *Januar.* 1545. In Belgio in quibuſvis inſtrumentis commiſſa falſitas laqueo punitur: in exilium poſtea, & fuſtigationem, mutato more diminuta, & remiſſa: Quomodo noſtris temporibus falſiorum inſtrumentorum reos, poſt fuſtigationem, ipſis litteris ſuper caput expoſitis, extra provinciam relegari aliquoties vidimus. Eoque jus arbitrarium, propterea, quod in falſarios certa atque uniformis pœna ſtatui haud poſſit, in uſum revocatum videtur. Vide Gudelin. *De jure noviſſim. lib.* 5. *cap.* 20. *verſ. aliud crimen.* Zyp. *Notit. jur. Belg. Rubr. De Falſ.* Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 119. *cum ſeqq.* Chriſtin. *vol.* 4. *Deciſ.* 199. *num.* 11. 12. 4

In Germania quoque ſecundum jus ſcriptum arbitraria falſi pœna eſt, fuſtigationis, abſciſſionis aurium, inuſtionis ſigni in faciem, & quandoque mulctæ pecuniariæ, ut variis facti ſpeciebus probat Carpzov. *Prax. criminal. prax.* 2. *quæſt.* 93. *per totam*, *& num.* 95. ubi etiam ad mortem uſque extendi poſſe probat. Quo pertinet *Sanctio criminal. Car. V. art.* 111. *&* 113. Vide etiam Afflict. *deciſ.* 404. *num.* 17. Farinac. *Prax. criminal. quæſt.* 150. *num.* 24. Boër. *deciſ. Burdigal. deciſ.* 82. *num.* 8. Jul. Clar. *§. falſum. num.* 249. & ibi Bajard. *litt. B.* Georg. Tholoſan. *Syntagmat. jur. lib.* 36. *cap.* 5. *num.* 2. 5

In Poloniæ Regno de falſariis, & calumniatoribus ita cautum reperitur: Si quis alieno nomine falſas recognitiones ad acta faciat, pœna invaſionis domus, id eſt, ultimo ſupplicio, punitur. *Statut. Herbur. Zigiſmund.* 1. *in convent. Cracov. Anni* 1538. *ſub nomine falſator.* Si quis ſtrictiores pannos, aut breviores ſolito vendat, ipſo facto pannos amittit fiſco partibus eorum duabus & Palatino tertia applicanda. Ejuſd. *Zigiſmund.* 1. *in conv. Cracov. Anni* 1507. ſub nomine pannus. Si quis aliquem per mendacium malitioſe calumnietur, aut infamet, aut cum quis falſa alicui intendit crimina, vexandi ejus cauſa: illi calumniæ accuſati, ſe tribus vicibus excuſare poſſunt, quarta vice inculpati de Calumnia non admittuntur ad expurgationem, ſed convictis ſceleris nares præciduntur, quo ipſo, honore privati remanent. *Kaſimir. III. in Convent. Nieſzauw. Ann.* 1454. *Stat. Herbur. ſub nomine calumniator.* Et ſi quis aliquem invaſionis domus calumnioſe accuſaverit, infamiæ pœna, & cauteriſationis in facie punietur. Johann. Albert. *in Conv. Petric. Anno.* 1596. *Statut. Herbur. ſub nomine invaſio.* Permiſſa etiam jure punitio eorum, juxta qualitatem exceſſus, ſecundum arbitrium judicum, qui falſas & calumnioſas citationes ad judicia introducunt. *Kaſimir. III. in Conv. Korczyn. Anno* 1451. *Statut Herbur. ſub nomine calumnia.* Ad cujus ſtatuti exemplum juris Polonici interpretes cæteros falſarios pro gravitate reatus, ex judicis arbitrio puniendos volunt, pœnamque falſi eſſe arbitrariam, pro gravitate criminum. 6

In Hiſpania præter arbitrariam etiam falſi pœnam, de qua variis facti ſpeciebus tractat Alphonſ. De Azeved. *ad Conſtit. Reg. Hiſpan. lib.* 8. *tit.* 7. Illud etiam circa falſos teſtes, & injurioſos calumniatores lege Regia cautum eſt: *l.* 3. *tit. de las falſedades lib.* 4. *fori*, ut ei pœna quintationis dentium imponatur, ſecundum litteram unam, & ſecundum aliam extractionis omnium dentium. Referente eodem Alph. Azeved. *lib.* 8. *tit.* 17. *leg.* 4. *num.* 98. 7

Cap. VII.

De Crimine repetundarum.

Summaria.

1. *Repetundarum crimen quid, ejuſque pœna Juris Civilis.*
2. In Hollandia.
3. In Gallia.
4. *De Germaniæ & aliorum moribus remiſſive.*
5. *Repetundarum criminis pœna tantum obtinet in judice qui doloſe & ex malitia, non qui ex imperitia male judicavit.*
6. *Advocatus per imperitiam in errorem incidens an teneatur.*

D. xlviii. xi. Cod. ix. xxvii. *Ad leg. Jul. repetundarum.*

Repetundarum crimen eſt: qua tenetur is, qui in Magiſtratu, poteſtate, ratione, legatione, vel quo alio officio, munere, miniſteriove publico, quid acceperit, quo magis, aut minus officium faceret. *l.* 1. *l.* 3. *l.* 4. *l.* 6. *l.* 7. *& l. ult. ff. ad leg. Jul. Repetundar.* Olim capitali pœna coërcebatur, ut liquet ex fragmentis XII. Tabul. quibus tab. IX. inter cætera ita ſcriptum erat: 1

SEI JOUDEX ARBITERVE JOURE DATOS OB REM JOUDICANDAM PECU-

Pecuniam Accepsit Kapital Estod. Ad quod caput alluſit Aul. Gellius *lib. 20 cap.* 1. Quæ deinde in arbitrariam tranſit, præter litis æſtimationem in quadruplum, *l. 1. & l. ult. Cod. ad leg. Jul. Repetund.* confiſcationis, exilii, relegationis, verberum, & quandoque etiam ultimi ſupplicii. Ita capite puniuntur, qui in alterius necem pecuniam acceperunt. *l. 7. ff. ad leg. Iul. repetund.* in exilium mittuntur, aut ad tempus relegantur, judices pecunia corrupti. *l. 38. §. 10. ff. de pœnis.* quod ſequitur bonorum, non tantum reo, ſed & mortuo eo, heredibus ejus inſtaurata quæſtione auferendorum, publicatio. *l. 20. ff. de Accuſat.* Sed Novellarum jure, Judex, qui dolo malo, data opera, & pecunia corruptus iniquam tulerit ſententiam, in pecuniariis cauſis, amiſſa dignitate vel cingulo infamis efficitur; & ſi quid accepit eo nomine, ut male pronunciaret, læſæ parti præter expenſas, & totum intereſſe *l. 15. ff. de judic.* triplum ejus quod datum eſt, duplum ejus quod promiſſum eſt, perſolvere tenetur: In criminalibus vero, omnibus bonis confiſcatis, in exilium mittitur. *Novell. 124. cap. 2. & auth. Novo Jure Cod. De pœn. Judic. qui male judicavit.* Cod. VII. XLIX. *De pœna judicis qui male judicavit.*

2 Concordat *Suprem. Cur. Holland. Inſtruct. art. 10. junct. Noviſſima utriuſque Curia Ampliatione Anni 1644. art. 1. 2. 3. 4. & ſeqq.* Quibus adde *Cur. Ultraject. Inſtruct. Rubr. 1. art. 11.* Ubi ut Præſides, Senatores, eorundem conjuges, liberi, miniſtri, aut alii quos in familia alunt, de partibus litigatoribus ulla dona quantulacunque ne eſculenta potulentave accipiant, ſeveriſſime prohibetur, ſub pœna ordinis motionis, & arbitrariæ inſuper correctionis: Tenenturque Senatores utriuſque Curiæ Hollandiæ, quotannis ſe ſolenni juramento expurgare, neque à ſe neque à conjugibus, liberiſve ſuis, aut à familia, ullove alio ad ipſos pertinente, hac in re ipſis conſciis fuiſſe peccatum, & ne quid in poſterum peccetur, ſe probe curaturos. Et quod ſi intermedio tempore etiam minima ſuboriatur ſuſpicio in contrarium, jurejurando ad invicem ſe purgare tenentur, culpæ reos ſeſe non eſſe. Quibus & ipſis litigantibus, vel ei, in quem ſuſpicio cadit, imponitur, ut coram Senatu vocati, jurejurando adfirment ſe nulli ex ſenatoribus, eorumve adminiſtris, quicquam dediſſe, daturoſve eſſe. Qui ſi hac in re deliquiſſe deprehendantur, ſive ante, ſive poſt ſententiam, quocunque demum ſub prætextu, in litis æſtimationem condemnantur, cujus triens delatori, reliquum pauperibus cedit, arbitraria inſuper pœna addita, ſi ſordium exceſſus id exigat. Quæ & in Hollandiæ Municipiis, & civitatibus tam exacte hactenus ſervata fuere, ut vix ullibi unquam ſuſpicio corrupti aut pecunia in tranſverſum acti judicis extiterit, probrique ibi & monſtri loco haberetur is, qui ſe talibus ſordibus inquinaret, nec tantum ab omni munere publico excluderetur, ſed & urbi univerſæ piaculum eſſet & abominatio.

3 Similia etiam ſtatuta apud Gallos reperiuntur, *Edict. Caroli VII. Anni 1446. Caroli VIII. Anni 1493. Ludovici XII. Anni 1507. & Franciſci I. Anni 1535.* Quibus interdicta primo, rerum omnium donatio, exceptis eſculentis, & potulentis. Quæ & *Edict. Caroli IX. 1560. & Henrici III. 1579.* præberi prohibita ſunt: ſub pœna concuſſionis, & remotionis à munere in judice, in litigante, ut cauſa cadat, eaque refruſtretur, cujus cauſa judicem donis delinire fuerit aggreſſus. Ubi etiam ne ejuſmodi, aut aliis corruptionibus locus detur, ipſa etiam Parlamenta curam admodum vigilem quondam adhibuiſſe bono exemplo probat Maynard. *Deciſion. Tholoſan. lib. 1. deciſ.* 86. Quo Parlamentum Pariſienſe 3. *Junii.* 1494. ſollicitatorem, qui ſpe corruptionis, duos aureos libello ſupplici, qui Senatori exhibebatur, inſeruerat, condemnaſſe refert: Ut non ſolum in poſterum ab omni ſollicitatione in Curia ille abſtineret, ſed etiam ulterioris pœnæ loco facem ardentem in manibus ex Palatii area, uſque ad templum Cathedrale B. Virginis; præeunte quodam commentarienſi geſtare deberet. Quod pœnæ genus Galli vocant *l'amende honorable:* Eandemque pœnam Parlamentum Tholoſanum decreviſſe notat in quendam procuratorem, qui à cliente ſuo cautionem extorſerat, qua is promiſerat, ſe daturum aliquot aureos, ut de iis præſidi & referenti honorarium offerretur. Quæ tamen quum omnia ibidem munera, etiam judicialis admodum care venalia ſint, maximo boni publici malo, tam exacte ſervari deſiverunt. Sic ut plurimos tam ſupremarum, quam inferiorum curiarum aſſeſſores in Gallia cauſari, conqueritur idem Maynard. *d. Deciſ.* 86. prædictas eas conſtitutiones ideo amplius non ſervare, quod vili pretio vendere nequeant id, quod tanti emerunt: ideoque dici non poſſe, quod ulli injuriam faciant, dum à ſe emptum rurſus vendunt: quum ea quæ emeris, vendere gentium jus ſit.

4 In hanc materiam vide quæ latius ſcripſere, Damhoud. *Prax. rer. criminal. cap. 121. num. 8. & cap. 130. num. 3.* Jul. Clar. *§. fin. quæſt. 73.* Menoch. *de Arbitr. Jud. lib. 2. centur. 4. caſ. 342. num. 9.* Boer. *deciſ. 133.* Georg. Tholoſan. *lib. 2. De Republ. cap. 6. num. 16.* & de Germaniæ praxi Carpzov. *Prax. criminal. part. 2. quæſt. 93. num. 52. & ſeqq.*

5 Quæ omnino reſtringenda ſunt ad eum judicem, qui ex malitia, vel munere corruptus, do-

loſe,

loſe, & ex propoſito falſe judicat, & injuſtam fert ſententiam: Aliaa ſi quis per imperitiam male judicavit, non tenetur, hodie, neque litem ſuam facere intelligitur, contra *§. 1. Inſtit. De obligat. quæ quaſi ex delict.* Sed is qui ſententia judicis ſe gravatum putat, provocatione ad judicem ſuperiorem reſtitui poteſt. Quemadmodum nec Advocatus per juris ignorantiam in errorem incidens tenetur. Quamvis enim turpe ſit Doctori, & jura profitenti ipſum jus ignorare. *l. 2. §. 43. ff. De Origin. Iur.* Periniquum tamen, & male cum illis ageretur; ſi in tam vaga & difficili juris & praxeos ſcientia, in tanta opinionum varietate, tantaque cauſarum multitudine, & procraſtinatione, plenum ſæpius deliberandi tempus non ferentium, ipſi ſingulatum litium periculo tenerentur obnoxii, ſi quid forte per imprudentiam, aut imperitiam exciderit. Vid. Arnold. Vinn. *ad d. §. 1. Inſtit. De oblig. quæ quaſi ex delict.* Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 95. num. 4.* Argentr. *ad Conſuetud. Brittan. art. 33.* Zyp. *Notit. Iur. Belg. tit. De Appellat. verſ. In aliquibus.*

Cap. VIII.

De Ambitu & Concuſſione.

Summaria.

1. *Ambitus crimen quid: ejuſque pœna Iure Civili.*
2. *In* Hollandia.
3. *In* Gallia.
4. *Concuſſio quid, ejuſque pœna.*

D. XLVIII. XIV. Cod. IX. XXVI. *Ad leg. Jul. de Ambitu.*

Hiſce accedit crimen ambitus, tanquam fons, & impulſiva repetundarum cauſa. Inter plura 1
enim ejus criminis inconvenientia, quæ ambitus crimen comitari ſolent, maximum iſtud eſt, quod ii qui per largitionem, magiſtratus, al[illegible]iusve poteſtatis officia adepti ſunt, dare operam ſoleant, ut illa lacuna rei familiaris expleatur, atque exinanitæ, vel imminutæ emptione dignitatis opes redintegerentur. Ut recte Cicero in *Verr. Orat. 4.*

In primis locum habet, ſi quia honorem municipalem, aut ſacerdotium, clam, corruptis ſuffragiis ambiiſſet, *l. unic. ff. ad leg. Iul. De ambitu. l. 31. Cod. De Epiſcop. & Cleric.* nam qui palam obtulerat, vel donaverat Reipubl. ob honorem decretum, vel decernendum non tenebatur. *l. 1. §. 1. ff. De pollicit. l. 19. ff. De Donat.* Hos deportatione olim punitos innuit *l. unic. Cod. ad leg. Iul. De ambitu.* Sed noviſſime candidati hujus criminis rei, bonorum confiſcationem, exilium, verbera, & ejuſdem generis alia ſupplicia patiuntur, *Novell. 8. cap. 1.* & gravius cum Epiſcopo agitur, qui & ſacerdotio privatur, & perpetua notatur infamia, pecuniæque ei Eccleſiæ vindicantur, cujus ſacerdotium turpiter ambierat. *d. l. 31. Cod. De Epiſcop. & Cleric. Novell. 123. cap. 2. §. 1.* Cui vitio ut eo melius ſubveniatur, Imperatorea Theodoſianua & Valentinianus in *l. ult. Cod. ad leg. Iul. repetundar.* voluerunt, Ut ne Magiſtratus ad honoris inſignia, ambitione, vel pretio, ſed probatæ vitæ teſtimonio promoveantur, & ut jurati inter geſta deponant, ſe pro adminiſtrationibus ſortiendis, neque dediſſe quicquam, neque daturos unquam poſtmodo fore, ſive per ſe, ſive per interpoſitam perſonam, in fraudem legis, ſacramentique, aut venditionis donationiſve titulo, aut alio velamento cujuſcunque contractus: & ob hoc exceptis ſalariis, nihil penitus, tam in adminiſtratione poſitos, quam poſt depoſitum officium, pro aliquo præſtito beneficio tempore adminiſtrationis, quam gratuito meruerunt accepturoa. Quæ eadem fere tradita ſunt *in d. Novell. 8. cap. 7. & in epilogo ejuſd. Novell.*

Conveoit *art. 17. Inſtruct. ſupremi Hollandiæ Senatus*, junct. *art. ult. Ampliat. utriuſque* 2
Cur. Anni 1644. Quibus cavetur: Ut Senatores utriuſque Hollandiæ Curiæ ingreſſu muneris ſui conceptis verbis jurent ſe pro adipiſcenda dignitate, neque dediſſe, neque promiſiſſe quicquam, neque poſtmodum daturos, neque pacta ulla conventioneſve ea de re feciſſe, aut facturos eſſe directe, vel indirecte, ſub pœna remotionis ab ampliſſimo Ordine in tranſgreſſores ſtatuta. Idemque pleriſque Hollandiæ civitatum legibus municipalibus cautum reperitur. vid. *Statut. civit. Leydenſ. noviſſ. edit. art. 2. 3. 4. 5. & ſeq.* Ita & Amſtelodamenſibus Alberti Bavari Hollandiæ Comitis privilegio *Anni* 1387. indultum eſt, ne comes, vel qui jus creandi judices, ibi haberet, munua, aut mercedem eo nomine ſibi ſumeret, quique munus aut mercedem ejus rei gratia dediſſe deprehenſus fuiſſet, præter mulctam triginta duarum librarum Hollandicarum, in perpetuum ab omni judicandi munere alienus haberetur. **Handt-veſten van Amſterdam** *edit. Anno* 1624. *pag.* 7.

Sed in Galliis, prævalente legum edictorumque à retro Regni Regibus, quibus ſibi poſteriſ- 3

que

que ſuis Magiſtratuum promercio interdixerunt latorum contemptu, de quibus vide Choppin. *lib. 1. de Morib. Pariſienſ. tit. 1. num.* 39. effrena hactenus hominum in hiſce ambitio, munerumque etiam judicialium fœda venalitas invaluit: nec privata tantum, ſed & publica officiorum forenſium commercia in tantum excrevere; Ut *Henricus IV.* decem poſtremis regni ſui annis plus quam ſeptuaginta milliones inde confeciſſe perhibeatur, teſte Loiſeau *au traité des offices lib. 3. cap. 1.* Eadem pœna tenentur qui privata auctoritate novum vectigal inſtituunt. *l. 1. §. 3. ff. ad l. Jul. ambitus. l. ult. ff. ad l. Jul. de vi publica.* Vid. Tiber. Decian. *Prax. Criminal. lib. 8. cap. 2. 3.* Henning. Goden. *Conſil. 11.*

4 Hinc proveniunt Officialium concuſſiones, atque illicitæ exactiones, non illæ quibus graſſatores aliive vagabundi, viatores alioſque circummeantes minis compellunt, ut pecuniam aliaſve res coacti ipſimet offerant, quæ potius ad rapinam ſpectant, eademque aut non diſſimili pœna puniuntur, ut ſuo loco; ſed de his qui officii prætextu, & poteſtatis obtentu per metum injectum ſubditis quicquam ultra quam iis competit, extorſerunt, hi ab officio removeri, & præterea prout admiſerint extra ordinem durius puniri ſolent. *arg. l. 1. ff. De Concuſſ.* Jul. Clar. *§. fin. quæſt. 73. num. 2.* Menoch. *de arbitr. Jud. Caſ. 342.* Damhouder. *Prax. criminal. cap. 131.* Zyp. *Notit. jur. Belg. De concuſſ.*

D. xlvii. x 11. De Concuſſione.

Hinc prævaricatio, qua adverſa pars prodita ſua cauſa adjuvatur, *l. 1. in pr. ff. de prævaricat.* Cujus crimen publicum erat in accuſatorem vel nunciatorem, qui judicium publicum non ex animo egerat, ſed cum reo colluſerat ut abſolveretur. *l. 1. §. calumniari. ff. ad Snat. Turpillian.* Quod non ad privatos, ſed fiſci procuratoris publicum officium ſpectare diximus ſupra. Privatum atque extraordinarium eſt in advocatum ſive procuratorem, qui viſis ſcriptis & inſtrumentis clientis ſui, cauſam deſerit, & ad adverſarium confugit, eumque ſecreta ipſius cauſæ pandendo juvat. *l. 4. §. 4. verſ. prævaricator. ff. de his qui notant. infam.* cujus pœna arbitraria eſt. *l. 1. §. 1. in fin. l. 3. §. 2. ff. de prævaric.* Quibuſdam exilio & bonorum publicatione, prout in civitate Mediolanenſi ſe vidiſſe refert Boſſ. *Prax. Criminal. tit. de prævaricat. num. 2.* plerumque ab advocationis & procuratorii muneris remotione cum infamia vindicatur. *l. 4. §. 4. ff. de his qui not. infam. l. 4. ff. de prævaricat.* De qua vide Menoch. *de arbitr. jud. caſ. 323. num. 5.* & Boſſ. *d. loco.* & Proſp. Farinac. *tom. 1. tit. 1. quæſt. 4. num. 15.*

D. xlvii. xv. De Prævaricatione.

Cap. IX.

De Monopoliis.

Summaria.

1. *Monopolium, & fraudatæ annonæ crimen quid?*
2. *Ejus pœna juris Civilis.*
3. *In Germania, Gallia, Belgio, Italia.*

1 Reſtat fraudatæ annonæ, aut Monopolii crimen, quod contrahitur ab eo, qui contra annonam facit, ſocietatemve contrahit, quo ea carior fiat; ut qui navem, nautamque retinent, aut dolo malo faciunt quo magis detineantur: qui ſpecies coëmptas ſupprimunt, ſigellant, ex raritate affectantes caritatem: qui fructus prædiorum ſuorum, æquis pretiis vendere nolunt, dum minus uberes proventus exſpectant. *l. 2. ff. De leg. Jul. De Annona. l. 6. De Extraordin. Criminib.* Hi porro qui illicitis habitis conventionibus conjurant, aut paciſcuntur ut ſpecies diverſorum corporum negotiationis, non minoris, quam inter ſe ſtatuerint, venundentur. *l. unic. Cod. de Monopol.*

D. xlviii. xii. Ad leg. Jul. de Annona.

2 Fraudatæ annonæ pœna viginti aureorum eſt *l. 2. ff. De lege Jul. De Annona.* Quæ ſi improbitatem ſpectes, præterea extra ordinem pro qualitate admiſſi vel relegatione, vel opere publico, augetur: quinetiam ultimo ſupplicio, ſi diu, & ingenti cum civitatis pernicie annona flagellata ſit. *l. 6. ff. de extr. Crimin. junct. l. pen. §. 1. ff. ad leg. Corn. de Falſ.* In cæteris monopolia confiſcatione bonorum & perpetuo exilio puniuntur. *l. unic. De Monopol.*

3 Quod ad mores eadem pœna publicationis bonorum & exilii monopolium caſtigant Imperatoriæ noviſſimæ in Germaniæ latæ leges, Caroli V. tempore *Anno.* 1548. in comitiis Auguſtæ Vindelicorum habitis *cap.* 18. Et Franciſcus I. Galliarum Rex prohibuit artificum Monopolia, neve ex compoſito res artificii ſui una pertractarent, pœna confiſcationis corporis & bonorum indicta. *Conſtit. Franciſc. I. De abbreviat. litium art.* 191. In Belgio exſtant *Placit. 7. Octob.* 1531.

4. *Octob.* 1540. *& ultimo Julii* 1562. Et plerorumque legibus graves & capitales pœnæ conſtitutæ ſunt in eos, qui frumenta esportant, præſertim apud Italos, qui ſæpius frumenti penuria laborare ſolent, ſed tamen negligenter eas obſervari conſtat, quin vectigali ſoluto facile exportandi poteſtas indulgeatur. In Fœderatis Provinciis exportatio non vetatur, niſi eo tempore quo præter ſpem omnem ſterilitas & penuria major ingruit. Hanc materiam latius tractat Grot. *De Jure Belli* lib. 2. *tit.* 12. *num.* 16. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 98. *& ad leg. Mechlin. tit.* 2. *art.* 27. Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 134. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. De Monopol.* Rebuff. *ad conſtit. Reg. tom.* 2. *De Magiſtr. Artif. & Monopol. prohibit. art.* 4. *Gloſſ.*

CAP. X.

De Crimine Stellionatus.

SUMMARIA.

1. *Stellionatus crimen quid & unde dictum.*
2. *Varia ejus ſpecies, & pœna.*
3. *Impoſtorum torquem aueam pro aureo obtrudentium pœna.*

D. xlvii. xx. Cod. ix. xxxiv. *De crimine Stellionatus.*

SEd & ſtellionatus crimen ad læſæ Majeſtatis vindictam quandoque extendi poteſt, ita dictum à ſtellione animali lacertæ ſimili, quo nullum fraudulentius homini invidere ſoleat.

Stellionatus eſt omne crimen, quod ſpeciali nomine caret, nec titulum habet, ac proinde nec 1
legitimam aliquam animadverſionem, ſed coërcitionem extraordinariam habet, pœnaſque extraordinarias reo infligi jubet. *l.* 2. 3. *ff. De Crimin. ſtellionat.*

Hujus ſpecies fere ſunt, ſi quis menſuris publicè probatis, item ulnis, ponderibus, ſtateris, & 2
ſimilibus abutatur; quos gravius puniri & in falſi crimen incidere diximus ſupra *cap.* 6. ſi quis Collegia, vel corpora illicita uſurpaverit: qui, ſi id in Reipublicæ perniciem fiat, læſæ quoque Majeſtatis crimine tenetur. *l.* 1. *§.* 1. *ff. ad leg. Jul. Majeſt. l.* 2. *ff. De Colleg. & Corporib. illicit.* Si quis terminos, vel lapides finium conſtituendorum cauſa poſitos dolo amoverit, quos levius puniri dicetur, *infra Cap.* 2. Si quis ſciens rem alienam debite in alium tranſtulerit. *l.* 1. *&* 2. *ff. de crimine ſtellionat.* Cujus pœna tamen extraordinaria evitari poteſt, ſi debitum offeratur, & ante litem reſtitutio fiat. *l.* 1. *Cod. eod.*

D. xlvii. xxii. *De Collegiis & Corporibus illicitis.*

Huc pertinent etiam impoſtores illi qui ſua calliditate homines decipiunt unum pro altero eis 3
vendentes, eamque rem quam vendere volunt ita ficte exornantes, ut multo melior videatur, quam re vera eſt, de qua agitur in *l.* 3. *in fin. ff. Stellionat.* Secundum quam *Jul. Clar. §. final. quæſt.* 83. *verſ. ſi quis impoſturam.* quoſdam impoſtores, qui torquibus adulterinis viatores decipiebant fuſtibus cæſos, & è dominio Mediolanenſi ejectos probat. Eoque exemplo Johann. à Sande impoſtorem Anglum, unam auream, & plures ejuſdem formæ argenteas, vel æneas, ſed inauratas torques hac calliditate homines decipientem, ut prius vendendam, aut oppignorandam oſtentaret auream, quæ quum ſatis probata, & proba eſſet inventa hominibus, in pecunia ipſi numeranda ſubduceret auream, in ejuſque locum vel æneam, vel argenteam ſupponeret, ex Curiæ Friſicæ ſententia loco conſueto numellæ alligatum, & falſa torque ipſius collo appenſa ad horæ quadrantem ſpectaculo expoſitum virgis cæſum, & in perpetuum relegatum refert *lib.* 5. *deciſ. Friſicar. tit.* 9. *defin.* 8. Et ſic de cæteris.

CAP. XI.

De Homicidio.

SUMMARIA.

1. *Homicidium quid, & quomodo perpetretur.*
2. *Quotuplex.*
3. *Voluntarium quid.*
4. *Neceſſarium quid.*
5. *Moderamen inculpatæ tutelæ quid & in quibus conſiſtat.*
6. *An & quando Capitalis criminis reus officialibus ſatellitibus impune reſiſtere liceat.*
7. *Homicidium caſuale quid, & quibus modis contingat, quotuplex.* 10.
8. *Cautio Criminalis Caroli V.*
9. *Jus provinciale ducatus Pruſſiæ.*

10. Ho-

10. *Homicidium mere fortuitum quid.*
11. *Homicidium culpoſum.*
12. *Error in perſona occidentem an ab ordinaria pœna excuſet.*
13. *Homicidii pœna Ordinaria.*
14. *Violentia ſibi ipſi illata an & quatenus punienda: in* Hollandia, Gallia, *&* Saxonia.
15. *Conatus an & quomodo puniatur.*
16. *Mandans alteri, ut alium occidat æque ac Mandatarius tenetur.*
17. *An & quatenus teneatur, qui alium vulnerari mandavit.*
18. *Homicidii à pluribus commiſſi pœna: & qui teneantur.*
19. *Damni dati in homine occiſo reſtitutio an & quando locum habeat, & quid in ea computandum.*

1 ADverſus vitam & hominis corpus bifariam committitur, aut per necem, aut per vulnera, membrorum mutilationem, aliamve læſionem alteri inflictam.

Primi generis, homicidium eſt, quaſi cædes hominis, definitur doloſa hominis exanimatio violenter ab homine facta. Nec refert quo inſtrumento, aut quovis modo fiat, ſive telo, *§. 5. Inſtit. de public. judic. l. 233. §. telum. ff. de verb. Signific. l. 1. in pr. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* ſive pugno, ſive voce, ut ſiquis falſum teſtimonium dolo malo dixit, ut quis innocens publico judicio capitis reus damnaretur. *l. 1. ff. eod.* ſive qua alia ratione alterius necem cauſaverit, ut ſi quis hominem ita incluſerit, abjecerit ve, ut fame necaretur. *l. 7. §. 1. ff. ad leg. Aquil. d. l. 1. ff. ad leg. Corn. de Sicariis. l. 4. ff. de agnoſc. & alend. lib. l. 2. Cod. de infantib. expoſit.* aut veneno occiderit, aut hominis necandi cauſa venenum compoſuerit, vendiderit habuerit ve *l. 3. in pr. ff. ad leg. Corn. de Sicariis.* aut qui diris devotionibus, aliaque magica arte homines, pecora, jumentaque defigunt, aut cereas imagines fingunt necandi nocendive hominis cauſa *d. l. 3. §. 3. ad leg. Corn. de Sic.* *D. XLVIII. VIII. Cod. IX. XVI. Ad leg. Corneliam de Sicariis.*

2 Dixi, doloſa exanimatio violenter facta: Ut diſtinguatur ab homicidio neceſſario & caſuali, quibus hoc voluntarii homicidii nomine opponunt.

3 Voluntarium eſt quod dolo committitur, nec præciſe requiritur, ut occidendi alterum præcedat propoſitum, aut ut quis alterum occidendi animo aggrediatur, ſed dolus in genere ſufficit, quo quis doloſe operam dedit rei ex qua homicidium ſubſequi veroſimiliter potuerit. Duplex enim eſt committendi homicidii voluntas, alia directa, qua quis vulnus infligit, ex quo immediate homicidium ſubſequatur. Quomodo qui aliquem gladio percutit, licet hac tantum intentione ut vulneret, homicidium committit voluntarium; doloſe enim agit quod vulnerat, & vulnerando cauſam mortis præbet, ſcire enim debuit vulnera ad menſuram, præſertim gladio dari non poſſe, & ex iis immediate ut plurimum mortem ſequi: quippe quod is qui operam dat rei illicitæ, teneatur de omni eo, quod ſubſequitur, ſi cauſa ſit ordinata & tendat ad ſubſecutum delictum. *l. 6. Cod. ad leg. Jul. de vi publica.* Vid. Ægid. Carpzov. *Prax. criminal. tit. de homicid. num. 74.* & late Carpzov. *Prax. criminal. part. 1. quæſt. 1.*

4 Neceſſarium vocant quod præcipiente ac permittente quaſi natura committitur, ut quod fit ad neceſſariam vitæ ſuæ defenſionem ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, cujus nullum delictum, neque ulla pœna *l. 3. ff. de Juſtit. & jure. l. 1. §. 27. ff. de vi aut vi armat. l. 2. 3. 4. ff. & l. 2. 3. Cod. ad leg. Corn. de Sicar. l. 45. §. 4. ff. ad leg. Aquil.* Vide Jul. Clar. *§. homicidium. num. 24.* Menoch. *de arbitr. jud. caſ. 277. num. 1.* Damhoud. *Prax. Criminal. cap. 76.* Carpzov. *Prax. Criminal. part. 1. quæſt. 28. & num. 8.* Andr. Gail *obſerv. 110. num. 9.* Gomez. *var. reſolut. tom. 3. cap. 3. num. 20.* Maſcard. *de probat. lib. 3. concluſ. 1126. num. 8.* Boſſ. *Prax. tit. de homicidio. num. 82.*

5 Conſiſtit Moderamen inculpatæ tutelæ in eo, quod quis non aliter adverſus vim ac injuriam, quæ imminet aut infertur, ſe tueri, nec aliter mortis, vel alterius gravioris offenſionis periculum quam adverſarium ſuum occidendo, vel debilitando, evitare poſſit. *l. 5. in pr. & d. l. 45. §. 4. ff. ad leg. Aquiliam l. 2. l. 3. Cod. ad leg. Corn. de Sicar.* Quod quomodo probetur, aut ex quibus circumſtantiis appareat, quum difficilis probationis ſit, arbitrio & diſcretioni judicis dijudicandum committitur. Quæ ad hæc duo vulgo reſtringi ſolent, primo, ut conſtet de aggreſſione injuſta, qua quis probare poteſt, ſe primo ab aggreſſore inſultatum, deinde doceat moderatam ſe feciſſe defenſionem, qua conſtare poteſt ſe in ea invaſione adeo fuiſſe in anguſtia conſtrictum, ut ſine ſummo vitæ ſuæ periculo, imo nec ullo alio modo potuerit effugere, niſi ſemet defendendo, ac adverſarium cædendo. It pluribus perſequuntur Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 110. num. 14.* ibi Bernard. Greven, Jul. Clar. *§. homicidium. num. 24. & ſeqq.* Menoch. *de arbitr. jud. caſu 363.* Jodoc. Damhouder. *Prax. criminal. cap. 76. num. 3. & ſeqq.* & noviſſime Car-

pzov. *Prax. criminal. part. 1. quæſt. 33.* Ubi porro de probandi modo, teſtibus, conjecturis, & præſumptionibus, ex quibus inculpatam innocentiam dijudicari communiter volunt. Pro quibus variæ conſiderandæ ſunt, temporum, locorum, rerum, & perſonarum circumſtantiæ, utriuſque perſonæ, tam occiſi, quam rei, conditio, vitæ ſtatus, locus ubi cædes facta, quo quiſque armorum genere uſus ſit, quæ & quot quiſque vulnera acceperit, quis eorum ex vita ante acta majorem fidem, & innocentiæ opinionem mereatur: Ex quibus ſi non inculpata defenſio dignoſcatur, ut plurimum tamen ordinariæ pœnæ excuſatio colligenda: *arg. l. 1. l. 4. §. 1. l. 7. l. 14. l. pen. ff ad leg. Cornel. de Sicar.* Atque eo pertinent Conſtitut. Criminal. à Carolo V. Annis 1530 & 1531. in Imperii terris ſancitæ verba: Vid. Georg. Rem. *pag.* 86.

Art. 140.

Was ein rechte Nothwehr iſt.

So einer jemand mit einem todlichen waffen / oder wehr vberlaufft / anficht / oder ſchlagt / vnd der benötigt kan fuglich ohn fahrligkeit / oder verletzung ſeines leibs / lebens / ehr / vnd guten leumuhts nicht entweichen / der mag ſein leib vnd leben / ohn alle ſtraff / durch eine rechte gegenwehr retten. Vnd ſo er alſo den benotiger entleibt / iſt er darumb nichts ſchuldig / iſt auch mit ſeiner gegenwehr / biſz er geſchlagen wird / zuwarten nicht ſchuldig / vnangeſehen / ob es den geſchriebenen Rechten vnd gewonheiten entgegen were.

Art. 140.

Inculpatæ tutelæ moderatio quæ dicatur.

Qui armis, telo lethali, ferro, lapide mortem alteri per vim intentat (ſi aggreſſus ſine vitæ corporiſque periculo, honoris & famæ ſuæ jacturâ ulla ratione effugere, abire, evitare periculum nequeat;) iſte aggreſſor, omni jure permittente, vi contraria repelli & ab aggreſſo in dubio vitæ diſcrimine conſtituto neceſſariam ſui defenſionem ſuſcipiente vulnerari, imò & occidi poteſt, neque vim vi repellens pœnis ullis ſubjacebit. Nemo autem donec feriatur aut vulneretur, & licitam ſui defendendi occaſionem è manibus dilapſam amittat, ſibi expectandum putet: quod adeò verum eſt, ut nulla conſuetudo, neque lex ulla municipalis in contrarium veniens obſtare debeat, poſitive.

Art. 141.

Daſz die nohtwehr bewieſen werden ſol.

Welcher ſich aber nach erfindung der that / einer gethaner nohtwehr beruhmet / oder gebrauchen wil / vnd der anklager der nicht geſtandig iſt / ſo legt das Recht dem thater auff / ſolche beruhmbte nohtwehr obgemelder maſſen / zu Recht gnug zubeweiſen / beweiſt er die nicht / er wird ſchuldig gehalten.

Art. 141.

Ejuſdem probatio.

Juris eſt axioma: unumquemque de facto ſuo teneri, & id defendere, vel luere: Ita jure meritò eo, qui à commiſſo homicidio, quod non inficiatur, inculpatæ tutelæ moderamen prætenderit, & jure factum contenderit, contra quem accuſator inſurgens id negat, incumbit tutelæ moderatæ probatio omni juri, in qua ſi occubuerit, homicida punietur.

Art. 142.

Wann, vnd wie in ſachen der nohtwehr, die weiſung auff den anklager kompt.

So der anklager der erſten tadtlichen anfechtung oder benötigung dar auff / als obſtehet / die nohtwehr gegrundet / bekantlich iſt / oder beſtandig / nicht verleugnen kan / vnd dagegen ſagt / daſz der Todtſchlagen darumb kein rechte entſchuldigte nathwehr gethan haben ſol / dann der entleibt hatt furgewanter bekentlicher anfechtung / oder benötigung / rechtmeſſige vrſach gehabt / als geſchehen mochte / ſo einer einen vnkeuſcher werck halben / by ſeinen Ehelichen Weib / Tochter / oder an andern baſen ſtraff lichen vbelthaten funde / vnd darumb gegen demſelben Vbelthater todlich handlung / zwang / oder gefangnuſz / wie die Recht zulaſſen / furnehme / oder dem entleibten hatte gebuhret / den verklagten Todſchlager / von Ampts wegen / zufangen / vnd die notturfft erfordert / ihn mit waffen ſolcher gefangnuſz halben / zubetrohen / zwingen vnd notigen / daſz er alſo in Recht zulaſſiger weiſz gethan hatte: Oder / ſo der klager in dieſem fall / ein ſolche meynung furgebe / daſz der angezogene Todſchlager / darumb kein rechte nohtwehr gethan hatte / wann er deſz entleibten / als er jhn erſchlagen hatte / gantz machtig / vnd von der benohtigung erledigt geweſt / oder meldet / daſz der entleibt / nach gethaner erſten benohtigung gewichen / dem der Todſchlager auſz frein / vnd vngenö-

Art. 142.

Quando & quomodo accuſatori inculpatam tutelam neganti, probatio cadis injuſta incumbat.

Quoties actor ab occiſo primùm vim illatam (quæ inculpatæ tutelæ baſis eſt) & offenſum alterum fatetur, aut conſtanter & verè negare non poteſt, his tamen verbis replicat: Reum hac inculpatæ tutelæ exceptione ideo ſe tueri non poſſe: quòd aggreſſor occiſus vim inferendi, & mortem intentandi, cauſam legibus probatam pro ſe habuerit: verbi gratia: Quòd in adulterio comperto cum uxore aut filia ſua, vel noctu furtum facientem aliudve grave delinquentem domi ſuæ, occiſus deprehenſum, letho afficere potuerit, eamque ob cauſam lege permittente vim juſtam intulerit, captumve detinere potuerit: Aut, quod occiſus ex officio armata vi reum ad deditionem cogere, quia à Magiſtratu hoc juſſus fuerit, minari & offendere, licuerit; quod nemo, quin jure fecerit, inficiari poſſit: Aut hoc objiciat: Homicidium illud, de quo quæritur, ideo inculpatæ tutelæ nomine non venire, quòd tum temporis cum aggreſſor occiſus eſſet, aggreſſus ſuperior pugna fuerit: ideoque repulſa vi extra periculum conſtitutus recedere, & nihil tale perpetrâre debuerit. Seu hoc afferat: Quòd occiſus, quam primum vi contraria repulſus ſit, ſtatim abierit, diſceſſerit, quem reus ſponte, non coactus, ponè inſectatus ſit, & in fuga, abiuve occiderit. Vel denique hoc urgeat Actor: Quòd reus ſine ullo capitis periculo, famæque jactu-

ta.

ter ding nach gefolgt / vnd jhn allererſt in der nachfolge erſchlagen hatte. Mehr ſo fürgewend wierd / der todſchlager were dem benotigten wol fuglicher weiſz / vnd ohne farlichkeit ſeines Leibs / lebens / ehren vnd guten leumuhts halben entwichen / darumb die entleibung durch den verklagten todſchlager nicht auſz einer rechten entſchuldigten nohtwehr / ſonderen boſzlich geſchehen were / vnd darumb peinlich geſtrofft werden ſolte / etc. Solch abgemelte vnd andere dergleichen furgeben / ſol der ankläger / wo er deſz der todſchlager durch den entleibten / erſtlich / als vorſtehet / genohtigt worden iſt / beweiſen / Vnd ſo er eine derſelben abgemelten / oder anderen dergleichen rechtmaſſige verurſachung / gegen den erſten vnlongbar anfechtung / oder benohtigung gnugſam beweiſt / ſo kan ſich ſolcher todſchlager keiner Rechten / oder gantzlichen entſchuldigten nohtwer behelffen / vnangeſehen / vnd auſzgefuhret / oder beſtanden wierd / daſz jhn der entleibt (als vor von der nohtwehr angefochten vnd benotiget hat. So aber der klager der erſten erfundenen benotigung halb / kein ſolch rechtmaſſige verurſachung bewieſe / ſonderen der verklagte todſchlager ſeiner berühmbten nohtwehr halb auſzfundig machet / daſz er von dem entleibten mit einer todlichen wehr / als vor von rechter nohtwehr geſetz iſt / erſtlich angefochten worden wer: So iſt die nohtwehr durch den verklagten todſchlager auſzgefuhrt / vnd ſol doch gemelte kundſchafft beydertheil mit ein ander zugeloſſen / vnd beſtellet werden; Nemlich / iſt hie an zumercken / ſo einer der erſten benohtigung halb / redliche vrſach zur nohtwehr gehabt / vnd doch in der thot nicht alle vmbſtande / die zu einer gantzen entſchuldigten nohtwehr gehoren / gehalten hatte / iſt noht gar eben zuermeſſen / wie viel / oder wenig der thater zur that vrſach gehabt habe / vnd daſz furter die ſtraff an leib / leben / oder aber zur buſz vnd beſſerung erkant werde / alles nach ſonderlicher Rahtgebung der Rechtsverſtandigen / als hernach gemeldet wird: Dann dieſe fall gar ſubtile vnterſcheyd haben / darnach hier an anderſt vnd anderſt / ſchwerlicher / oder linder geurtheilet werden ſol / welche vnterſcheyd dem gemeinen Mann verſtandiglich nicht zuerklaeren ſind.

ra, cedere loco, & effugere, ſeque recipere tutum in locum potuerit; & ideo homicidam eſſe, & hac tutelæ exceptione abutentem, eaque eludere judicium & judices fallere conantem, damnari jure poſſe, contendit. Iſtas à nobis commemoratas (& quæcunque alias in eam ſententiam replicationes afferri ab accuſatoribus poſſunt) is actor, ſi contra reum vim illatam tutelæ allegantem obtinere in judicio velit, ante omnia ſe eam qualitatem, quam hoc modo intendit, probare debere meminerit. Qui ſi hoc debito modo ſe exſolverit, probationemque legitimè deduxerit, perfecerit, ſeu ex earum numero ea objectio, quas recitavimus, ſeu non multum diſpar, parique momenti alia ſit, ejuſmodi tamen quæ admitti poſſit, ſi actor plenè probaverit, reo hæc exceptio denegabitur: & fruſtrà, ſibi vim primo illatam eſſe, jactabit. Quamobrem eum, qui occaſionem ſcelere ſuo dedit, de vi juſta querentem, judices rejiciant. Contra, ſi actor vim primum juſta ex cauſa, & ideo juſtè illatam, oſtendere non poſſit, adverſus quem reus de inculpatæ defenſionis moderamine liquido judices doceat, & ſibi lethali telo vim factam, neque aliud, quod conſultius eſſet, potuiſſe, quam ſicarium ſe aggredientem occidendo, jam imminentis fati mortiſque metu præſenti animo caput & ſalutem ſuam liberare, demonſtret, hoc caſu exceptio admittenda eſt, ita tamen ut ab utraque parte producti teſtes ſi qui haberi poſſint oculati, audiantur: & in factum ipſum diligens habeatur inquiſitio. Si quis vim primum illatam, ſeu defendendi, & vim vi propulſandi juſtam cauſam habuerit, interea vero dum ſe defendit, non omnia ea, quæ in moderata tutela requiruntur, ſtrictè obſervavit, & ſepta quidem fineſque jure noſtro præſcriptos egreſſus fuerit, hoc opus, hic labor erit, adnumeratis adpenſiſque ſingulis facti totius circumſtantiis perpendere, qua in re limites illos exceſſerit; quà prætergreſſus modum: quà occurrere aggrediendi aliter atque aliter (ſi modo furor ſanum admittit conſilium, & quiſquam primos animi motus in manu ſuâ habet) debuerit: quibus ad æquitatis examen revocatis, & juſtè adpenſis, pœna mulctàve mitior modo, modo gravior irroganda erit, quidquid ex conſilio Prudentum judices ſtatuendum exiſtimârint, verum enim eſt de juris apicibus hic agi: in quibus enodandis religioſiſſimos eſſe judices oportet, quod, ut præclare Divus Trajanus reſcripſit, ſatius interdum ſit impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. Atque hæc cum vulgi captum ſuperare non ignoremus, parcius attingere placuit.

Art. 143.

Von entleibung, das niemands anders geſehen hat, vnd eine nohtwehr furgewendet wurde.

So einer jemand entleibt / das niemand geſehen hat / vnd wil ſich einer nohtwehr gebrauchen / der jhm die klager nicht geſtehen / in ſolchen fallen iſt anzuſehen / der gut vnd boſe ſtand jeder Perſon / die ſtatt / da der todſchlag geſchehen iſt / was auch jeder fur wunden vnd wehr gehabt / vnd wie ſich jeder theil in dergleichen fallen vor / vnd nach der that / gehalten habe / welcher theil auch auſz vorgehenden geſchichten mehr Glaubens / vrſach / bewegung / vrtheils / oder nutz haben moge / den andern an dem ort / als die that geſchehen iſt / zuerſchlagen / oder zubenotigen. Darauſz kan ein guter verſtandiger Richter ermeſſen / ob der furgewendten nohtwehr zu glauben ſey / vnd wo die vermuhtung der nohtwehr / wider die bekentlichen that ſtatt haben ſol / ſo muſz dieſelbige vermuhtung gar gut ſtarck beſtandige vrſach haben / Aber der thater mochte wider den entleibten / ſo viel boſer / vnd ſein ſelb halb / ſo viel guter ſtarcker vermuhtung darbein-

Art. 143.

De homicidio, remotis, ut ajunt, arbitris, nullis præſentibus teſtibus commiſſo, cui inculpatæ tutelæ moderamen prætexitur.

Si quis nemine præſente, & vidente alterum, ſolus ſolum, extra aliorum conſpectum, hominem occiderit, & cædis auctor tutelæ moderamen prætendat, cui contrà accuſator fortiter reclamet: perſpicienda ſunt judicanti utriuſque perſonæ, tam occiſi, quam ejus qui cædem patravit, conditio atque vitæ ſtatus: locus ubi cædes facta dicatur: quo quiſque armorum genere uſus ſit: quæ & quot quiſque vulnera acceperit: quo ſe modo ante & poſt factum homicidium geſſerint, & affecti invicem fuerint: quis eorum ex vita ante acta majorem fidem & innocentiæ opinionem mereatur: quid ſpei rerum commovere potuerit: id eſt vetus illud, Cui Bono, hominem eo loci, quo occiſus eſt, tali tempore interfici, aut vim illatam eſſe. Hinc, ni fallimur, pronum erit judici, illud pervidere, rectène inculpatæ defenſionis clypeo ſe munienti credendum ſit, necne. Namque ut ejuſmodi tutelæ præſumptio, cum cædes manifeſta eſt neque negatur, locum habeat, cauſas eſſe

gen / jhm wer der nahtwehr zuglauben. Solche urſach alle zuerklaren / kan durch dieſe Ordnung nicht wol grundlich / vnd jederman verſtendlich / beſchehen. Aber nemlich iſt zumercken / daſz in dieſem fall / aller obgemelten vermuhtung halb / die beweiſung dem thater aufferlegt werden ſol. Doch vnabgeſchnitten dem klager die weiſung / die er darwider furbringen wolte / vnd wo dieſer fall vorgemelter maſſen / redlich zweiffel hat / ſo iſt noht / in der vrtheil der verſtandigen Raht / mit furlegung aller vmbſtanden / ſtattlich zugebrauchen. Wenn ſich dieſer fall / mit gar viel zweiffels vnd vnterſcheyd / fur / vnd wider die beruhmten nohtwehr / begeben mag / die vor der geſchicht nicht alle zubedencken / oder zu ſetzen.

magnas & graves, quæ contra occiſum faciant neceſſum eſt: quas ſi liquido probatas reus contra interemptum, ſuæ cauſæ patrocinandi cauſa, afferat, quin abſolvatur, nihil vetabit. Eæ cauſæ: quales ſint, his ſanctionibus enucleari nihil opus eſt. Atque hic denuo mente tenendum eſt, Reo, qui ait, ſi modo præſumptiones tales ſint, quas attendere operæ pretium ſit, onus probandi injici debere; quod tamen hoc cum ſalis micâ accipiendum, ut & actorem, qui adverſus reum opponere, & probare objecta poſſit, audiri, neque excludi, aut à judicio repelli oporteat. Sin vero in utramque partem, veriſimilibus argumentis ab actore & reo inſtructis, res intricata propendeat, ut ea rectè dijudicetur, Prudentibus omnia, quæ inciſiſſe memorantur, explicanda erunt, quò rectius reſpondere poſſint.

Sed ſi capitalis criminis reus ab officiali perſecutus, ab ejuſdem ſatellitibus ita fuerit circumſeptus ut capturam evadere non poſſit, iis reſiſtat, ſeque, vitamque ſuam à captura defendendo aliquem ex iis vulneret, aut occidat, id ob tutelam corporis ſui feciſſe dici poſſit, nec ob id pœnam delicti aggravari poſſit, quæritur? Et licet indiſtinctè DD. omnem reſiſtentiam arbitraria judicis pœna puniri, eaque pœnam augeri putent, niſi injuſte & indebite captura intentetur, quo caſu, invadenti officiali reſiſtere, ſeque oſtendendo defendere eum poſſe ſcribunt. Ut late Farinac. *Prax. criminal. tom. 1. tit. 4. quæſt. 32.* per totum, & maxime *num. 27. & 28.* & DD. *ibi relat.* legeſque omnes, quæ de juſta ſui defenſione loquuntur, ad vim, & injuriam alicui illatam reſtringi nec ad executionem aut prehenſionem alicui debite illatam commode extendi poſſe videantur *arg. l. ut vim. 3. ff. de Juſti. & Jure:* attamen quum nec ipſum jus naturale, quod verum atque unicum legum pro moderamine inculpatæ tutelæ fundamentum eſt, quod neque lex, neque conſtitutio ulla mutare valet, differentiam illam non admittat, condonandum illi magis, qui in mortis periculo conſtitutus, quoquo modo ſanguinem, & vitam ſuam ſalvare conatus fuit, quam ut eo ipſo præcedentis delicti pœna gravari poſſit: quippe quod ipſe naturalis pro ſui conſervatione affectus, neque leges, neque rationes ſervet ullas, text. eſt *in l. ut vim. 3. ff. De Juſtit. & Jur.* & ſanguinem ſuum qualiter qualiter redimenti ignoſcendum eſt. *l. 1. ff. de bon. eor. qui ante ſententiam mortem ſibi conſciverunt.* Quod perpetuo mihi diſtinguendum videtur, neque ut ab ea diſtinctione recedatur, quicquam movet, quam à nemine, quod ſciam hactenus obſervatam miror. 6

Homicidium caſuale eſt, quod caſu inopinato nullo prorſus dolo nullaque culpa interveniente vel præcedente committitur, cujus nulla etiam pœna eſt, quum caſum fortuitum nemo præſtet. *l. 1. ff Si quadrup. paup fec. dic. l. 1. Cod ad leg Cornel. de Sicar. l. 11. §. 71. ff de pœn.* Vide Jul. Clar. *§. homicidium. num. 2. verſ. caſu autem.* Farinac. *part. 5. oper. Criminal. quæſt. 126. num. 5.* Damhouder. *Prax. criminal. cap. 85.* Jacob. Ayrer. *tract. de homicidio. part. 3. num. 1. & num. 10. cum ſeq.* ubi hæc ponit exempla. Ut, ſi forte architector dejecturus ligna, lapides, tegulas, & alia rudera, ſi ponat ſigna clara ante ædificium, inclamet tempeſtive, ut homines prætereuntes ſibi præcavere poſſint, & nihilominus homicidium ex inopinato caſu ſequatur. Vel ſi quis ceciderit arborem, nihil de contingentibus omittendo, circumſpiciendo, & clamando fortiter, & tempeſtive, & tamen ex arboris ictu quis occidatur, de quo eſt text. *in cap. ſi qui, & cap. ſeq. diſt. 50. & in l. 31. ff. ad leg. Aquil.* Vel ſi quis equum adſcendens, equus non bene habenis parens præter voluntatem inſidentis ſævire cœpit, iſque vim freno inferens, & equum calcaribus ſtimulans fracto freno, dum curreret equus, puerulus ex obliquo obvians fuerit interfectus *cap. dilectus. extr. De homicid.* aut ſi quis cum alio ludens, eumque ad terram projiciens, cultellus forte quem ad latus habebat in eum inciderit, iſque vulneratus occubuerit, per *cap. lator. extr. de homicid.* vel ſi quum quis caballos à ſtabulo trahens, uxore inter illos colliſa, abortum fecerit. *cap. quantum diſtinct. 50.* Vel ſi jaciens lapidem, pilam ve niveam tempore quo id permittitur, hominem occiderit. Si fabricator dum ſaxa & cæmenta in altum duceret ea ceciderint, eoque caſu aliquis pereat, aut ſi venator telo in feram miſſo hominem caſu interfecerit. Quibus adde quæ noviſſime à Carolo V. ſupra dict. criminal. conſtit. *art. 146.* his verbis, ſtatuta. **Ein Barbierer ſchieret einem den Bart in ſeiner ſtuben / als gewohnlich zu ſcheren iſtz / vnd wird durch einen alſo geſtoſſen oder geworffen / daſz er dem / ſo er ſchieret / die gurgel wider ſeinen willen abſchneidet. Ein ander glie-chnuſz So ein Schutz al einer gewohnlichen zielſtat ſtehet oder ſitzet / vnd zu dem gewohnlichen platz ſcheuſt / vnd es laufft jhm einer unter dem ſchuſz / oder jhm laſt vnge-** 8

vngefahrlicher weiſz/vnd wider ſeinen willen ſein buͤchſz oder Armborſt/ehe/vnd er recht anſchlegt / vnd abkompt / vnd ſcheuſt alſo jemand zu todt / dieſe beyde ſeyn entſchuldiget. Unterſtunde ſich aber der Balbierer an der Gaſſen oder ſonſt an einer vngewohnlichen ſtatt jemand zu ſcheren / oder der Schutz an einer dergleichen vngewohnlichen ſtatt/da man ſich verſehen mochte/daſz leut wanderten/zu ſchieſſen / oder hielte ſich der ſchutz in der zielſtatt vnfurſichtiger weiſz / vnd wurde alſo von dem Balbierer / oder dem Schutzer / als obſtehet / jemand entleibt / der thater keiner wird gnug entſchuldiget. *Id eſt:* Si tonſor in tonſtrina ſua alicui eo quo ſolet modo barbam radat, & in manus tonſoris quid jactetur, aut tonſor ita percutiatur, ut gulam ejus, quem radebat, culicllo præter voluntatem præcidat, aut ſi ſclopetarius quis aut miles, in loco jaculationibus, aut exercitationibus militaribus deſtinato, dum telum emittit, bombardam exonerat, tranſeuntem, tranſcurrentemve læſerit, trajecerit: vel ſi quum nundum collimaſſet, telum præter voluntatem fugerit, atque hominem occiderit: nulla horum culpa intelligitur. Si vero tonſor in via publica, aut ubi homines ex conſuetudine tonderi non ſolent, quem radat aut ſclopetarius in alio loco, quam qui ad exercitandum datus eſt, ejaculatus fuerit, aut imprudentius arcum, tormentumve in loco ipſo deſtinato tractarit, & verſarit; ſi quis ab eo tonſore, vel ſclopetario occidatur, neuter eorum ſatis excuſabitur, &c. quod ex *l. 11. in pr. ff. ad legem Aquiliam* adjectum videtur.

9 Cum quo convenit jus provinciale Ducatus Pruſſiæ *lib. 6. tit. 5. art. 6. §. 2.* his verbis: Aliud „ exemplum animadvertere licet in tonſore, qui quum in tonſtrina ſua barbam alicui raderet „ inopinato caſu impulſus, aut percuſſus, gulam ei quem radebat præcidit. Itemque aliud „ in funditore baleari vel jaculatore qui in loco jaculationibus, atque militaribus exercitiis de- „ ſtinato jaculis ludens, vel bombardam ad metam exonerans, ſubeuntem, tranſcurrentemve „ læſerit, trajecerit, vel cui invito, & nondum collimanti, arcus vel bombarda exploditur, exo- „ neraturque, atque ita hominem occidit, horum culpa nulla intelligitur. At ſi tonſor in via pu- „ blica aut ubi homines tonderi non ſolent, quem radat, aut miles, ſagittarius, vel ſclopeta- „ rius in alio loco, quam qui ad exercitandum datus eſt, & qua vulgo iter fit, ejaculatus fuerit, aut „ ſi imprudentius arcum tormentumve in ipſo loco deſtinato tractavit, & verſavit: ſi quis ab eo „ tonſore vel jaculatore occidatur, delinquens non ſatis excuſatur; ſimiliter ſi venator dum vena- „ tioni operam dat, & in feram telum mittit, hominem forte fortuna percuſſit, tanquam homicida „ puniri non debet. Si igitur cædes ejuſmodi, quæ non quidem ex propoſito, ſed culpa aliqua „ interveniente fuerit facta, in judicium deferatur, & judicea, ſuper ea prudentes conſulant, qui „ quæ cuique facto oppoſito pœna reſpondeat, ex jure ejuſque arte pro ſua peritia ſtatuent. A „ quo tamen notanter hunc caſum excipit ibid. §. 3. ut ſi nutrix, cui infans lactandus, & nu- „ triendus concreditus eſt, per improvidentiam in ſommo, infantem opprimat, & ſuffocet, per- „ petuæ relegationis pœna in eam animadvertatur.

10 Ex quo notandum, homicidium caſuale iterum diſtingui in homicidium mere fortuitum, quod ab aliquo præter ſcopum, conſilium, & culpam ſuam ex negotio & actu licito, natura ſua ad delinquendum non comparato, committitur, & homicidium quodammodo caſuale & præter committentis intentionem contingit, ſed tamen culpa non caret, quod impunitum manere non debet, ſed ejus pœna arbitraria eſt: *l. 3. §. 2. l. 4. §. 1. ff. ad leg.* Corn. *de Sicar. l. 38.*
11 *§. 5. ff. de pœn. l. 4.* Cod. *ad leg. Jul. de Adulter. l. 41. §. pen. ff. ad leg. Aquil.* Vocaturque communiter homicidium culpoſum, ejuſque culpa ad hæc duo referri ſolet, primo ſi quis operam dederit rei illicitæ, & interim caſu accedente quis pereat, interficiaturve. Deinde, ſi quis in re licita, atque permiſſa non omnem adhibuit diligentiam *cap. Presbyterum, & cap. continebatur, extr. de homicid. l. 7. §. 4. l. 9. §. fin. l. 31. & l. 52. §. fin. ff. ad leg. Aquil.* Quibus duobus caſibus, ſi infortunio ac caſu quodam ex facto alicujus quis interficiatur, homicidium pro culpoſo habendum eſt: eoque commiſſo judex pro arbitrio & diſcretione ſua pœnam decernet, ſecundum culpæ aut levitatem, aut gravitatem, quæ communiter eſſe ſolet, exilium, relegatio, damnatio ad carceres ſive perpetuos, ſive temporales etiam pecuniaria. Ut latius per exempla & facti ſpecies vide apud Menoch. *De arbitr. Jud. caſ 324. num. 2.* Farinac. *part. 5. oper. crimin. quaſt. 126. num. 27.* Jacob. Ayrer. *tract. De homicid. part. 2. num. 103. & ſeq.* Damboud. *Prax. Criminal. cap. 84. num. 22. & cap. 85. num. 10. & ſeqq. & cap. 86. num. 22.* Farinac. *Prax. Criminal. quaſt. 126. tit. 14. num. 31.* Decian. *tract. Criminal. lib. 9. cap. 17. & ſeq.* Ludovic. Carer. *Prax. Criminal. tract. De homicidio. §. circa vera. pag. mihi 141.* Ægid. Boſſ. *Prax. Criminal. tit. de defenſ. Reorum, num. 67.* Boër. *deciſ. 83. & ſeq.*

Sed

Sed an error in perſona, veluti ſi quis Titium occidere volens, occidat Cajum, ad homicidium 12 caſuale quoquo modo pertineat, ſic ut is mitiori pœna puniendus veniat? Quum ad hoc ut in homicidii crimine ordinariæ pœnæ locus ſit, non præciſe occidendi animus requiratur, ſed doloſus ad id animus ſufficiat, quo quit doloſe operam dederit rei illicitæ, ex qua homicidium veroſimiliter ſequi potuerit. *l. 6. Cod. ad leg. Jul. de Vi public.* ut initio hujus capitis notatum, ordinaria legis Corneliæ pœna talem delinquentem puniendum eſſe conſequens eſt: licet enim in perſona erraverit, certum tamen ſubjectum ex propoſito percuſſit, quod ſufficit. facit *l. 7. Cod. ad leg. Corn. de Sicar. junct. l. 18. §. 3. ff. de injur. l. 45. §. 4. ff. ad leg. Aquil. l. 20. in fin. Cod. de furt.* Vide Jul. Clar. *§. homicidium. num. 6.* Vaſq. *lib. 3. controv. illuſtr. cap. 96. num. 32.* Fachin. *lib. 1. controv. cap. 37.* & latè Carpzov. *Prax criminal. part. 1. quæſt. 5.*

Ordinaria homicidii pœna eſt capitis amputatio, *§. 5. Inſtit. de public. Jud. l. 3. §. pen. ff. ad* 13 *leg. Corn. de Sicariis. l. 3. verſ. patiatur. Cod. De Epiſcop. aud.* de qua vide Jul. Clar. *§. homicidium. num. 14. verſ. Sed quæro.* Farinac. *tom 4. oper. criminal. tit. 14. quæſt. 119. num. 2.* Boſſ. *Prax. Criminal. tit. De homicidio. num. 107.* Jacob. Ayrer, *De homicidio. part. 2. num. 13. 15.* Anton. Matth. *De Criminib. lib. 48. tit. 5. cap. 3.* Neque intereſt quis, aut qualis ſit, qui occiſus, an liber an ſervus, nobilis an ignobilis, mutilatus, an integer, perfectus an monſtroſus ſit: quantum enim ad cæſos attinet, lex Cornelia naturam ſequitur, quæ omnibus una eademque ac communis eſt. *l. 12. §. ult. ff. de Accuſat.* Niſi forte tam prodigioſam habeat formam, ut pœne alterius generis, aut animalis eſſe videatur. Ut recte contra Gomez. diſtinguit Anton. Matth. *d. tit. 5. cap. 1. num. 6.*

D. XLVIII. XXI. Cod. IX. L. De bonis eorum, qui mortem ſibi conſciverunt.

Sed quid ſi quis ſibi ipſi violentas manus intulerit, mortemque ſibi conſciviſſe reperiatur? Di- 14 ſtinguendum: ut, ſi quis ex mala alicujus delicti conſcientia, qua pœnam effugeret, mortem ſibi conſciverit, Jure Civili ejus bona publicantur. *l. 3. ff. De Bon. eor. qui mortem ſibi conſciver.* Jure Canonico iis Eccleſiaſtica ſepultura denegatur, & à communibus Eccleſiæ precibus & ſuffragiis excluduntur. *cap. Si non licet. 23. quæſt. 5. & cap. placuit. junct. Gloſſ. ead. cauſ. & quæſt.* Sed moribus ex loco ſui domicilii equo pertrahitur, uſque ad ſupplicii locum, ubi in furca ſuſpenditur, ut hoc dedecoroſo ſuſpendii genere aliis ſpectaculum, & ſignum præbeat. Ut de noſtris moribus teſtatur Damhouder. *Prax. criminal. cap. 90.* Gudelinus *de jure Noviſſimo lib. 5. cap. 17. in fine.* Conſuetud. Antverpienſ. *cap. 16. art. 3.* Conſuetud. Amſterlodamenſ. *cap. 13. art. 9. 7.* Quod idem de Galliæ Argentr. *ad conſuetud. Britann. art. 589.* & Imbert. *Pract. civ. & criminal. lib. ult. cap. ult. in addit. num. 17.* Italiæ, *Jul. Clar. §. final. quæſt. 51. num. 15. in fin.* & Farinac. *Prax. criminal. quæſt. 10. num. 8.* & Saxoniæ moribus convenire teſtatur Georg. Schultz. *ad tit. Inſtit. De Rer. diviſ. litt. F.*

Qui vero in phreneſi, ardenti febri, aut alia inſania, aut deſperatione ſibi ipſia mortem intuliſſe reperiuntur, nulla pœna, ſed commiſeratione digni ſunt. per *d. l. 3. §. 6. ff. de bon. eor. qui ante ſententiam mortem ſibi conſciver.* Neque in cadavere, nec in bonis puniuntur, qui nullo delato, probatoque crimine, dolore corporis, aut tædio vitæ mortem ſibi conſciverunt. *l. 1. l. 2. Cod. & l. 3. §. ult. ff. eod.*

Quod quum effrena Prætorum in multis poteſtate, patrum noſtrorum memoria, minus diſtincte ſervari cœperit: tandem à Margareta Burgundiæ & noſtra duce magno iſto privilegio Hollandis, Zelandis, atque Friſiis 13. Martii 1476. dato, jus ſcriptum in uſum revocatum eſt, inque hunc modum art. 45. cautum reperitur: **Item / geene Beraders / nochte geene andere Officiers in onſen voorſz. Landen / hoedanig ſy zyn / en ſullen yemandt moleſteren van Lijf / ofte van Goede / daer men yemandt doodt vindt / onder dexſel van dien / dat die doode hem ſelven verdaen / ofte gedood ſoude hebben / ten ware dat men eerſt wettelijck bevonde / dat die perſoon hemſelben met opſetten wille / ende met booſheyt verdaen hadde.** *Id eſt:* Item nullis Conſiliariis, aliiſque Officialibus in noſtris prædictis terris permiſſum erit aliquem moleſtia afficere in corpore, aut in bonis, quando aliquis mortuus reperitur, ſub prætextu quod is ſibi ipſi violentas manus intulerit, atque mortem conſciverit, niſi prius legitime conſtet eum animo deliberato, atque ex malitia ſibi mortem conſciviſſe. Quæ verba (animo deliberato, atque ex malitia) copulative ſumpta, ad malam delicti conſcientiam extendi, ab Hollandiæ Curia ſæpius judicatum probat Groenew. *ad d. l. 1. 2. Cod. de bonis eorum.* & ad Grot. *Introd. lib. 2. part. 1. num. 33.* Eodemque modo diſtinguendum eſt, quod Georg. Schultz. *d. loco*, in jure Saxonico, *Landt-R. lib. 2. art. 31.* contineri refert. Ut illi, qui ſeipſos interficiunt, ſub tecto domus dejici, vel ſub limine extrahi, ſupra raſtrum educi, & comburi aut per carnificem in campo ſepeliri debeant: Unde & eadem obſervantia apud nos remanſiſſe, aut certe ad nos, ut ibi Saxones primo

ſedem

ſedem poſuerint, tranſlata videtur: Quam diſtinctionem quum non caperet Georg. Schultz. dicto loco eatenus id in diſſuetudinem veniſſe putat, ut vix in alio obtineat quam quod hi ſi honeſtiores ſint per veſpillonem prope marginem cemeterii ſepeliantur, ut per exemplum Aurigæ qui phreneſi laborans ſe ipſum interfecerat, probare ſe exiſtimat: quem nulla admodum pœna, ſed commiſeratione dignum, ſatis ſuperque demonſtravimus.

15 Neque hac ſolum pœna coërcentur qui homicidium ipſo facto perpetraverunt, ſed qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulant, id eſt diu & ſtudioſe hoc agunt, ut hominem necent. *§. 5. Inſtit. de public. jud. l. 7. Cod. ad leg. Corn. de Sicar.* & illi qui abortionis poculum parant, propinantque, licet nec mulier nec fœtus interierint. *l. 38. §. 5. ff. de pœn.* etiam ii qui aggreſſi ſunt necare infantem *l. pen. Cod. ad leg. Corn. de Sicar.* Qui tamen hodie mitiori, & arbitraria tantum pœna puniuntur, niſi & alia delicta ſimul concurrant, ut initio hujus libri *cap.* 1. de nudo conatu, aut affectu delinquendi latius demonſtratum vide.

16 Sed & ſi quis mandaverit alteri, ut alium occidat, æque ac mandatarius ex lege Cornelia, ultimo ſupplicio punitur: aut ſi necandi animo conſilium dederit, aut opem tulerit. *l. 15. §. 2. ff. ad leg. Corn. de Sicar. l. 1. §. 3. ff. & l. 7. Cod. eod.* Vid. Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. final. quæſt. 89. in pr.* Menoch. *de arbitr. jud. lib. 2. caſ. 353.* Farinac. *part. 5. oper. criminal. quæſt. 135. num. 1.* niſi mandatarius fines mandati exceſſerit, quo caſu mandans non tenetur *arg. l. 5. ff. mandati.* Menoch. *d. lib. caſ. 352. num. 3.* Modo ita mandatum cauſam mortis mediatam dederit, veluti ſi quis mandaverit, ut alterum pugnis, aut baculo mediocriter exciperet.

17 Cæterum ſi tale quid mandaverit, quo mandatarius in ſua poteſtate non habeat mandati fines tam ſtricte ſervare, quin ex eo accedente caſu inopinato mortis inflictio ſequi poſſit: veluti ſi mandatum fuerit de vulnerando cum enſe, ſeu de bombarda, aut ſclopeto, in aliquem exonerando, non etiam de occidendo, Eo caſu, ſi homicidium ſequatur, mandans æque tenebitur: *arg. l. 56. & l. 62. ff. de procurat. junct. l. ult. §. ult. ff. mandati:* juſſus enim gladio, vel enſe vulnerare, ictus in poteſtate ſua non habet, ut vulnera ſecundum menſuram infligere queat. Ita tenent Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. fin. quæſt. 89. num. 5.* Menoch. *de arbitrar. jud. centur. 4. caſ. 352. num. 2.* Gomez. *tom. 3. var. reſolut. cap. 3. num. 18.* & Boſſ. *Prax. criminal. tit. De Mandato. num. 10.* & noviſſime Carpzov. qui in foro Saxonico idem ſervari probat in praxi ſua criminali *part. 1. quæſt. 4. num. 26.*

18 Sed quid ſi homicidium à pluribus fuerit commiſſum? Siquidem omnes in alterius necem conſpiraverint, dataque ad hoc opera percuſſerint, ſibique mutuam operam & auxilium præſtiterint, omnes tenebuntur licet ignoretur quis vulnus intulerit. *arg. l. 1. §. 3. ff. & l. 7. Cod. ad leg. Corn. de Sicar. l. 15. ff. ead.* Vide Jul. Clar. *§. homicidium. num. 37.* Carer. *Prax. Criminal. tit. De homicidio. §. 2. num. 68. & num. 37.* Gomez. *Var. reſolut. tom. 3. cap. 3. num. 36.* Farinac. *part. 3. oper. criminal. quæſt. 96. num. 18. & num. 72.* Berlich. *part. 4. concluſ. 11. num. 49.* Menoch. *lib. 2. arbitr. Judic. cent. 4. caſ. 362. num. 25.* Damhouder. *Prax. criminal. cap. 76. num. 27.* Andr. Gail. *lib. 2. obſerv. 109. num. 10.* Sed ſi homicidium in rixa vel tumultu fortuito, ſive caſu exorto à pluribus factum ſit, ſi conſtet quis aut qui percuſſerint, hi ſoli tenebuntur, *l. 1. §. 3. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Bald. *ad l. non ideo minus. 5. Cod. De accuſat. num. 25.* Jul. Clar. *d. §. homicidium. num. 41.* Berlich, *d. Concluſ. 11. num. 33.* ſi ignoretur quis vulnus intulerit, omnes, ſed extraordinaria tantum pœna puniuntur. *d. l. 1. §. 3. ff. ad l. Cornel. de Sicar. l. fin. ff. eod. junct. l. 5. ff. de pœnis.* Damhouder. *Prax. criminal. d. cap. 76. num. 47.* Andr. Gail *d. obſerv. 109. num. 10.* Joann. à Sande *lib. 5. tit. 9. defin. 5.* Idemque à Carolo V. per omnes caſus *Conſtit. criminal. Anni 1530. & 1532.* ſancitum *art. 148. his verb.*

Art. 148.

Straff der jenigen, ſo einander in Morden, Schlagen, vnd Rumorn, furſetzlich, oder vnfurſetzlich beyſtand thun.

So etliche Perſonen mit fürgeſetztem vnd vereinigtem willen vnd muth / jemand boßlich zu ermorden / einander hülff vnd beyſtand thun / dieſelben thäter alle haben das leben verwirckt / So aber etliche Perſonen vngeſchichts in einem ſchlagen / oder gefecht bey ein ander weren / ein ander helffen / vnd jemand alſo ohn gnugſam vrſach erſchlagen wird: So man dann den rechten thäter weiß / von deß

Art. 148.

Pœna eorum, qui cum homicidium in rixa, tumultu, vel digladatione fieret, ſibi invicem auxilium tulerunt.

Qui conſpiratione facta, deſtinata voluntate, deliberatoque animo, hominis occidendi cauſa, ſibi mutuam operam, auxiliumve ferunt, ſinguli, quod occidendi animum habuerint, capitali ſupplicio afficiendi ſunt. Si verò alii pugna ex rixa caſu exorta incaleſcentibus animis in impetu junctis viribus hominem occidant: ſi quidem is, qui manu ſua cædem perpetravit, deprehendi poſſit, ut homicida punietur, reliqui

hand die entleibung geſchehen iſt / der ſol als ein Todſchlager mit dem Schwerdt zum tod geſtraft werden. Were aber der entleibt durch mehr / dann einen / die man wuſt / gefarlicher weiß tadlich geſchlagen / gewarffen vnd gewundet worden / vnd man kunte nicht beweißlich machen / von welcher ſonderlichen hand vnd thater geſtorben wer: So ſeynd dieſelben / ſo die verletzung / wie obſtehet gethan haben / alle als Todſchlager vergemelter maſſen / zu dem todt zu straffen. Aber der ander beyſtander / helffer vnd vrſacher ſtraff halber / von welches hand abbeſtimpter waffen / der entleibt nicht todlich verletz worden iſt; auch ſo einer in auffruhr / oder ſchlagen entleibt wird / vnd man machte keinen wiſſen / dar van er (als vorſtehet) verletzt worden wer / ſollen die Vrtheyler bey den Rechtsverſtandigen / vnd an enden vnd orten / wie hernach gemelt wird / Rahtspflegen / mit eroffnung aller vmbſtande vnd gelegeatheit ſolcher ſachen / ſo viel ſie erfahren konoten. Denn in ſolcher fallen / nach ermaſſigung mancherley vmbſtande / das nicht alles zu ſchreiben / vnterſchiedlich zu vrtheilen iſt.

tantum de vulnerato tenebuntur: Sin, qui occiſus à pluribus, quorum nomina certa ſunt, vulneratus & percuſſus fuerit, & is qui peremerit, & cujus manu interfectus occubuerit, ignoretur: ex his omnes, qui lethale vulnus occiſo inflixerunt, pœnæ homicidii ſubjacebunt. Ceterum de pœna eorum, qui cum aliis ſuppetias ferrent, lethali vulnere occiſum non percuſſere; item, quid agendum ſit, ſi quis per tumultum, aut digladiationes occidatur, neque eorum quiſquam, qui occiderint, certo ſciri poſſit; id conſilii ſupereſt, ut conſilium à Prudentibus, quibus judices quidquid circumſtantiarum inveſtigare poterunt, exponent, & conſilium, ut ſuo loco dicetur, expetent: quod noſtri inſtituti non ſit, ad vivum omnia reſecantes, ſingulos caſus recitare: quod alia atque alia facta pro diverſitate varia requirant judicia.

Præter hanc, quæ ad publicam vindictam ſpectat, pœnam, homicida etiam ad damni repa- 19
rationem defuncti heredibus tenetur: *l. 33. ff. ad leg. Aquil.* ac præterea ſe indignum reddit hereditate occiſi ex teſtamento, vel ab inteſtato ſibi delata. *l. 6. §. pen. ff. de bon. damnator.* In qua reparatione veniunt funerit impenſæ, mercedes Medicis præſtitæ, cæteraque impendia quæ in curatione facta ſunt, *d. l. 33. in fin. pr. ff. ad leg. Aquil.* & præterea operæ quibus vidua, liberi, aliive conſanguinei, qui ab occiſo alimentari ſolebant, carent, aut cariturі ſunt ob id quod occiſus ſit, computatione facta ad redituum vitalium rationem, *l. fin. ff. de his qui effuſ. §. 1. Inſtit. De obligat. quæ quaſi ex Delict. junct. l. 68. ff. ad leg. Falcid.* Jul. Clar. *§. fin. quaſt. 58. num. 32.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 2. art. 34. num. 7. 8. & art. 36. num. 1.* Sande *lib. 5. tit. 9. defin. 5. in fin.* Grivell. *deciſ. Dolan. 25.*

Cap. XII.

De delictis Ordinariam capitis pœnam aggravantibus, & de latrocinio.

Summaria.

1. *Latrocinium quid, & ejus pœna Jure Civili.*
2. *In* Germania, *& terris* Saxonicis.
3. *In* Belgio.
4. *In* Anglia.
5. Gallia.

ORdinaria homicidii pœna gladius eſt, id eſt capitis amputatio, quæ tamen in quibuſdam exaſperatur, ut in latronibus, aſſaſſinis, parricidis, veneficis, ſortilegis, incendiariis & aggerum ruptoribus. In aliis vero mitigatur, ut ſi vulnus illatum lethale non fuerit, item in iis qui infantea exponunt, abortionis cauſam dant, in Medicis, qui per imprudentiam malo medicamento alterius mortem cauſantur, & ſimilibus: de quibus ſingulis: & primum de latrocinio.

Latrocinium eſt homicidium cum ſpolio aut rapina commiſſum, & latrones ſunt qui homines 1
per vim ſive in domibus, ſive in viis publicis & privatis non tantum ſuis rebus ſpoliant, ſed & ſpoliis non contenti, recuſantibus ſua derelinquere, vel iis à quibus ſe cognitos ſuſpicantur, mortem inferunt, nobis, **Moord ende Moordenaers** / pro quo faciunt textus in *l. 28. §. pen. ff. De pœn. l. 4. Cod. ad leg. Corn. De Sicar. l. 5. ff. De lege Pompeja De Parricid. l. 4. ff. ad leg. Aquil.* quod, quia gravius ſimplici homicidio, *auth. ſed novo Jure, Cod. de ſerv. fugitiv.* graviori etiam pœna coërcendum eſt: in quo tamen ſupplicii genere mores variant. Jure civili furca ſuſpenduntur. *l. 28. §. 15. ff. De pœnis.* Vid. Farinac. *part. 7. oper. criminal. quaſt. 167. num. 89. & ibi DD.*

In Germania & terris Saxonicis rotæ ſupplicio afficiuntur latrones eorumque crura ad inter- 2
necionem franguntur, ſupplicii genus veteribus familiare, crurifragium dictum: Ita ſtatutum à Carolo V. *Ordinat. criminal. art. 137.* cui convenit jus Saxonic. *Lands. R. lib. 2. art. 13. Et conſtit. Elect. part. 4. conſtit. 5. in pr. & conſtit. 35. in fin.*

Et ſi latrocinium aliquotiea fuerit reiteratum, ut in iis qui ex conſuetudine in ſylvis locisque à via publica conſpectuque populi remotis, per vim prætereuntes ſpoliare, nec ſpolio ſatiati, aut ne manifeſtum fiat, occidere ſoliti ſunt: aut ſi in perſonis in illuſtri dignitate conſtitutis fuerit commiſſum, aut ſi horribiliter, aut una cum aliis delictis, non minus atrocibus, & horrendis concurrat: quo caſu, rotæ ſupplicio, major ſuperadditur pœna, qua latro priuſquam rota concutiatur, trahæ illigatus, ad locum ſupplicii jumento per plateas rapietur, aut candentibus forcipibus laceretur, prout colligitur ex *d. Conſtit. Carol. V. art. 137. §. 1.* & expreſſis verbis exprimit jus provinciale Ducatus Pruſſiæ, *lib. 6. tit. 5. art. 1. §. 5.*

3 Quod & mores noſtri fere ſequuntur, quibus teſte Damhoudero *Prax. rer. criminal. cap. 88. num. 7.* crati vimineæ inſidentes publice ad ſupplicii locum gladio ultore decollandi, pertrahi, corpuſque truncatum rotæ imponi, & caput palo infixum ſuffigi ſolet, ac deinde ad majorem latrocinii deteſtationem, inſtrumenta quibus latrocinium commiſerunt, aut rami ſive baculi juxta homicidiorum numerum ipſi rotæ appendi ſolent.

4 Apud Anglos quoque homicidium tale *Murdrum* vocatur eumque in modum antiquitus puniri ſolebat, ut qui murdrum committeret vivus ad palum per truncum corporis ſublime ſuſpenderetur, nullo modo ſolvendi donec inedia expiraret, quod tamen mutatum hodie, ut cui ſucceſſerit hæc, qua laqueo ſuffocantur, eorumque corpora juxta viam aliquam prætoriam loco facinoris admiſſi propinquam, in altum à prætereuntibus conſpicienda ſublevantur, nec removentur donec conſumpta fuerint: referente Johanne Cowel. *Inſtit. Jur. Anglican lib. tit. 18. §. 15.*

5 Et in Gallia Franciſci Regis I. conſtitutione Anni 1534. omnes latrones & viarum obſeſſores rite hujus criminis convicti, hoc modo puniri debent, ut nempe brachia eis duobus in locis frangantur, itemque coxæ, & pedes, duobus itidem in locis, tum rotæ affixæ palo humo inhærenti imponantur vultu in cœlum verſo, ac ita derelinquantur, donec exſpiraverint, & præterea ibidem permaneant eorum cadavera quamdiu judices cenſuerint.

Cap. XIII.

De Aſſaſſinio.

Summaria.

1. *Aſſaſſinium quid & unde dictum, & quotuplex.*
2. *Ejus pœna.*
3. *An & quatenus conatus ſine effectu puniatur.*
4. *Ejus pœna* in Saxonia.
5. *In* Gallia.
6. *In* Hollandia.

1 Aſſaſſinium, eſt homicidium ab aliquo, ad hoc mercede conducto, ad alterius mandatum, commiſſum: *cap. 1. de homicidio in 6.* ita dictum ab Aſſaſſinis Aſiæ regionis incolis, ſeu Parthicis populis, ejus generis vitio addictis. Hujus criminis duplex eſt commiſſum, aliud ejus qui ſuſcepti ab aliquo pecunia mandato ejus alterum occidit, eſtque ille proprie dictus aſſaſſinus, aliud ejus qui aliquem occidi precio mandat alteri, vocaturque aſſaſſinator, quomodo eos diſtinguit Iodoc. Damhouder. *Prax. Criminal. cap. 85.* quamvis hæc fere confundantur, eademque qua mandans locator, mandatarius conductor teneatur, per *cap. 1. & ibi Gloſſ. in verb. mandaverit de Homicid. in 6.* junct. *l. 15. §. 2. ad leg. Corn. de Sicariis l. 1. §. 3. ff. & l. 7. Cod. eod.* & quæ latius de mandante & mandatario ſuperiori capite notata.

2 Hoc crimen quum gravius & atrocius ſit homicidio ſimplici, gravius etiam puniri dubium non eſt, ſed qua pœna jus civile nuſquam exprimit, neque illud ex Iure Canonico in *d. cap. 1. de homicidio. in 6.* colligi poteſt: nec mores hac in re ſatis ſibi conſtare videntur: ſicut illud totum judicis arbitrio & diſcretioni committatur. Pleriſque hujus criminis rei, ultra gladii pœnam, prius ad locum ſupplicii pertrahuntur per caudam equi cui alligantur, & ſi ex exilioris aut honeſtioris conditionis homo per aſſaſſinium fuerit peremptus, vel rota tunduntur, vel etiam huic rotæ pœna additur, præter tractionem illam, uſtulatio per ignitas forcipes: ſi cum hoc delicto vis publica concurrat, vel reus in fruſta ſcinditur, poſtquam furca ſuſpenſus aut mallio per caput fuerit confoſſus, referentibus Iul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. aſſaſſinium. num. 4.* Ludovic. Carer. *Pract. criminal. tract. 2. de homicidio & Aſſaſin. verſ. circa igitur tertium. num. 47.*

3 Et hoc ſingulare eſt, ut hujus criminis rei fiant, ſimulatque ſuam operam ad alicujus occiſionem addixerint, ſive data pecunia, ſive non: ſed promiſſa: ſi modo fuit acceptata; etiamſi facto,

& re homicidium commiſſum non ſit: licet ſubinde mitius & ordinaria tantum legis Corneliæ pœna puniri ſoleant, per Gloſſ. in *d. cap. verb. Mandaverit. De homicidio in* 6. *junct. l.* 1. *§.* 3. *ff. & l.* 7. *Cod. ad l. Corn. de Sicar.* Bart. *ad l. Cicero.* 39. *ff. De pœn.* & *ad l. non ſolum.* 11. *§. ſi mandatu meo. ff. De Injur.* Ludov. Carer. *d. loco. num.* 7. *& DD. ibi allegat.* Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 83. *num.* 2.

4 In Saxonia tamen alio ſupplicii genere conductor ſive aſſaſſinator, alioque locator aſſaſſinus puniri ſolet, & receptum eſſe tradunt, ut aſſaſſinator qui pecunia promiſſa mandat committi homicidium, vel aliquem certa pecuniæ ſumma ad hoc delictum conducit, gladio puniatur, & poſtea cadaver ipſius rotæ in altum erectæ affigatur. Aſſaſſinus autem qui operam ſuam ad delictum hoc locat, & ſuſceptæ ab aliquo pecunia, mediante mandato aliquem occidit, rotæ ſupplicio vivus afficitur. Ut multis probat & teſtatur Benedict. Carpzov. *Pract. criminal. part.* 1. *quaſt.* 19. *num.* 15. *& ſeqq.*

5 In Gallia ab Henrico III. Galliarum Rege *conſtit. anni* 1547. in hunc modum in eos animadverſum eſt. Verba ſunt: Sancimus ut qui operas locant necandorum hominum, aut alia de „ cauſa, ſe eos occiſuros pollicentur, vel vulnera eis illaturos, aut reos eripere vinculis cona- „ buntur, & eos qui hujuſmodi ſceleratos homines ad ea facinora impulerint, ultimo affici ſup- „ plicio, ac ſolam machinationem ſeu conatum puniri, tametſi effectum res non habuerit. Nec „ id crimen cuiquam remittere propoſitum nobis eſt: ac ſi impunitate quorundam à nobis forte id „ ſit extortum, diplomatum venialium indulgentia, eos à judicibus repelli.

In Hollandia quibus crimen id rarius committi ſolet, atque alias in delictis coërcendis aliquanto mitiores eſſe ſolent, quum certi nihil conſtet, vix eſt ut extraordinariam legis Corneliæ pœnam extendatur.

Cap. XIV.

De Parricidio.

Summaria.

1. *Parricidium quid.*
2. *Ejus pœna Jure Civili.*
3. *Hodierna in* Belgio *&* Gallia.
4. *In* Germania.

D. XLVIII. IX. *Ad legem Pompejam de Parricidiis* & Cod. IX. XVII. *De his qui parentes vel liberos occiderunt.*

1 PArricidium eſt cædes contra pietatem & jus ſanguinis in parentes, liberos, fratres & ſorores, patruos, avunculos, omneſque affinitate conjunctos perpetrata. *§.* 6. *Inſtit. de publ. judic. l.* 1. *ff. ad leg. Pompejam de Parricid.*

2 Hujus criminis, ſi adverſus parentes aut liberos fuerit commiſſum, Jure Civili pœna conſtituta eſt, ut Parricida virgis ſanguineis verberatus, deinde culeo inſuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, deinde in mare profundum, ſi quod proximum ſit, culeus jactetur, alioquin beſtiis objiciatur. Qui alias perſonas veluti Fratrem, & Sororem, Patruum, Avunculum &c. occiderit, capitis pœna, aut ultimo ſupplicio plectuntur *l. ult. ff. ad leg. Pompej. de Parricid.* & Parentibus annumerantur omnes adſcendentes, & reliqui qui parentum loco ſunt, ut ſunt, ſocrus, vitricus, noverca, nurus. *d. l.* 1. *& l.* 4. *ff. ad leg. Pompej. de Parricid. l. unic. Cod. de his qui parent. vel lib. occid.* & late Jul. Clar. *lib.* 5. *ſentent. §.* Parricidium. *num.* 1. *&* 3. Farinac. *Prax. criminal. part.* 5. *quaſt.* 120. *num.* 105. 106. *&* 108. 111. *&* 117. Menoch. *de arbitrar. judic. caſ.* 356. *num.* 3. 4. *& ſeqq. num.* 15. *& num.* 39. Gomez. *var. reſolut. tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 89. *num.* 1. Card. Tuſc. *tom.* 9. *Practic. concluſ. tom.* 6. *litt.* P. *concluſ.* 9. *num.* 3. Berlich. *part.* 4. *concluſ.* 6. *num.* 51. & noviſſime Anton. Matth. *de Criminib. lib.* 48. *ff. tit.* 6.

3 Quæ utrum adhuc hodie uſu obtineat inter DD. vix convenit, quorum plurimi pœnam hanc propter nimiam crudelitatem generali quaſi diſſuetudine abolitam, ejuſque loco ultimi ſupplicii pœna cum rotæ aut alio arbitrario ſupplicii genere ſucceſſiſſe cenſent. Quomodo in Hiſpania hujus criminis reos, haud alio ſupplicii genere quam ſtrangulationis pœna affici, poſteaque dolio, aut culeo, incluſi & in flumen projici ut apud Mediolanenſes parricidas, quandoque decapitari, quandoque, furcis ſuſpendi, quandoque, ut plurimum, in infanticidia mulieribus, laqueo ſuffocari teſtatur Jul. Clar. *d. §. parricidium num.* 5. & Gomez. *Var. reſolut. d. cap.* 3. *num.* 3. Quod & inferioris Germaniæ moribus convenit. Quibus in Flandria parricidas ad caudam equi

aut

aut vehiculo affixi eratique viminex aut aſſeri inſidentes dedecoroſe ad ſupplicii locum trahi ubique decolari, corpuſque truncatum rotæ affigi refert Damhouderus *Prax. criminal.* 89. *num.* 3. In Hollandia inſanticidas mulieres laqueo ſuffocari frequens eſt, & ejus qui parentem ſuum occiderat, dextram prius, deinde caput amputari, exinde truncatum corpus culeo inſui inque profluentem amnem projici noſtra memoria vidimus. De Galliæ moribus idem fere teſtantur Rebuff. *ad Conſtit. reg. in proœm. Gloſſ.* 5. *num.* 109. Autumn. *Confer. ad l.* 1. *ff. ad leg. Pompej. De parricid. & Rubr. Cod. De his qui parente vel lib. occid.* Burguin. *De legib. abrog. lib.* 1. *ſat.* 238.

4 In Germania autem ubi in delictorum & criminum perſecutionibus cæteris ſeveriores eſſe ſolent, quum nec Jure Saxonico, nec Conſtitut. Imp. de hujus pœnæ abolitione, alteriuſque ſubſtitutione quicquam reperiatur, ſed & pro confirmatione ejus Juris in Caroli V. *Conſtit.* 5. *criminal. art.* 131. fœminas liberos ſuos necantes, eo loco ubi hæc pœna commode exerceri poteſt, aquis ſuffocari expreſſe conſtitutum ſit, ibidem in cæteris Juri Romano locum dari debere defendunt Matth. Berlich. *part.* 4. *concluſ.* 6. *num.* 6. Dan. Moller. *ad conſtitut. Elect.* 3. *part.* 4. *num.* 11. 12. & poſt eos Carpzov. *Prax. criminal. part.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 15. *& ſeqq.*

In hoc delicto etiam voluntatem pro facto haberi quidam volunt ex *l.* 1. *§. ult. ff. ad leg. Pompej. de Parricid.* In quo criminis genere diſtinguendum eſt primo inter adſcendentes & deſcendentes, & inter collaterales & alios conſanguinitate propinquos, ut illi quidem ſeverius puniantur ſecundum *l.* 9. *ff. ad l. Pompej. de Parricid.* Hi vero Ordinaria *l. Corn. de Sicariis pœna* coërceantur ſecund. *l.* 1. *ff. ad l. Corn. de Parricid.* Unde liquido patet voluntatem *l.* 1. *§. ult.* quæ eadem lege Cornelia coërcetur pro facto *l.* 9. *ff. de l. Pompej. de Parricid.* non puniri. Atque ita in ſimili conſultus reſpondi.

Cap. XV.

De Veneficio & Sortilegio.

Summaria.

1. *Veneficium quid, ejuſque pœna.*
2. *An voluntas & conatus pro facto habeatur in his & ſimilibus.*
3. *Abortus crimen quid, ejuſque pœna Juris Civilis.*
4. *Hodierna, generalis, & in* Germania.
5. *In* Belgio.
6. *Sortilegium quid, an & quomodo committatur.*
7. *Ejus pœna Juris Civilis.*
8. *Uſu recepta &* 10.
9. *Atrebatenſium circa Sortilegia iniqua ſententia.*
10. *Curia* Ultrajectinæ *ſententia.*
11. *Quid de eo criminis genere vere judicandum.*
12. *Ejus pœna in* Belgio, Germania *&* Anglia.

1 Veneficium, eſt homicidium quod veneno doloſe committitur ab eo, qui ex malo propoſito hominem veneno necat, aut venenum malum necandi hominis cauſa fecerit, vendiderit vel habuerit *l.* 3. *ff. ad leg. Cornel. De Sicar.* Hujus delicti pœna etiam eſt capitis amputatio *§. item lex Cornelia. Inſtit. De public. l.* 28. *§. venenarii. ff. De pœnis. junct. l.* 3. *ff. ad leg. Cornel. De Sicar.*

2 Quæ quum gravior ſit quod difficilius vitari poſſit, etiam conatu puniri etiamſi homo non perierit; Modo ad actum proximum pervenerit, veluti, ſi non ſolum paratum, ſed & præbitum fuerit. *arg. l.* 3. *ff. ad. l. Corn. de Sicar.* quidam voluere ex doctrina Bartoli *ad l.* 1. *ff. ad leg. Corn. de Sicar. & ad l.* 1. *ff. ad l. Pompej. de Parricid.* quem ſequuntur Hippolit. de Marſil. *ad l.* 3. *ff. ad l. Corn. de Sicar.* Petr. à Placa *Epitome delictor. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 2. Menoch. *de arbitrar. jud. lib.* 2. *caſu* 360. *num.* 46. *& ſeqq.* Decian. *tract. Crimin. lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 3. & ex noviſſimis Anton. Matth. *de criminibus lib.* 48. *tit.* 5. *cap.* 5. *num.* 3. quem etiam ex eorundem auctoritate minus provide ſecutus fui. Quod muto factum, poſtquam viderim neque certa lege, id probari neque ulla conſuetudine aut loci lege receptum eſſe, præſuppoſita regula, quod in nullis criminibus etiam atrocioribus in quibus ad actum proximum perventum eſt, voluntas aut conatus eatenus pro facto habeatur, ut ordinaria legis pœna puniatur ac ſi ipſum crimen plene fuerit perpetratum. Niſi in iis criminibus ubi lex ipſa hoc expreſſis verbis præcipit, uti ſunt crimen læſæ Majeſtatis *l.* 5. *Cod. ad l. Jul. Majeſtat.* Aſſaſſinio, de quibus *cap.* 13. *præcedent. num.* 6. in crimine raptus *l. unic. Cod. de raptu virgin. l.* 1. *l.* 3. *§.* 4. *ff. & l.* 3. *Cod. ad l. Jul. de vi publica*, In latrociniis, & incendiariis *l.* 1. *num. pr. ff. l.* 7. *Cod. ad leg. Corn. de Sicar. l.* 5. *Cod. de Epiſcop. & cleric.*

& ſimilia. In cæteris voluntatem & conatum extraordinarie & mitius puniri *arg. l. 42. ff. de pœnis junct. l. 32. ff. eod. in fin. junct. l. 38. ff. de Re jud.* per ea quæ rectius diſtinguunt iecm Hippolit. de Marſil. *Prax. criminal. §. oportet, num.* 40. Jul. Clar. *§. fin. quæſt.* 58. *num.* 11. Menoch. *de arbitr. jud. lib.* 1. *quæſt.* 86. & poſt alios Carpzov. *prax. crim. part.* 3. *quæſt.* 133. *num.* 25. Quod autem, uti de Parricidio ſuperiori capite probatum, ita nec in veneficio certa aut expreſſa lege probari nequeat voluntatem aut conatum eadem qua exitum pœna puniri, ſatis probant ipſa *lex* 1. *ff. ad l. Pompej. de Parricid. & l.* 1. *ff. ad l. Corn. de Sicar.* Quibus quidem voluntatem & conatum legis Corneliæ pœna puniri recte arguitur, ſed eadem qua exitum nemo dixerit, ſed è contra quum lex de pœnæ modo nihil diſponat ſed eam relinquat arbitrio & diſcretioni judicis, conſequens eſt, quum legis Corneliæ pœna varia ſit, major & minor, ut patet ex *l. 3. §. 5. eod.* ordinaria major, quæ eſt capitis amputatio, & Extraordinaria ut eſt deportatio, relegatio aut ſimilis minor. Et Judex in dubio ubi lex nihil certi diſponit, in mitiorem pœnam inclinare debeat per *l. 155. §. 2. ff. de Reg. Jur. junct. l. 32. ff. de pœnis.* Ut quum procul omni dubio conatus & voluntas ſine effectu, etiamſi ad actum proximum pervenerit, ipſo effectu minor ſit, non majori ordinaria, ſed mitiori extraordinaria legis pœna ſit coërcenda. Hanc Regulam, voluntatem & conatum ſine exitu regulariter nunquam eadem pœna puniri, ubique receptum eſſe latius ex profeſſo demonſtrabimus.

3 In hanc pœnam etiam committunt qui lethalibus herbis, aut noxia potione mulieri abortum procurant, ſi quidem fœtum in utero vixiſſe conſtiterit. *arg. l. 15. ff. ad leg. Corn. de Sicar. & l. 1. in pr. ff. eod. l. 1. ff. ad leg. Pompej. de parricid.* Si vero fœtum nondum concepiſſe vitam, certum ſit, extra ordinem puniri ſolent, relegatione, exilio, vel ſimili per *l. 38. §. 5. ff. De pœnis l. 4. ff. De extraord. criminib.*

4 Quæ pœna moribus fere ſervari videtur, quod nec quicquam de iis cautum, aut aliter obſervari conſtet, præterquam in Germania ubi veneficos maſculos rota contundi, fœminas aquis ſuffocari præcipit Caroli V. *Ordinat. criminal. art.* 130. Quod probat jus Culmenſe, & Pruſſiæ Ducatus conſtitutio *lib. 6. tit. 5. art. 2. §. 2. his verbis.* Si quis hominem malo veneno enecarit, hominiſve corpori nocuerit ſi vir ſit latroni profeſſo æquiparatus, rota contundatur: Sin fœmina venefica fuerit, aquis ſubmergatur. Sed Iure Saxonico *Landt. R. lib. 2. art.* 13. Venefici qui venenum alicui miniſtraverunt igneis flammis in craticula exuruntur, & concremantur. Cui convenire *Elect. conſtitut.* refert Carpzov. *prax. criminal. part. 1. quæſt.* 20. *num.* 19.

5 Et in Belgio mulieres, quæ technis doloſis ſibi ipſi fœtus viventis abortum fecerint, ex recepta conſuetudine putei ſuffocatione damnandas refert Damhouder. *prax criminal. cap.* 74. *num.* 12.

6 Sortilegium eſt quodlibet ſuperſtitioſum factum, & ſumme noxium, quo homo Dæmonis miniſterio utitur, quomodo definitur in *cap. qui ſine Salvatore* 26. *quæſt.* 2. Quibus comprehenduntur, Aruſpices, Arioli, Augures, magi, Malefici qui magicis artibus elementa turbare, vitam inſontium labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, ut quiſque ſuos conficiat malis artibus inimicos. *l. 5. 6. 7. Cod. De Malefic. & Mathematic.* De quibus late Iodoc. Damhoud. *prax. criminal. cap.* 61. *num.* 76. *& ſeqq.* Quos uno communi nomine Magos ſeu Veneficos appellamus, nobis *Tovenaers*, qui cum Diabolo pactionem ac conſuetudinem habere reperiuntur, qua Veneficorum albo ſua nomina dedere, omnipotenti Deo creatori ſuo renunciarunt, & diabolo homagium & obſequium perpetuum promiſerunt, ſeſeque ſuaſque animas & corpora in æternam damnationem tradidere, quique Dæmone cooperante artes diabolicas exercent, & hominibus pariter ac brutis animantibus nocere, & miraculoſa quæque facere nituntur.

Cod. IX. XVIII. *De Maleficiis & Mathematicis, &c.*

Dico miraculoſa facere nituntur: quia quicquid moliuntur totum fictitium eſt, nec quicquam efficere præter naturam poſſunt, Veneficos enim incantando, imprecando, faſcinando, pharmaca, magica arte incantata exhibendo, applicando, effundendo, ſub limina defodiendo, quid alicui inferre poſſe abſque ſuperſtitione nequaquam affirmari poteſt, quum verborum, imprecationum, formarumque caeterarum per ſe nulla ſit operatio. Quin imo nec ipſemet Diabolus propria virtute ac potentia, abſque Dei permiſſu ventos, tempeſtates, tonitrua, & fulmina aëre ciêre, & damnum hominibus inferre poteſt: quod ſi poſſet, ne veſtigia quidem hominum ſupereſſent. De quibus Diabolicis præſtigiis, characterum, vel ſcriptorum, vel manu in aëre formatorum, aliarumque quantitatum nullam eſſe efficaciam, neque inde rebus majorem quandam virtutem aut vires accedere ſacra etiam verba ea vi non pollere, ut in chartas membranaſve conſignata, ſolis litterarum ſignis, aut voce prolata, ſono ipſo, tanquam opere operato, ea præſtent, qui-

bus

bus opus eſt, aut perficiant quæ inſtituuntur: ſed ſolum Deum efficacem eſſe, ad pellendos morbos corporis, & ad omnis generis mala atque incommoda à nobis, liberis, pecoribus, & facultatibus noſtris profliganda, multis contra incantationes, exorciſtas, & characterum, verborumque efficaciam magicam probat Wilhelm. Zepper. *in legum Moſaicar. forenſ. explanatione lib. 4. cap. 4. §. 6.*

7 Hos ultimo ſupplicio puniendos, de Jure dubium non eſt, per text. in *§. 5. in fin. Inſtit. De public. Jud. l. 5. in fin. Cod. De maleſic. & Mathemath.* Quod & ad beſtias damnationem *l. 6. Cod. eod. l. 3. §. 5. ff. ad leg. Corn. De Sicar. l. 13. ff. eod.* ut aculeo dediti, quo ungulis ſulcantibus latera perferant pœnas proprio dignas facinore. *l. 7. ſub fin. Cod. De Maleſic. & Mathemat.* atque etiam ad ignis ſupplicium, & bonorum confiſcationem extenditur, *l. 3. Cod. eod.*

8 Quod & moribus ubique fere ſervatur, quibus nihil crebrius eſt, quam magos igni tradendos, & concremandos eſſe. Ita cautum in terris Imperii per Carol. V. *Conſtit. criminal. art.* 109. Ubi notanter excipiuntur artes illæ Magicæ, vel præſtigia, qua citra divinæ Majeſtatis abnegationem exercentur, quas arbitraria & mitiori pœna plectendas præcipit prudentiſſimus Imperator. Quippe quod ex hiſtoriis & exemplis ſatis conſtet plurimos ex phantaſia, & vana tantum imaginatione illuſorie dormientes, præſtigiis quædam ſibi ita firmiter ſuaſiſſe, ut ipſi quum ne latum quidem unguem ex ſuo diſceſſerint loco, crediderint tamen ſe Diabolicis conventibus, commeſſationibus & choreis horum interfuiſſe, & ſingula quæ fuerint acta, præſentibus utplurimum vicinis, aut conſanguineis propinquioribus profunde conſpexiſſe, & retinuiſſe. Cujus elegans unum atque alterum exemplum refert Jacobus Heemskerck in *Arcadiâ ſuâ Batavicâ pag. mihi 113. & ſeq.* Quibus ſenſuum ludificationibus & figmentis ex vana ſuperſtitione, aut ex inveterato confiſcationis bonorum inhiatu ut ille vult, Majores noſtri plus quam Chriſtianum hominem decet, addicti, quamplurimos innocentes, hoc prætextu ex ſimplici ut plurimum talium phantaſticorum accuſatione, ſed divites pleroſque, per ignis concremationem ſublatos, ejuſque bona per ipſos etiam judices diviſa, undique teſtantur ipſæ eorundem judiciorum informationes, & actuum copiæ.

9 Quo pertinet Attrebatenſium Hiſtoria notiſſima eorum quæ contra Vaudenſes, uti eos appellabant, ejus criminis reos falſo inſimulatos, circa annum 1459. 1460. & 1461. Attrebati contigiſſe legimus. Quibus poſt innumeros eo prætextu falſo condemnatos, & ultimo ſupplicio concrematos, tandem, creſcente in diem magis magiſque contagioſa illa falſa inquiſitionum, & turgida confiſcationum peſte Galliarum Rex intercedendo, per Parlamentum Pariſienſe, ex cauſæ inquiſitione omnia ejuſmodi per eos judicia, nulliter, & inique lata declaravit, condemnatorum bona reſtituit, inque ipſos judices pœnali judicio animadvertit. Quam integram proſequitur Marc. Zuer. Boxhorn. *In Hiſtoria ſua Belgica*, quam circa perſecutiones primitivæ Eccleſiæ edidit: *Anno 1649. pag. mihi 43. & ſeqq. uſque ad 93.* Quibus adſcribere lubet quæ hac de re refert Jacobus Mejerus Annal. Flandriæ lib. XVI. *ſub Philippo Burgundico*, M. CCCCLIX.
„ Attrebati, inquit, horrendum quid contigiſſe legimus. Complures fuiſſe inhumaniter igni
„ crematos, qui de nocte occultas coitiones habuere cum Diabolo, unde magnam accepere pe-
„ cuniam viri primarii, complures judiciis crematorum deprehenſi, pars capti, & ſæviſſimis
„ tormentis admoti, alii vi pecuniæ redempti, nonnulli ſolum verterunt: quidam vero adeo in
„ pœnis conſtantes fuere, ut nihil confiterentur. Fuiſſe referuntur ex judicibus quidam adeo
„ deteſtabiles, ut quoſdam ſibi inimicos judicari curaverint tanquam conſcios, reis in tormentis
„ ad hoc coactis: Addunt in nocturnis illis conventibus ex omni ordine ſtatuque mortalium vi-
„ ros, mulieresque interfuiſſe, eoſque ibi Diabolum in humanam effigiem transformatum ado-
„ raſſe, cujus tamen nunquam videbant faciem; in illius verba mandataque juraſſe, convivio ab
„ illo parato largiter epulatos, inde extincto omni lumine quemque cum ſibi proxime oblata pro-
„ miſcue concubuiſſe, ſine ope Diabolica, in ſua unde exierant loca reſtitutos, &c. Ita nimirum Diabolus ex omnibus Ordinibus, & conditione qualibet Miniſtros habet fideles, qui regnum ſuum tuentur, cœtus, ac conſortia diabolica propagent, perſuadendo judicibus ac Magiſtratibus, de magis ſeu Veneficiis ſupplicium ſumi injuſtum.

10 Neque juſtas inveni Curiæ Ultrajectinæ ſententias noviſſimas, quod miror, 26. Julii, contra Antonium Bulck ejuſque uxorem, 1. Auguſti 1595. contra Heſſelium Volkardi ejuſque liberos latas. Quarum informationes & actus judiciales penes me exſtant. Quibus illos, ejuſmodi aut non diſſimilium nugarum inſimulatos, poſt eorundem, per injuſtam ſatis torturam aliqualem confeſſionem extortam, igni concremandos pronunciarunt, executionique mandarunt Domini *Bruxelles*, *Cancer*, *Radelant*, *Loon*, *Wijnhoff*, *Zyl*, *Ruyſch*, & *Wede*, ejuſque Curiæ Senatores.

Non

Non quod ejuſmodi crimina amplius reperiri poſſe negem, ſed cum diſtinctione in iis proce- 11
dendum eſſe velim, nec propter minima quæ plerumque ſenſuum ſunt ludificationes, ac figmenta, quibus aliqui ſe in lupos, urſos, feles, aliaque animalia transformate poſſe phantaſtice ſomniant, tam atroces pœnas dari. Quippe quod apud nos ipſe eventus edocuerit ſatis, pauciores inveniri magos & veneficos, ubi parcius & mitius puniuntur, & nulli pœne, ubi in illos qui hujuſmodi homines falſe accuſarint. ſeverius animadvertitur.

Atque eam diſtinctionem in Germania, ubi alias pro Magorum concrematione proniores 12
eſſe, & plures etiam reperiri ſolent, ſervari, & *Elector. conſtitut.* comprehenſam eſſe multis probat & refert Benedict. Carpzov. *part. 1. conſtitut.* 49. *num.* 9.

In Anglia etiam mitius puniri ſolent, ubi primo Eliſabethæ tempore *Conſtitut.* Anni Regimi-
„ nis ejus, 5. *cap.* 16. Cacodæmoniorum conjuratio, faſcinatio, incantatio qua quis interficitur,
„ vel etiam qualiſcunque poſt primam convictionem, qua corpus hominis languidum aut tabidum
„ redditur, morte puniebatur. Sed hodie: qui invocatione vel conjuratione cujuſquam Cacodæ-
„ monis utitur, qui cum ſpiritu aliquo malo conſilium capit, aut quicquam paciſcitur, vel etiam
„ ſpiritum aliquem malum commercio excipit, mandato onerat, paſcit, præmiove remunerat
„ ad finem quemcunque: qui cadaver humanum ſepulchro ſuo, vel dormitorio quocunque effo-
„ dit, pellem, os, aut aliam aliquam partem hominis mortui veneficio, faſcino, præcantationi,
„ incantationi applicandam eruit: denique qui genus aliquod veneficii, faſcini, præcantationis,
„ incantationis exercet, inde mors cujuſquam, deſtructio, languor corporalis, conſumptio, ta-
„ bes, aut clauditas ſubſequetur: ipſe cum auxiliatoribus, incitatoribus, conſiliariiſve ſuis, ſine
„ omni clericatus beneficio, feloniæ reatu perſtringitur. Et præterea ad perpetuam tam atrocis
„ blaſphemiæ extirpationem proviſum eſt, *An 1. Jacobi Seſ. 1. cap.* 12. Ut quiſquis in ſe ſuſci-
„ pit per veneficium, incantationem, præcantationem, aut faſcinationem dicere, vel declarare,
„ quo loco theſaurus aliquis auri vel argenti inveniri poſſit, aut reconditus jacet, aliquem ad amo-
„ rem illicitum provocare: bona cujuſquam deſtruere vel diminuere, denique corpus cujuſquam
„ perdere vel lædere: licet intentionem ad effectum non perduxerit: unius anni carcerationem
„ ſine omni favore ſuſtineat: atque interim tempore quolibet trimeſtri ſemel in pyloriam per ſex
„ horas in publico foro ſubactus delictum ſuum aperte confiteatur. Semel autem convictus, ſi ite-
„ rum hoc tantarit, omni ſpe veniæ ſublata, morti addicatur.

CAP. XVI.

De Incendiariis & Aggerum ruptoribus.

SUMMARIA.

1. *Incendiarii, qui, eorumque pœna Juris Civilis.*
2. *Hodierna.*
3. *Voluntas pro effectu punitur.*
4. *Aggerum infractio quid, & quomodo puniatur.*

NEque modo in homicidio, ſed & in aliis ultimi ſupplicii pœnis, ob circumſtantiarum gravitatem ordinaria ultimi ſupplicii pœna aggravari ſolet, ut in Incendiariis, & malitioſis aggerum ruptoribus.

D. xlvii. tit. De incendio ruina, & naufragio.

Incendiarii ſunt fures, latrones, prædones, omneſque quorum dolo malo incendium fuerit fa- 1
ctum, quod atrox & grave etiam crimen eſt. Hujus criminis pœna eſt, ut, ſi intra oppidum incendium fecerint, prædæ, aut inimicitiarum cauſa, ultimo ſupplicio puniantur, & plerumque vivi comburantur. *l.* 16. *§. pen. l.* 28. *§.* 12. *ff. De pœnis. l.* 10. *ff. ad leg. Corn. de Sicariis, l.* 9. *ff. De incend. ruin. & naufragio.* Si cœtu, turba, aut ſeditione incendium fecerint, etiam legi Juliæ de vi publica ſubjiciuntur. *l.* 5. *ff. ad leg. Jul. De vi public.*

Quod & mores & conſtitutiones fere probant. Ita conſtituit Carol. V. in Imperio Romano- 2
Germanico *Ordinat. criminal. art.* 125. Ut ſcilicet Incendiarii doloſi ignis ſupplicio afficiantur, & vivi comburantur. Quod totius fere Saxoniæ conſuetudine comprobari per *Conſtit. Elect.* 17. *part.* 4. teſtatur Carpzov. *Prax. criminal. part.* 1. *quæſt.* 38. *num.* 13. 14.

In Hollandia qui caſam, aut villam dolo malo incenderit ſtrangulatur, & facies ejus accenſo ſtramine uſtulatur, & corpus ejus deinde publico ſpectaculo exponitur. In Flandria moris eſt eos perdere igne, deinde corpus infigere rotæ, cui appenditur olla, teſtis puniti incendiarii. In Brabantia eos vivos comburunt, teſte Damhoudero *Prax. criminal. cap.* 105. *num.* 8. 9.

Et

3 Et in hoc etimine voluntas pro effectu punitur, ut ſi quis mioitetur alterius incendere domum, aut ſi ad actum, id eſt, incendium futurum quicquam paraverit, aut actus præparatorios ad hoc præmiſerit, veluti ignem immittendo, pupas, aut lineas ſtuppas, cum igne, pice, ſulphure, aut pulvere tormentario alicubi ſecretè collocando, aut carbones ſecreto in loco ſuppeditando: qui perinde ut incendiarii puniuntur, licet incendium ſubſecutum non ſit, per ea, quæ idem Damhouder. *Prax. Criminal. cap. 105. num. 10. 11. arg. l. 5. Cod. de Epiſcop. & Cleric.*

4 Malitioſa infractio eſt, qua quis ita lædendi rabie corripitur, ut publicos aggeres effringat, quo conjunctos agros, & campos diluvio, & inundatione corrumpat, ob cujus criminis indignitatem & pernicioſam malitiam, ejuſmodi littorum, riparum, aut aggerum maris, fluminumve effractores, eodem quo idem perpetrarunt loco, igne concremari conſtitutum eſt. *l. unic. Cod. de Nili aggerib. non rumpend.* Quæ cum localis ſit, nec ubique locorum ex aggerum diruptione æque grave ſit diſpendium, aliquando etiam exiguum, aut pœne nullum, pro perſonæ, facti, & diſpendii qualitate, id arbitrio judicis committendum volunt Damhouderus *Prax. Criminal. cap. 107. num. 4.* Chriſtin. *vol. 4. deciſ. 203. num. 7.* Anth. Matth. *de Criminibus lib. 48. tit. 5. cap. 3. num. 3. 4. Zyp. Notit. Jur. Belgic. tit. De Aggerib. non rumpend.* Quod tamen ad eandem pœnam ex cauſa extendi, nihil eſt quod vetat. *Cod. ix. xxviii. De Nili aggeribus non rumpendis.*

Cap. XVII.

De delictis Ordinariam Capitis pœnam mitigantibus, & de vulneratione non lethali.

Summaria.

1. *Quodnam ſit vulnus, lethale vel non & quomodo puniendum.*
2. *Homicidium à pluribus commiſſum an & quomodo puniendum.*

QUum in homicidio, antequam pœna mortis imponatur, de corpore delicti deque omnibus qualitatibus, & circumſtantiis homicidii conſtare debeat, per text. *in l. 1. §. 24. ff. ad Senat. Syllan. & l. 9. Cod. Unde vi.* & præcipue occiſum dolo alterius, *l. 1. §. 3. ff. ad l. Corn. de Sicar.* ex percuſſione, aut vulnere inflicto obiiſſe, illudque fuiſſe lethale & mortiferum, *arg. l. nemo. 3. Cod. De Epiſcop. audiend.* conſequens eſt, quando occiſus obiit non ex vulnere, quod lethale non fuit, ſed ex culpa Medicotum, vel ex malo regimine, vel alia ex cauſa ſuperveniente. Quod præſumitur, ſi vulnus lethale non fuerit per ſe, per ea quæ tradit Boſſ. *Prax. criminal. tit. De Homicidio. num. 115* Jul. Clar. *§. homicidium. num. 33.* Menoch. *De arbitr. Judic. caſ. 274. num. 3.* ut reus non ordinaria legis Corneliæ pœna, nec ut occiſor, ſed ut vulnerans mitiori
1 pœna puniri debeat per text. in *l. 30. §. final. ff. ad leg. Aquil. & l. 52. in pr. ff. eod.* Farinac. *part. 5. Oper. criminal. quæſt. 127. num. 1.* Gomez. *tom. 3. Var. reſolut. cap. 3. num. 28.* Damhouder. *Prax. criminal. cap. 75. num. 2.*

Quando autem vulnus fuerit lethale vel non, ex inſpectione Medicorum & Chirurgorum judicari debet: quorum judicio omnino ſtandum. De quibus quædam vide apud Damhoud. *d. cap. 75. num. 3.* Boër. *deciſ. 323.* & Anton. Matth. *De criminibus. lib. 48. tit. 5. cap. 3. num. 17.* Sed an ex temporis intervallo dijudicari poſſit? Quidam putant, ut ſi quis diem quadrageſimum poſt illatum vulnus attigerit, non vulnere, ſed fato mortuus credatur, abſque ulla ulteriori inquiſitione, præſertim ſi interim in publicum prodierit vulneratus. Ita tenent Jul. Clar. *§. homicidium. num. 44.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 4. tit. 15. defin. ult.* Argentr. *ad conſuetud. Britann. art. 576. num. 2.* Grot. *Introd. lib. 3. cap. 34. §. pen.* quos ſequitur Anthon. Matth. *De criminib. lib. 48 tit. 5. cap. 3. num. 18.* Sed verius eſt, ut & illud judicis & Medicorum arbitrio committatur, per ea quæ tradunt Maſcard. *De probat. concluſ. 1078.* Menoch. *De arbitr. Jud. caſ. 275.* Card. Tuſc. *Prax. concluſ. vol. 8. concluſ 376. litt. V.* Paul. Zacch. *quæſt. Medico-legal. lib. 5. tit. 2. quæſt. 5. num. 8.*

2 Sed quid ſi duo vel plures vulnera plora alicui intulerint, quorum quædam ſunt lethalia, quædam non, ſi id data opera factum ſit, quum omnes occidendi animo vulneraſſe dicendum ſit, licet aliquorum reſpectu eventus non ſit, quum in iis quæ ad actum proximum pervenerint, etiam co-

natus ordinaria legis pœna puniatur, ut ſupra docuimus hoc *lib. 5. cap. 1.* Conſequens etiam eſt omnes ordinaria legis Corneliæ pœna teneri. Sed ſi plures in rixa, aut alio fortuito caſu in aliquem inciderint, quum de dolo ibi tam certum non ſit, ex lege Aquilia id decidendum videtur, quæ aliter vulnus, aliter cædem punit, *l. 11. §. Celſus ff. ad leg. Aquil.* ſi modo de ſingulorum vulnere conſtet. Et ſi plures lethale vulnus inflixerint, plures tenentur, quomodo concilia *l. 51. ff. ad leg. Aquil.* cujus conciliationem cum *d. l. 11.* ex Gloſſatorum ſententia contra Zaſ. & Coſſal. communem, petiit Anton. Matth *De criminib. lib. 48. tit. 5. cap. 3. num.* 19. Cujus tamen ſolutionem tam longinque petere non eſt neceſſe, ut quorum ſenſus dilucidus & perſpicuus per ſe, per ejuſmodi interpretamenta obſcurior longe reddatur; Sed ſi non conſtiterit quis eorum lethale vulnus inflixerit, omnes quidem, ſed extraordinaria tantum pœna tenentur, arg. *l. 1. §. 3. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* ſecundum diſtinctionem quam latius vide ſupra *cap. 3. in fin.* Vid. etiam Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. homicidium. num.* 46.

Cap. XVIII.

De Expoſitione infantum & abortu.

Sommaria.

1. *Expoſitio infantum an & quomodo punienda.*
2. *Abortus quibus modis committatur & quomodo puniatur.*

1 Parentes qui partus à ſe progenitos exponunt, vel abjiciunt, ſi id fiat eo animo ac propoſito ut pereant, veluti ſi in locum ſolitarium, & à conſpectu & converſatione hominum plane alienum nudos abjiciant, & exponant, ea intentione ut inedia aut frigore correpti pereant, & moriantur, dubium non eſt quin tales exponentes eventu ſubſecuto ordinariæ legis Corneliæ pœnæ ſubjiciantur: *l. fin. Cod. De Infant. expoſit.* nihil enim intereſt utrum ipſimet liberos ſuos interfecerint, an cauſam mortis animo occidendi præbuerint *l. 15. Cod. ad leg. Corn. de Sicar.* Cui convenit conſtitut. criminal. *Caroli V.* in verb **Sturbe aber das kindt von ſulchem hinlegen/ſo ſal man die Mutter/nach gelegenthept des gefährlichen hinlegens am leib/oder leben ſtraffen.** id eſt, *Si expoſitione moriatur infans, mater pro circumſtantiis periculoſæ ejuſdem expoſitionis, mortis ſupplicio punietur.* Quod & in Germania ad ordinariam culei pœnam extendi probat Carpzov. *Prax. criminal. part. 1. quæſt.* 10. *num.* 8. 9 Sed magis eſt ut nobis, pro moribus noſtris, mitiori aliqua pœna veluti ſtrangulatione aut ſuffocatione pro judicis arbitrio puniantur. Sed ſi aut infans expoſitus vivus, ac incolumis reperiatur licet in ſolitario, aut ſi conſtiterit, non quidem animo occidendi, neque in loco ſolitario, depoſitum eſſe, ſed in ejuſmodi loco quo homines frequenter ambulant, ut in platea prope ædes alicujus, conciliandæ potius à prætereuntibus miſericordiæ cauſa, & quo parentes pœnam & vituperium fornicationis ſeu adulterii effugiant, ea intentione ut ab aliis vivi conſerventur, & educantur, ſive infans præter intentionem exponentium, vel nimis ſero vel plane non reperiatur, adeoque inedia conſumatur, aut frigoris injuria perierit, utroque caſu mitius in eos animadverti ſolet, plerumque fuſtigatione, aut relegatione, pro arbitrio & diſcretione judicis: De quo vid. Menoch. *De Arbitr. Jud. Caſ.* 396. Jul. Clar. *§. final. quæſt.* 83. *num.* 7. Anton. Matth. *De criminib. lib. 47. tit. ult. cap. 2. num. 1.* In terris imperii exſtat conſtit. criminal. *Caroli V. d. art.* 132. quæ illud totum judicis arbitrio & diſcretioni committit. Vide etiam in hanc materiam late Carpzov. *Prax. criminal. d. part. 1. quæſt.* 10.

Ita etiam mitius puniri ſolent illi qui hauſta potione alioque medio partum abigunt, aut ut fiat poculum alicui porrigunt, caſu quo partus nondum fuerit animatus, qui arbitrarie etiam vel fuſtigatione, vel relegatione, ſive etiam carcere puniuntur. *arg. l. 4. ff. De Extraordin. criminib. l. 4. ff. ad leg. Corn. De Sicar. l. 39. ff. de pœnis.* alias ſi fœtus fuerit animatus Ordinaria legis Corneliæ pœna puniri ſolent, quos ſuperiori capite inter Veneficos etiam retulimus. Eamque diſtinctionem communiter faciunt DD. inter quos vide Farinac. *part. 5. Oper. criminal. quæſt.* 122. Jul. Clar. *lib. 5. ſententiar. §. final. quæſt. num.* 2. Damhouder. *Prax. criminal. cap. 74. num. 8. & ſeq.* Et convenit cum dicta conſtitutione criminali Caroli V. *art.* 133. 2

Cod. VIII. tit. De Infant. expoſit.

Cap.

Cap. XIX.

De Incantatoribus, hæreticis & Apoſtatis.

Summaria.

1. *Incantationum pœna, an & qualis hodierna.* | 2. *Hæreſis & Apoſtaſia an & qualis pœna.*

1 Conſtantinus etiam in *l.* 4. *Cod. de Malefic. & Mathematic.* omnis pœnæ metu liberat eos, qui remedia quæſierint humanis corporibus, aut in agreſtibus locis innocenter adhibita ſuffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis grandiniſque lapidatione quaterentur: quibus non cujuſquam ſalus, aut æſtimatio læderetur; ſed quorum proficerent actus ne divina munera, & labores hominum ſternerentur imbre, vento, grandine. Cujuſmodi ſunt etiam amuleta, incantationes, aut carmina contra grandines, aut morbos adhibere. Quæ quibuſdam Magiæ ſpeciem habere, & ob id ad Chriſtianorum mores non pertinere videntur: quibus abrogata dicta *l.* 4.

2 ſi quis incantamentis uſus fuiſſe deprehenſus fuerit, ſive id reſtituendæ conſervandæve valetudinis, ſive avertendæ à rebus frugiferis calamitatis cauſa fecerit, is Apoſtatarum pœnam ſubiens ſupremum ſupplicium ſuſtineat, volunt *arg. Novell. Leonis junct. cap.* 2. *& ult. extr. de Sortileg.* In quod anteriori ævo, ad patrum uſque noſtrorum memoriam judices ad credendum minus faciles, in hujus criminis reos, tanquam Magos, varias ultimi ſupplicii ſententias aperte falſas, & injuſtas protuliſſe ſuperiori capite oſtendimus. Superſtitioſa illa ætas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli, & damnum hominibus externarum formarum vi ac potentia, per imprecationes inferri. Quorum tamen nihil poſſe fieri palam eſt, adeoque contra ipſius Chriſtianæ reformationis ſaltem fidei dogmata peccant, qui his aliquam habent fidem, quibus hujuſmodi faſcinantium artes tanquam meræ nugæ aniles ridentur. Quare mitius etiam illi impoſtores eoſque conſulentes moribus noſtris, & plerumque pecuniaria tantum aliave arbitraria pœna puniri ſolent, per ea quæ tradunt Farinac. *Prax. criminal. quæſt.* 20. *num.* 89. *&* 94. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 2. *tit.* 12. *defin.* 12. Jul. Clar. *§. hæreſis in fin. & §. fin. quæſt.* 83. *num.* 8. Menoch. *de arbitrar. judic. caſ.* 388. Joan. à Sande *lib.* 5. *tit.* 9. *defin.* 15. Maxime, quum poſt veram Chriſtianæ fidei reformationem nemo propter hæreſin, vel Apoſtaſiam, perſecutionem aliquam patiatur, aut ulla moleſtia afficiatur conſcientiarum libertate pro cujuſque arbitrio proprioque motu conceſſa, conſtituto. De quo vide Wilhelm. Zepper. *in leg. Moſaicar. explanat. lib.* 4. *cap.* 3. Ubi hæreticos magis commiſerandos, quam ſuppliciis afficiendos, probat. vide Groeneweg. *ad tit. Cod. de Hæretic. & Manich. & DD. ibi allegat.*

Cod. ix. Tit. xviii. De Maleficis, & Mathematicis & cæteris ſimilibus.

Cod. i. v. De Hæreticis. & vii De Apoſtatis.

Cap. XX.

De Extraordinariis criminibus, & de Medicorum erroribus.

Summaria.

1. *Extraordinaria crimina quæ ſint, & quibus modis committantur.* | 2. *Medicorum negligentia aut culpa an & quomodo punienda.*

1 Quæ porro ad extraordinaria crimina referuntur ſunt fere: Si qui ſollicitaverint alienas nuptias, itemque matrimoniorum interpellatores, quos, licet effectu ſceleris potiti non ſunt, propter voluntatem pernicioſæ libidinis extra ordinem jura puniri volunt. *l.* 1. *in pr. ff. de Extraordinar. crimin.* Quemadmodum & illi qui fimo corrupto aliquem perfuderint, *d. l.* 1. *§.* 1. qui quid impudicitiæ gratia vel cum pueris, vel cum puellis commiſerunt. *d. l.* 1. *§.* 2. Si qui ſint Dardanarii & annonam attentent & vexent. *l.* 6. *in pr.* Si qui ſint Saccularii, qui vetitas in ſacculo artes exercent, ac partem ſubducunt & ſubtrahunt, Directarii qui in aliena cœnacula ſe dirigunt furandi animo *l.* 7. Si qui atrocibus minis juſtum aliis metum injece-

D. xlvii. xi. De Extraordinariis criminibus.

jecerint, de quibus in *l. 9. ff. eod.* exemplum ponitur. Aut ſi qui Circulatores ſerpentes circumferant, & eorum metu damnum dederint. *l. ult. ff. eod. de Extraordin. criminib.* in quos ultra admiſſi damnique dati actionem, extra ordinem animadverti ſolet. *dd. legib. & tot. tit. ff. de Extraordin. criminib.*

Quibus annumerari volunt medicos, qui negligentius in cura verſati ſunt vel in arte medica 1
non ſatis eruditi malo medicamento mortis cauſam præbuerint. Quos, ſi per peritiores Medicos & Archiatros medicamentis temerarie abuſi, aut medicamenta prohibita, quæ minime oportuerit, adhibuiſſe, atque hinc morti cauſam præbuiſſe coarguantur, pro qualitate cauſæ puniendos eſſe volunt, *arg. §. 7. Inſtit. de leg. Aquil. junct. l. 1. §. 1. ff. De var. & extraord. cognitionib.* Et quamvis horum errores terram tegere communiter tradant, neque in eorum imperitiam inquiri ſatis commode poſſe putent: non eo magis immunes eos, ſi & quandoque in manifeſtum errorem, qui mortis cauſam præbuit, incidiſſe convincantur, dicendum eſt: graviter enim delinquit Medicus, ubi ſua imperitia, aut negligentia, ægrotus periit, quia magna negligentia culpa eſt, magna culpa dolus. *l. 226. ff. De Verb. Signif.* artis, quam quis profitetur, imperitia, maxima culpa. Quum ſcilicet ignorat ea quæ communiter ſciunt, ac ſcite debent omnes ſimiles artifices. Si enim, inquit Ariſtot. *lib. 1. moral. cap. 3.* quis ipſe ſuæ cauſa fuerit ignorantiæ, perpetraritque quicquam ex ignorantia cujus ipſe exſtiterit cauſa, is plane afficit injuria, & ejuſmodi jure criminis arguetur. Neque dubium eſt, quin ſi aliquo tanquam perito in arte utar, & is per affectatam ignorantiam quicquam perpetraverit, me injuria afficiat, quum talem ſe mihi præſtiterit, qualis non eſt, adeoque in dolo ſit. Quod quum in rebus communibus, tanto magis in Medico obtinere dicendum eſt, ut qui vitam & ſanguinem hominis, cujus propter excellentiam, nulla æſtimatio eſt, *l. 3. ff. Si quadrup. paup. feciſſe dicat.* ab externa corruptione ſervare profitetur. Neque ſane alia vel maxima ea ratione antiquitus, in re Medica ita fuit conſtitutum, ut inter medicos & pharmacopæos aliud & à ſe invicem ſeparatum eſſet exercitium, quam ut eo facilius in eorundem utrimque errores animadverteretur: à quo pro maximo eorundem errorum tegimento, non ſine magno publicæ rei detrimento, quibuſdam locis in tantum eſt receſſum, ut inhiante medicorum avaritia, quod ipſis ab arte quam profitentur, vitium emanare creditur, inque iis tanquam in propria ſphæra reſidere conſpicitur, ut poſt Maſcard. *de probat. concluſ.* 150. *num.* 3. non ſine honeſto rubore fateri ſe debere dicit Paul. Zacchias Medicus Romanus *lib.* 6. *tit.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 1. *& quæſt.* 2. *num.* 19. hi, ut una fidelia binos dealbent parietes, inque eorum errores nullo modo inquiri poſſit, ipſi ſibi pharmaca privatim componere, & quum per ocium forte ſibimet, aliud, quod magis de pane lucrando, agentibus, non licet, & negotio eorum miniſterio uti non erubeſcunt, qui neque Medicinæ neque componendi pharmaca artem unquam viderunt, nedum didicerint. Unde profecto quid aliud exſpectandum, quam ut aut omnibus morbis uno collyrio medeantur, aut interim dum iis neceſſaria tanto conamine longoque temporis intervallo, præparari ipſi curant, animam agentes veram fruſtra medicinam, & auxilium exſpectent, aut quod peſſimum eſt, magna temeritate pharmaca aliis propinent, ab iis confecta, qui artem eam nunquam didicerint, aut viderint. Sed ut ad errantium in ſua arte Medicorum pœnas redeamus, quum certa pœna in eos conſtituta non ſit, conſequens eſt, ut pecuniaria, aut alia extraordinaria pœna in eos debeat animadverti, ut poſt Bartol. & Angel. *ad l. 7. ff. ad leg. Corn. de Sicariis* notat Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 77. *num.* 28. argumento, quod ubi pœna à lege vel ſtatuto expreſſa non eſt, illa judicis arbitrio relinquenda ſit. *per l.* 16. *ff. de pœnis. l. 1. §. 1. in fin. ff. de Effract. & Expilat.* Idem expreſſum *Conſtitut. criminal. à Carolo V.* in terris Imperii Romano-Germanici lata. *art.* 134. & Jure Provincial. Ducat. Pruſſiæ, *lib. 6. tit. 5. art. 2. §. 3.* quod eos pro qualitate cauſæ & peritorum judicio plectendos præcipit. An autem quando, & in quibus Medicorum error à lege ſit punibilis, & in quibus committatur, late tractat Paulus Zacchias *tract. ſuo De quæſtionib. Medico-legalibus lib. 6. quæſt. 1. 2. 3. & ſeqq.*

Cap. XXI.

De vulneratione & quolibet damno per læſionem dato.

Summaria.

1. *Pro membrorum mutilatione aliiſque vulneribus inflictis quomodo & quibus modis agatur.*
2. *Mutilationis membrorum pœna quæ in* Saxonia.
3. *In* Poloniæ *Regno.*
4. *In* Hollandia, *& num.* 7.
5. Zelandia.
6. Zuid-Hollandiæ *præfectura.*
7. *Apud* Harlemenſes, Leydenſes, & Amſtelodamenſes.
8. *Duella quomodo punienda.*
9. *Statut. Civitat.* Daventr.
10. *Statut.* Tranſyſulaniæ.
11. Velaviæ, *ejuſque ora.*
12. Zutphaniæ, *&* Betuæ *ſtatuta remiſſ.*
13. *Vis publica, aut privata pœna.*
14. *Si quis parentibus violentas manus intulerit, aliamve injuriam fecerit, an & quomodo puniendus.*
15. *Reſiſtentia adverſus apparitores aliosve officiales in muneris ſui executione commiſſa an & quomodo punienda.*
16. *Damni dati reſtitutio, pro mutilatione aliiſve vulneribus illatis quæ & qualis fieri debeat,* Galliæ, Saxoniæ, *&* Belgiæ *moribus.*
17. *Liberum corpus nullam æſtimationem recipere quomodo accipiendum.*
18. *Deformitatis, & cicatricum ratio quando & qualis habenda.*
19. Zelandiæ *Statut.*
20. Friſiæ *Ordinat.*
21. *In* Saxonia *præter pœnam nulla damni vulnerum reſtitutio.*
22. *Pacis tenendæ indicendæque conſuetudo antiqua.*

HActenus de iis quæ adverſus vitam, ſequitur ut de his quæ adverſus corpus hominis per vulnera & quamlibet aliam læſionem, per injuriam extra occidendi propoſitum committantur, deſpiciamus.

Committitur adverſus corpus hominis variis modis, ut per mutilationes membrorum, percuſſiones, vulnera, verbera, alapas: ita ſi vulnera illata ſint etſi non lethalia, neque occidendi
animo inflicta, quum liberi hominis propter excellentiam nulla ſufficiens æſtimatio ſit. *l.* 2.
§. 2. *ff. ad leg. Rhod. de jactu, junct. l.* 3. *ff. ſi quadrup. paup feciſſe dicat.* haud leve illud crimen
eſt, præſertim ſi os alicui percuſſum aut membrum mutilatum, aut oculus excuſſus ſit *l.* 7. *§. ult.*
1 *l.* 8. *ff. de injur. §.* 9. *Inſtit. eod.* pro quibus dupliciter agi poteſt, & criminaliter ad pœnam arbitrariam, judici pro re nata committendam *§.* 10. *Inſtit. de injur. l. ult. ff eod.* & civiliter ad
reſtitutionem damni dati in factum actione *d. §.* 10. *Inſtit. & tot. tit. De lege Aquilia.* Vid. Ægid.
Boſſ. *Practic. criminal. Rubric. De injur. num.* 1. Quæ quidem pœnæ Romano jure leviores
erant, ſed quum contentioſo deinde ſeculo frequentiora hæc irrepſerint crimina, paulatim rigore legum intenſæ ejuſmodi pœnæ certis locorum conſtitutionibus & conſuetudine graviores
factæ, & pro qualitate diſtingui cœperunt.

Pro membrorum mutilatione quibuſdam lex talionis obtinet, quibus membri damnum ma-
2 nus amputatione vindicatur, ut in Saxonia, ubi ſi vulneratus agat propter membri mutilationem
pœna manus amputatio eſt, vel fuſtigatio cum perpetua relegatione *Landt-R. lib.* 2. *art.* 16.
poſt pr. verſ. **Wer den andern lammet.** Et quidem diſtingui ſolent vulnera, in ea, in quibus ſequitur debilitas vel claudítas membri humani, puta in manibus, brachiis, cruribus, pedibus, digitis, oculis, ore, naſo & ſimilibus; ſic ut vulneratus membro illo claudicante ad conſuetas operas uti nequeat, vulgo **Lambden oder ſchandtmal:** quibus addunt vulnera quæ capiti per cranium infliguntur, aut crura in iis locis, ubi natura ſciſſuram non patitur oſſium, vel carnis ad profunditatem unguis, vulgo **beinſchortighe wunden.** Item ea quæ quidem inflicta ſunt loco corporis non periculoſo, ſed ad profunditatem unguis & longitudinem longiſſimi articuli in medio manus digito, quando adhuc ſunt recentia, neque intumuerunt, vulgo **kampferwunden / oder fleiſchwunden /** quia caro ſola læſa eſt, pro quibus omnibus fere corporis pœna afflictiva imponitur. Vid. Math. Coler. *De Proceſſ. executiv. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 53. & *part.* 1. *deciſ.* 161. *num.* 49. Schneiduin. *ad §. ſed & lex Cornelia Inſtit. de Injur. num.* 5. & poſt eos Carpzov. *Prax. criminal. part.* 2. *quæſt.* 93. *num.* 21. *& ſeq.* Sed pro cæte-

ris vulneribus vindicandis fere pecuniarie agi ſolet ibidem, veluti pro verberibus, alapis, expilatione capillorum, atrocioribus minis, quæ pœnâ carceris ad ſummum octo dierum, vel mulcta pecuniaria trium ſexagenarum novarum, hoc eſt ſeptem thalerorum & duodecim groſſorum coërcentur. *Ordinat. provinc. D. Auguſt. Elect. De Anno* 1555. *tit.* **Was zu ober Nieder oder erbgerichte behoret in 5. was aber kleinere vnd geringere falle ſint.** Confirmata *conſtit. Elect. part.* 4. *conſtit.* 16. **Alſo das auch.**

Et in Poloniæ regno vulnerum inflictorum certæ pœnæ conſtitutæ ſunt, ſed pecuniariæ, quibus vulnus ſanguineum in facie, & amputatio eujuſlibet digiti marcis 30. excuſſio dentis, marcis 20. mutilatio in manu, pede, oculo, naſo, ſolvatur dimidio capitis pretio; ſi vero vulnus ex ictu bombardæ ſit inflictum, in duplo ſolvi debet. Vulnus vero ſanguineum non in facie, nec ex quo mutilatio ſequatur, penditur 20. marcis, lividum marcis ſex. *per Conſtit. Sigiſmundi* III. in Convent. Cracov. *Anno* 1588. *fol.* 263. *part. altera.* 3

In Hollandia antiquitus rarius ob damnum vulnere aut læſione datum criminaliter agi ſolebat, hodieque ſolet: adeo ut licet libero homini nocium ſit illatis vulneribus, præter vulnerum, ad reſtitutionem damni dati & id quod intereſt arbitrariam æſtimationem, vix aliæ quam pecuniariæ pœnæ conſtitutæ ſint atque etiamnum ſerventur, præſertim ruri, & in pagis, oppidiſque, ubi aliæ conſtitutiones non extant. Quæ antiquitus admodum erat levis, nec fere aliqua quam hæc: ut ſi quis alium in aliquo membro mutilaret, id quinque libris Hollandicis vindicetur, quarum ſingulæ quindecim ſeſtertiis æſtimantur, niſi in majori totius manus, pedis, aut oculi effoſſi, quod decem libris coërcebatur, cultrum aut gladium in aliquem irato ſtringere, fuſtibus aliiſque illicitis armis aliquem invadere unius libræ pœna erat, atque alapa decem ſolidis Hollandicis redimebatur, quorum ſinguli duodecim obulorum decies ſumpti, ſeptem tantum adæquabant ſtuferos cum dimidio. Ut videre eſt ex conſtitutione & privilegio Wilhelmi Hollandiæ Comitis conceſſa, *Anno* 1342. his verbis: **Waert ſaecke dat eenigh menſche d'een den anderen lemden / dat waer op vijf pondt Hollandts / het en waer of hy hem lemde ten vollen / als van een oogh upt / of van een voet / of een handt al geheel af die waers op thien pondt Hollandts / voorts ſoo wie knijff ofte ſwaerdt toge in erren moede die waers op een pondt Hollandts / ofte die vochte met ſtaben off verboden wapenen die waers op een pondt Hollandts / ofte die met een buyſte ſloeg die waers op thien ſchellingen Hollandts.** *Id eſt*: Si quis alium vulneraverit quinque libras Hollandicas damnas eſto: niſi ſi eum mutilaverit, puta oculum excæcaverit, aut manum, pedemve amputaverit, quod decem erit librarum, porro ſi quis ex iracundiæ calore cultrum, gladiumve ſtrinxerit, aut pugionibus illicitiſque armis alium petierit, unius libræ pœna eſt, qui pugno petierit decem ſolidis mulctabitur. 4

Quæ deinde paulatim auctæ, variiſque conſtitutionibus comprehenſæ ſunt, quales in Rhenolandiæ territorio certæ conſuetudines eſſe teſtantur, ejuſdem præfecturæ conſuetudines generales, *Art.* 82. *&* 83. his verbis: **Van welcke Keure wonde ſal den handadigen verbeuren tegen den Baljuw thien pondt / ende den genen die yemandt met bijten ofte andere quade manieren van doen ontleedt / ofte anders merckelijck mishandelt / ende gedeformeert ſal hebben / ſal verbeuren thien pondt / ende boven dien arbitraelijck gecorrigeert werden nae gelegentheyt van de saecken.** *Id eſt*: Pro ſingulis majoris notæ vulneribus præfecto delinquens ſolvat decem libras, viginti ſeſtertiorum, & ſi quis morſu, aliove illicito modo alterius membrum mutilet, aliove modo deformet decem libris mulctabitur, atque inſuper arbitrarie pro rerum circumſtantiis corrigetur.

Et veteribus Kennemariæ conſuetudinibus ita conſtitutum eſt.

Extract uyt het Coſtuym boeck van Kenemer-landt.

Van een gequetſt Man.

Wanneer een Man gequetſt wordt in ſijn romp van ſijnen lijve / een doorgaende wond: dat zijn op negen keurwunden. Ende es een Man geſteken / deur ende weder deur / in den romp van ſij-

Ex Conſuetudinario Iure Kenemariorum.

De Homine vulneratio.

Si quis in trunco corporis ſui vulneretur ſeptenorum vulnerum communium æſtimatio eſt: Si quis per truncum transfixus fuerit octodecim vulnerum eſt. Si quis à collo ſurſum, à talis deorſim vulneretur,

ipſum

den lijve / dat ſijn achtien keur-wonden. Ende als een gequetſt wordt van ſijnen hals opwaerts / aſt van ſijnen aenklauwen nederwaerts / oft aen ſijnen handen / dan ſal men die lenghte af meten / tot een keur-wonde / ende niet die diepte.

ipſum vulnus metietur per longitudinem non per profunditatem.

Van de lenghte van een keur-wonde.

Die lenghte van een Keur-wonde / es die nagel van twee die voorſte vingeren / ende in Kennemer-landt is een Keur wonde een nagel lanck / ende die boete es een pondt van ſes en twintich ſtuyvers / ende een blauw oogh / is twee ſchellingen.

De longitudine vulnerum communium.

Longitudo communium vulnerum eſt menſura unguis ex duobus prioribus, in Kenemaria unius digiti unguis eſt; cujus mulcta unius libræ viginti ſex ſtuferorum eſt, tuber oculus duorum ſolidorum eſt.

Wat Bien-brecks is.

Oft gebeurde / dat men in Kennemer-landt een menſche / een tande uyt ſijn kinnebacken ſloege / ſtiete afte worpe / daer geen vleyſch aen en waer / dat waer bien-breck. Ende alſoo menigh bien / als men eenen gequetſten menſch uyt ſyn hooſe / ott anders van ſijnen lijve gewonnen worde / dat ſal men gelden / voor elcken been een ſtraoo / op dat men 't mach hooren / als men 't in een becken worpt. Maer den Heer en ſal niet meer hebben van den handtdadighen / als een pondt. Maer is een Man / een vinger / aſt een duym / oft een tandt met vleyſch / oft mit dattem uyt geſlagen / dat es gaeſval / ende ſijn tien pondt de boeten (daer onder geſuſtineert werdt ooch een ooge te weſen.)

Oſſifragium quid ſit.

Si quando contingat in Kenemaria ut quis alteri dentem ex maxilla detrudat ſine carne, oſſifragium erit. Et quotcunque oſſiculum vulnerato ex capite aliove corporis parte eruitur, quod in mallubrio projectum audiri poteſt, coronato penſirabitur: fiſcus autem à reo ultra unum libræ pondo non conſequetur. Si cui digitus, pollex, aut dens cum carne aut nervo eruatur, mutilatio eſt, decem libris mulctanda; (cui etiam oculum referri volunt).

5 Ex Zelandiæ ſtatutis generalibus lex talionis ibidem antiquitus obtinuiſſe videtur: prout ſeſe habet eorundem ſtatutorum articulus 14. *tit.* 4. his verbis:

Item, dat ſoo wie yemandt in hitte van bloede buyten vrede oſte buyten geleyde lagen / ennigh ledt af ſloege oſte mincken dede / kleyn oſte groot; worde hy gevangen ende ter hooger Vierſchare gebrocht / ſoo ſalmen hem gelijck lidt weeren / ſtempten oſte mincken doen ten verbolge van Partyen / ende ſal quijte blijven midtsdien tegen den Heere ende Partyen van der Civiler beteringe. Maer indien Partye niet en klaget ende te vreden geſtelt is / ſoo ſalmen den Grave beteren naer den Keure. Ende maech hy niet gevangen en werdt noch ter Vierſchare en komt / ende dat hy van der misdaet verwonnen werde / ſoo ſal hy gebannen ende gewaeſt weeden uyt den Lande met vyer ende met branden. Ende iſt amme een handt / oft een ooge uyt / een neuſe / een voet af / af andere gelijck lidt / gereckent voor eenen halven Man / ſoo ſal de Partye van ſijnen Goeden hebben / te weten den Edelman L. Pant / ende den onedelen xij. Pondt x. ſchellingen / ende den Grave twyeſchatte. Ende die gene die aldus gebannen ende gewaeſt ſal weſen / en ſal in 't Lande niet mogen komen / dan by wille ende conſente vanden Grave / ende dat hy die Parthye gebetert ſal hebben vander misdaedt eiviſe by vriendtſchappe oft ordonnantie van Mannen / voor een duyme aff den voorſten vinger / aft / een lidt off / elck voor een vierendeel van een Man / die twee middelſte vingeren / aff / elck een achtendeel van een Man / ende alſo voort elck na ſijn Edelheyt / ende den Grave twyeſchatte / ende voort alſoo veel meer als Mannen wijſen ſullen.

Item, ſi quis incaleſcente animo, extra metum aut vitæ periculum conſtitutus, alicui membrum mactet, mutiletve, ſi captivus ad judicem ſuperiorem ducatur, talionis legi ſubjicietur parte adverſa inſtante, remiſſa fiſci partiumque civili mulcta. Si vero pars adverſa non queratur, compoſuerintque, fiſco ſatisfiet ſecundum legem loci. Et ſi nec capiatur, nec coram judice compareat banno relegabitur. Et ſi manus amputata, oculus effoſſus, naſus abſciſſus, pes aut ſimile membrum mutilatum pro dimidio homine fuerit computatum, pars adverſa ex bonis ejus habebit ſi nobilis ſit quinquaginta libras; ſi plebeius duodecim & decem ſolidos, præter dupli pœnam fiſco applicandam. Quique ita fuerit relegatus non revertetur, niſi conſentiente & volente principe, adverſa parte prius amicabiliter, aut ad arbitrium boni viri ſatisfacta. Pro pollice, aut priori digito, membrove corrumpto, quarta, ſi duo medii digiti mutilati fuerint, octava liberi hominis æſtimatione ſumpta, & ſic de cæteris pro cujuſque nobilitate, manente dupli pœna fiſco adjudicanda, aut quanti pluris arbitrabitur.

6 His adde quæ noviſſima Ordinatione pœnali præfecturæ Zuid-Hollandicæ, Anni 1605. ſtatuta reperiuntur his verbis:

Art. I.

Dat alle quetſuren gedaen aen den hooſden / na de welcke en 't minſte eenig bloedt volght / genoemt werden Hooftwonden / ende dat die geene die de ſelſde hebben gedaen / verbeuren van elcke quetſure byſonder gedaen / een boete van tien pont / weſende vyf ponden tot veertigh grooten 't pant / wel-verſtaende ſoo het ſelſde met een Hout / Steen / oſte andere verboden Wapen is gedaen / dat als dan verbeurt wert dubbele boete.

Art. I.

Ut omnia vulnera in capite inflicta, quæ modo aliquo ſanguine madeant vocentur capitalia, utque illi qui ea intulerint pro ſingulis decem libris mulctentur, quæ quæque quadraginta groſſorum libras exæquant. Ita, ut ſi baculo, lapide, aliove illicito armorum genere committantur, mulcta duplicetur.

Art.

Digitized by Google

Art. 2.

Alle ander[e] quetſuren niet ſtaende aen den Hoofde / weſende een lidt lanck / ende nagel diep / werden genoemt door Hooft-wonden / ende wert daer mede verbeurt gelijcke boete.

Art. 2.

Reliqua omnia vulnera etiamſi in capite illata non fuerint, ſi modo unius membri digitalis longitudinem, & unguis profunditatem habuerint, pro capitalibus etiam habentur; eademque coërcentur pœna.

Art. 3.

Welverſtaende nochtans ſo yemant eenigen perſoon ſoodanigen wonde hadde geinfligeert / die merckelijck grooter / ende over ſulcks achtbaer ware / ofte door dewelcke den gequetſten in perijckel ware geweeſt: Ofte yemandt hadde verleemt / ofte anders geinvadeert / ofte eenigh gewelt aengedaen / dat den ſelſden mette voorſz. boeten niet en wert bevrijdt / maer dat hy daer over arbitralijck ſal werden gecorrigeert ende geſtraft / ſulcks als Mannen voornoemt / naer de gelegentheyt van de quetſure of ſaecke bevinden ſullen te behooren.

Art. 3.

Ita tamen, ut ſi vulnus aliquod majus inflictum fuerit quod manifeſtum eſſet, aut unde vulneratus in vitæ eſſet periculo aut quis alium mutilaverit aut vim manifeſtam intulerit, ut neque ea pœna liberetur, ſed arbitrarie pro vulnerum gravitate puniatur.

Art. 10.

Ende op dat alle occaſien van vechten ende ſmijten / waer uyt dickwils doodtſlaghen ende andere ſware Inconvenienten komen ende volgen / ſoo veel als mogelijck is / mogen werden verhoet. Soo hebben myn Heeren Bailliu ende Mannen voornoemt / op alle ongeregelde ende petulante vechterijen / met de welcke geen boeten geſpecificeert en zijn / verbeurt geſtelt de boeten ofte penen hier naer verklaert.

Te weten: dat alle de geene die met een Mes ofte ander geweer / ofte Inſtrument yemanden ſnijdt ofte ſtoot ſulcks dat de kleederen daer door ſijn gequetſt / de ſelve verbeurt een boete van acht ponden / van veertigh grooten 't pont / van elcke byſonder quetſinge die ſy verſcheydentlijck ſullen hebben gedaen.

Art. 10.

Utque omnes pugnarum, rixarumque occaſiones, unde plerumque cædes, aliique caſus incovenientes oriri ſolent, quantum fieri poſſit evitentur. Domini Balivus eique aſſeſſores prædicti, in omnes petulantes inordinataſque pugnas, quæ nulla certa pœna coërcebantur, haſce conſtituere pœnas & mulctas.

Ut nimirum omnes qui alium cultro, gladio aliove inſtrumento petierint, ſic ut veſtes ejus dilacerentur aut perſcindantur in octo librarum quadraginta groſſorum pœnam incurrant, pro ſingulis læſionibus imponendam.

Art. 11.

Voorts de geene die nae yemanden ſnijden / ſtooten / ſlaen / ofte werpen / in grammen of toornigen moede / ſonder dat ſy den ſelven in ſijn kleederen ofte anders quetſen / ſullen verbeuren een boete van ſes ponden tot twintigh grooten 't pont.

Art. 11.

Porro qui aliquem ſcindendo, impetendo, verberando, jaciendoque incandeſcenti calore invaſerit, licet nec veſtes ejus dilaceravit, neque ullo modo vulneraverit, ſex libris viginti groſſorum mulctabuntur.

Art. 12.

De geene die haer Meſſen op yemanden bloot uyt trecken ofte met eenige ander inſtrumenten dreygen te ſtooten / of ſlaen / ofte een vuyſtſlagh geven in grammen moede / de ſelve ſullen verbeuren een boete van vier ponden / munte als voren.

Art. 12.

Qui in alium cultrum vagina vacuum ſtrinxerint, aliove inſtrumento eum aggredi minitaverint, quive alium pugno exceperint ira commoti, in quatuor ejuſdem monetæ librarum pœnam incurrent.

Qui poſteriores articuli omnis pugnæ vulnerationiſque occaſionem reſcindentes poſtea per ampliationem 14. *Januarii* 1647. in hunc modum adaucti ſunt.

Art. 1.

Eerſtelijck / ſoo yemandt een Mes komt te trecken / ofte eenigh ander geweer / om yemant te gerieven / dat den ſelven ſal verbeuren een boete van dertigh ponden tot 40. grooten 't pont.

Art. 1.

Primo ſi aliquis cultrum aut aliud armorum genus, quo alium lædat, ſtrinxerit, ut triginta librarum quadraginta groſſorum pœna mulctetur.

Art. 2.

Ende ſoo yemandt daer door Bloet quam te laten / ſal den geenen / die de quetſure gegeven heeft / verbeuren 't ſeſtigh ponden / munte als voren.

Art. 2.

Et ſi quis ex eo ſanguinem emiſerit, qui vulnus intulerit, ſexaginta ejuſdem monetæ libris mulctabitur.

Art.

Art. 3.

Wel verſtaende ſoo de Wonde achtbaer ware naer de Keure van Zuydt-Hollandt / ſal den geenen / die de ſelve heeft geinfligeert / verbeuren 't negentigh ponden / munte als voren.

Art. 3.

Ita ut ſi vulnus fuerit manifeſtum pro ſtatutis Zuide-Hollandicis æſtimandum, is qui illud intulerit, nonaginta ejuſmodi librarum pœnas incurret.

Art. 4.

Ende indien de Wonde ſodanigh is / dat den gequetſten perijckel van ſterven komt te loopen / ſal den Perpetrant tot arbitragie van Mannen geſtraft ende gemulcteert werden.

Art. 4.

Et ſi vulnus tale fuerit ut ex eo vulneratus mortis periculum ſubeat, arbitrarie perpetrans punietur, mulctabiturque.

Art. 5.

Ende op dat door het verbieden van Mes-trecken / niemant met ſlaen / 't ſy vuyſten / ſtocken / kandelaren / ploch hairen / oft andere middelen occaſie tot vechten ſoude mogen werden gegeven / ſoo wert ſulcks wel expreſſelijcken verboden mede op de Boete van dertigh ponden / munte als voren.

Art. 5.

Utque pro evitanda cultri gladiive ſtringendi pœna, nemo occaſionem capiat, ut alium, pugnis, fuſtibus, candelabris, crinium vulſura, aliove modo excipiat, id ipſum eadem triginta librarum pœna coërcebitur.

Art. 8.

Voor yder ſnede in den Hoet ofte Kleederen / ſal boven het Mes-trecken verbeurt werden tien ponden / munte als voren.

Art. 8.

Pro ſingulis ſciſſuris, in pileo, aut veſtibus illatis præter cultri ſtringendi pœnam, decem librarum mulcta ſit.

7 Quibus fere conveniunt particularia quarundam Hollandiæ civitatum ſtatuta, qu æ ut eo magis diſſolutioris vitæ homines ex qualibet alias cauſa ad rixas, vulnerum inflictiones irrumpentes compeſcant, majori in eos pœna animadvertunt, qui alium cultro vagina vacuo, aliove inſtrumento prohibito animo irato petierint, etiam ad ducentos, trecentoſque florenos, aut arbitrali correctione qui tantum in ære ſuo non habuerint extenſa. Inter quæ, vide Statut. Civitat. Harlemenſ. Civitat. Leydenſ. *art.* 171. Statut. & Conſuetud. Amſtelodamenſ. *cap.* 11. *art.* 24. 25.

8 Quo pertinet etiam noviſſimum Hollandiæ Ordinum placit. adverſus duella emanatum 20. *Martii* 1657. circa finem in his verbis:

Ende alſoo men bevint / dat de duellen veeltijdt ontſaen uyt injurieuſe / ende quade bejegeningen die d' een de anderen 't ſy met woorden oft metter daet is aendoende. Soo iſt dat wy allen onſen ingeſetenen ende onderſaten van wat ſtaet / conditie / ofte qualiteyt deſelve ſoude mogen ſijn / wel expreſſelijck verboden ende geinterdiceert hebben / gelijck wy deſelve verbieden / ende interdiceren mitsdeſen / malkanderen met ſcheldtwoorden / afte injurien uyt te maecken / veel min malckanderen te ſuffletteren / ſlaen / ofte ſchoppen / op peyne dat die bevonden ſal werden 't ſelve gedaen te hebben / in ſijne goederen / boven privatie van ampten / officien / dignitepten ofte preeminentien / ſal werden gemulcteert naer exigentie van ſaken / ofte in cas ſy malckanderen by forme van recontre moghten komen te bejegenen ende aen te taſten / alwaer 't ſchoon dat ſy malckanderen niet en quamen te quetſen ofte te grieven / 't ſelve ſal arbitralijck / ende naer exigentie van ſaecken geſtraft / oock naer voorgaende circumſtantien ende gelegentheden mogen werden gehouden voor duel / ende dien volgende ſtrafbaer ende punibel ſijn met de peynen ende ſtraffen tegens de ſelve geſtatueert.

Et quoniam ſit compertum, duella ut plurimum oriri ex pravis injurioſiſque exceptionibus ſive verbis, ſive re ipſa in alium illata: Nos omnibus & ſingulis incolis & ſubditis noſtris cujuſlibet qualitatis aut conditionis ſevere inhibitum & interdictum volumus, ſicut & iis hiſce præſentibus inhibemus interdicimuſque, ne quis alterum contumelioſis, injurioſiſque verbis excipiat, multo minus quis alium, pugnis, verberibus, aut pedum calcationibus petat, ſub pœna, ut ſi quis tale quid commiſiſſe reperiatur, præter munerum dignitatumque privationem, in bonis ſuis pro facti circumſtantiis mulctetur, aut ſi per modum rixæ, pugnæve ſe invicem aliqui fuerint aggreſſi, licet nec alter alterum læſerit, vulneraveritve, arbitrarie etiam puniatur, & pro ſubjectâ circumſtantiis pro duello reputetur, iiſdemque, quibus duellum, pœnis in eos animadvertatur, &c.

9 Quibus etiam proxime accedunt Civitatis Daventrienſis ſtatuta, quibus etiam pro membrorum mutilationibus & vulneribus alteri ab altero injurioſe illatis graviori pœna animadvertitur. *part.* 4. *tit.* 7.

Art. 5.

Die een Rappier ofte Mes op yemant uyt treckt / ſal verbeuren 25. golt-gulden / ſoo hy des

Art. 5.

Qui cultrum gladiumve in alium ſtrinxiſſe reperietur, xxv. aureis damnabitur, & ſi quem læſerit vulnere

overtuyght wierde / ende ſoo yemant ſtaecke dat geen lidtmaten wondinge ware / ſal hy verbeuren vyftigh golt-gulden / ende voor de keur borge ſtellen / ofte ſoo hy ſyn keur niet en kan beſetten / ſalmen hem dat Mes door de hant ſlaen.

nere non mutilante quinquaginta aureis mulctabitur. proque cura ſatiſdabit, quod ſi præſtare non potuerit, ipſe culter per manum ejus trahetur.

Art. 6.

Wie den anderen lidtmaten wondinge doet ſal daer om der Stadt gelden by dage hondert Golt-gulden / ende by nachte twee hondert Golt gulden / ſoo hy lidtmaten wondinge dede ten tweeden mael ſal hy gelden dubbele boete / dede hy lidtmaten wondinge ten derden male / ſoo ſal hy ſyn lyf verbeurt hebben.

Art. 6.

Qui alii vulnus aliquod mutilans intulerit de die centum, de nocte ducentorum aureorum pœnam civitati dabit. Si ſecundo iteratus fuerit, in dupli pœnam incurret. Si tertio, capitalis erit pœna.

Art. 7.

Lidtmaten wondinge ſal gereeckent werden van der kinnen op / ende om / opwaerts ledes langhte / ende beneden int lyf ledes diepte / weſende het eerſte nagel lit van de middelſte vinger.

Art. 7.

Mutilantia vulnera reputantur à mento furſum & amphractim ad membri digitalis longitudinem, infra in trunco corporis ad membri profunditatem, quæ eſt prioris membri in medio digito.

Art. 8.

Die den anderen nederſloege ofte ſtiete blauw / ofte bluedigh / ſal daerom gelden twintigh Golt-gulden.

Art. 8.

Qui alium in terram projecerit, aut ita verberaverit, ut qua parte tuber ſit aut ſanguine madeat, xx aureis damnabitur.

Art. 9.

Die den anderen uytepſchte om te vechten / als mede die daer op volgt / ſal verbeuren vyftigh Golt-gulden.

Art. 9.

Qui alium ad pugnam alio provocaverit, quive provocantem ſecutus fuerit, quinquaginta aureis mulctabitur.

Art. 10.

Wie den anderen uyt een toornigh gemoet hiet liegen ofte ſcheldt voor ſchelm / dief / verrader / meynediger / hoeren-ſoon / of weeſe yemant op ſyn Moeder / of op een beeſt / ofte noch op yemandt vloeckte by Godes Name ende de Heylige Sacramenten / ſal verbeuren thien Golt-gulden.

Art. 10.

Qui alium iracunde, mentiri dixerit, aut eum ſcurram, nebulonem, furem, proditorem, pejeratorem, aut ex meretrice natum conviciando objecerit, vel contumelioſe in matrem ejus aut pecus aliquod digito demonſtraverit, vel alicui, in nomen Dei & ſanctorum Sacramentorum maledixerit; decem aureorum pœnas dabit.

Art. 11.

Wie een ander met een vuyſt op den kinne-backen ſlaet / ſal verbeuren vyftien Golt-gulden.

Art. 11.

Qui alterius faciem pugno contuderit, in quindecim aureos tenebitur.

Art. 12.

Die yemant werpt met potten / kandelaers / ofte glaſen / ſal verbeuren 20. Golt-gulden.

Art. 12.

Qui alium ollis, candelabris, vitris jaciendo petierit, viginti aureis damnabitur.

Quibus adde Tranſyſulaniæ ſtatuta generalia *part.* 1. *tit.* 23. 19

Art. 5.

Die een ander in toornigen gemoede heet liegen / breeckt daer aen een olden ſchildt.

Die yemandt ſchelt voor een dieff / booſwight / ſchelm / moordenaer / oft met andere diergelycke ſcheltwoorden bejegent / drie olde ſchilden.

Die een ander met de vuyſt ſlaet / ofte met de handt ſonder daer af te bloeden / bloudt of blauw te werden / breeckt een olden ſchildt.

Dat hy bloet / blont / of blauw daer af wort / anderhalf olden ſchildt.

Art. 5.

Qui alii in iracundiæ calore dixerit, tu mentiris, in veteris ſcuti æſtimationem incurrit.

Qui alium conviciando, furem, ſcurram, latronem vocat aliaque convitia dederit, ad tria ſcuta tenetur.

Qui alium pugno excipit, nullo cruore intercedente, ſcutum pro pœna dabit.

* Si ſanguine madeat, aut ex eo tuber ſit, ſeſquiſcuto tenetur.

Qui

Die yemandt uyt quaetheyt ter aerden werpt / een olden ſchildt.

Qui quem in terram projecerit, ſcuto veteri.

Die met potten / kandelaers / kannen / glaſen / beeckers / of anders waer mede naer yemant weept ſonder te raecken / een olden ſchildt.

Qui ollas, candelabra, pocula, vitra aliudve quid in aliquem conjecerit, nec eum tetigerit. veteri ſcuto uno.

Soo hy daer mede yemant raechte / breecht daer aen vyf olde ſchilden.

Sed ſi quem projiciendo tetigerit, quinque ſcutis antiquis damnatur.

Iemandt te bijten / is vijf olde ſchilden.

Qui mordet alium, quinque itidem ſcutorum pœnam incurrit.

Wie een mes / pooch / rappier / roer / of eenigh ander geweer / ſtocken / ſtaechen oft diergelijchen / neemt of treckt / of op yemandt vellet ſonder te beſchadigen / is twee olde ſchilden.

Qui cultrum, pugionem, gladium, bombardam, baculum, aut quid ſimile in aliquem ſtrinxerit, intuleritve, neque tamen læſerit, duorum ſcutorum pœna coërcetur.

Die een ander daer mede blont / of blauw ſtoot of ſlaet / ſonder neder te vallen / of wondinge / drie olde ſchilden.

Qui alium eorundem aliquo petierit ut ex eo tuber ſit. nec tamen procumbat, aut vulnera acceperit, tribus ſcutis veteribus.

Van daer af neder te vallen / of een gemeene ſlechte wondinge te ontfangen die niet keurbaer is / vijf olde ſchilden.

Si procumbat in terram, aut minoris notæ vulnus acceperit, quinque ſcutatis damnatur.

Van een keurbare wonde / naer gelegentheyt op arbitrale correctie.

Si majus aliquod vulnus intulerit, pro circumſtantiis arbitrarie punitur.

11 Ad hæc Velaviæ ejuſque oræ ad ripam Iſulæ fluminis jus municipale reformatum *cap. 5.*

Art. 1.

Wie den anderen met een vuyſt ſlaet / breuckt een pondt.

Art. 1.

Qui alium pugno percutit, libra una mulctabitur.

Art. 2.

Item wie een bloedt-wont / ſal gebreuckt hebben vier pondt / ende wie een mes op den anderen toege ofte met eeniger handt geweer / wapenen ofte inſtrumentem nae den anderen ſloegh oft worpe / het waer met kannen / kandelaers / ofte anders in ernſten moede / die verloore twee ponden / ſoo duck hy dat dede.

Art. 2.

Qui alicui cruentum vulnus infligit, quatuor libris mulctabitur, item qui cultrum in aliquem ſtringit, aut quo alio telo, armis inſtrumentiſve verberat, vel jacit, ſive canthare, candelabro, aliove aliquo, quotieſcunque id animo infenſo egerit, duabus libris mulctabitur.

Art. 3.

End wie eenen anderen lembt / breuckt den Heere thien pondt.

Art. 3.

Et qui aliquem mutilat, domino decem libris damnatur.

12 Quibus inſuper conferri poſſunt quæ paſſim ſtatuuntur in Ducatus Zutphaniæ Jure Municipali reformato *cap. ult.* quod per omnia fere convenit cum ſupra dicto Tranſyſulaniæ Statut. Item Ruremund. *Conſuetud. Jure part. 6. tit. 1. §. 6. & 7.* & antiquæ ſuperioris inferioriſque Betuæ legum tabulæ, ad quas brevitatis cauſa remiſiſſe ſuffecerit.

13 Si tamen cum hoc crimine alia aliqua delicti qualitas concurrat, ut plerumque eſt vis publica, aut privata, pro delicti qualitate & circumſtantiis graviori pœna puniri ſolet, ut ſi quis alicui à tergo doloſe vulnus aliquod intulerit, aut nihil minus cogitanti faciem cultro tranſciderit, quales plerumque talionis pœnâ eodem modo addita relegatione facies tranſcindi ſolet, aut ſi qui noctu in viis publicis, aut plateis tranſgrediuntes petulanter, aut doloſe fuerint aggreſſi, iiſque aliquod vulnus inflixerint, eos pro latronibus, & nocturnis graſſatoribus extraordinaria etiam graviori pœna puniri conſtat.

14 Quo pertinet, quod ſi filius Patrem aut Matrem quos venerari oportet contumeliis afficiat, vel impias manus eis intulerit, graviori etiam pœna extraordinarie veniat puniendus *l. 1. §. 2. ff. De obſeq. parentib. & patron. præſtand. l. 3. Cod. De patr. poteſt.* Quo confer ex Jure Divino Deuteron. *cap. 21. verſ. 18. & ſeq.* Quod etiam Magiſtratus & judicis arbitrio committitur, quod & ad pœnam corporalem & quandoque ad ultimum ſupplicium extendi poſſe quidam volunt, propterea quod illud crimen ſit atrociſſimum, quod & Dei præceptum fortunarum D. xxxvii. xv. *De obſequiis parentibus, & patron. præſtandis.*

 omnium

omnium in hac vita reddit expertem, *Exod.* 20. 12. prout in atrocioribus arbitrariam pœnam extendunt communiter *DD. Vid.* Jul. Clar. *§. fin. quæſt.* 83. *num.* 11. Ægid. Boſſ. *Prax. criminal. tit. De injuriis num.* 30. Farinac. *Prax. criminal. lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 17. *num.* 36. Menoch. *De arbitr. Jud. cent.* 3. *caſ.* 263. *num.* 6. Anton. Teſſaur. *deciſ.* 229. *num.* 1. *& ſeq.* Andr. Gail *lib.* 1. *obſerv.* 39. *num.* 1. Quo tamen caſu ita diſtingui ſolet, ut ſi levior aliqua injuria parentibus à liberis ſuis fuerit illata, veluti ſi injuriis verbalibus eos tantum affecerint, vel realibus abſque vulneribus illatis, hi relegatione tantum, vel carcere pane & aqua cibandi puniantur: Si vero atrocior fuerit illata injuria, realis nimirum quæ ad vulnera cum vitæ periculo excrevit, fuſtigatione aut manus amputatione plectendi in perpetuum relegentur, aut ſi circumſtantiæ cauſam nimium aggravent, veluti ſi occidendi propoſito ad actum proximum perveniſſe, neque deſtitiſſe niſi prohibiti convincantur, ultimo ſupplicio plectentur. Quod de fuſtigatione, & manus amputatione ſecundum materiam ſubjectam iterum reſtringi volunt, ad caſum quo ipſi parentes conquerentes judicis auxilium imploraverint: cæterum ſi injuriam filiis remiſerint proque iis ipſi intercedant, pœnam quoque corporis afflictivam remittendam, eoſque non niſi arbitrarie relegatione temporali, aut perpetua puniendos eſſe volunt. *arg. l.* 3. *Cod. De patr. poteſtat.* Ut de Saxonum moribus notat Carpzov. *Prax. criminal. part.* 2. *quæſt.* 100. *num.* 40. Vide porro Decian. *Prax. criminal. lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 1. *& lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 7. 8. 9. Georg. Tholoſan. *Syntagmat. Jur. lib.* 36. *cap.* 24. *num.* 5. 6. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 8. *tit.* 33. *defin.* 1.

Ita etiam ſi nuntio, apparitori, aliiſve perſonis publicis in executione juris & juſtitiæ de 15
facto reſiſtatur, arbitraria major pœna conſtituta eſt adverſus eos qui officiales in executione officii ſui vulneraverint, aut aliquo modo læſerint: publice enim intereſt ne magiſtratus auctoritas, quam illi repreſentant, à quolibet privato lædatur. *l.* 5. *Cod. de Jure fiſci. l.* 176. *ff. De Regul. Jur.* adeoque eadem quæ ipſis, magiſtratui & poteſtati quam repræſentant, illata videtur injuria. *arg. l.* 1. *§.* 3. *ff. De injur.* niſi injuſte & indebite per injuriam & ſine auctoritate quid exequantur: quo caſu officialibus licite reſiſti poſſe volunt. prout late Marc. *deciſ.* 772. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 7. *tit.* 20. *defin.* 15. Pecc. *De Jure ſiſtendi cap.* 22. *&* 23. Vide etiam hanc materiam apud eundem Ant. Fab. *d. tit. defin.* 6. Jul. Clar. *lib.* 5. *ſentent. §. final. quæſt.* 60. *num.* 18. *& quæſt.* 29. *num.* 2.

Inſt. iv. iii, D. ix. ii. *Ad legem Aquiliam.*

Sed & præter mulctam & pœnam de qua hactenus, is qui alium vulneravit, aliove modo 16
læſit, ad æſtimationem mutilati membri & corporis, ratione doloris, injuriæque illatæ, mercedum Medicorum, aliorumque impendiorum, quæ in curatione facta ſunt, præterea operarum quibus caruit, aut cariturus eſt, ob id quod inutilis eſt factus, damnique dati reſtitutionem vulnerato tenetur. *§.* 1. *Inſtit. de Obligat. quæ quaſi ex delict. l.* 1. *ff. De his qui dejec.* non quanti res quæque plurimi fuerit eo anno aut diebus triginta retrorſum computatis, *l.* 2. *l.* 27. *§.* 5. *ff. ad leg. Aquil.* Sed quanti res fuit eo die quo damnum datum eſt. A qua lege in eo moribus eſt receſſum, quibus illa actio pœnalis non eſt, ſed rei perſecutoria: ut de Galliæ Autumnus & Baro ad *tit. Inſtit. De lege Aquil.* Rebuff. *ad Conſtitut. reg. tit. De fruct. art.* 1. *num.* 10. Argentr. *ad Conſuetud. Britann. art.* 607. *num.* 3. Saxoniæ, Reinhard. *De differ. Jur. civil. & Saxon. tit. De pœn. differ.* 124. Zobel. *part* 4. *differ.* 9. *&* 10. & Belgarum moribus teſtantur Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 32. *verſ.* **Voor-eerſt.** & Zyp. *Notit. Jur. Belg. Rubr. ad leg. Aquil.* Neque ſolum mercedes Medicis præſtitæ aut operæ quibus quis caruit, aut cariturus eſt, ob id, quod inutilis ſit factus, in hanc æſtimationem venire ſolent: ſed & doloris, & cicatricum atque deformitatis ratio habetur, ſi id nominatim petat vulneratus: teſtante eodem Grotio *Introduct. lib.* 3. *cap.* 34. *§.* 1. *in fin.* 17
Vid. etiam Farinac. *De homicidio tract. tit.* 14. *quæſt.* 119. *per. tot.* & max. *num.* 108. *&* 121. Menoch. *De arbitrar. Jud. lib.* 2. *caſ.* 122. non obſtante quod vulgo dicatur liberum corpus nullam æſtimationem recipere, *l.* 2. *§.* 3. *ff. ad leg. Rhod. de jact. l.* 7. *in pr. ff. ad leg. Aquil. l.* 3. *ff. Si quadrup. paup. feciſſe dicatur.* Quod non eum ſenſum habet, quod dolores vulnerum ac operationes impeditæ æſtimari non poſſint. Licet enim corpora ipſa, ac membra humana, quæ in nullius bonis & dominio ſunt, *l.* 13. *ff. ad leg. Aquil. l.* 83. *§.* 5. *ff. De Verb. Oblig.* digniora ac præſtantiora ſint, quam ut pretium aliquod condignum eis correſpondeat, non eo minus dolor, operationes impeditæ, deformitas, aut ſi quod aliud damnum aut diminutio, in taxationem deduci poſſint. Et hic multum arbitrio & diſcretioni judicis tribuendum, qui non tantum ipſam membrorum circa operationes differentiam intuebitur; prout unius membri operatio melior eſt quam alterius *l.* 16. *& l.* 38. *ff. De Oper. libertor.* Major enim jactura eſt oculi, linguæ, ac manus, quam aurium, vel unius atque alterius digiti, aut dentis: multumque etiam perſonarum qua-

litatibus

litaribus deferendum, quo majus damnum atque injuria homini nobili ac plebeio infertur, atque magis officitur ſcribæ, aut opifici, per amputationem digiti aut manus, quam ei qui minori cum diſpendio tali membro carere poteſt: Deformitatis inſuper & cicatricum ratio
18 habenda eſt, veluti ſi puellæ innuptæ facies deformata ſit, quæ nubere non poteſt niſi ampliore dote conſtituta, aut ſi honeſtioris viri facies per genas aut per naſum fuerit tranſciſſa, quod præter deformitatem probatioris vitæ famam onerare ſolet. Quæ ita moribus obtinere, certius eſt, quam ut probatione aliqua indigeat. Quo pertinent antiquæ quorundam locorum
19 vulnerum tunc temporis uſitatæ taxationes: *De quibus Zelandiæ conſuetudinibus Generalibus cap. 5. art. 4. 5. & ſeqq.* hæc exſtant.

Art. 4.

Item / dat ſoo wie gewont wordt in den Buyck dat die doorſteken is / men ſal die gelden 10. Incken. Snijtmen hem ſijn wonde / dat ſalmen beteren na der Mannen vonniſſe / ten ware dat ſy met malkanderen over-droegen eer die ſaecke ter Vierſchaere quame.

Art. 4.

Si quis in ventris abdomine vulneretur decem vulnerum erit. Si & vulnus reſecari debeat, arbitrio judicis æſtimabitur, niſi antequam in judicium veniant, inter eos fuerit tranſactum.

Art. 5.

Item / datmen eens Edelmans incke gelden ſal / een ſchatte der Partyen 20. Schellingen / ende een On-Edelmans incke 5. Schellingen / ende voort een yegelijck nae ſijn Edelheyt. Maer in 't aenſicht oft op die hant onbedeckt / ende daer men 't eynden den Iaere litteychen af hout / ſalmen elcke incke gelden twyſchatte / alſoo veel den Heer als der Partyen.

Art. 5.

Item ut vulnus homini nobili inflictum pro parte læſa viginti ſolidorum æſtimetur, plebeji ſolidorum quinque, in cæteris pro cujuſque nobilitatis dignitate. Si vero in faciem aut manus exteriorum manifeſtumque vulnus illatum ſit, ex quo per annum cicatrix & lituram maneat, quodque vulnus dupli erit; tam pœnæ quam æſtimationis.

Art. 6.

Item / datmen voor eens Edelmans incke in 't hooft die men ſnyden moet / gelden ſal drie Pont / ende moetmenſe niet ſnyden / ſoo ſalmen den Edelman voor die incken betalen 2. Pondt / ende elck been-incken / ſalmen gelden vier vleeſch incken.

Art. 6.

Item, ut pro Nobilis vulnere in capite, quod reſecari debet, ſolvantur tres libræ, ſin non reſecari debeat duæ, & quodque oſſifragium duorum carnalium erit vulnerum.

Art. 7.

Item / oft yemant ſonder verlies van lede / leemte ofte mincke hebbende / gequetſt worde datmen by der incke geldende is / ende hy meer incken hadde dan voor eenen halven Man / van 't geene dat hy meer incken hebben ſal dan die beteringe van eenen halven Man bedraeght / dat ſalmen beteren by Mannen vonniſſe.

Art. 7.

Item, ſi quis ſine membrorum mutilatione lædatur, quod per vulnera æſtimari ſolet, pluraque habuerit vulnera, quæ dimidiam liberi hominis æſtimationem excedunt, id quod excedit arbitrio boni viri æſtimabitur.

20 Quibus accedit Novella Friſiæ Ordinatio 18. *Februar.* 1610. *art.* 19. relata inter generales Friſiæ conſuetudines *tit.* **van Injurien.**

Art. 4.

Worden yemandt twee oogen uytgeſlagen / twee voeten afgeſlagen ofte verlamt / ſal gelijck een Doot-ſlagh (tot hondert ende vijftigh Golt-guldens) met gelt geboet werden. Maer worde yemant een ooge uytgeſlagen / oft een hant ofte voet afgehouwen ofte verlamt / dien ſalmen met half ſoo vele mogen boeten.

Art. 4.

Si cui duo effodiantur oculi pedeſve mutilentur, homicidii pecuniaria (centum & quinquaginta aureorum) mulcta penſitabitur, ſed ſi cui oculus unus eruatur, manus, aut pes mutiletur, dimidiæ tantum æſtimabitur.

Art. 5.

Wie den anderen ſijn neuſe / lippe ofte tonge berooft / ſal den klager ſulcks beteren voor een half dootſlagh civiliter.

Art. 5.

Qui alicui naſum, linguam, aut labra mutilat, parti læſæ dimidias homicidii pœnas civiles dabit.

Art. 6.

Wie den anderen een duym oft vinger verdoet ofte verlamt; ſal een vierendeel van de civile boete

Art. 6.

Qui alii pollicem, digitumve mutilaverit, quartam homicidii mulctam præſtabit; duo pollices, digitive dimi-

betalen. Ende van twee duymen ofte twee vingers / ſal met een half-mans geldinge gebetert worden / al waert ooch dat de ſtucken meerder waren.

dimidia homicidii mulcta penſitabuntur, etiamſi vulnera fuerint plura.

Art. 7.

Voor een oor af ſalmen betalen een vierendeel van een mans lijf / ende voor twee ooren noch ſoo veel.

Art. 7.

Auris ſciſſio, quarta hominis mulcta erit, duæ aures altero tanti æſtimabuntur.

Art. 8.

So menigh tandt yemant uytgeſlagen / uytgeſtoten / uytgeſmeten wordt / ſal voor yder acht Goude guldens betaelt worden.

Art. 8.

Pro ſingulis dentibus evulſis, aut detruſis, ſolventur octo aurei.

Art. 9.

Item / een geſlagen / geſtoten ofte geworpen wonde in 't hooft door 't been ſalmen met 46. Goudguldens mogen beteren. Maer de andere in 't hooft ofte andere lidtmaten / welcke het been niet ſchaden / ſullen den Clager met tien Gouden gulden verbetert worden.

Art. 9.

Verberatum, contuſum, jactumve vulnus capiti per cranium inflictum, quadraginta octo aureorum erit, reliqua vero in capite aliſve membris vulnera quæ oſſifragia non ſunt, parti læſæ decem aureis computabuntur.

Art. 10.

So meenige ribbe yemant aen twee geſlagen wort / ſal met twaelf Goude gulden den klager geboetet worden.

Art. 10.

Coſta fracta duodecim aureorum eſt.

Art. 11.

Item / of yemant den arm ofte het been aen twee geſlagen / gebroocken ofte gehouwen worde / ſal men voor een yegelijck ſtuck / indien hy niet lam en wort / den Clager twintigh Goude gulden betalen. Maer iſt dat hy lam wordt / ſal daerenboven noch geboet worden / gelijck te voren van handen ende voeten verhaelt is.

Art. 11.

Brachium aut crus fractum læſumve, ſi non mutiletur, viginti aureis læſo adæquabitur, ſed ſi mutiletur præterea eadem, qua manus pedeſve mutilati, damnabitur.

Art. 12.

Voor de teenen ſal men half gelt (als van de vingeren boven geſchreven ſtaet) betalen.

Art. 12.

Pro pedum digitis dimidiata in manibus digitorum mulcta erit.

Art. 13.

Een Vleeſch-wonde ſijnde een vinger langh / ſal met tien Goude guldens / ende noch een vinger langer / min ofte meer onbegrepen / met twintigh Goude guldens gebetert worden.

Art. 13.

Carnaceum vulnus ad unius digiti longitudinem decem, ſi alterum digitum excedat, viginti aureis æſtimabitur.

Art. 14.

Van een doorgaende wonde in 't lijf ſalmen dertigh / ende waer 't dat die ganſch doorkomt / ſeſtigh Goude guldens betalen.

Art. 14.

Vulnus penetrans in abdomine corporis triginta, tranſfixum ſexaginta penſitabitur.

Art. 15.

Van een bloedrunſt ſal men betalen ſes Carolus gulden / ten ware eenige ſchade in 't aenſicht geſchiede; in welcken gevalle dubbelt ſal moeten betaelt worden.

Art. 15.

Pro ſanguinis effuſione ſex Carolini ſolventur, niſi ſi quod damnum in facie dederit, quod dupli erit.

Art. 16.

Voor hayr-plucken ſes Carolus gulden / doch ſoo wanneer de baert ganſch uytgetrocken wort / dubbelt.

Art. 16.

Crinium evulſio ſex erit Carolinorum, niſi integra evellatur barba, quod etiam dupli eſt.

Art. 17.

Voor een vuyſt-ſlag drie Carolus gulden.

Art. 17.

Pro pugno tres ſolventur Carolini.

21 In terris autem Imperii Romano-Saxonici ſi vulnerator criminaliter vel amputatione manus, vel alia pœna corporali fuerit punitus, ad damni & intereſſe reſtitutionem non tenetur, quaſi per pœnam corporis afflictivam, & judici & parti omnino ſatisfactum ſit, per ea quæ poſt Berlich. *part.* 5. *Concluſ.* 61. *num.* 62. & Daniel. Moller. *ad conſtit. elect.* 12. *part.* 4. probat Carpzov. *Prax. criminal. part.* 2. *quæſt.* 99. *num.* 67.

22 Pro colophone hic addere lubet remedium olim in Belgio uſitatum, quo ſimulac inter aliquos rixa eſſet oborta, unde aut reales injuriæ, aut ad arma confugia, unde & vulnera & cædes metuerentur, ſtatim per intercedentes perſonas id prætori, aut præfecto cujuſque loci indicaretur, qui partibus jam tum ſtatim ex officio & auctoritate publica pacem injungit, ſub certa contra addictæ pacis violatores pœna decreta, tenendam, interim donec cauſa cognita inter eos lis ſopiatur, qui ſi alicujus dignitatis fuerint ut inter nobiles, quos neglecta pace indicta facilius ad arma confugere vereatur, in domum quiſque propriam ſuam deduci, ibique retinere ſolebant, donec aut per mediatores, aut alias cauſa cognita per judices omnis lis & controverſia eſſet finita. Cujus procedendi modum & praxim vide in præfecturæ Zuid-Hellandicæ conſuetudinibus & ſtatutis, *Pag.* 464. 466. & 475. Recueil **van de Keuren van Amſterdam** / *Cap.* 11. *per tot.* **Keuren van de Landen van Vozen** / *Art.* 110. & *Art.* 123. **Keuren der Stadt Leyden** / *Anni* 1545. *in fin.* & 1583. *Art.* 63. **Keuren van den Lande van Putten** / *Art.* 75. Quod & Gelriæ & Tranſyſulaniæ quibuſdam locis conſuetudinis eſſe evincunt Statuta civitatis Zutphanienſis, *tit.* 4. & conſuetudines civitatis Daventrienſis, *part.* 4. *tit.* 2.

Vendor. lib 2. tit. xvii. De pace tenenda, & ejus violatoribus.

Nec ſolum propter illata vulnera, & corporis læſionem afflictivam, damnorum & intereſſe reſtitutionem petere quilibet læſus poteſt, ſed & pro reparatione famæ, & honoris, ex qualibet injuria illata aliove quolibet damno dato, actio competit. Ut de ſingulis ſuo loco.

Cap. XXII.

De delictis adverſus naturalem libertatem; ubi de vi publica & privata.

Summaria.

1. *Vis alia publica, alia privata quomodo committatur.*
2. *Quæ ſit ejus pœna.*

1 Adverſus naturalem libertatem committitur, aut vi aut injuria. Vis alia eſt publica, alia privata. Publica vis eſt, quum vel armis, & convocatis ad id hominibus vis infertur, per turbam & ſeditionem. *§.* 8. *Inſtit. De Injur. l.* 5. *ff. De Injur.* Vel ſine armis, à perſona publica, vel à privato perſonæ publicæ. *l.* 7. *ff.* & *l.* 1. *Cod. De vi publica.* ſive eo modo quo privatis interdictum eſt, committitur. *l.* 1. & *ſeq.* 4. *eod.* Privata eſt quoties privatus ſine armis lædit privatum. *§* 8. *Inſtit. De public. Judic. §.* 9. *Inſtit. De Interdict.* aut per injuriam ex alienis bonis quid rapit aut aliquem de poſſeſſione dejicit, alterum lædit, vel ejus bona vi occupat. *l.* 5. *ff. ad leg. Jul. De vi privat. l.* 4. & *l.* 5. *Cod. eod.* Quæ intelligenda de delictis proprie ita dictis, nec aliud nomen habentibus: Alias enim vis aliqua ſive publica, ut in ſeditioſis qui plebem contra Rempublicam colligere audent. *tot. tit. Cod. De Seditioſ.* & *his qui plebem contra Rempub.* & in latrociniis, adulteris, inceſtuoſis, lenonibus, ſive privata, ut in ſtupro & raptu, & ſimilibus, in pleraque alterius generis crimina incurrit, inque propriam delicti ſpeciem convertitur: quorum rei licet vim publicam committant, peculiaribus tamen eorundem criminum pœnis aut gravius aut levius puniuntur. *arg. l.* 6. *Cod. De vi publ.* & *privat.*

D. xlviii. vi. vii. Cod. ix. xii. Ad leg. Jul. De vi publica & privata.

2 Qui convocatis hominibus armata manu vim fecit quo quis verberetur, & pulſetur, neque homo occiſus eſt, aliove modo vim publicam commiſerit, relegatione, *l.* 10. *§.* 1. 2. *ff. ad leg. Jul. de vi public. §.* 8. *Inſtit. de public. jud.* aut aliis concurrentibus ultimo ſupplicio plectebantur, *l.* 7. 8. *Cod. ad leg. Jul. de Vi publ.* & *privat.* ut ii qui ſcalis admotis, muros, ac portas civitatis tranſcendunt, in quos capitis pœna conſtituta eſt *l. fin. ff. de Rer. diviſione.* Et vi privata damnatus, tertia bonorum parte mulctatur, & honoribus & dignitatibus indignus cenſetur, *l.* 1. & *l. ult. ff. ad leg. Jul. de Vi privat.* Sed moribus vis publicæ, & privatæ, pœna fere arbitraria eſt, & pro arbitrio & ratione perſonarum delinquentium, & patrati criminis, gravior pœna cor-

poris

poris afflictiva, aut fuſtigatio, aut manus amputatio, aliquando etiam ultimum ſupplicium, ut in furibus, privatarum domuum effractoribus, & ablgeis, vel mitior, ut relegatio, pœna carceris, aut pecuniaria mulcta in eos ſolet decerni, per ea quæ tradunt Jul. Clar. *§. fin. quæſt. 83. verſ. vim publicam.* Tiber. Decian. *tract. criminal. lib. 8. cap. 18. num. 19.* Damhoud. *Prax. criminal. cap. 100. num. 8.* Math. Coler. *deciſ. German. part. 1. deciſ. 155. num. 16. & ſeq. & poſt eum* Carpzov. *Prax. criminal. part. 1. quæſt. 40. num. 7. & ſeqq.*

Cap. XXIII.

De Stupro.

Summaria.

1. *Stuprum quid: aliud violentum, aliud voluntarium.*
2. *Stupri non violenti pœna Juris Civilis.*
3. *Stuprator moribus ſtupratam dotare, aut in matrimonium ducere poteſt.*
4. *Deflorationis reparatio qualiter æſtimanda.*
5. *Stuprator præter deflorationis æſtimationem etiam infanti ex Stupro procreato alimenta præſtare tenetur.*
6. *Stupri pœna eſt jure* Sazonico *ut præter dotem & alimenta carceris pœna coërceatur.*
7. *In reliqua* Germania.
8. *In* Anglia.
9. *Stupri qualificati pœna quæ ſit, & quibus modis committatur.*
10. *Stuprum violentum quomodo committatur & quæ ſit ejus pœna.*
11. *An in meretricem committatur.*
12. *An conatus pro conſummato Stupro puniatur.*
13. *Stupri actio damni dati an & quatenus per præſcriptionem tollatur.*
14. *Stupri commiſſi requiſita juris* Polonici.

ADverſus naturalem libertatem inter cætera committitur per Stuprum & raptum: Definiturque Stuprum, virginis vel viduæ honeſtæ illicita defloratio. *§. 4. Inſtit. de publ. judic. cap. lex illa. 36. quæſt. 1.* Quod aliud voluntarium eſt quod volente, & conſentiente virgine, blanditiis, perſuaſionibus, promiſſionibus & dationibus munerum aliiſve mediis committitur: aliud violentum, quo virgines vel viduæ per vim opprimuntur, vel abducuntur, diciturque crimen raptus. *l. unic. Cod. de rapt. virgin.* 1

Stupri non violenti pœna Jure Civili in ſtupratoribus honeſtis publicationis dimidiæ partis bonorum eſt, in vilioris ac humilioris conditionis hominibus ad corporis coërcitionem, veluti ad fuſtigationem cum relegatione. *§. 4. Inſtit. de publ. judic.* non autem ad pœnam capitalem extenditur, ut poſt Farinac. *part. 5. oper. criminal. quæſt. 14. num. 6.* Menoch. *Prax. criminal. part. 2. quæſt. 68.* Jure divino pariter & Canonico ſtuprator virginis eam dotare, & in uxorem ducere tenetur, ſi illa & parentes ejus conſenſerint. *Exod. 22. verſ. 16. 19. Deuteron. 22. verſ. 28. cap. 1. & 2. de extr. de Adulter.* Sed moribus, ubique fere in arbitrio ejus poſitum eſt utrum ſtupratam virginem dotare, an in uxorem ducere malit, omni prorſus alia pœna ceſſante, per ea quæ de moribus teſtatur Grot. Introd. *lib. 3. part. 35. §.* **upt beſlapingh.** Neoſtad. *Suprem. Cur. deciſ. 52. in pr.* Damhouder. *Prax. criminal. cap. 94. num. 6.* Ioann. à Sande *lib. 2. tit. 1. defin. 10.* In Hiſpania idem obtinere affirmant Gomez. *ad leg. Tauri. 80. num. 7. 8.* Gutierez. *lib. 1. Canonicar. quæſtion. 37. quæſt. 7. cum ſeq.* In Gallia Papon. *lib. 22. tit. 9. art. 9.* Anton. Fab. *ad Cod. lib. 9. tit. 7. defin. 5.* Anton. Teſſaur. *deciſ. Pedemont. 3. num. 3. verſ. quinta eſt concluſio.* In Germania Carpzov. *Prax. Criminal. d. part. 2. quæſt. 68. num. 14. & ſeqq.* Quod de virginibus de floratis intelligendum eſt, nec in viduis obtinet licet honeſtis, per ea quæ tradunt Gomez. Sande, Fab. *d. locis.* idque paſſim eſt receptum contra Farinacium *Prax. criminal. part. 4. tit. 16. quæſt. 147. num. 10. & ſeq. & DD. ibi citatos.* Vide etiam Joann. à Sande *d. lib. 2. tit. 1. defin. 10.* Idem etiam dicendum de vitiata, & antea ab alia corrupta, in quas ſtuprum nullum committitur. *§. 4. Inſtit. De publ. Judic. l. 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. De adult. l. 22. Cod. eod.* (margin numbers 2 and 3 beside this paragraph)

Quænam autem dos pro deflorationis reparatione ſit conſtituenda, ſecundum qualitatem virginis ſtupratæ judicis arbitrio æſtimari ſolet, quanta veroſimiliter puellæ pater ei in dotem dediſſet. Quod cum Germaniæ, Carpzov. *Prax. criminal. part. 2. quæſt. 68. num. 13.* & Friſiæ conſtitutionibus convenire probat Johan. à Sand. *d. lib. 2. tit. 1. defin. 10.* Sed alii utriuſque & ſtupratoris, & ſtupratæ virginis qualitates inſpici debere volunt, *arg. l. 60. l. 69. §. 4. 5. ff.* 4

De Jure dot. Ita tenent Farinac. *Prax. criminal. part. 5. quæſt. 147. num. 124. & ſeqq.* Anton. Teſſaur. *d. deciſ. 3. num. 2. in fin.* Menoch. *De arbitr. Jud. centur. 3. caſ. 288. num. 16. & ſeq.* Surd. *De aliment. tit. 1. quæſt. 10. num. 20.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 18. art. 6. num. 8.* Grot. *Introd. lib. 3. cap. 35. verſ.* **upt beſlapingh.** *in med.*

5 Sed & præter hanc pœnam ſtuprator infanti quoque ex ſtupro procreato alimenta præſtare, *arg. l. 9. Cod. de patr. poteſtat.* & puerperii ſumptus neceſſarios erogare damnatur. Quomodo deciſum referunt Teſſaur. *d. deciſ. Pedemontan. 3.* Matth. Coler. *part. 3. deciſ. 176. num. 89. & ſeq.* Carpzov. *Prax. criminal. part. 2. quæſt. 68. num. 104. & ſeqq.* Alibi tamen communibus ſumptibus ejuſmodi liberi alendi ſunt *arg. cap. 5. in fin. extr. De eo qui duxit in matrimon. quam poll. adult.* niſi alteruter ſit inops. Vid. Surd. *De alimentis tit. 1. quæſt. 14. num. 4. tit. 7. quæſt. 8. & quæſt. 15.* Gabriel. *lib. 6. de Aliment. Concluſ. 1. num. 43.* Ita conſtitutum Statut. Mechlin. *tit. 18. art. 6.* Et apud nos receptum eſt, ut rarius ſtuprator ejus rei cauſa ultra florenum unum cum dimidio, aut ad plurimum duos florenos in ſingulas hebdomadas ſtupratæ fœminæ contribuere damnetur. Vide etiam Grot. *Introd. lib. 3. cap. 33. dict. verſ.* **upt beſlapen** *poſt. med.*

6 Saxoniæ moribus ultra eandem donationem, & alimentationem ſtupratæ fœminæ contribuendam inſuper carceris pœna ad plurimum 14. dierum ſtupratores pro vindicta publica coërceri ſolent; quæ nec in pecuniariam mulctam commutari poteſt: per ea quæ refert Carpzov. *Prax. criminal. part. 2. quæſt. 69. num. 15. & ſeq.* aggravari autem poteſt ſi qualitates ac circumſtantiæ concurrentes id exigant, veluti ſi quis mulierem captivam cuſtodiæ ſuæ commiſſam ſtupraverit, eum cum ea muliere fuſtigandum, & relegandum jubent eorundem *conſtit. elect. part. 4. conſtit. 25.* & virgis cæſus in perpetuum relegatur ſtuprator qui mulierem mente captam aut impuberem carnaliter cognoſcit, & ſtuprat *Elect. conſtit. 26. part. 4. & conſtit. 31. in fin.* ut late idem Carpzov. *Prax. criminal. part. 2. quæſt. 79. num. 23. 33 39.* in quos etiam jure communi ſeverius animadverti ſolet: ut latius infra ſuo loco notabitur.

7 Quibuſdam Germaniæ locis ultra dictam dntarionem Canonica inſuper coërcitione cohiberi qui virginem conſuetudinis, nec matrimonii cauſa ſtupraverint, refert idem Carpzov. *d. quæſt. 79. num. 55.* quibus publice in templo coram altari ſe ſiſtere, & delictum, ac ſcandalum per id datum deprecari, quæ quum per ſe gravis & ignominioſa pœna eſſe ſolet, dictam in iis carceris pœnam, aut mitigari, aut ne pro unico delicto duplex imponatur pœna, penitus abſorberi probat idem Carpzov. *ibid. & num. 56.*

8 In Anglia noviſſima *Eduardi VI.* Eccleſiaſticarum legum Reformatione *Rubr. de matrimonio cap. 3.* in mulierum corruptores ita animadverſum legimus his verbis: Nec tamen illorum fœda „ libido gravi pœna carere debet, qui ſimplicitatem puellarum, & mulierum innocentiam cir„ cumveniunt, & illarum caſtitatem promiſſis, & blanditiis obſident, donec turpiſſimè corpo„ ribus earum tandem illudant. Eccleſia illos excommunicationis telo præcipimus exturbari: „ Nec ullum ad eas reditum illis eſſe, niſi velint uxores eas ducere, quibus abutebantur prius ut „ ſcortis: verum hoc ſi forte fieri non poteſt, judices illorum bona agnoſcent, & ex eorum dili„ genti conſideratione tertiam partem ad mulieres ſevocabunt, quæ libidine ſunt illorum inqui„ natæ. Quod ſi bona partitionem hanc non ferant, tamen ad prolem ſuis impenſis ſuſtentandam „ damnabuntur. Et præterea tantas ſibi pœnas impoſitas habebunt, quantas judex Eccleſia„ ſticus ad Eccleſiæ tollendam offenſionem ſatis eſſe putabit, ſi divulgatum crimen eorum „ fuerit.

Hactenus de ſimplici ſtupro voluntario, quod fere nulla apud nos, extra deflorationis pecunia-
9 riam repatationem, pœna coërceri diximus: Cæterum propter ſtuprum qualificatum, quod & in aliud, præter ſimplex voluntarium ſtuprum, crimen, ex gravioribus circumſtantiatum qualitatibus incurrit, ſtupratorem etiam criminaliter puniri conſtat, veluti ſi idem cum diverſis puellis prætextu ſponſaliorum, omnibus ac ſingulis promiſſorum, fuerit commiſſum: aut ſi perſonarum qualitas majorem pœnam exigat, veluti ſi ruſticus vel alius quiſpiam vilioris conditionis puellam nobilem ſtupraverit, *arg. l. 1. Cod. de mulierib. quæ ſe propr. ſerv. junxer.* Si quis cum Turca vel Judæa *Cod. 12. 11. De mulieribus quæ ſe propriis ſervis junxerunt.*
rem habuerit. Si tutor vel curator puellam ſibi commiſſam ſtupraverit. *l. unic. Cod. Si quis eam cujus tutor fuerit, corruperit,* aut ſi ſtuprum cum puella impubere fuerit commiſſum: adverſus quos cum ob varietatem circumſtantiarum certa regula præſcribi non poſſit, ea judicis arbitrio committenda videtur, *arg. l. 16. §. 2. ff. De pœnis.* Quæ plerumque in ſupradictis caſibus ad relegatio- *Cod. 12. 2. Si quis eam cujus tutor fuerit corruperit.*
nem, aut fuſtigationem cum bonorum confiſcatione extendi ſolet: per ea quæ de puella impubere vitiata tradunt Ægid. Boſſ. *Prax. criminal. tit. de Coitu damnat. num. 67.* Farinac. *Prax. crimi-*

nal. part. 5. *queſt.* 147. *num.* 38. 39. *&* 47. Jul. Clar. *lib.* 5. *ſentent.* §. *ſtuprum. num.* 9. Damhouder. *Prax. criminal. cap.* 94. *num.* 8. Menoch *de Arbitr. Jud. caſ.* 294. *num.* 3. Anton. Fab. *ad Cod. lib.* 9. *tit.* 7. *defin.* 7. Et de tutore, qui pupillam ſuæ curæ & fidei commiſſam ipſe ſtupraverit, tractant, Idem Farinac. *d. queſt.* 147. *num* 15. Jul. Clar. *d. lib.* 5. *ſentent.* §. *fornicatio. num.* 25. Georg. Tholoſan. *Syntagm. Jur. lib.* 36. *cap.* 9 *rubr. de Stupro. num.* 5. *verſ. ſic gravius.* Menoch. *de Arbitr. Jud. lib.* 2. *caſ.* 288. *num.* 15. *in addit.* Damhouder. *d. cap.* 94. *num.* 9. Quo fundamento præceptorem qui diſcipulam ſuam ſtupraverat ex Scabinorum Harlemenſium ſententia virgis cæſum & relegatum fuiſſe ſcribit Groeneweg. *ad d. tit. Cod. Si quis eam cujus tutor fuerit corrup.* Ita etiam ſi quis diffamandi gratia, cum puella honeſtioris conditionis ſe concubuiſſe publice gloriatur, ad interpretationem Statuti Friſici, arbitrarie eum puniendum probat Joann. à Sande *deciſ. Friſic. lib.* 5. *tit.* 8. *defin.* 5. *arg. cap. quam ſit grave.* 9. 10. *de Exceſſ. prælat.* Quod & Saxon. moribus convenit *part.* 4. *Conſtit. Elector.* 45. ubi vid. Daniel. Moller. & noviſſime Carpzov. *defin.* 2. vid. Coler. *deciſ. German.* 161. *num.* 25. 26. & Berlich. *Pract. concluſ. part.* 5. *concluſ.* 58. *& concluſ.* 60. *num.* 12. 13.

Stuprum violentum, quo quis virgini vel viduæ per vim ſtuprum infert, præter injuriæ, & 10
damni reparationem, gladio aut laqueo coërceri ſolet, *per l.* 1. §. 2. *ff. De extr. criminib. l.* 29. §. *ult. ff. ad leg. Jul. de adult. junct. l.* 5. *in fin. ff. de Vi publica.* facit *Deuteron. cap.* 22. *verſ.* 25. Quod & mores ubique probant. In Belgio teſtantur Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ* 47. *in fin.* Damhouder. *Prax. criminal. cap.* 94. *num.* 3. *& num.* 6. Zyp. *Notit. Jur. Belg. ad leg. Jul. de adult. verſ. Stupro.* Sande *lib.* 2. *tit.* 1. *defin.* 10. Grot. *Introd. lib.* 3. *cap.* 35. *verſ.* **'t aller-ſwaerſte.** In Germania exſtat *Conſtitut. Elect.* 30. *part.* 4. *Conſtit. criminal. Caroli V.* De Galliæ moribus vid. Papon *art.* 119. *lib.* 22. *tit.* 9. *arr.* 9. Inque eam ſtupri violenti pœnam incurrit, non tantum qui ipſemet ſtuprum violentum infert, ſed qui minis & armis metum incutiendo fœminam ad libidinem, & ſui ipſius proſtitutionem compellit. Item is qui conſilio, favore aliave ope ſtuprum violentum juvat & promovet. *arg. l. unic.* §. *pœna autem. Cod. de rapt. virg. l.* 54. *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Damhouder. *Prax. criminal. cap.* 97. *num.* 3. Prout *Ordinat. Eccleſ. Saxon. expreſſ.* refert Carpzov. *Iuriſprud. Forenſ. part.* 4. *Conſtit.* 30. *defin.* 6.

Neque refert utrum quis meretricem, aut mulierem vulgarem per vim carnaliter cognoverit, 11
cum ei non minus ac honeſtiſſimæ virgini vim inferri extra dubium ſit. *l.* 5. §. 2. *ff. ad leg. Iul. de Vi public.* Quem quidem Jus Saxonicum, æque ac in virginem committentem capite puniri jubet, *Landt-R. lib.* 3. *art.* 46. *& Conſtit. Elect.* 30. *part.* 4. Sed rectius ſecundum jus commune à pœna mortis eximi putem per text. *l.* 27. *in fin. Cod. ad l. Iul. de Adult.* Jul. Clar. *lib.* 5. *ſentent.* §. *raptus num.* 5. Menoch. *de Arbitr. Iud. caſ.* 291. *num.* 2. Damhouder. *Prax. criminal. cap.* 97. *num.* 10.

Sed quid ſi attentatum quidem per violentiam ſtuprum nondum tamen conſummatum fuerit, 12
fuſtigatione, & perpetua relegatione puniendum volunt: eo quod conatus alicujus delicti licet gravioris, non niſi extraordinaria pœna ſoleat coërceri, *arg. l.* 1. §. *ult. ff. de extraord. criminib.* per ea quæ latius ſupra hoc eod. *lib. cap.* 1. Quomodo deciſum refert Joann. à Sande, *deciſ. Friſicar. lib.* 5. *tit.* 9. *defin.* 11. Quod eo uſque Germanici mores & Saxoniæ conſtitutiones extendere videntur: ut de conſummatione commiſſi ſtupri per ſeminis immiſſionem ſaltem ex rei confeſſione omnino conſtare debeat, adeo ut licet ad actum proximum pervenerit, ſic ut de violentia & compreſſione per impoſitionem membri virilis in vas muliebre omnino conſtiterit, tamen ſi reus ſeminis immiſſionem negaverit, inque ea negatione per tormenta quæſitus, perſeveraverit, extraordinaria tantum fuſtigationis vel perpetuæ relegationis pœna eum plectendum velint, per ea quæ late Carpzov. *Iuriſprud. Forenſ. part.* 4. *conſtit.* 30. *defin.* 4. 5. Quod refert verb. elector. *Conſtit.* 31. *part.* 4. *in verb.* **und das Werck nut ihr volbracht wurde.** Quod tamen de moribus noſtris vix affirmare auſim, neque Juri communi convenire putem, *arg. l.* 1. *l.* 3. §. 4. *ff junct. l.* 3. *Cod. ad l. Iul de vi publ.* Præſertim in caſu propoſito, ubi factum ab ipſa conſummatione diſcerni vix poteſt, & porro abſque ſeminis infuſione, ſi Medicis fides ſit, virginitatis flos ſurripi, & defloratio committi poſſit.

Præterea hæc extraordinaria conatus pœna exaſperari ſolet, ſi præter conatum etiam aliqua violentia realis, & actu permanens, aut vis publica fuerit adhibita. Quomodo Anno 1555. apud Wittebergenſes cuidam, qui in via publica per vim attentaverat puellæ pudicitiam, & eam quum repugnantem opprimere non poſſet gladio vulneraſſet, non ſolum pœnam fuſtigationis, ſed etiam amputationem manus dictatam refert Coler. *part.* 1. *deciſ.* 126. *num.* 109. vide etiam Berlich *part.* 1. *concluſ. practicab.* 41. *per tot.* Quem apud nos gladio damnatum vidimus.

Hæc

13 Hæc actio, quatenus damni dati compenſatoria, à parte læſa ſemper, & omni tempore intentari poteſt; adeo ut cum cæteris triginta tantum annorum præſcriptione ſublata cenſeatur. per ea quæ tradit Jul. Clar. *§. fin. quæſt.* 51. *num.* 2. *in fin.* Card. Tuſc. *vol.* 6. *Pract. concluſ.* 569. *num.* 21. *litt.* P. Carpzov. *definit. Forenſ. part.* 4. *conſtit.* 27. *definit.* 8. Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 13. Joann. à Sande *lib.* 5. *tit.* 8. *definit.* 3. & criminalis publica fiſci actio intra viginti annos inſtitui quoquo tempore poſſit. *l.* 29. *ff. ad leg. Jul. de Adult. l.* 12. *ff. ad leg. Corn. de Sicar.*

14 Jure Polonico, ut hæc actio conſiſtere poſſit, hæc ſunt ejus requiſita, primo, ut virgo, ſive mulier oppreſſa, ad villam viciniorem veniens, ſeu in villa exiſtens, intra triduum apud vicinos clamore teſtetur plorando, lachymando, narrando vim ſibi illatam eſſe. Secundo ut ſigna oppreſſionis appareant manifeſta. Tertio, ut de ejuſmodi clamore & lamentatione mulieris villani teſtentur, prout ſtatutum, & in praxi obſervari refert Thomas Dreſnerus Leopolitan. Juriſconſult. *Inſtitut. Jur. Regni Poloniæ*, *lib.* 3. *tit.* 20. *verſ. Ut autem.*

Cap. XXIV.

De Raptu.

Summaria.

1. *Raptus quid, & quomodo committatur.*
2. *Ejus pœna.*
3. *Requiſita, & 5.*
4. *Conatus an puniatur.*
5. *Rapta raptori an & quomodo nubere liceat.*
6. *An rapta raptori nubere liceat, & an raptus pœna per ſubſequens matrimonium tollatur.*

1 Sequitur crimen raptus, quod quamvis ut plurimum cum violento ſtupro propter eandem fere aut non diſſimilium coërcitionem confundatur, differt in eo quod proprie raptus committatur, ubi puella vel mulier honeſta ad matrimonium contrahendum vel libidinis ſatiandæ cauſa vi aut contra ejus voluntatem, à raptore de loco ad locum abducitur. *l. unic. Cod. de rapt. virg. l.* 3. *§.* 4. *l.* 5. *§.* 2. *ff. ad leg. Jul. de vi public.* Cod. lib. 12. tit. 13. *De Raptu Virginum.*

2 Hujus criminis pœna quoque capitalis eſt, cum bonorum confiſcatione *d. l. unic. §.* 2. Iul. Clar. *lib.* 5. *ſentent. §. raptus*, *num.* 2. Gomez. *ad l. Tauri* 80. *num.* 36. Menoch. *De arbitr. Judic. lib.* 2. *caſ.* 291. *num.* 1. Farinac. *Prax. Criminal. quæſt.* 145. *num.* 7. quâ non ſolum raptores ipſi, ſed & cæteri omnes auxiliatores ejuſdem criminis conſcii, & miniſtri afficiuntur, illi ſcilicet qui in ipſa rapina operam præſtiterunt, *d. l. unic. §.* 2. *verb. vel quicunque opem.* Recens habemus exemplum in famulo *Iohannis Diderici de Mortagne*, qui quum raptum ab eo in *Catharinam d'Orleans* commiſſum miniſterio & machinato auxilio ſuo ſciens adjuviſſet, ab Hollandiæ Curia 13. *Maji* 1664. laqueo vitam finiri damnatus eſt: Quo etiam Ruſticus Auriga qui eandem vi & contra voluntatem domo ſua ereptam curru devexerat, propter juris & facti aliqualem ignorantiam, virgis cæſus, & cum bonorum confiſcatione banno relegatus eſt.

3 Dixi, *ubi puella vel mulier honeſta*] Quod hoc delictum ſpecialiter requirat, ut fæmina fuerit honeſta *d. l. unic. Cod. in pr. verb. virginum honeſtarum*: quæ verba meretrices, aut alioquin viles, & inhoneſtæ conditionis fæminas excludunt. Unde rapiens meretricem raptus pœna non tenetur per Gloſſ. & DD. ad *d. l. unic.* Boſſ. *Pract. Criminal. tit. de Rapt. mulier. num.* 1. Iul. Clar. *lib.* 5. *ſentent. §. raptus. num.* 4. *verſ. quæro nunquid.* Damhouder. *Prax. Criminal. cap.* 97. *num.* 10. Gomez. *ad leg. Tauri.* 80. *num.* 45. Hippolit. de Marſil. *in d. l. unic. num.* 20. *& ſeq.* & late Farinac. *Prax. Criminal. art.* 16. *quæſt.* 45. *§. meretrix. num.* 153. *& ſeq. per tot.*

Dixi, *ad matrimonium contrahendum.*] Quia raptor à pœna raptus non excuſatur, quod mulierem rapuerit animo contrahendi cum ipſa matrimonium: ut eſt text. in *l. ſi quis non dicam rapere.* 5. *Cod. de Epiſcop. & Cleric. ubi Gloſſ. & DD.* Quo facit etiam text. Iur. Canonici *in cap. Si quis non dicam.* 33. *quæſt.* 3. *junct. cap.* 6. Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 24. *de reform.* Sed hoc caſu quo raptor raptam præter ſeductionem carnaliter non cognovit, quia noluit, quum poſſet, arbitraria eum mitiori pœna puniendum volunt Iul. Clar. *d. §. raptus. num.* 4. *in fin.* & Boër. *deciſ.* 316. *num.* 4.

4 Alias, ſi etiam libidinis ſatiandæ cauſa raptus factus ſit, licet raptam non corruperit, quod cona-

conatus, non potuerit, aut impeditus fuerit, nihilominus eum ordinaria legis unicæ pœna puniri verius ſtatuunt, ſecundum diſtinctionem Jul. Clar. *d. §. raptus. num. 4. in fin.* poſt Decian. *tractat.* Criminal. *lib.* 16. *cap.* 8. *num.* 33. *&* 34. Menoch. *De arbitr. Jud. caſ.* 360. *num.* 30. *& num.* 32. Et hoc ſpeciale eſt ut in hoc crimine conatus etiam ſine effectu puniatur. *arg. l. 5. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Ut late Farinac. *Prax. Criminal. tit.* 16. *quæſt.* 145. *§. conatus. num.* 196. 198. *&* 200. *& ibi DD.* vide etiam Anton. Matth. *De Criminib. lib.* 48. *tit.* 48. *tit.* 4. *cap.* 2. *num.* 6.

Dicitur *vi aut contra ejus voluntatem.*] Ut non tantum ipſam vim includat, ſed & omnem 5
machinationem qua malis artibus quis virginem induxit, & ſollicitavit, ut in tantum dedecus ſeſe prodat, quod idem eſt; nam eo modo quem perſuadere plus eſt quam compellere. *l.* 1. *§.* 3. *ff. De Serv. corrupt.* Quomodo intelligenda ſunt verba illa *d. l. unic. Cod. De rapt. §.* 2. *ſive volentibus, ſive nolentibus tale facinus fuerit perpetratum:* ubi verbum, *volentibus*, pro voluntaria coactione ſumitur, eo quod velle non intelligitur, quæ ſeducitur, & circumvenitur pravis perſuaſionibus *d. l.* 1. *§.* 3. *ff. de Serv. corrupt. junct. l.* 3. *§. ſi quis volentem. ff. de hom. exhib. & l. pen. Cod. de Apoſtat.* Quamvis, minus delinquere, & ob id arbitrarie tantum puniri velint eos, qui volentes, blanditiis, & promiſſis ſeduxerint: præſertim moribus, qui hac in parte Jus Canonicum ſequuntur, quod etiamſi ab initio invita rapta ſit, vitium tamen ex ſubſequenti puellæ conſenſu purgari præcipit. *cap. pen. & ult. de Raptor.* Ut ex diverſorum conſtitutionibus probat Anton. Matth. *De Criminib. lib.* 48. *tit.* 4. *num.* 8. Sed ſi nec vis facta ſit, nec ſollicitatio aut perſuaſio interceſſerit, ſed mulier liberrima voluntate conſenſerit, aut ultro ipſa raptorem ſollicitaverit: quum tamen illicito modo matrimonium quæſit, quo parentibus, & conſanguineis illudatur, ea cauſa arbitrarie eum puniendum putarem, præſertim ſi quis minorennem in ſacris parentum, aut tutorum conſtitutam blanditiis, aut promiſſis è parentum, tutorumve poteſtate de loco in locum ſeduxerit, retinuerit, aut conſtupraverit, ut eo ipſo conſenſum extorqueat: quum nec aliqua voluntas intelligi poſſit ejus, quod abſque conſilio expreſſo & libero conſenſu effici nequaquam poteſt. *arg. l.* 3. *&* 4. *ff. De Reg. Jur.* Sub qua, nec alia diſtinctione procedere moribus noſtris poteſt, quod poſt alios Groeneweg. *de legib. abrogat. ad l. unic. §.* 2. *Cod. de Raptu virgin. num.* 5. ſi mulierem cœlibem nullis ſiniſtris perſuaſionibus ſeductam, ſpontanea voluntate in alium locum cum juvene ſeceſſiſſe conſtiterit, atque juvenis ibi eam volentem retinuerit, atque conſtupraverit, neque pœnam raptus locum habere, neque nullam eo nomine fiſco actionem competere, refert.

Sed an raptæ raptori nubere liceat, & per ſubſequens matrimonium raptus pœna tollatur 6
videndum: Quicquid Juris Canonici commento perperam intellecto indiſtincte ſentiant alii, inter eos matrimonium conſiſtere poſſe, eoque ipſo ſi pars læſa conſentiat, injuriamque illatam remittat, raptus pœnam tolli: Nos eam inibi diſtinctionem faciendam putamus, ut ſi vis nulla adhibita, atque extra poteſtatem raptoris rapta conſenſerit, eique injuriam omnes quorum intereſt, remiſerint, matrimonium recte contrahi, neque pœnæ locum eſſe; Cæterum ſi vis aliqua fuerit adhibita, quæ in ipſum crimen inciderit, nequaquam matrimonium inter ejuſmodi raptorem & raptam conſiſtere propter expreſſ. text. *leg. unic. §.* 1. *Cod. de raptu virg. verſ. Nec ſit facultas:* quum publica vindicta per ſubſequens inter partes matrimonium tolli, aut aboleri non poſſit *arg. l.* 45. *§.* 1. *ff. de Reg. Jur.* Niſi impetrata Principis venia, & delicti remiſſione, quæ ob matrimonii ad inſtantiam læſæ partis favorem facilius impetrari poterit *arg. l.* 1. *§. ult. ff. de lib. exhib.* atque ita reſtringitur atque explicatur dictum Jus Canonicum (de quo in *cap. raptor.* 27. *quæſt.* 1. *cap. pen. & ult. de Raptorib.* cui alias adverſaretur *cap. placuit*, *& cap. de puellis* 36. *quæſt.* 2. per Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. quod probe diſtinguit, utrum rapta permanſerit in poteſtate raptoris, atque ita conſenſerit, an extra ejus poteſtatem conſtituta conſenſum accommodaverit, ut hoc caſu matrimonium valeat, illo non utique: Ut poſt Anthon. Matth. *de Criminib. lib.* 48. *tit.* 4. *cap.* 2. *num.* 16. *in fin.* recte diſtinguit Groeneweg. *de Legib. abrogat. ad d. l. unic. §.* 1. *Cod. de Rapt. Virg. num.* 3.

Cap. XXV.

De Injuriis & famoſis libellis.

Summaria.

1. *Injuria quid, & quando committatur & num. 4.*
2. *Convicii veritas objecta an & quatenus ab injuria excuſet.*
3. *Communis fama injuriantem non excuſat.*
4. *Injuriandi animus an, & quomodo probetur.*
5. *Iracundia, aut ebrietatis calor an & quando ab injuria excuſet.*
6. *A quibus committatur injuria.*
7. *Injuria alia realis, alia verbalis.*
8. *Injuria pœna qua, & qualis hodierna.*
9. *Famoſi libelli pœna, qua & qualis.*
10. *Injuria actio quibus modis extinguatur, & an in heredes tranſeat.*
11. *An per compenſationem tollatur.*

1 VOx injuria in genere ſumpta denotat omne id quod non Jure fit: *l. 1. ff. De Injur. pr. Inſtit.*
eod. Hic eſt delictum, quo quid injuriandi affectu fit, aut dicitur ad contemptum, infamiam, aut læſionem alterius. *d. pr. & §. 1. Inſtit. De Injur.*
Dicitur injuriandi affectu, quia ad hoc ut injuria illata, dicatur injuriandi animus atque affectus concurrere debet, neque ſine contumeliæ affectu injuria committitur. *l. 1. §. 1. l. 3. l. 4. ff. l. 9. l. 10. Cod. De Injur.* Unde impuberes, amentes, furioſi & reliqui qui doli capaces non ſunt, propter animi defectum injuriam committere non intelliguntur. *d. l. 3. §. 1. ff De Injur. l. 34 ff. De oblig. & act.* Et hinc, ſi qui publico Jure utatur. *l. 13. §. 1. ff. De Injur.* aut ſi ſcleratum aliquem dicti factive veritate infamet, vel accuſet delicti, aut criminis, quod pateſieri reipublicæ intereſt, injuriarum actione non tenebitur. *l. 18. ff. eod. & ibi DD.* ſi modo probare illud poſſit. Quod pro-
2 be diſtinguendum, quum alias convitii veritas injuriantem à pœna non excuſet, ut poſt Andr.
Gail *lib. 2. obſerv. 99.* recte diſtinguit Fachin. *lib. 9. controv. cap. 10.* Gomez. *Var. reſolut. tom. 3. cap. 6. num. 2.* Wurmſer. *Pract. tit. 46. obſerv. 6.* Quod & mores ſervant, per ea quæ de Hollandiæ, & vicinis moribus referunt Grot. *Introd. lib. 3. cap. 16. §. 1. in fin.* & Joann. à Sand. *deciſ. Friſicar. lib. 5. tit. 8. defin. 7.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 2. art. 4. num. 10.* eamque diſtinctionem habet text. Ordinat. Criminal. Caroli V. *art. 110. in fin.* Vide etiam Jul. Clar. *§.*
3 *injuria, num. 15.* & Ant. Fab. *ad Cod. lib. 9 tit. 20. defin. 5.* Multo minus injuriantem juvat,
quod ab alio injurias per famam ſe audiviſſe probet, qui nihilominus injuriarum judicio tenetur, quod injuriam ab alio dictam propalaſſe convincatur. *arg. l unic. Cod. De famoſ. libell.* Salicet. *ad l. 1. Cod. De Injur.* Vide Berlich. *Pract. concluſ. part. 5. concluſ. 65. num. 51.* Mott. *digeſt. noviſſ. tom. 2. De injuria cap. 52.* Coler. *part. 1. deciſ. 161. num. 41.* Carpzov. *defin. for. part. 4. conſtit. 42. defin. 5.*

Inſtit. iv. iv Digeſt. xlvii. x. Cod. ix. xxxv. De Injuriis & famoſis libellis.

Sed ſi quis ad reprobandos teſtes crimen objiciat, Jure, neque injuriæ cauſa feciſſe id videbitur. *l. 15. §. 38. ff De Injur. l. fin. ff Quod quiſque Jur. & ibi Bald.* & DD. Fachin. *lib. 9. controv. cap. 13.* Quod itidem moribus ſervatur, per ea quæ tradunt Boër. *conſil. 1. & conſil. 4. num. 21.* Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 136. num. 6.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 2. art. 4. num. 20. & tit. 1. art. 28. in addit. ad num. 27.* Carpzov. *Juriſprud. Romano-Saxon. part. 4. conſtit. 42. defin. 7.* Sed tutius quidam volunt proteſtationem adde, ut poſt Oldrad. *conſil. 53.* notat Weſembec. *parat. ff. De Injur. num. 9.*

In dubio autem in facto per ſe contumelioſo injuriatum affectus ſemper præſumitur. *arg. l. 41. ff. ad leg. Falcid.* niſi innocentiam quis probet ſuam. *l. 5. Cod. De Injur. junct. l. 42.*
4 *ff. De verb. Significat.* In facto autem quod per ſe contumelioſum non eſt, ſtatur negationi
ejus qui injuriam commiſiſſe dicitur, neque ſi verba ſint talia, quæ injuriam indifferenter, neque neceſſario non important, actioni injuriarum locus non eſt, niſi prius actor injuriandi animum probaverit: omnis enim præſumptio bona eſt. Ut poſt Farinac. *Prax. criminal. quæſt. 105. num. 118 & 122.* Cravett. *Conſil. 9. num. 20.* Schneidoin. *ad §. ult. Inſt. De injur.* Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. Romano-Saxon. part. 42. defin. 7. num. 4.* Quod & ex facti circumſtantiis dijudicari debet; quomodo qui alteri joco, aut ludendo injuriam verbis aut facto intulerit, injuriarum actione non tenebitur. arg. *l. 5. in pr. Cod. De Injur. l. 15. §. 23. ff. eod.* junct. *l. 3. §. 1. in fin. ff. eod.* Vid. Maſcard. *De probat. lib. 2. concluſ. 902. num. 5.* Damhoud. *Prax. criminal. cap. 136. num. 9. & ſeq. & cap. 137. num. 12.* Farinac. *d. quæſt. 105. num. 123.* Quod quum diffi-

difficilis quandoque probationis ſit, an & quando quis injuriandi animum habuiſſe dici poſſit:
reus, ſi innocentiam ſuam ex circumſtantiis ſufficienter probare non poſſit, ad juramentum purga-
torium quandoque admittitur, quod quum qualitas illa injuriandi quandoque in ſolo animo con-
ſiſtat, nec videri, nec tangi poſſit. *l. 5. Cod. De inſtit. & ſubſtit.* vix aliter quam juramento
probari poterit. *l. 6. §. 4. ff. De his qui not. infam.* Qua in re tamen multum arbitrio & diſcre-
tioni judicis tribuitur: ne quis ſimpliciter dicendo ſe animum injuriandi non habuiſſe, quum nulla
prorſus præſumptione aſſertionem ſuam firmet, ſtatim ad purgatorium juramentum admittatur.
Ut poſt Boër. *deciſ.* 89. *num.* 4. & Andr. Gail *lib.* 2. *obſerv.* 106. *num.* 5. recte notat Carpzov.
Juriſprud. Forenſ. part. 4. conſtit. 42. defin. 9. circa fin.

Ita etiam qui ex calore iracundiæ, ad injurias provocatus aut in ebrietate verbis injuriam de- 5
derit, ex pœnitentia, & contraria vocis declaratione, ab injuriarum actione excuſari ſolet. Niſi
fuerint atroces, *arg. l. 48. ff. De Regul. Jur. junct. l. 6. §. per vinum. ff. de re militar. l. unic. Cod.
Si quis imperat. maledix.* Quod & mores fere ſervant per ea quæ tradunt Anton. Fab. *ad Cod. lib. 9.
tit. 20. defin.* 11. Joann. Papon. *lib.* 8. *tit.* 3. *art.* 15. 16. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 2. art.
4. num. 17. 18. & in addit. ad num.* 17. Joann. à Sand. *deciſ. Friſicar. lib. 5. tit. 8. defin. 7.*
Carpzov. *defin. Forenſ. part. 4. conſtit. 32. defin.* 11. Damhoud. *Prax. criminal. cap. 139.
num.* 12.

Injuriam itaque committunt omnes qui doli capaces ſunt. *d. l. 3. §. 1. ff. De injur.* nec per 6
eos ſolum per quos infertur, ſed & per eos qui ut fiat dolo malo curant. *§. pen. Inſtit. De injur.*
patimurque non tantum noſmet ipſi, ſed & per liberos, uxores. *§. 2. Inſtit. eod.* Item per de-
functum, cujus heredes ſumus, ſi poſt obitum fama ejus lædatur. *l. 1. §. 4. 6. ff. eod.*

Injuriæ aliæ ſunt reales, quæ re & facto inferuntur, aliæ verbales quæ verbis, per convitia 7
vel famoſos libellos committuntur. *l. 1. §. 3. ff. De injur. §. 1. Inſtit. eod. l. 5. §. 9. ff. eod. l. unic.
Cod. De famoſ. libell.* Reales injuriæ iterum ſunt aliæ corporales, ut quæ pulſatione, aut vulnera-
tione infliguntur, de quibus ſupra *cap.* 6. aliæ non corporales, quæ rurſus vel adverſus propriam
naturæ honeſtatem & decorum cum alterius læſione & injuria committuntur, ut eſt adulterium,
cujus publica pœna eſt cum damni reparatione parti læſæ facienda, vel ſine læſione alterius pri-
vati, ut ſunt incæſtus, Sodomiæ, quorum publica tantum coërcitio eſt. De quibus ſingulis ſuo
loco.

Verbalis injuria iterum vel eſt levior, vel atrox, quæ ex perſona, loco & tempore aliiſve cir-
cumſtantiis diſcernitur. *§. 9. Inſtit. eod.* veluti ſi perſona publica, ut Magiſtratus, judex, officii
ſui ratione convitiis offendatur. *l. 7. §. ult. l. 8. l. 9. ff. De injur. l. 4. Cod. eod. §. 9. Inſtit. eod.*
quare & ejus pœna extra damni reſtitutionem arbitraria eſt, loco, tempore, & perſonarum qua- 8
litatibus circumſcripta. *d. §. 9. Inſtit. De injur.* Ioann. à Sande *lib. 5. tit. 8 defin.* 5. Moribus
fere injurians ad recantationem ſive palinodiam, & mulctam civilem pauperibus, quandoque
etiam ipſi parti læſæ, pro famæ læſionis adæquatione, ſi petat, applicandam condemnari ſolet.
Grot. *Introd. lib. 3. cap. 35. verſ.* **by ons** / *& cap. 36. verſ.* **De Wederrbening.** vulgo, **honora-
ble ende profitable amende** / adeoque propter injuriam verbalem criminaliter agi non ſolet,
& vix eſt ut fiſco, niſi atrocior ſit, aliqua competat actio. Vid. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. De In-
jur.* Anton. Matth. *De criminib. lib. 47. tit. 4. cap. 3. num. 7. & cap.* 4. Eguinar. Baro *ad tit.
Inſtit. De injur. part. poſter. in fin.* Papon. *lib. 8. tit. 3. art.* 18. Si atrocior ſit injuria, cujus pu-
blice intereſt, aut qua quis enormiter læſus eſt, pro injuriarum, & perſonarum qualitate carce-
ris, relegationis, alteriuſve coërcitionis, pœna imponi ſolet: Exemplum vide apud Ioann. à
Sand. *d. lib. 5. tit. 8. defin.* 5. Quod cum Iure Saxonico convenit, per ea quæ tradit Carpzov.
Iuriſprud. Forenſ. part. 4. conſtit. 42. defin. 1.

Et hinc eſt, quod hodie, quum injuriarum actio fere criminalis non ſit, procuratorem indiſtincte
admittat, contra *l. ult. Cod. de Injur. §. 10. Inſtit. eod. & ibi* Arnold. Vinn. & Groeneweg. ubi
idem Saxoniæ moribus convenire refert ex Rheinard. *differt. jur. civ. & Saxon. differ.* 97. Quod
tamen ad injurias leviores extendi nec in iis locum habere, quæ relegationem, aliamve pœnam
corporis afflictivam, pro qua criminaliter agi poteſt, requirunt, rectius poſt Andr. Rauchb.
part. 1. quæſt. 7. num. 39. & Andr. Gail *lib. 1. de pace public. cap.* 10. diſtinguit Carpzov. *Iuriſ-
prud. Romano Saxon. part. 4. conſtit. 42. defin.* 3.

Cod. 12. xxxvi. De famoſis libellis.

Sed & famoſi libelli quem quis ſcripſit, edidit, aut edi curavit, aut inventum non ſuppreſſit, 9
capitalis erat pœna Iure Civili, ſi capitale aliquod crimen objiciatur. *l. unic. Cod. de Famoſ. libell.*
ſi famoſus tantum erat qui famam tantum, atque æſtimationem lædat, reum reddebat inteſtabi-
lem, *l. 5. §. 9. ff. de injur. l. 21. ff. de teſtib. l. 18. §. 1. ff. de Teſtam.* cui indiſtincte hodie arbi-

traria

traria ſucceſſit pœna *arg. cap. 1. cauſ. 5. quæſt.* 1. Cujus in Belgio diverſa exſtant placita, & edicta edita 1. *Maji* 1566. 11. *Novemb.* 1568. 9. *Maji.* 1573. 10. *April.* 1583. de quibus vid. Zyp. *Not. jur. Belg. de Famoſis lib.* Quibus acceſſerunt 25. *Auguſti* 1608. 7. *Julii* 1615. 22. *Decemb.* 1618. 16. *Januarii* 1621. *&* 4. *Maji* 1624. 3. *Octob.* 1639. 29. *Novemb.* 1646. 4. *Januarii* 1651. Ordin. Generalib. confœderat. Provinciar. & noviſſima Holland. Ordin. placita 19. *Julii* 1618. 18. *Octob.* 1646. *&* 17. *Januarii* 1650. Quibus primo 100. deinde 200. & 500. florenorum aliave inſuper arbitraria relegationis, alteriuſve correctionis pœna ſtatuitur adverſus eos, qui paſquillos, ut vocant, alioſve famoſos libellos ediderint, edive curaverint.

10 Extinguitur injuriarum actio per mortem utriuſque, neque heredibus aut in heredes competit. *l. 13. in pr. ff. de injur.* niſi lis per litis conteſtationem fuerit præparata, quo caſu & in heredes tranſit injuriarum actio *l. 139. ff. de Reg. jur.* Joann. à Sande *deciſ. Friſicar. lib. 5. tit. 8. defin.* 4. II. diſſimulatione & remiſſione *§. fin. Inſtit. de Injur. l. 11. §. 1. ff. eod.* III. Solutione *arg. §. fin. Inſt. de perpet. & temp. act.* IV. unius anni præſcriptione. *l. 5. Cod. de Injur. l. 17. §. 6. ff. eod.* ſi nempe verbalis ſit: Cæterum ſi realis ſit, perpetua eſt, inſtar aliarum civilium actionum. *§. 1. Inſtit. de perpet. & temp. act.* ut contra communes ſtatuunt Jul. Clar. *§. injuria, num.* 9. Marant. *part. 4. diſtinct. 1. num.* 59. Faehin. *lib. 9. controv. cap.* 7. Quod & mores ſervant, per ea quæ tradunt Wurmſer. *tit. 47. obſ.* 1. Andr. Gail *lib. 2. obſerv.* 105. Neoſtad. *Cur. Holland. deciſ.* 13. Sand. *deciſ. Friſicar. lib. 5. tit. 8. defin.* 3. Papon. *lib. 8. tit. 3. art. ult. in append.*

11 Sed an compenſatione aut retorſione mutua injuriarum actio tollatur? Ita videtur, ut ſi injuriam paſſus, eam ſimili injuria repulerit, ſibi ipſi jus dixiſſe videatur: nec ob id poſtea injuriarem actione agere poſſit. *arg. l. 1. ff. quod legat. l. ult. ff. ad leg. Iul. de vi privata, junct. l. 37. ff. de minorib.* Eoque jure utimur teſtibus Anton. Fab. *ad Cod. lib. 9. tit. 20. defin.* 3. 8. Grivell. *deciſ. Dolan. 43. num.* 29. Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 100. num.* 9. Joann. à Sande *deciſ. Friſicar. lib. 5. tit. 8. defin.* 5. Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit. 2. art. 4. num.* 9. Carprov. *defin. Forenſ. part. 4. conſtit. 46. defin. 10. & ſeqq.*

Ita tamen ut injuriæ verbales realibus compenſari non poſſint, nec ſi quis verbis injuriam patitur, verberibus alium excipere impune poſſit: quamvis mitius puniri ſoleat qui injuria alterius commotus, & quaſi incitatus, ob juſtum animi dolorem, quem temperare difficile eſt, in alterum commiſerit. Secundum ea quæ communiter recepta referunt Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 100. num.* 10. Boër. *deciſ.* 169. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 9. tit. 20. defin.* 1. & poſt eos Carpzov. *d. conſtit. 46. defin. 10. & ſeq.*

Cap. XXVI.

De Adulteriis.

Summaria.

1. *Adulterium quid, à quo & cum quo committatur.*
2. *Adulterii pœna Iuris Civilis.*
3. *Iuris Canonici.*
4. *Gentium in* Italia *&* Gallia *remiſſive.*
5. *In* Anglia.
6. *In* Germania.
7. *In* Belgio.
8. *Statut. Politic.* Hollandiæ.
9. Zelandiæ.
10. *Diœceſis* Ultrajectinæ.
11. Friſiæ.
12. *Thori per adulterium violati actio Civilis.*
13. *An & quatenus patri aut marito filiam, aut uxorem in adulterio impune deprehenſam occidere liceat.*
14. *Thori violati actio civilis in heredes non tranſit, niſi præparata.*
15. *An & quatenus remiſſione extinguatur.*
16. *An & quatenus de adulterii pœna tranſigere liceat.*
17. *Adulterii pœna an & quando præſcribatur.*

1 ADverſus propriam honeſtatem, & decorum cum alterius læſione injurioſe committitur per adulterium: quod quo modo committatur, DD. variant. Quorum aliqui, contra communes, volunt in crimine adulterii peccari ſolummodo per ſuppoſitionem partus, & ſpuriæ ſtirpis in alienam familiam inſitionem, in eoque omnem delicti qualitatem & rationem conſiſtere *arg. l. 6. §. 1. ff. ad leg. Iul. De adult.* Unde nec inter ſolutam mulierem, & conjugatum virum adul- D. tit. Cod. ad legem Jul. de Adulteriis coërcendis.

terium

terium proprie committi concludunt: Quod licet ex juris ſubtilitate petitum videatur, ad veritatem tamen & rectam rationem propius accedit, ut licet in ejuſmodi facto lata ſit culpa & exceſſus qui ſocietatem hominis & publicam quietem turbat, & fidem conjugalem violat, quapropter etiam id graviori, quam ſimplicis ſtupri pœna plectendum veniat, proprie tamen adulterium non eſt, quod ſolum in nupta committitur, propter fœdam ſeminum confuſionem, & adulterinorum ſuppoſitionem, quæ eo caſu non committitur, nec ob id ordinaria legis pœna locum ſibi vindicet: Quid, quod ipſum jus Canonicum, cujus commento ſeductos alios putem, probe diſtinguat, inter eum qui cum alterius uxore, & cum qui conjugatus, licet cum ſoluta rem habuiſſe deprehendatur, eorumque alterum altero gravius peccare *cap. quemadmodum. §. ſunt. 36. quæſt. 7.* Vid. poſt Farinac. *Prax. criminal. quæſt.* 141. Jul. Clar. *§. adulterium. num.* 2. Jacob Mæſtert. *De Juſtit. Romanar. leg. lib. 2. dubit.* 14. contra Carpzov. *Prax. criminal. part. 2. quæſt.* 52. *num.* 43. & *num.* 49. Jure Civili ergo adulterium ab uxore indiſtincte ſive cum ſoluto ſive conjugato, à marito tantum quando cum nupta ſe commiſcet, committitur. *d. l. 6. §. 1. l. 34. §. 1. ff. ad leg. Jul. De adult. l. 101. l. 225. ff. De Verb. Significat.* Quos tamen mores, quibus à capitali hujus criminis pœna fere eſt receſſum, indiſtincte eadem adulterii pœna puniri ex multorum ſtatutis, & inveterata quaſi conſuetudine conſtat.

Hujus criminis pœna Jure Veteri erat capitis amputatio. *§. 4. Inſtit. De publ. Judic. l. 30. §. 1. Cod. ad leg. Jul. De adulter.* Quod Juſtinianus ſuſtulit in fœminis, quas virgis cædi & in monaſterium detrudi voluit. *Novell. 134. cap. 10. auth. Sed hodie. Cod. ad leg. Jul. De adulter.* Quod an Jure vel injuria mutatum, & an re vera legis Juliæ pœna capitalis fuerit, altius inquirere non eſt neceſſe, ut quod aperte conſtet adulterium ante Juſtiniani ævum tam in fœminis, quam maribus gladio punitum fuiſſe. *d. l. 30. in fin. Cod. ad leg. Jul. De adulter. l. 18. Cod. De tranſact. §. 4. Inſtit. De public. Jud.* & delictorum pœnas ex variis circumſtantiis augeri & minui quotidie poſſe, & debere Juris & juſtitiæ ratio poſtulet, etiam eas, quæ Jure divino certæ, & expreſſæ: Quippe quod leges civiles per Moſem traditæ, non magis nos adſtringant quam ceremoniales: ut poſt Iohann. Calvin. & Petr. Martyr. notat Groeneweg. *De legib. abrogat. ad §. 4. Inſtit. De public. Judic.* quem vide. 2

Qua ratione jus Canonicum hac in parte à Veteris legis ſeveritate in tantum receſſit, ut non mortem, ſed arbitrariam pœnam adulteris cujuſcunque ſexus irrogari præceperit. *cap. plerumque extra De donat. inter vir. & uxor.* nec graviorem, quam à Iuſtiniano ordinata, *cap. gaudemus. extr. De converſione conjugat. & ibi DD.* 3

Et omnium pœne gentium moribus, præter infamiam vix alia, quam pecuniaria aut relegationis pœna adulteris imponi ſolet. De Italis teſtatur Iul. Clarus *§. adulterium. num. 7. in fin.* De Gallis Rebuff. *ad conſtit. reg. in proœm. gloſſ. 5. num.* 108. Autum. *Confer. du droict. ad Rubric. Cod. ad leg. Jul. De adult.* Bugnon. *De legib. abrogat. lib. 1. ſat.* 162. Annæ. Robert. *lib. 1. rer. judicatar. cap.* 14. De Hiſpanis Alphonſ. de Aſſeved, *ad conſtitut. reg. Hiſpan. lib. 8. tit. 20. leg. 1.* Et de multis aliis Menoch. *De arbitr. Jud. caſ.* 419. & poſt eum Damhoud. *Prax. criminal. cap. 91. num. 66. & ſeqq. uſque ad 95.* 4

In Anglia de adulterio convicti, præter beneficii, ſi quod habet privationem & bonorum omnium ſi miniſtri, aut dimidiæ partis, ſi laici fuerint in uxorem & liberos, ſi qui ſint ex ea vel ex aliquo priore Matrimonio legitime nati, amiſſionem conferendam, aut ſi nec ſuam uxorem nec liberos habeant, vel inter pauperes, vel in alia pietatis officia erogandam, in perpetuum exilium ablegantur, vel ad æternas carceris tenebras deprimuntur: Et uxores ſive miniſtrorum, ſive laicorum, ſi adulterii crimen contra illas fuerit probatum, dotibus & omnibus regni, vel conſuetudinis, vel pacti, vel promiſſi juribus carere, tum etiam vel in ſempiternum exilium, vel æternæ carceris cuſtodiæ mandari condemnantur. Reformat. *leg. Eccleſiaſticar. Edovardi VI. Rubric. de Adulteriis & divortiis, cap. 2. 3.* 5

In Germania tamen jus ſcriptum etiamnum ſequuntur. Quibus conſtitutio criminalis Caroli V. *Art.* 120. in terris Imperii Adulteros indiſtincte gladio puniri præcipit. Et jure Saxonico in adulterio, quod vocant duplicatum, quando vir conjugatus ſive maritus cum uxore conjugata ſe commiſcet, utrique perſonæ tam mulieri adulteræ, quam viro adultero gladii pœna inducitur. Ordinat. Elect. Maurit. *Anni* 1543. *ſub tit.* **Von ſtraff des Ehebruchs.** Confirmat. ab Auguſt. Elect. *Anno* 1572. *part. 4. conſtitut. Elect.* 19. Sed quando ſolutus cum conjugata, vel conjugatus cum ſoluta, aut vice verſa ſoluta cum conjugato aut conjugata cum ſoluto conſuetudinem habuerit, quod vocant adulterium ſimplex, conjugati, conjugatæque, pariter ac viri ſoluti indiſtincte adhuc pœna gladii afficiuntur, 6

ſed

ſed fæmina ſoluta, ſive virgo, ſive vidua, ſive meretrix fuerit, eo caſu virgis cæſa in perpetuum relegatur. *d. conſtit.* 19. *ſſ.* & per ea quæ late in eam Carpzov. *Prax. criminal. part.* 2. *quæſt.* 54.

Quod convenit cum jure provinciali Ducatus Pruſſiæ *lib.* 6. *tit.* 6. *art.* 1. *§.* 2. Quo non tantum mulier viro nupta cum alterius mulieris marito adulterium committens, ſed vir etiam vel maritus cum alia muliere licet ſoluta rem habens, gladio puniuntur, mulier vero ſoluta, cum qua adulter conſuevit, virgis cæſa in perpetuum relegatur.

7 De Belgarum moribus, quibus etiam præter infamiam pecuniaria pœna eſt cum exilio, ſi iteratum fuerit, teſtantur Zyp. *Nott. Jur. Belg. Rubr. de Adulter. verſ. Cæterum.* Chriſtin. *ad leg. Mechlin. tit.* 2. *art.* 13. Damhouderus *Prax. criminal. cap.* 89. *num.* 5. Gudelin. *de jure noviſſimo lib.* 5. *cap.* 18.

8 Prout etiam Statutum Politic. Holland. *Ordinat. Anni* 1580. *art.* 15. *& ſeq.* Quod ita ſe habet.

Art. 15.

Inden eerſte / ſoo verre een Echte man bevonden ſal worden van voortaen overſpel te bedrijven / 't zy met eene ongehouden ofte gehouden vrouwe perſone / ofte een ongehoude man met eene gehouwe vrouwe / dat de ſelve man als eerloos ende meyneedigh metter daet verbeuren ſal ſijn Officie ende ſtaet / indien hy eenige heeft vande voorſz. Staten / ofte binnen eenige Steden der voorſz. Landen / ende voorts verklaert ſal worden / incapabel omme eenige ſtaet ofte officie binnen de voorſz. Landen ende Steden te mogen bedienen. Ende ingevalle 't ſelfde overſpel gedaen ende bedreven is van een Echte man met een gehuwlickte vrouwe / dat daer-en-boven ſy luyden beyde gebannen ſullen worden uyt de voorſz. Landen / den tijdt van vijftigh Jaren.

Art. 15.

In primis, ſi quis matrimonio copulatus abhinc adulterium ſive cum ſoluta ſive cum altera conjugata commiſiſſe reperiatur, aut ſi ſolutus cum conjugata idem commiſerit, ut ipſe tanquam infamis omni dignitate & officio ſi quod ab Ordinibus, aut in aliquibus civitatibus eorundem territorio ſubjectis, habeat, privetur, protinuſque omnium dignitatum officiorumque in hiſce regionibus ſubeundorum incapax declaretur: Et ſi idem adulterium, à conjugato, cum conjugata fuerit commiſſum, uterque delinquens prætcrea extra prædictas regiones ad quinquaginta annos relegetur.

Art. 16.

Maer indien het overſpel is gecommitteert van een echte man met een ongehouden vrouwe / ſal de voorſz. man boven de voornoemde privatie van 't officie / gecondemneert worden in een boete van hondert Karolus guldens voor d'eerſte reyſe / ende daer naer meer daer inne delinquerende / met banniſſement van vijftigh Jaren / ende een boete van twee hondert guldens: ende ſal d'ongehoude vrouwe ſulcks gedelinqueert hebbende / voor d'eerſte reyſe te water ende te broode geleydt worden den tijde van veertien dagen / ende indien ſy andermael bevonden wordt ſulcx te committeren / ſal voor den tijdt van vijftigh Jaren gebannen worden uyten voorſz. Landen.

Art. 16.

Si vero adulterium fuerit commiſſum à conjugato cum ſoluta muliere, is ipſe præter prædictam dignitatis officiique privationem centum Carolinorum pro prima vice, poſteaque iterum in eodem delicto deprehenſus ducentorum Carolinorum pœna cum quinquaginta annorum relegatione mulctabitur: ſoluta autem mulier idem delinquens pro prima vice in pane & aqua cibanda carceri per quatuordecim dies mancipabitur, iterumque deliquiſſe deprehenſa ad quinquaginta annos relegabitur.

Art. 17.

Indien eenig ongehout man met eenige echte vrouwe overſpel bedrijft / ſal de voorſz. man den tijdt van veertien dagen te water ende te broode geleyt / ende gecondemneert worden in een boete van hondert Karolus guldens: ende ſo verre hy andermael ſulcx committeert / ſal eeuwelijck uytte voorſz. Landen gebannen worden: ende de vrouwe met een ongehoude man overſpel committerende / ſal als boven gebannen worden den tijdt van vijftigh Jaren.

Art. 17.

Si ſolutus cum conjugata commiſerit adulterium, ad quatuordecim etiam dies pane & aqua cibandus carceri mancipabitur, inſuperque centum Carolinorum pœna mulctabitur: iterumque in eodem delicto deprehenſus ad perpetuum relegabitur: mulier conjugata cum ſoluto idem committens ut ſupra quinquaginta annorum relegatione mulctabitur.

9 Prout etiam Zelandiæ Ordinat Politit. *Anni* 1583. *art.* 30. *& ſeqq.* iiſdem pœne verbis conſtitutum eſt.

10 In Diœceſi Ultrajectina antiqua conſuetudine *Rubr.* 33. cautum erat, ut ſi qui adulterium commiſerint prima vice decem tantum florenis Carolinis, ſecunda viginti, tertia exilio, vel extra ordinem judicis arbitrio punirentur. Quæ pœna quum minor delicto videretur, 6. *Octob.* 1584. ab ejuſdem provinciæ Ordinibus antiquata eſt, & de novo in hunc modum conſtitutum.

Art. 24.

Dat ſoo wie eenigh Echte Man bevonden wort met een ander Mans gechte Vrouwe over date van deſen overſpel gecommitteert te hebben/ dat die ſelve Man ende Vrouwe daer over geſtraft ſullen worden conformelijck den Wereltlijcken beſchreven rechten/ te weten den Man met het ſweerde/ ende die Vrouwe met eeuwigh banniſſement.

Art. 24.

Ut ſi conjugatus cum conjugata adulterium commiſiſſe deprehendantur, is cave ſecundum jus civile ſcriptum, maritus gladio, uxor perpetua relegatione damnetur.

Art. 25.

Item indien een Mans perſoon overſpel bedrijft met een vrye ende ongebonden Vrouwe perſoon / ſal met der daet vervallen zijn van ſijn ſtaet ende officie / ſoo verre hy eenige heeft / ende oock onbequaem ende inhabijl zijn / omme eenige ſtaet ofte officie inde Stadt / Steden ofte Landen van Utrecht meer te bedienen / ende ſal daer en boven gecondemneert worden in een boete van hondert Carolus gulden voor d'eerſte reyſe. Ende ſoo hy meer bevonden wort / ſal verbeuren twee hondert Carolus gulden/ ende boven dien uyt die Landen van Utrecht gebannen worden ten eeuwigen dagen. Ende die Vrouwe perſoone daer mede ſulcken overſpel bedreven is / ſal voor d'eerſte reyſe geſet worden xiiij. dagen te water ende te broode. Ende ſoo ſy meer bevonden wordt / gebannen worden den tijdt van tien jaren.

Art. 25.

Item ſi quis cum ſoluta muliere commiſerit adulterium, ipſo jure omni ſtatu, dignitate & officio, ſi quod habeat, cadet, ſimulque inhabilis erit alicuius dignitatis aut officii in civitate & dioeceſi Ultrajectina ſubeundi, inſuperque centum Carolinorum mulcta condemnabitur. Iterumque deprehenſus, ducentorum Carolinorum poenam incurret cum perpetua relegatione: Mulier vero cum qua adulterium fuerit commiſſum, prima vice per quatuordecim dies ad panem & aquam damnabitur, iterumque deprehenſa, decem annis relegabitur.

Art. 26.

Ende indien een ongehout Man overſpel bedrijft met een gehoude Vrouwe / ſoo ſal die Jonckman voor d'eerſte verbeuren de ſomma van hondert Carolus gulden ende boven dien te water ende te brode geſtelt worden den tijdt van veertien dagen. Ende indien hy andermael bevonden wort / ſal verbeuren 200. Carolus gulden / ende boven dien gebannen worden den tijdt van tien Jaeren.

Art. 26.

Si vero ſolutus cum conjugata adulterium commiſerit, prima vice præter panis & aquæ ad quatuordecim dies manducationem, centum Carolinorum poena mulctabitur: Atque iterum criminis reus ducentis Carolinis cum decem annorum relegatione mulctabitur.

Art. 27.

Ende die gehoude Vrouwe / die met een ongehoude Man overſpel bedrijft / ſal geſtraft worden ſoo boven geſeyt is.

Art. 27.

Conjugata autem mulier cum ſoluto adulterium committens, ea qua ſupra poena mulctabitur.

In Friſia etiam levine pecuniaria adulterii poena eſt, in hunc modum adauĉta: 12

Ordonnantie van den 14. Februar. 1601.

Dewijle de amende van Ehebreucke by de Ordonnantie van Saxen geſtelt gantſch te gering wert bevonden / ſal voortaen daer af noch eens ſoo veel / te weten vijftigh Golde Gulden voor de eerſte reyſe / d'andermael 75. Golde Gulden / ende waert dat hem yemant ten derden male hier inne verliep / 100. gelijcke Golt-gulden gehouden weſen te betalen / ende niet te min inhabijl verklaert werden eenige Staten ende Ampten in deſe Lantſchappen te bedienen.

Placit. 14. Februar. 1601.

Quum thori violati poena Saxonica ordinatione conſtituta parum ſufficiens inveniatur, delinquens in poſterum altero tantum, id eſt, prima vice quinquaginta; ſecunda, ſeptuaginta quinque. & ſi quis tertio commiſerit, centum aureorum poenâ damnabitur, inſuperque omnium dignitatum officiorumque in hiſce regionibus ſubeundorum expers, & inhabilis declarabitur.

Extra quam poenam alter conjugum propter alterius adulterium commiſſum civiliter agere 13 poteſt ad thori ſeparationem, & cum altero conjugandi admiſſionem cum amiſſione dotis, ſive donatione propter nuptias, & quicquid ex conventione, aut conjugali bonorum communione lucratus lucratave fuiſſet adulter. *Novell.* 117. *cap.* 8. *§.* 2. *l.* 8. *§.* *ſi qua igitur.* 2. *Cod. De repud.* Quod cum Jure Canonico convenit, *cap. plerumque.* 4. *Extr. De donat. inter vir. & uxor. cap.* 2. *& cap. ex litteris* 5. *De divort. cap. litteris.* 12. *De præſumptionibus.* Et moribus ubique probatur. Ut videre eſt *d. Politic. Holland. Ordin. art.* 18. *verb.* Naar Regten. Zeland. *art.* 33. d. Ordinat. Nuptial. dioeceſis Ultrajectinæ, *art.* 28. & Friſiæ ſtatut. his verbis ſubnectitur,

Placc. van den 18. Martii 1586.

Art. 11.

Ende ſal d'onſchuldige Perſoone door de Magiſtraet der Plaetſen nae voorgaende kenniſſe der ſaecken geoorloft werden een andere te mogen trouwen.

Placit. 18. Martii 1586.

Art. 11.

Atque innocens per loci Magiſtratum cauſa cognita ad novas cum altero nuptias admittetur.

De

De aliorum moribus teſtantur Damhouderus *Prax criminal. cap.* 89. *num.* 28. Chriſtin. *ad leg. Mechlin.* tit. 2. *art.* 13. *num.* 11. 13. 14. *& ibi in not.* Jul. Clar. *§. adulterium. num.* 12. *cum ſeq.* Matth. *de Criminibus lib.* 48. *tit.* 3. *cap.* 7. *num.* 14. & in Germania uſitatum probat Carpzov. *Prax. criminal. part.* 2. *quæſt.* 63.

13 Ulterius Jure Civili parentibus & maritis propria commiſſi adulterii vindicta eatenus conceditur, ut marito uxorem & patri filiam ſuam in adulterio deprehenſam una cum adultero impune occidere liceat. *l.* 20. *& ſeq. ff. ad leg. Jul. de adult. auth. ſi quis Cod. eod. l.* 30. *ff. ad leg. Aquil.* Quod tamen licet mitius puniatur, quum difficillimum ſit juſtum temperare dolorem, non tamen penitus impune admitti notavi ſupra *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. Neque adeo de jure conſtat. *arg. l.* 18. *& l.* 38. *ff. ad leg. Iul. De adult.*

14 Extinguitur etiam hæc actio per mortem alterutrius, ſi non fuerit præparata; neque heredibus competit. Ex eo quod hæc actio tendat ad meram vindictam ſive injuriam parti per adulterium illatam *l.* 8. *§.* 5. *verſ. vindicare. Cod. de repud.* quæ nec active, nec paſſive, niſi ſi præparata in heredes tranſit *§.* 1. *Inſtit. de perpet. & temp. act. l.* 1. *§.* 1. *ff. de privat. delict. l.* 13. *l.* 15. *§.* 14. *ff. de injur.* Neque hic diſtinguendum an ſciverit pars læſa, an ignoraverit dum viveret. Ut recte probat Boër. *deciſ.* 338. *num.* 7.

11. Extinguitur remiſſione, veluti ſi reconciliatio interceſſerit, & conjux conjugi adultero culpam remittendo, eum viciſſim in thorum receperit, per *text. in Novell.* 134. *cap.* 10. *& auth. ſed hodie Cod. ad l. Jul. de adult.*

15 Adeoque hodie de adulterii crimine impune tranſigi licet, neque lenocinii reum ſe facit paciſcendo de adulterio, & adulteram mulierem in thorum viciſſim admittendo, contra *l.* 2. *§.* 2. *& l.* 29. *ff. ad leg. Jul. de adult. l.* 2. *Cod. eod.* correct. *per dict. Novell.* 134. Vide Purpurat *in l. tranſigere* 18. *Cod. de tranſact.* Jul. Clar. *§. fin quæſt.* 58. *num.* 11. Boër. *deciſ.* 298. & Grammatic. *deciſ.* 3. Et tacite reconciliaſſe, pœnamque remiſſam Canoniſtæ volunt, ſi commiſſum adulterium maritus ſciens cum uxore concubuerit. *cap. quemadmodum. extr. de jurejur. & cap. ſi illic.* 23. *quæſt.* 4. *& ibi Gloſſ. & DD.*

16 Sed hoc reſtringi debet ad actionem civilem eam qua conjux conjugi ad thori ſeparationem & dotis donationiſve amiſſionem tenetur: non etiam ad publicam vindictam: niſi quod ubi pœna corporis afflictiva adulterii reis imponitur, ſi conjunx pro conjuge adultero intercedat, delictum condonet, & ſe deinceps quoque illi cohabitaturum promittit, tum in honorem quaſi reconciliati matrimonii ordinariam adulterii pœnam reo remittendam velint Nicol. Boër *deciſ.* 297. *num.* 1. 2. Berlich. *part.* 4. *concluſ.* 27. *num.* 92. *& ſeqq.* Coler. *deciſ.* 176. *num.* 15. *part.* 2. Matth. Coler. *ad conſtit. Elect. part.* 4. *conſtit.* 19. *num.* 4. Damhoud. *Prax. criminal, cap.* 91. *num.* 43. & poſt eos late Carpzov. *Prax. criminal. part.* 2. *quæſt.* 55.

17 Ipſi vero pœnæ, & accuſationi quinquennii lapſu præſcribitur, nec tantum ab actione civili, ſed & ab omni pœna poſt quinquennium interpoſitum liberatur adulterii criminis reus *l.* 11. *§.* 4. *l.* 29. *§.* 5. 6. 7. *ff. ad leg. Iul. de adult. l.* 5. *l.* 28. *Cod. eod.* Quod & mores probant, neque uſlibi mutatum reperitur. Quod & ignorantibus currere dicendum, propterea quod dictæ leges, quæ procul dubio in favorem rei latæ ſunt, nullam diſtinctionem faciant: eamque opinionem, ſicuti in judicando obſervatam, ita & veriſſimam poſt Matth. Berlich. *Pract. concluſ.* 27. *part.* 4. *num.* 126. & Daniel Moller. *ad conſtitut. Saxon. part.* 4. *conſt.* 19. *num.* 6. probat Carpzov. *Prax. criminal. quæſt.* 59. *num.* 41.

Cap. XXVII.

De Lenocinio.

Summaria.

1. *Lenocinium quid?*
2. *Ejus pœna Juris Civilis & à quibus committatur.*
3. *Hodierna.*

HActenus de his qui ipſi adulterium committunt, & à quibus committatur: ſequitur ut de mediantibus miniſtris, atque internuntiis, ſive parariis aliiſque auxiliatoribus agatur, quod lenocinium, & committentes lenones appellare ſolent.

1 Lenocinium eſt crimen quo quis ex publicis ſcortationibus, adulteriis, defloratationibus & forni-

nicationibus proſtituendis quæſtum ſibi facit, ut qui virgines, mulieres, aut meretrices quæſtus gratia ad actum Venereum aut publice, aut occulte quæſtus gratia pellicit. Quod quum æque grave, imo gravius reputetur, quam ipſum adulterium, aut fornicatio. *arg. l. 43. §. 6. ff. De ritu Nupt.* eadem etiam pœna puniri volunt *junct. Novell. 134. cap. 10.* Quæ capite mulctat lenas, atque lenones, qui nuptas proſtituunt, eos qui domum, agrum, vineam, balneum, adulterio præbuerint, item maritos qui uxores quæſtuarias habent. Quod licet de Jure civili defendi poſſit: quum tamen non omne lenocinium ſit æque grave, & plurimi ejus criminis gradus ſint, judicis arbitrio tutius committendum putem: poteritque id crimen commodius ad duo genera referri. Primum eſt quo parentes proprios ſuos liberos, aut maritus propriam ſuam uxorem quæſtus cauſa aliis proſtituunt, quod quidem lenocinii genus graviſſimum eſt. *l. 29. ff. ad l. Jul. De adult.* ideoque 2
gravius in id animadvertitur. Et ſiquidem parentes ſint primo levius, patria poteſtate, & bonorum uſufructu privati ad metalla condemnabantur. *l. 12. Cod. De Epiſcop. aud. junct. l. 6. Cod. De Spectacul.* cui ultimum ſupplicium ſucceſſiſſe volunt. *arg. Novell. 14. verſ. Si enim pecuniariorum. junct. arg. ex l. 2. l. 8. in fin. l. 29. in pr. & §. 4. cum ſeqq. ff ad leg. Jul. De adult.* quibus non ſolum maritos, ſed etiam levioris generis, lenones ut adulteros puniri probatur, in quos mortis naturalis pœna fuit ſtatuta. *§. 4. Inſtit. De publ. Judic. l. 30. cum auth ſeq. Cod. ad leg. Jul. De adult. junct. arg. ex d. Novell. 14.* à ſimili, ut, quod ſi in extraneos quoſque lenones ultimo ſupplicio animadvertatur, multo magis in parentes lenones animadverti debeat. Quare & eos diſtincte jam parentes, quam maritos lenones de Jure ultimo ſupplicio puniendos communiter ſtatuunt Farinac. *Prax. criminal. quæſt. 144. num. 9. & num. 60.* Damhoud. *Prax. criminal. cap. 93. num. 4.* Berlich. *Pract. concluſ. part. 5. concluſ. 40. num. 6.* Georg. Theloſan. *Syntagmat. Jur. lib. 36. cap. 11. num. 3.*

Cod. 11. 41. De ſpectaculis & Scenicis. & Lenonibus.

Inque hoc criminis genus incurrunt non tantum qui ipſimet liberos vel conjuges proſtituunt palam, ſed & illi qui ſtuprum, aut adulterium ſciunt, ſed ſimulando tacent: & patiuntur lucri & quæſtus cauſa: *arg. l. 14. ff. ad leg. Jul. De adult. junct. l. 29. §. quæſtum. ff. eod.* Farinac. *d. quæſt. 144. num. 82. & ſeqq.* Menoch. *De arbitr. Judic. caſ. 534. num. 36. & ſeqq.* Quod tamen non impedit, maritum pro adulterio ſe inſcio cum uxore ſua commiſſo quolibet modo impune tranſigere, quod in lenocinium non incurrit, poſtquam marito uxorem adulteram recipere, & pro adulterio commiſſo tranſigere fuerit indultum. *Novell. 134. cap. 10. auth. ſed hodie. Cod. ad leg. Jul. De adult.*

Sed hos mitius puniendos volunt, quum hi quæſtum ipſi exercere (unde ipſum crimen) proprie via dici poſſint: *arg. l. 4. §. 2. ff. De his qui not. infamia.* l. 29. §. 2. *ff. ad leg. Jul. De adult.* Farinac. *Prax. criminal. d. quæſt. 144. num. 39.* Menoch. *De arbitr. Jud. d. caſ. 534. num. 3. & 4.* Alterum lenocinii genus ad extraneos pertinet, quorum ope aut conſilio adulterium aut ſtuprum committitur, ſuntque illi omnes, qui extraneas fœminas quæſtus cauſa ad ſtupra & adulteria ſollicitant, aliorumque libidini proſtituunt, & lenocinium exercent: Qui Jure civili etiam ultimo ſupplicio plectuntur per *text. expr. in Novell. 14. junct. Novell. 134. cap. 10.* & *l. 1. §. 2. ff. De Extraord. criminib.* Vide Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. quæſt. 68. num. 23.* Damhoud. *Prax. criminal. cap. 83. num. 4.* Hiſce proximi ſunt, qui domum, agrum, vineam, balneum adulterio vel ſtupro committendo præbuerunt. *l. 8. l. 9. l. 10. §. 1. l. 29. §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult.* qui ſuaſit adulterium, *l. 12. ff. eod.* item qui infamandæ uxoris cauſa adulterum ſubjecerit, *l. 14. §. 1. ff. eod.* & ſimiles, quos ſimili etiam pœna puniri volunt. *dd. legib. junct. Novell. 134. cap. 10.*

Sed hujus ut & alterius generis pœna ut nimis ſevera, paulatim ab uſu receſſit, adeoque hodie, 3
mitius pro variis locorum conſuetudinibus lenones arbitrarie puniuntur, ut plurimum, relegatione theatrali inſtallatione, aut virgarum flagellatione, aut ſimilibus pœnis citra mortem, per ea quæ tradunt Jul. Clar. *§. fin. quæſt. 68. num. 24.* Damhoud. *Prax. crimin. cap. 93. num. 8.* Menoch. *De arbitr. Jud. caſ 534. num. 45.* & poſt eos Farinac. *Prax. criminal. d. quæſt. 144. num. 6. & num. 11.* In Saxonia & Imperio Romano-Germanico extraneos quidem lenones arbitrarie puniri præcipit *Conſtit. elect. 29. part. 4. §. fin.* Sed in parentibus & maritis lenonibus Juris communis diſpoſitioni nihil derogatum probat *d. conſtit. 29. in pr. junct. Ordinat. Criminal. Caroli V. art. 122.* Et conſuetudinem regni Hiſpaniæ ut corruptelam culpat, Gomez, *ad. leg. Tauri 80. num. 73.* qua practicari ſolere refert, tam marito quam uxori lenoni flagellorum pœnam imponi, eamque irridendam pro tali nefando crimine putat, tenetque adhuc mortis pœnam iis imponi debere, & in Alemannia maritum lenonem aſino imponi facie verſa ad caudam aſini, uxore aſinum per manus protrahente, & præcone ante eos clamante, qui ſic faciet, ſic capiet: ex Follero refert Farinac. *Prax. criminal. d. quæſt. 144. num. 73.*

Cap. XXVIII.

De Inceſtu, Sodomia, aliaque prodigioſa commixtione.

Summaria.

1. *Inceſtus quid, quando & à quibus committatur.*
2. *Alius Iuris gentium, alius eſt Iuris civilis.*
3. *Inceſtus Iure Canonico etiam cum Monachis & Nonnis Veſtalibus committitur.*
4. *Inceſtus pœna qua, &* num. 6.
5. *Conciliatio* l. 38. ff. ad leg. Jul. de adulter. *cum* Novell. 134. cap. 10.
6. *Inceſtus pœna moribus recepta qua ſit, contra* Groeneweg.
7. *Eadem qua adulterii, inceſtus parti læſa actio eſt.*
8. *Sodomia crimen quid ſit, & unde dictum.*
9. *Ejus pœna Iuris civilis, & hodierna.*

ADverſus propriam honeſtatem cum publica læſione & ſcandalo committitur per inceſtum, vel per Sodomiam, aliamve prodigioſam commixtionem.

Cod. v. v. De inceſtis & inutilibus nuptiis.

1 Inceſtus committitur coëundo inter conſanguineoa, vel affines, inter quos propter ſan-
guinis confuſionem omne matrimonium de Jure eſt prohibitum: *l. 5. ff. De quæſtionib.* de
quibus ſupra *lib. 1. cap. 13. num. 13.* In ſpecie tamen ſumitur pro graviori eo qui inter ad-
ſcendentes & deſcendentes intercedit, aut inter primi gradus collaterales, veluti inter fratres
& ſorores. *arg. l. ſi adulterium. 38. ff. ad leg. Iul. De adulter.* quamvis etiam in aliis remo-
tioribus gradibus prohibitis inceſtum committi, quodammodo dici poſſit: ſoletque ita diſtin-
2 gui, ut dicatur inceſtus alius Juris gentium, qui inter aſcendentes & deſcendentea commit-
titur, quaſi quod ipſo Jure divino, & exinde omnium gentium Jure grave crimen ſit, quod
& morte puniri ſolet, *Levitic. cap. 18. verſ. 20. Deuteron. cap. 27.* alius Juris civilis, qui inter
collaterales, veluti Fratrea, Sorores, affines aut ulteriores, inter quos jus civile conjunctionem
inceſtuoſam eſſe addidit.

3 Jure Canonico etiam inceſtus committitur cum Monachia, & Nonnis Veſtalibus. *cap. virginis, 27. quæſt.* In quod crimen Jure civili animadverti ſolebat, adeo ut ſi quis appellaverit tantum ſacras virgnes, etiamſi ſceleris effectu potiri non poſſit, capite puniatur *l. 5. Cod. De Epiſcop. & Cleric.* Sed quod vix alia quam pœnitentia Eccleſiaſtica ad Officialium diſcretionem coerceri ſolet. *arg. cap. ſi quis matre 33. quæſt. 2.*

4 Quænam propria ſit inceſtus pœna inter DD. vix convenit. Quorum alii, eo quod atrox & horrendum ſit illud crimen, gravius quam adulterium puniri volunt, eo quod ſpretis naturæ legibus, ipſam quaſi naturam violare videatur, quæ in tantum ab hac commixtione abhorret, ut non ſolum homines ratione prædìti, ſed & bruta animalia eam fœditatem deteſtentur, averſenturque, per ea quæ docent Ariſtotel. *De Hiſtor. animal. lib. 5.* & Plin. *lib. 8. natural. Hiſtor. cap. 42.* Vide Hartmann. Piſtor. *obſerv. 192. num. 7.* Farinac. *Prax criminal. part. 5. quæſt. 149. num. 1.* Modeſtin. Piſtor. *part. 2. 92. num. 16.* Boër. *deciſ. 318. num. 2.* Alii, quorum communior videtur ſententia, eandem inceſtus pœnam ſtatuunt, quæ eſt adulterii, per Gloſſ. & Bart. in *d. l. ſi adulterium 38. ff. ad leg. Iul. De adult.* Farinac. *d. deciſ. 318.* Ægid. Boſſ. *Prax. criminal. tit. De coitu damnat. & punib. num. 4.* Menoch. *De arbitr. Judic. centur. 6. caſ. 502. num. 34. & ſeqq.* Damhouder. *Prax. criminal. cap. 96. num. 3.*

Sed horum utriuſque partis opinio, ſi ex ipſius rei fonte, id quod res eſt, eruamus, plane commentitia apparet. Cum quod Jure civili nullibi eadem, aut ſimilis pœna definita reperiatur, tum quod ipſa naturæ legibus adverſari, & innato quaſi affectui repugnare eam aut ſimilem ſanguinis commiationem, recte dici, nedum ex Ariſtotelis aut Plinii auctoritate vere defendi poſſit, ut quod humanis neceſſitatibus, & uſu id exigente diverſarum familiarum ſocietas, & à ſuis propter potentiam & ex ea metum, neceſſaria ſeparatio primo fuerit introducta, quam Jus gentium appellarunt, naturali Juri contrarium, *§ 2. Inſtit. De Jure naturali, Gent. & Civil.* Quippe quod nec natura eam noverit unquam, imo quæ vel ipſi naturali inſtinctui contraria potius dici deberet, quum nihil magis naturale ſit, quam diligere id, quod ex proprio ſanguine promanavit, eumque eo propiorem habet cognationem, quæ, ne bella, factiones, & diſcordias ex mutua alterum lædendi voluntate pareret, per ſocietatis pacta & leges coërceri debuit. Cujus infallibile contra Philoſophorum vulgus, nos

docuit fundamentum, Thomas Hobbes Philoſophus ſummus, elegantiſſimo ſuo tractatu Elementorum Philoſophicorum de Cive, *cap.* 1. Ubi humanæ ſocietatis initium eſſe à mutuo metu firme, nec minus vere probat. Et nec Primitivæ gentes differentiam illam agnoverunt, quibus ex adverſo pro lege impoſitum erat ne extra familiam & tribum paternam *Numer. cap.* 36. conſanguineo quiſque ſuo conjungeretur. *Tobia cap.* 7. adeoque ſi fratrum contubernalium alter mortuus eſſet ſine liberis, defuncti uxor alieno ne nubat, levir cum ea coëat eamque in matrimonium leviri Jure ducat, ipſa lex Moyſis præcipit. *Deuteron. cap.* 25. Et de nubendo ei qui proximus genere eſſet lex Solonis fuit apud Athenienſes, cujus meminit Terentius in Phormione: *lex eſt*, inquit, *orbæ, qui ſunt genere proximi iis nubant, & eos ducere eadem hæc lex jubet.* Idem in Adelphis: *hæc virgo orba eſt patre, hic meus amicus eſt illi genere proximus, hæ leges cogunt nubere hanc.* Cujus proximitatis nomine primo circumſcribi, ac definiri cœperunt nuptiæ apud Romanos. De quibus ſunt *l.* 53. 69. *ff. de ritu nupt. l.* 17. *Cod. De nupt.*

Neque, ut ad argumentum redeamus, eorundem opinionem juvat *d. l. Si adulterium* 38. *ff. ad leg. Jul. De adulter.* Quæ nec alio caſu inceſtum adulterii pœna puniri præcipit, quam quod cum ipſo adulterio concurrit, quia ſcilicet duplex eſt admiſſum: totaque illa lege nihil aliud agitur, quam de inceſtu cum adulterio, aut ſtupro commixto, inibique eam quæſtionem diſtinguendo proponit, utrum mulieres eo caſu eadem qua mares pœna teneantur. Cujus dubium eſſe videtur, propterea, quod Juſtinianus *Novell.* 134. *cap.* 10. graviorem adulterii pœnam in fœminis remiſerit.

Quæ hoc modo concilianda & conjungenda eſt cum Papiniani reſponſo in *d. l.* 38. quo mu- 5
lier ſi commiſerit inceſtum jure gentium, quoties ſcilicet adſcendens cum deſcendenti conjungitur, eandem quam mares pœnam ſuſtinet, *d. l.* 38. *§.* 2. ſin jure civili, quoties perſonæ ex latere conjunctæ inter ſe illicite coierunt, tenentur ſolum adulterii vel ſtupri pœna, ſi per adulterium vel ſtuptum inceſtus ſit commiſſus: Mares autem gravius puniuntur, etiamſi Jure civili tantum inceſtum commiſerint, modo per ſtuprum, aut adulterium inceſtus fuerit commiſſus: nam ſi per matrimonium errore juris contractum committatur, maribus ſimplex adulterii pœna ſufficit, & nonnunquam humanius eos puniri verba ſunt *§.* 3. *d. l.* 38. *junct. l.* 11. *§.* 1. *ff. eod.* à qua fœminæ propter juris ignorantiam excuſari ſolent. *arg. l.* 57. *§.* 1. *ff. de Ritu Nupt. l.* 9. *ff. de Jur. & fact. ignor.* De ſimplicis inceſtus pœna lex illa nihil diſponit, quam quod in ſtupri pœnam incidat, *arg. §.* 1. *d. l.* 38. magis obſtare videtur *l.* 11. *§.* 1. *ff. eod.* qua de milite loquitur qui ſororis filiam in contubernio habet, quem adulterii pœna puniri Papinianus voluit. Quod ex hac lege ſingulare videtur in milite, ut eo caſu ejus contubernium pro matrimonio habeatur, quum in aliis à matrimonio differat. Ut in *l.* 14 *ff. de his quæ ut indignis.* Gravior inceſtus pœna deportatio eſt, *l.* 5. *ff. de Quæſtionibus.* Cui fere convenit *Novell.* 12. *cap.* 1. Sed quæ tantum de inceſtis nuptiis loquitur, quæ ſi contra jus gentium admiſſæ ſunt, bona publicari, & ſi perſonæ viles ſint, verberationem corporis adjici, *ibid.* Juſtinianus voluit.

Quapropter cum in locum deportationis, quæ in uſu eſſe deſiit, ſucceſſerit virgarum pœna cum relegatione, rectius & de jure verius reſpondent illi, qui arbitrio judicis id committendum, & inceſtuoſos, quibus nullæ aliæ circumſtantiæ accedunt, haud aliter quam virgis cædendos, 6
aut relegandos eſſe, *arg. d. l.* 5. *ff. De quæſtionib.* volunt. Quod & mores fere ſequuntur. Neque verum eſt, quod Groeneweg. *ad l.* 8. *Cod. De inceſt. & inutilib. nupt.* poſt alios ex communi interpretum errore, de noſtris & Gallorum moribus, inceſtus una cum adulterii pœna in diſſuetudinem abiiſſe refert, ut cujus non eadem (quod eos deceperit) pœna fuerit, ſed plane ſeparata & diſtincta, ut modo probatum. Et vel ipſa ſtatuta, quæ de adulterii pœnis quid conſtituerunt, inceſtum, aliamque illicitam commixtionem excipiunt, eumque ſcripti juris pœnis coërcendum expreſſis verbis relinquunt: Ut eſt text. in Politic. Holland. Ordinat. *art.* 18. *verſ.* **Soo oock by deſen**/ totidem verbis repetit. in Zeland. Politic. Ordin. *art.* 33. Quomodo 19. *Novemb.* 1612. Hollandiæ Curia inceſtum filii cum matre ſua fuſtigatione, & relegatione cum bonorum damnatione puniendum cenſuit, & nuperrime Scabini Leydenſes quendam qui cum prædefunctæ uxoris ſorore vitæ conſortium habuerat, proque eo continuando, clandeſtinas contraxerat nuptias, in grandem pecuniæ ſummam adjuncta relegatione condemnarunt. Idemque de Saxoniæ moribus ſecundum *Elect. Conſtit.* 24. *part.* 4. conſtitutum probat, & etiam extra electorale territorium ex eodem fundamento idem judicandum eſſe probat Hartmann. Piſtor. *Obſerv.* 192. *num.* 54. Vide etiam Anton. Matth. *de Criminib. lib.* 48. *tit.* 3. *cap.* 6. *num.* 5.

7 Ex iis quæ ſupra de civili conjugis, ex cauſa adulterii, pro dotis reſtitutione, & amiſſione lucri dotalis, actione diximus: ſequitur, ut ſi inceſtus cum adulterio concurrat, parti læſæ innocenti idem etiam jus competat: Sed hoc ſingulare eſt, ut quamvis cum adulterio concurrat, & conjunctum ſit hoc crimen, non quinquennio, cum ipſo adulterio, ſed viginti tantum annorum lapſu præſcribatur. *l. 39. §. 5. ff. ad leg. Jul. De adult. l. 20. Cod. ad leg. Corn. De falſis.*

Sequitur Monſtroſa & Prodigioſa commixtio, Sodomiæ crimen, & nefanda cum brutis coitio.

8 Sodomia, in ſpecie ſic dicta, eſt crimen illud, quo maſculi relicto naturali fœminæ uſu, exarſerunt in deſideriis ſuis invicem, maſculi in maſculos turpitudinem contra naturam exercentes: Quæ definitio Pauli Apoſtoli eſt in *epiſt. ad Roman. cap. 1. verſ. 26. 27.* ita dictum à Sodomitis, quos ob id igne cœleſti, & ſulphure abſumptos teſtatur ſacra pagina, *Geneſ. 19. verſ. 24.* Quod, quum reliquæ libidinum ſpecies naturales ſint, & à naturæ inſtinctu proficiſcantur, (prout etiam de inceſtu probavimus ſupra) hoc autem ſpretis naturæ legibus ipſam naturam violet, humanæ ſobolis propagationem impediat, & fidei Chriſtianæ maculam pœne indelebilem inurat, gra-
9 vius etiam puniri ſolet: Et quidem Jure civili tam in agente, quam patiente mortis pœna eſt, per *l. 31. Cod ad leg. Jul. De Adult.* Quam noſtris & Gallorum moribus ad ignis concremationem extendi indiſtincte volunt, Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. Sodomia. num. 4.* Joann. Papon. *lib. 24. tit. 10. arreſt. 6.* Damhouder. *Prax. criminal. cap. 98. num. 12.* Gudelin. *De Jure Noviſſ. lib. 5. cap. 18. verſ. transeo:* Argentr. *ad Conſuetud. Britann. art. 588.* Quod quomodo contra, aut præter jus ſcriptum defendi poſſit non video: Sed ex perperam facta confuſione hujus cum alterius Sodomiæ genere, quod cum brutis committitur, proceſſiſſe videtur, ut de Germaniæ moribus rectius diſtinguit Ordinat. Criminal. *Caroli V. art. 116.* Carpzov. *Prax. Criminal. cap. 76. part. 2.* ubi eum qui Venere abutitur, cum hominibus coëundo contra naturam, uſu naturali relicto, capite truncandum de jure & conſuetudine probat. *num. 15. & ſeq.*

Altera Sodomiæ ſpecies eſt, qua quis cum bruto animali ſe commiſcuiſſe, & Venerea exercuiſſe deprehenditur: quod crimen prodigioſum, & nefarium eſt, quod nimirum maſculus cum bruto animali committit, aut quo fœmina ſe ab animali cognoſci permittit. Quo contra naturam ſemen & ſanguis humanus cum brutorum ſanguine confunditur, & commiſcetur. Quod licet Jure Civili in genere tantum definiatur, ac propterea vix alis quam ordinaria ultimi ſupplicii pœna, quæ eſt capitis amputatio, puniri videatur. *d. l. 31. Cod. de leg. Jul. de adul. junct. Nevell. 77. cap. 1.* Quum tamen illud, Jure Divino, expreſſioribus verbis, quam ullum prohibeatur *Levitic. 18. verſ. 23.* & tam abominabile ab ipſo Deo fuerit execratum, *ſeq. cap. 20. verſ. 15.* ut ejuſmodi reos Sodomiticos ſimul cum ipſo bruto interfici juſſerit: ſeverius in id crimen moribus animadverti ſolet: flammis ſiquidem ultricibus vivi concremari, inque cineres redigi ſolent. Ut ubique fere obſervari teſtantur in Hollandia Groeneweg. *ad legib. abrogat. ad §. 4. Inſtit. de publ. Jud. num. 14.* & in reliquo Belgio Gudelin. *de Jure Noviſſime lib. 5. cap. 18.* Damhouder. *Prax. criminal. cap. 98. num. 14. 15.* De aliis vid. Farinac. *quæſt. crimin. 147. num. 46.* Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. fornicatio. §. cum animali. 27. & §. fin. quæſt. 99. num. 8.* Gomez. *ad leg. Tauri 80. num. 35.* Menoch. *de Arbitr. Jud. caſ. 286. num. 43. & ſeq.* Et in Imperio Romano Germanico expreſſis verbis comprehendit Sanctio Carolina criminal. *art. 116.* à qua mores Saxonicos nihil prorſus receſſiſſe teſtatur Carpzov. *Prax. criminal. part. 2. quæſt. 79. num. 31.*

Plures Sodomitici criminis reorum gradus ſtatuunt alii: Ut ſunt pædicones, pathici, tribades, maſtupratores & ſimiles, de quibus vid. Anton. Matth. *de criminib. lib. 48. tit. 3. cap. 6. num. 8.* Damhoud. *Prax. criminal. cap. 98. num. 4.* Quos tamen neque legibus neque moribus in ullam pœnam incurrere ſatis conſtat: Quare & de iis, ne pudicæ offendantur aures, altum nobis ſit ſilentium.

Cap. XXIX.

De Furtis, eorumque pœnis.

Summaria.

1. *Furtum quid, & quotuplex.*
2. *Furti pœna Juris Civilis, an & quando capitalis.*
3. *Quæ ſit furti pœna gentium moribus, in* Hollandia, Gallia, *&* Germania.
4. *In* Hiſpania, *&* Italia.
5. *In* Anglia, *&* Hungaria.
6. *Mortis ſupplicium pro furto irrogandum an & quatenus defendi poſſit, contra Theologos.*
7. *Magiſtratus, legi Moyſis, cæteriſque Sacræ Scripturæ pœnis, in delictis quam minime addictus.*
8. *Furti requiſita quæ & qualia.*
9. *Mendicantes validi an & quando pro furibus plectendi in* Belgio.
10. *In* Gallia.
11. *An & quando ex rei ſurreptæ qualitate mitius aut gravius puniantur fures.*
12. *Fures ſacculari an & quomodo puniendi.*
13. *Fructus pendentes à prætereuntibus, an & quatenus diſcerpi liceant.*
14. *Fures hortularii qui & quomodo puniendi.*
15. *Arborum furtim cæſarum, aut evulſarum pœna.*
16. *Sepulchrorum violatores, & cadaverum defunctorum ſpoliatores, an & quomodo puniendi.*
17. *Termini amoti pœna quæ.*
18. *Hereditatis expilatæ pœna quæ.*
19. *Agricolæ inſtrumentorum violatores, an & quomodo puniendi.*
20. *Abigei pœna quæ.*
21. *Fures incendiarii qui, & quomodo puniendi.*
22. *Receptatores aliique furum auxiliatores & mediatores an & quomodo puniendi.*

D. xlvii. ii. & Cod. vi. ii. *De furtis.*

IN bonis, aut adverſus bona aliorum committitur furto, quod eſt quælibet fraudoloſa contrectatio rei alienæ vel uſus, vel poſſeſſionis, *§. 1. & 6. Inſtit. De obligat. quæ ex delict. l. 1. §. ult. ff. De furt.* 1

Jure civili diſtinguitur in manifeſtum, quum quis in ipſo furto, & nec manifeſtum, quod non niſi poſt factum deprehenditur. *§. 3. Inſtit. De obligat. quæ ex delict.* Cujus pœna tantum erat 2 pecuniaria, præter ipſius rei perſecutionem, ordinaria, pro ſimplici furto manifeſto quadrupli, nec manifeſti dupli tantum erat reſtitutio. *§. 5. & §. ult. Inſtit. eod. l. 9. ff. De condict. furtiva.* Extraordinaria, ſi alia etiam delicta concurrebant, veluti ſi vi aut per effractionem committebatur, criminalis arbitraria erat, carceris, relegationis, aut in opus publicum damnationis, *l. fin. ff. De privat. delict. l. fin. ff. De furt. l. 1. & ult. ff. de fur. balneat. l. 1. §. 1. & ſeq. cum l. fin. ff. De Effractor. & Expilat.* aut ſi aliquandiu in eodem furti genere frequentaverint, & aliquoties fuerint deprehenſi; quo caſu etiam delictorum pœnæ exaſperari & augeri ſolent. *l. 16. §. fin. l. 28. §. pen. ff. De pœnis.* Nunquam tamen propter furtum, etiam qualificatum, ultimum ſupplicium imponere licuit, ſed expreſſis verbis cautum erat *Novell. 134. cap. final. & auth. ſed novo jure. Cod. de Serv. fugitiv.* quod pro furto nemini membrum abſcindi, aut quis mori debeat: niſi aut vis publica, aut tale quid concurrat, quod per ſe ultimum ſupplicium exigit, ut in abigeis, qui pecora ex paſcuis vel armentis ſubtrahunt, deprædantur, illudque quaſi ſtudium, ſive artem exercent, qui ſi decem oves, porcos quinque, equum, aut bovem, licet unum abegerint, gladio puniuntur, vel beſtiis objiciuntur. *l. 3. ff. De abigeis.* Quod etiamnum fere ultimo ſupplicio punitur, præterquam in furantibus anates, anſeres, gallinas, qui mitius arbitrarie puniri ſolent, teſte Damhoud. *Prax. criminal. cap. 115. in fin.*

D. xlvii. xviii. Cod. vi. xiii. Inſt. iv. ii. *De vi bonor. raptor.* & D. xlvii. xviii. *De Effractoribus & Expilatoribus.*

D. xlvii. xiv. *De Abigeis.*

Sed in cæteris hodie ex generali fere omnium gentium conſuetudine furti manifeſti, & nec 3 manifeſti diſtinctio, ejuſque dupli & quadrupli pœna exolevit, ejus loco ſucceſſit gravior, alia arbitraria, quæ & ex iterato delicto, aliiſque circumſtantiis ad mortis, & laquei pœdam extendi ſolet, per ea quæ late Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. furtum. num.* 8. Gomez. *Variar. reſolut. tom. 3. cap. 5. num. 5. & ſeqq.* Menoch. *De arbitr. Jud. caſ. 295. num. 8. & ſeqq.* Moribus noſtris fere pro ſimplici furto virgis cæſi in exilium mittuntur, ſi aliquoties iteratum, ſtigmatis in terga ipſorum inuſtio ſuperadditur, ſemel atque iterum, tertio convicti in patibulum attolluntur, ut laqueo vitam finiant. In qualificato autem furto, veluti ſi una cum furto vim publicam commiſerint, prima vice ad laqueum damnantur, niſi ætatis aut circumſtantiarum ratio pœnam mitigandam ſuadeat. Quo facit text. Holland. Ordd. *Placit. 16. Decemb. 1595. & 9. Martii 1614. art. 2.*

Vid.

Digitized by Google

Vid. porro Damhoud. *Prax crimin. cap.* 112. *num.* 28. *& ſeq.* Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib.* 5. *cap.* 19. *& lib.* 3. *cap.* 13. *verſ. Sed obſerv.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. De furtis.* Quæ ſuſpendii pœna in furto iterato, aut alias qualificato non tantum apud omnes fere Chriſtiani orbis nationes, ſed & apud Turcas, & Europæos in uſu eſt, referente Riſerg *in relat. rer. Turcicar. cap.* 4. *pag.* 55. De Galliæ moribus reſtatur Eguinarius Baro *ad tit. Inſtit. de Obligat. quæ ex delict. naſc.* Johann. Papon. *lib.* 13. *tit.* 6. *art.* 1. In Germania & Imperii terris, extlat *Caroli V. Ordinat. Criminal. art.* 159. *junct. Elect. conſtit.* 32. *part.* 4. Cui convenit jus Culmenſe, & Provinciale Ducatus Pruſſiæ, *lib.* 6. *tit.* 7. *art.* 1. *§.* 2. 3. 4.

4 In Hiſpania, pro primo furto verecundiæ pœna imponitur, pro ſecundo flagellorum, & abſciſſionis auricularum, pro tribus furtis ſuſpenditur etiam fur ea committens, niſi ex cauſa mortis pœna in triremes commutetur: teſte Alphonzo de Azevedo, *ad Conſtit. Reg. Hiſpaniæ lib.* 8. *tit.* 11. *leg.* 7. *num.* 91. *& ſeqq.* Gomez. *Variar. reſolut. tom.* 3. *cap.* 5. *num.* 5. Et de Italiæ moribus tria furta etiamſi levia morte puniri probat Menoch. *de Arbitr. Jud. caſ.* 295. *num.* 17. *& ſeqq.*

5 Sed Angliæ leges ſeverius in furta, propter majorem ſuæ gentis in furta inclinationem, animadvertere ſolent, nec mitius quam committentes morte puniri permittunt, dummodo res ablata duodecim denariorum valorem adæquet, teſte Johann. Cowel. *Inſtit. Jur. Anglicani lib.* 4. *tit.* 1. *§.* 1.

Et in Hungariæ Regno furtum committentes, etiam rei minimæ, indiſtincte ſuſpenduntur, ex decreto S. Stephani *Anni* 1035. *lib.* 2. *cap.* 40. *&* 41. & S. Vladiſlai Hungariæ Regis *Anni* 1029. *lib.* 2. *cap.* 12.

6 Sed an jure hæc pœna defendi poſſit, dubitare videntur Theologorum quidam, qui ut in cæteris Reipublicæ gubernandæ cauſis, ita & in delictorum pœnis ipſis ſuis Magiſtratibus, non inferioribus modo, ſed & ſupremam in Republica poteſtatem exercentibus, (ſi modo ita Deo viſum eſſet) legem ponere, inque anteriorum ſubſellia ex Canonica quaſi authoritate involare & irrumpere quotidie ſtudent. Cujus & hoc non leve argumentum eſt, quod has ipſas leges noſtras pro avertendis furtorum ſceleribus juſtiſſimas, & tam pias, atque ſalutares, ut tanquam Jus Gentium ob omni pæne populo receptæ & probatæ fuerint, nec meliores dari, ab ullo potuerint, ut injuſtas, iniquas & Juri Divino contrarias, quotidie ex Cathedra publice populo traducant, & magno conamine deblaterent: quod, quaſi Jure Divino in fures nuſquam capitali pœna fuerit animadverſum. Quibus, cum contrarium facile ex ipſa Sacra Scriptura probari poſſit, ut quæ non minus arbitrarie pro circumſtantiis, temporis, loci, & delicti gravitate in furta quadrupli primo reſtitutione, *Exod.* 22. 1. ſub Rege Salomone ſextupli *Proverb.* 6. 31. & ſub Joſua, *Joſuæ* 7. 25. ultimo ſupplicio, & concrematione fuerit animadverſum: Adeoque mores noſtros ultimi ſupplicii pœnam in furibus in tantum temperare conſtet, ut vix imponatur, niſi & præter ſimplex furtum alia qualitas accedat, quæ aut per ſe capitalem exigit pœnam, aut ipſum delictum in tantum
7 aggravet: Hoc illis etiam ut Theologis, & veris Moſaïcarum legum interpretibus, pro recantatione inſulſi, & maleverſantis ſui argumenti, ſciendum erat, legis Moſaïcæ delictorum pœnas, etiam ab initio mutabiles fuiſſe, neque eas pro conſervatione totius univerſi aliter potuiſſe conſtitui, adeoque eas non magis nos aſtringere quam leges ceremoniales: quarum hæ ad Chriſti adventum manſerunt, illæ quamdiu, nec ulterius quam ſtante eadem republica, & quouſque iſti populo conveniat. Adeo ut ex Jure Divino quidem etiamnum probari poſſit, crimina, & delicta eſſe punienda, ſed quo modo nequaquam. Ut qui modus Magiſtratibus indefinite fuerit commiſſus, Magiſtratu legitimo à Deo conſtituto, eique ſanciendarum ſalutarium legum conceſſa poteſtate, qui ut Dei miniſter, & vindex ad iram ei, qui quod malum eſt, fecerit, nec fruſtra gladium gerit. *Epiſt. Pauli ad Romanos cap.* 13. *verſ.* 4. Quæ ut procedant vid. per ea quæ docent Joann. Calvin. Inſtit. *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 16. & Petr. Martyr *locor. commun. claſſ.* 2. *cap.* 2. *num.* 33. *&* 35. & in facti ſpecie judicem non teneri ipſas leges Moyſis judiciarias ſequi, probat etiam Joann. à Sande *lib.* 5. *tit.* 9. *defin.* 9. Ut curet ergo Magiſtratus, quo conſervatio rei communis propagetur, pax & tranquillitas publica ſarta tecta conſervetur, qui ad furta coërcenda, & commodum reipublicæ promovendum, ſeveriori ſupplicio in fures animadvertere, legeſque eo intendere debuit, ut quod nullo alio remedio coërceri poſſe eventus ſatis ſuperque edoceat, gravioris pœnæ formidine evitetur. Adeo enim hujus mali genere totus increbuit mundus, ut nulli ferme res ſuæ tuto manerent loco, ſi non gravius in id animadverteretur. Quis enim de platea ad plateam, de domo ad domum abſque ſpoliatione migraturus eſſet? quis noctu ſecurius ſomnum capturus? Quis in templis, nedum in domibus tutus foret, ſi impunitatem

ſibi ex lege promitterent iſta ſpe quicquam perpetrantes? Et ſane hiſce temporibus, quo iterum

Vivitur ex rapto, nec hoſpes ab hoſpite tutus;
Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt.

Plurimi tantæ, ac tum deſperatæ malitiæ reprchenduntur, ut ne hac quidem, quæ acerrima eſt pœna, à ſua malitia deterreantur: Quid ergo futurum, ſi ejus loco mitior aliqua intercederet pœna? Juſtiſſimam ergo hanc de furibus ſuſpendendis legem, ne offendamus, aut ipſum legiſlatorem ut Dei Miniſtrum in eo culpemus, adeoque divinæ ordinationi reſiſtentes conſcientiam noſtram oneremus, juxta admonitionem Divi Apoſtoli *ad Romanos d. cap.* 13.

D. XLVII. XI. *De extraordinariis Criminibus.* Cæterum quum hujus criminis pœnam pro varietate circumſtantiarum arbitrariam diximus: de quibuſdam circumſtantiis ipſum delictum aut mitigantibus aut aggravantibus, videndum eſt.

Et quidem primo ut furtum dicatur commiſſum, facti & perſonæ qualitas conſideranda veniunt. Quomodo nec furtum ſine affectu furandi committi dicitur, *§. 7. Inſtit. De obligat. quæ ex delicto.* & ut perſonæ ſint doli capaces requiritur. *l. 23. ff. De furt.* Quæ capacitas non ex annis certis, ſed ex facto pro re nata, ad arbitrarium judicis æſtimanda eſt. Quomodo minorennibus, licet regulariter à pœna ſuſpendii non ſint exempti, mitior tamen pœna ipſis quandoque imponi ſolet. *arg. l. 16. §. 3. ff. De pœnis. l. 108. ff. De Reg. Jur.* Mynſinger. *centur. 2. obſ.* 54. Menoch. *De arbitr. Jud. caſu* 329. *num.* 11. Matth. Coler. *part. 1. deciſ.* 162. *num.* 8. 8

Sed contra ad hanc furti circumſtantiam ſpectat commiſſum, quod à validis mendicantibus, ſcurris, ſtellionibus ac impoſtoribus committitur, qui non tantum ſi inter mendicandum furtum commiſerint, ſeverius puniri ſolent, quod eam artem ſimulate exerceant: ſed in vagabundos & errones iſtos, licet nec furti proprie accuſari poſſint, quum tamen ſub paupertatis & miſeriæ, claudicatis, mutilationis membrorum, & quandoque diſſimulatæ cæcitatis, veris pauperibus debitas eleēmoſynas e faucibus eripiant, pro circumſtantiarum qualitate virgarum flagellis cum relegatione animadverti ſolet, quorum plurima, etiam noſtris temporibus extitere miraculorum exempla, quibus ſimplex virgarum flagellatio, cæcis viſum, mutiliſque integritatem repente reddiderit. Quorum duo etiam lepida lectuque digna ſui temporis recenſet exempla Jodoc. Damhouder. *Prax. criminal. cap.* 112. *num.* 53. *&* 54. Et ejuſmodi impoſtores in Germania cum ſtellionibus nonnunquam laqueo, interdum & frequentius, perpetua relegatione ſub pœna ſuſpendii cum fuſtigatione puniri probat Petr. Heigius *part. 2. quæſt.* 27. Sic ut immerito conqueratur Damhoud. *d. cap.* 112. *num.* 55. & exclamet neglectam prorſus *l. unica. Cod. De mendicantibus validis*, cui ſucceſſit *Novell.* 80. *cap.* 5. Quæ diverſis locorum ſtatutis probatur, quibus omnino mendicitas ſub jejunii in pane & aqua, & in ergaſtulo ad id extructo, ad opus publicum damnatione aliave arbitraria pœna interdicta eſt. Vid. *Zyp. Notit. Jur. Belg. Rubric. De Mendicant. Valid. & ad tit. Cod. De Epiſcop. & Cleric. verſ. Quod attinet: & ſeqq.* Quibus adde placit. Quorum titulus: **Jegens Egyptenaren/ Lepzoſen/ Bedelaers/ Vagebonden/ Landtloopers;** & primo à Carolo V. edit. 7. *Octob.* 1531. Deinde renovat. & adaucta ab Hullandiæ Ordinib. 21. *Julii* 1583. 13. *Octob.* 1586. 4. *Maji* 1588. *den* 18. *Decemb.* 1595. 19. *Mart.* 1614. (*renovat.* 4. *Mart.* 1636.) *&* 12. *Maji* 1649. 9

Cod. XI. XXV. *De mendicantibus validis.*

Quo ſpectat etiam Edictum Caroli IX. Galliæ Regis; quo errones, Boëmos, ſeu Ægyptios extrudi Galliæ regno intra bimeſtre jubet, eorumque uxores, liberos, & aſſeclas, quod ni faciant, ut ſi in Galliam redeant, viris barbam radi, ac capillos deſcindi, eoſque remis abdicari de plano, & ſine ulla inquiſitione ad triennium præcipit. 10

Et ex rei ſurreptæ qualitate furti pœna augetur, aut mitigatur.

Quomodo mitius & exigua tantum pœna puniri ſolent, qui cibaria eſculenta, ſive edulia famis neceſſitate ſurripuerit, tum quod ob rem minimam ſurreptam ordinaria ceſſet pœna. Quomodo in Electoratu Saxoniæ & reliquis Imperii Germanici terris diſtingui ſolet, inter furtum exiguum, & furtum magnum, quod quinque ſolidorum, ſive aureorum æſtimationem excedit, quod ſolum laqueo puniendum, *conſtitut. Electoral.* 32. *§.* 4. præcipit, & in pœna furti dictanda, magnitudinem furti conſiderari jubet Caroli V. *Ordinat. criminal. art.* 160. tum quod neceſſitas non habeat legem *cap. quod non eſt licitum De Regul. Jur. in 6.* & vitam redimere qualibet ratione liceat. *l. 1. in fin. ff. De bon. eorum qui ante ſent. ſibi mort. conſciv.* 11

Et ſaecularii, qui in turba & circulis hominum incautorum loculos ſecant, pecuniaſve eo modo ſubtrahunt, ab ordinaria ſuſpendii pœna excuſari ſolent, quod ipſa incautorum negligentia, & 12

furti

furti exiguitas tantam vix exigat pœnam, ſed pleruinque carcere vel relegatione plectuntur, aut virgis caſtigati dimittuntur. *arg. l. 7. ff. De extraordin. criminib.*

13 Ita etiam qui ex petulantia modicos fructus arborum vel agrorum, uti poma, pyra, uvas, nuces tranſeundo decerpſerit, quas ſtatim in vinea, vel agro, aut in via comedat, à furti ſupplicio, & omni prorſus pœna excuſatur. *arg. cap. 1. §. tranſiere per argum. diſtinct. 1. cap. diſcipulos. De conſecratione diſtinct. 5. junct. arg. ex Deuteron. 23. verſ. 24. & ſeq.* ſecus ſi furti, & lucri
14 faciendi cauſa arborum, aut agrorum fructus ſecum abſtulerit, aut hortos, quos apud nos pretioſos habent, ſepibus & foſſis à communi via diſtinctos ſeparatoſque deſtinato tranſilierit, fructuſque delicioſos, herbas odoriferas, aut medicinales, roſas, lilia, aut ſimiles flores ſeu frutices ſurripuerit, qui omnino furti tenetur, & pro arbitrio judicantis vel in ære, vel carcere, vel pro ratione delicti, relegatione, vel etiam fuſtigatione puniuntur. *arg. l. 27. §. 25. & ſeq. ff. ad leg. Aquil. l. 82. §. 1. ff. De furt. l. 23. in fin. ff. De Uſurpat. & Uſucap. l. 1. in fin. pr. ff. De ter. permut.* Quo facit etiam *text. expreſſ. Elect. Saxon. conſtit. 37. part. 4.*

15 Eademque fere diſtinctio eſt, (licet hi gravius puniantur, eoque magis quo pluris æſtimantur *D. xlvii. vii. Arborum furtim caſarum.*
arbores fructiferæ, quam frutices & plantæ) inter eos qui ea petulantia noctu tranſeundo arbores evulſerint, fregerint, aliove modo læſerint, qui pecuniarie fere puniri ſolent, & eos qui damni aut lucri faciendi cauſa, maloque propoſito id commiſerint, ſeverius, puta carcere, vel relegatione, quandoque etiam fuſtigatione puniendos exiſtimo *arg. tot. tit. ff. Arborum furtim caſarum:* quorum quædam etiam exſtant exempla, eoſque Carol. V. tanquam agri depopulatores ultimo ſupplicio plectendos præceperat. *edicto 30. Junii* 1546.

16 Arbitrarie etiam puniuntur cadaverum defunctorum ſpoliatores, qui illis veſtem, aut aliud *D. xlvii. xii. De Sepulchro violato.*
penes ſe exiſtens auferunt, quos mitius, velut relegatione, carcere, vel fuſtigatione puniendos, gravius vero in eos qui ipſa ſepulchra deſtruant. *l. 4. Cod. De ſepulchro violato*, quos ſi armata manu id perpetraverint, ultimo ſupplicio, ſin minus, in metallum jus civile damnat. *l. 3. §. 7. l. ult. ff. & l. 3. 4. 5. Cod. eod.* Moribus ut ſacrilegos ultimo ſupplicio puniri volunt. per ea quæ late tradit Farinac. *Prax. criminal. quaſt. 20. num. 114. & ſeqq.* Quos Jure Saxonico haud minus ac latrones rotæ ſupplicio affici probat Carpzov. *Prax. criminal. part. 2. quaſt. 83. num. 54.* Sed moribus noſtris, præſertim inter reformatos, quibus ipſis ſepulchis nulla reverentia externa debetur, nullaque ſepulchralia ornamenta ipſia cadaveribus apponuntur, & quod apud pontificios Eccleſia de cœmeteriis abunde provideat, vix eſt ut hoc crimen obtineat, adeoque & ejus pœna in deſuetudinem abiiſſe videtur, aut ſi occurrat, mitius puniri putem: per ea quæ tradunt Jul. Clar. *§. final. quaſt. 68. num. 45.* Menoch. *De arbitr. Judic. caſ.* 387. Damhoud. *Prax. crimin. cap.* 111. *circa fin.* Zyp. *Notit. Jur. Belg. Religioſ.* Et quæ latius ſupra hoc eodem libro *cap. 2.*

17 Ceſſatque Ordinaria furti pœna in amotione terminorum, veluti ſi quis terminos, vel lapides *D. xlvii. xxi. De termino moto.*
finales, vel arbores conſtituendorum finium cauſa poſitas eruerit, amoveritve. Cujus Jure civili pro ſingulis terminis dolo malo ablatis quinquaginta aureorum pœna conſtituta erat *l. fin. ff. De termin. mot.* vel arbitraria relegationis, vel etiam fuſtigationis adverſus eos, qui obfuſcandi fines aut Jurium occupandorum cauſa eoſdem terminos moverint. *l. 1. 2. ff. eod.* Ut late Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. ult. quaſt. 83. num.* 10. Damhoud. *Prax. rer. criminal. cap. 129. num. 1. & ſeqq.* Quod quum clam teſtibus fieri ſoleat, adeoque de doloſa amotione vix conſtare poſſit, ultra juſtam terminorum arbitrio judicis decernendam reſtitutionem, via ulla pœna uſu venire ſolet. Quomodo intelligendum quod Groeneweg. poſt Bugnon. Autumn. & alios, hujus legis pœnam in deſuetudinem abiiſſe refert, quam etiamnum imponendam, ſi modo de dolo & delicto liquido conſtare poſſit, nihil eſt quod vetat; eamque in Germania etiamnum practicari probat Math. Coler. *part. 1. deciſ. 145. num. 9. & 10.*

18 Neque Ordinaria furti pœna locum vindicat, in expilata hereditate, quum quis in domibus *D. xlvii. xix. Cod. ix. xxxii. Expilatæ hereditatis.*
mortuariis aliqua bona necdum diviſione hereditaria partita, aut clam aut vi abſtulerit. quem arbitrarie etiam juxta qualitatem perſonæ & facti circumſtantias puniendum lex præcipit. *l. 1. & tot. ff. tit. Expilat. hereditat.* Vid. Damhoud. *Prax. criminal. cap. 114.* & Carpzov. *Prax. criminal. part. 2. quaſt. 83. num. 79. & ſeq.*

19 Severius quidam animadverti volunt in agriculturæ inſtrumentorum violatores, & raptores, *arg. l. auth. agricultores, Cod. Quæ res pignori.* Quod ſi modo aratrum ſpoliaverint, aut furati fuerint, rotæ ſupplicio afficiebat Jus Saxonicum antiquum. Quod tamen ab uſu tractu temporis receſſiſſe probat Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. part. 4. conſtit. 35. defin. 1.* in tantum ut perinde ut alii fures pecuniariæ tantum, carceris, aut relegationis pœna plectantur: Quod & communiter ſequendum videtur, ut quod certa pœna in eos conſtituta non ſit.

D. xlvii. xiv. *De Abigeis.*

Sed gravius ubique puniuntur pecudum, ſive armentorum abactores, non tantum qui ani- 20
malia ex agro vel ſylva, ſeu grege, ſed etiam ſi à ſtabulo vel domo furtim abduxerint, *l. 1. l. ult. ff. de Abigeis.* quos ultimo ſupplicio puniri ſupra diximus, & de Saxoniæ moribus pluribus probat Carpzov. *Prax. criminal. part. 2. quæſt.* 86. *num.* 34. In Hollandia exſtat *Placit. Holland. Ordd.* 16. *Decemb.* 1595. *&* 19. *Martii* 1614. *art.* 3. de aliis vid. Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 115. Chriſtin. *vol.* 4. *deciſ.* 203. *num.* 4. Zyp. *Notit. Jur. Belg. tit. de Abigeis.*

Quemadmodum & fures incendiarii, qui in incendiis aliorum bona eripiunt, ſeverius puniri, 21
communiter eſt receptum. Quos laqueo puniri refert Damhoud. *Prax. crimin. cap.* 116. eamque pœnam ad eos qui ſimili modo naufragorum bona eripiunt, extendi putat *arg. l.* 18. *Cod. De furt.*

D. xlviii. xv. Cod. ix. xx. *Ad leg. Fab. de Plagiariis.*

Gravius etiam puniuntur qui celandi ſeu privandi animo liberos parentibus ſurripiunt, & abducunt, quod plagium dicitur, cujus pœna olim pecuniaria in metalli damnationem poſtea mutata eſt. *l. ult. ff. ad l. Fabiam de Plagiariis*, tandem ad beſtias damnari, vel gladio puniri cœpit. *l. ult. Cod. eod.* cum qua convenit Jus divinum *Deuteron. cap.* 24. *verſ.* 7. *Exod. cap.* 21. *verſ.* 16. Vid. Georg. Tholoſan. *Syntagmat. Jur. lib.* 36. *cap.* 31. Menoch. *De arbitr. Judic. caſ.* 536. Jul. Clar. *§. fin. quæſt.* 68. *num.* 31. Farinac. *Prax. criminal. part.* 7. *quæſt.* 147. Quod in foro Saxonico & reliquo Germaniæ Imperio obtinere teſtantur Petr. Heig. *part.* 2. *quæſt.* 32. *num.* 2. *&* 3. & Benedict. Carpzov. *Prax. criminal. part.* 2. *quæſt.* 83. *num.* 90. *& ſeqq.* In Belgio vero ejus pœna arbitraria eſſe videtur, ut plurimum fuſtigationis & exilii, ſi ſcil. celandi animo plagium commiſſum non ſit, per ea quæ tradit Groeneweg. *de legib. abrogat. ad §.* 10. *Inſtit. de public. judic.* Si vero plagium fuerit qualificatum, & celandi ſeu privandi animo liberi parentibus ſurripiantur, eoque modo viventium filiorum miſerandas inflixerint parentibus orbitates: quis non dixerit pro delicti modo gravius illud eſſe plectendum. *arg. l. ult. ff. & l. ult. Cod. ad leg. Fab. de Plagiar.* ubi pro *teneantur* relictus legi *tenebantur.* ex *l. unic. Cod. Theodoſian. ad l. Fab. de Plagiar.* animadvertit Duarenus 2. *diſp. anniv.* 20.

D. xlvii. xvi. *De Receptatoribus.* & Cod. ix. xxxix. *De his qui latrones vel aliis criminibus reos occultaverint.*

Nec ſolum ipſi fures, ſed & hi qui opem & auxilium furibus ſcienter & dolo malo præſtite- 22
runt, eadem qua fures pœna puniuntur. *l.* 34. *l.* 50. *§.* 1. *l.* 52. *in pr. & §.* 19. *ff. De furt. l.* 53. *§.* 1. *ff. de Verb. ſignificat. l.* 1. *ff. De receptator.* Quod quum varie fiat, arbitrio judicis etiam committitur, an & quando mitius, aut ſeverius in eos animadverti debeat, per ea quæ tradunt Farinac. *Prax. criminal. quæſt.* 30. *num* 94. *& ſeq.* Gomez. *var. reſolut. tom* 3. *cap.* 3. *num.* 50. Menoch. *de Arbitrar. Jud. caſ.* 348. Quod & ad ultimum ſupplicium extendi poteſt. In Hollandia exſtat *Ordd. Placit.* 16. *Decemb.* 1595. *&* 14. *Martii* 1614. *art.* 4. quibus manifeſtos fures ſcienter receptantes, & furtorum mercenarios doloſos, eadem qua fures pœna puniri præcipitur: quos tamen vix unquam, aut certe perraro ſuſpendio puniri conſtat, ſed ut plurimum fuſtigatione, & relegatione, quandoque etiam pecuniarie tantum. Vide Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 118. *&* 119. Et de Saxoniæ moribus Carpzov. *Prax. criminal. part.* 2. *quæſt.* 87.

Cap. XXX.

De Obligationibus quæ quaſi ex delicto naſcuntur ex perſona aliena.

Summaria.

1. *Obligatio ex quaſi delicto quibus modis contrahatur.*
2. *Quomodo ex quaſi delicto, ex perſona aliena quis obligetur, ejuſque pœna Juris civilis & hodierna.*
3. *Furti, aut damni in navi, caupona, aut ſtabulo dati, quis teneatur, qua & adverſus quos detur actio.*
4. *Receptum an & quando præſumatur aut probetur.*
5. *Recipere quoslibet, caupones aut nautæ an teneantur etiam inviti, contra communes.*
6. *Interpretatio & conciliatio nova l.* 1. *ff. nautæ, caupones, ſtab. cum l. unic. §. fin. ff. furti adverſus nautas.*

Inſtit. iv. v. *De obligationibus quæ ex quaſi delicto naſcuntur.*

SEd & ex quaſi maleficio, id eſt ex omni facto quo quis non recte deliquiſſe dici poteſt, ut
cui dolus nullus intervenerit, ſed tamen quod propter culpam accedentem delicto proxi- 1
mum eſt, Jure Civili tenebantur æque ac ſi delictum commiſiſſent, pro ratione cujuſque commiſſi, *tot. tit. Inſtit. De obligat. quæ quaſi ex delicto.* Quorum tamen hodie extra damni reſtitutionem vix aliqua, aut perexigua pœna eſt.

Horum

Horum quidem duo ſunt genera. Unum quo quis ex propria ſua perſona convenitur, propterea quod vel ipſe ſuo facto nocuerit, veluti primo, ſi judex per imperitiam male judicaverit, qui eo ipſo litem ſuam faciebat, & in litis æſtimationem damnabatur. *pr. Inſtit. De oblig. quæ quaſi ex delict. l. 5. §. 4. ff. De Oblig. & act.* quod, quum conſilii non fraudulenti nulla ſit obligatio, *l. 47. ff. de Reg. Jur.* nullatenus moribus probari, notavi ſupra *cap. 7. circa fin.* & pluribus probat Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. pr. Inſtit. eod.*

Quomodo & Medicorum errores terram tegere, poſt Mornac. & Autumn. & Vinn. voluit Groeneweg. *de legib. abrogat. ad §. 7. Inſtit. de leg. Aquilia.* Qui tamen jure meritoque tenentur, ſi ex dolo, vel malitia malum medicamentum dederint aut malam ſectionem fecerint, Ut capitis pœna mulctentur. *per. l. 3. §. 1. ff. ad leg. Corn. de Sicariis. l. 6. §. 7. ff. de Offic. præſid.* Si ex imperitia, quæ culpæ æquiparatur, quid commiſerint, arbitrarie ad relegationem ſive bannum damnantur. *arg. §. 7. Inſtit. de lege Aquilia l. 8. ff. ad leg. Aquil. l. 11. §. 2. ff. de pœnis.* Vide Hippolit. de Marſiliis *ad l. 7. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Jul. Clar. *§. homicidium. num. 7.* Gumez. *var. reſolut. cap. 3. num. 16.* Petr. à Placa *Epitom. delictor. cap. 26. num. 4.* Petr. Heig. *Quæſt. Jur. Civ. & Saxon. part. 2. quæſt. 26. num. 56.* Andr. Gail. *lib. 2. obſerv. 111. num. 26.* Damhoud. *Prax. criminal. cap. 77. num. 28.*

Deinde quum quid alicujus culpa & facto ita comparatum eſt, ut licet nondum nocuerit, niſi tamen mature obviam eatur, nocere facile poſſet: veluti ſi quis in loco quo vulgo iter fieri ſolet, quid poſitum aut propenſum habet, quod poſſet ſi caderet, prætereuntibus nocere, quo caſu, pœna decem aureorum erat conſtituta. *§. 1. Inſtit. de Obligat. quæ quaſi ex delict.* quæ actio popularis eſt, adverſus eum qui ita quid poſitum habet. *d. §. 1. Inſtit. junct. l. 5. §. 6. & ult. ff. De his qui effud.* Sin vero ceciderit, de damno etiam actio adverſus eum qui poſuit competit. Sed nec illa prius quam ceciderit, nec ulterius quam ad damnum datum competit hodie.

Alterum hujus quaſi delicti genus.

De quo hic præcipue agendum, eſt quo quis ex perſona alterius tenetur, cujus iterum duæ ſpecies diverſæ. Quarum alia ex perſonis, alia ex rebus dominio noſtro ſubjectis provenit.

2 Ex perſonis quidem alienis ex quaſi delicto alteri obligamur, ſi quid dejectum effuſumve D. IX. III.
fuerit, quod alicui prætereunti in corpore, vel in veſtimentis, vel aliter nocuerit, eo nomine *De his qui*
in duplum damni dati conſtituta erat actio, adverſus eum qui in cœnaculo habitat, unde caſus iſte *effuder. vel*
prodierit: & ob hominem liberum occiſum 50. aureorum pœna erat: ſi vivat nocitumque ei in *dejecer.*
corpore dicatur, quantum Judici æquum videretur, qui mercedes Medicis præſtitas, cæteraque curationis impendia, præterea operas quibus caruit, cariturusve eſt ob id, quod inutilis factus eſt, computare debebat, *d. §. 1. Inſtit. De obligat. quæ quaſi ex delict. l. 1. in pr. & l. ult. ff. De his qui effuder.* quæ actio etiam popularis erat. *l. 5. §. 5. ff. De his qui effud.* ſed his illi prætereebantur, quorum intererat. *l. 3. §. 1. ff. De popul. act.* Et hoc ſingulare eſt, quod non competat adverſus dominum ipſius ædificii, aut cœnaculi, ſed adverſus inhabitantem, quia penes eum culpa eſſe intelligitur, *d. l. 1. §. 4. ff. De his qui effud.* nec adverſus dejectorem, intendi neceſſe ſit, quia quiſque familiæ, & eorum quos excipit, curam habere debet *arg. §. fin. Inſtit. De obligat. quæ ex delict.* Niſi ut inhabitanti pro indemnitatis actione in factum adverſus eum conſulatur. *l. 5. §. 4. ff. De his qui effud.* Cujus etiam dupli, in factum damni dati, & 50. aureorum ob hominem occiſum pœna moribus exolevit, ejuſque loco remanſit damni dati arbitraria computatio, in quantum ob rem æquum judici videbitur occiſi viduæ liberiſque applicanda, ſecundum ea quæ latius notantur ſupra hoc eodem *l. 5. cap. 21.*

Deinde ſi damnum aut furtum aliquod fuerit factum in navi, caupona, aut ſtabulo, duæ etiam D. IV. IX.
3 oriuntur actiones, una ex contractu, de reſtitutione eorum, quæ nautæ, caupones, ſtabularii *Nautæ, Caupones,*
ſalva fore receperunt. *l. 1. & tot. tit. ff. Nautæ, caupon. ſtabularii:* quæ actio honoraria eſt, & *Stabularii*
in eo civili actioni ex locato, aut depoſito prævalet, quod hæc etiam tunc locum habet, quum *ut recepta*
res periit ſine culpa ejus qui recepit *l. 3. §. 1. ff. Naut. Caupon. Stabular.* altera ex quaſi maleficio, *reſtituant.*
ſi damnum datum, aut furtum factum fuerit ab iis, quorum opera nautæ, caupones, ſtabularii D. XLVII.
utuntur, quæ in duplum erat, ſed tantum ex maleficio eorum, quorum opera exercitores uſi & V *Furti*
ſunt. *l. 7. in pr. §. 1. & ſeqq. ff. eod.* neque etiam ſi furtum factum ſit à viatoribus, aut vectoribus, hæc actio competit, *l. 6. §. 3. l. 7. ff. eod. l. unic. ff. furti.* adverſus nautas, pro quo tantum ſuperior illa ex contractu competit. *l. 1. §. ult. l. 2. & l. 3. in pr. ff. eod.* Eſtque pœnalis, quæ non datur adverſus heredem, niſi quatenus ad eum pervenit. *d. l. 7. §. fin. ff. eod.* quum alia illa perpetua ſit, rei perſecutoria, heredi, & in heredem competens *l. 3. §. 4. ff. eod.* Sed quum moribus dupli in factum pœna exoleverit, conſequens eſt ut hæc fere confundantur, parumque *adverſus nautas.*

reſert utrum à vectoribus, an ab iis quorum opera Nautæ, Caupones, Stabularii utuntur, furtum,
damnumve ſit commiſſum: modo conſtet de recepto. Vid. Chriſtin. *vol. 5. deciſ. 65. num. 21.*
& ſeqq. Pecc. *ad l. 2. & 3. ff. Naut. Caup. Stab. num. 9.*

Quod in nautis quidem præſumitur ſi res eorundem voluntate & ſcientia in navem ſint immiſ- 4
ſæ, licet nominatim aſſignatæ non ſint. *l. 1. §. fin. ff. Naut. Caupon. Stabul.* quæ tamen aſſignatio
aceeptatioque in tantum proficit, ut etiam earum quæ in littore perierint, dum ad navem expor-
tantur, periculum ad nautas pertineat. *l. 3. in pr. ff. eod.* pro iis vero rebus quas vectores ipſi cir-
cumferunt, aut ſi prædixerint nautæ, ut unuſquiſque res ſuas ſervaret, nullum eſt nautarum pe-
riculum. *l. 7. in fin. pr. ff. eod.* Sed in cauponibus vix eſt ut procedat, eos pro viatorum periculo
teneri niſi in rebus nominatim receptis, quum alias viatorum factum caupo non præſtet. *l. unic.*
§. ult. ff. furti adverſ. naut.

Hinc quæri ſolet, utrum nautæ aut caupones etiam inviti quoſlibet viatores, aut quaſlibet res 5
in navim aut diverſorium recipere teneantur: Quod communiter quidem affirmativa concludunt,
non eſſe in eorum arbitrio qui palam ac publice navem, aut caupanam exercent, viatores vel
repellere, ſed recipere omnes ex muneria, quod profitentur neceſſitate, & hinc eum qui ſigna
cauponationis oſtentat, indifferentur cogi omnes iter agentes admittere, ea ſolum moderatione
volunt, ut ſi hoſpitium repletum ſit, pluresque recipere non poſſit, vel ſi inter caupones & hoſpites
inimicitia interceſſerit, aut ſi qua probabili cauſa excuſare ſe poſſit, non teneatur. Ut poſt Bart.
& DD. Peck. & Vinn. *ad l. 1. ff. Naut. Caupon. Stabular.* Quorum tamen ſententia licet in
nautis & tranſvectoribus Ordinariis qui intra numerum ſunt moribus noſtris fere conveniat, ut
quibus in ipſius muneris conceſſione & ſuſceptione, id ſpecialiter, certaque lege atque conditio-
ne, injungatur, ut ſcilicet de loco ad locum cui præpoſiti, ſtatuto certo tempore vehant, & reve-
hant, omnes & quoſcunque, in cæteris de Jure defendi poſſe non video: Ut quod rotundiori-
bus, nec minus perſpicuis verbis ex Ulpiani *lib. 14. ad edictum*, ſententia in *l. 1. ff. Naut. Cau-*
pon. Stab. ideo eos arctiori vinculo teneri, neque id graviter adverſus eos conſtitutum, quia in
ipſorum arbitrio eſt, ne quem recipiant. Neque ad rem facit argumentum, *ex l. unic. §. fin. ff.*
furti adverſ. nautas. in verbis: *nec repellere poteſt iter agentes:* Quæ etiam Ulpiani ſunt verba, non
(ut quidam habent Codices) ex *libra* 13. ſed ex *libra* 38. *ad edictum.* Ubi de Noxali furti actione
egit. Hæc quum illi ignorarent, ne antinomia aliqua eſſet inter hæc, & verba *l. 1. ff. naut. caup.*
ſtab. modo relata; utque magis ſuæ opinioni ſerviant ea verba, quibus Ulpianus *in d. l.* 1. ait eſſe
in ipſorum arbitrio, ne quem recipiant: id non alium ſenſum habere, quam ſi dixiſſet, liberum
iis eſſe, & ab initio non exercere, & poſtea id exercitium omittere: non autem hos poſſe per-
ſeverantes in eodem exercitio pro arbitrio ſuo vel recipere iter facientes, vel non recipere. Qui 6
ſane, me ſibi hac in parte adſtipulantem non habent, ut qui ab ipſo textu in tantum recedere ad-
duci non poſſim. Verba *d. l. 1. ff. nauta, caupon. ſtabularii,* dubia non ſunt, nec aliquam reſtri-
ctionem patiuntur, niſi quod publica neceſſitate urgente, veluti ſi Princeps urbem ingreditur, aut
caſu advenientis multæ militiæ, non tantum caupones, ſed & reliqui cives hoſpitia militibus præ-
bere cogantur inviti, *l. 1. Cod. de metat. junct. l. 3. §. 13. ff. De munerib. & honorib.* his ver-
bis: *nam eas milites, quibus ſupervenientibus hoſpitia praberi in civitate oportet: ab omnibus (ſi non*
ſpecialiter ſint excepti) excipi convenit. Sic & nauta quoque eorum exemplo etiam inviti, &c. Quæ
traditio ipſam regulam ſatis confirmat, quæ ſcilicet ſpecialiter excepti non ſunt. Reſtat itaque
interpretatio *l. unic. ff. furti adverſus nautas.* quæ omnem eis diſſentiendi cauſam præbuit. Verba
ſunt, *nec repellere poteſt iter agentes:* Qui textus quum de receptis, & furtis à familia factis con-
ceptus ſit, ut ex rubrica tituli, & inſcriptione legis ſatis ſuperque conſtat. Nam ut de Rubrica
nihil dicam: ex veteribus fragmentis conſtat Ulpianum in *lib. 14. ad edictum.* quæ inſcriptio eſt
l. 1. ff. Naut. Caupon. Stabul. nihil aliud quam de receptis egiſſe, in *libra* vero 38. ejuſdem edi-
cti, quæ *l. unic. ff. furti adverſus nautas* inſcriptio eſt, tantum de noxali actione & furto à familia
facto. Qui tituli, præſertim poſterior ille, aliquo modo confundi videntur, ut quædem verba
de uno in alium ſint tranſpoſita, adeoque nec ſine collatione vere intelligenda ſint: quomodo
etiam verba illa, *nec repellere poteſt iter agentes*, ad priorem titulum collata, aliter accipi non
poſſunt, quam de caſu quo ſemel recepti fuerint, *repelli non poſſunt*, ſcilicet poſtquam rece-
perint, quod permiſſum non eſt, ſecund. *d. l. 1. ff. Naut. Caupon. Stabul.* Datque rationem,
quare nec caupo viatorum factum præſtet, aut pro eo pœnali actione conveniri poſſit, (qui ta-
men eorum reſpectu pro receptis ex contractu tenetur: ſecundum eandem diſtinctionem, *l. 2.*
ff. Naut. Caupon. Stabul.) quia ſcilicet proprie viatores ſibi eligere non videtur, quos nec re-
ceptos repellere poteſt.

Cap.

Cap. XXXI.

De Obligationibus quæ ex quaſi delicto proveniunt ex rebus noſtris.

Summaria.

1. *Obligatio ex quaſi delicto ex rebus noſtris quibus modis contrahatur.*
2. *Pauperies quomodo committatur ejuſque pœna.*
3. *Noxalis actio quæ, quando competat, & ad quid.*
4. *Pro graminibus aut frumentis à vicini pecore depaſtis quænam competat actio.*
5. *Pro damno à vicinis ædibus illato quænam competat actio.*
6. *Pro damno infecto quomodo caveri poſſit.*
7. *Pro incendio ex vicini ædibus exorto an & quænam competat actio.*
8. *Nave in aliam navem navigando negligenter impingente, an & quænam damni dati actio competat.*
9. *Ob damnum, ex curruum duorum concurſu, aut ſi equi laxatis habenis curruum præcipitaverint, an & quænam competat actio.*
10. *Duobus curribus ſibi invicem obviam factis, uter alteri cedere debeat.*

1 Res noſtræ per quas ex quaſi delicto obligamur, ſunt aut animatæ, aut inanimatæ: Animatæ quidem extra perſonas, de quibus ſuperiori Capite, ſunt omnia animalia dominio noſtro ſubjecta. Quorum alia fera natura, alia manſueta eſt. De feris quidem beſtiis Ædilitio edicto cautum eſt, ut ne quis canem, verrem, aprum, lupum, urſum, pantheram, leonem, aliudve animal quod nocere poteſt ita habeat, ut qua vulgo iter fit, damnum inferre prætereuntibus poſſit, & ſi adverſus ea factum fuerit, ut ex eo liber homo perierit, in ducentos aureos, ſi nocitum tantum, quanti bonum & æquum judici videbitur, dominus condemnetur, cæterarum rerum dupli damnum præſtet. *l. 40. l. 41, & l. 42. ff. de ædilit. edict.*

2 Et præterea utilis de pauperie actio datur, *l. pen. ff. Si quadrup. pauperiem feciſſe dicatur.* Quæ directa competit, ſi animal non ferum contra naturam generis ſui; ſine facientis injuria, aut culpa hominis pauperiem fecit, id eſt damnum dedit, ita dictum, quod dominum eo ipſo pauperiorem reddat, veluti ſi equus calcitroſus calce percuſſerit, aut bos cornupetere ſolitus cornupetierit, quapropter ei qui ex ea re damnum ſenſit, adverſus dominum animalis actio datur noxalis, de pauperie, ſeu damno dato, ut aut noxiæ æſtimationem ſolvat, aut id animal quod nocuit, noxæ dedat, *pr. Inſtit. & l. 1. ff. Si quadrup. paup. feciſſe dicatur. tot. tit. ff. Cod. & Inſt. de Noxalib. Action.* Proprie autem, & directo de eo animali intelligitur, quod gregatim ſolet paſci, utiliter vero de omni beſtia *l. 1. §. 5. ff. & §. 1. Inſtit. Si quadrupes paup.* nec tantum in quadrupede, ſed & quolibet alio non quadrupe locum habet. *l. pen. ff. eod.* D. IX. t. & Inſt. IV. t. IX. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. D. IX. IV. Cod. III. XLI. Inſt. IV. VIII. De Noxalib. Actionum.

3 Dixi, *ſine facientis injuria*] quia quadrupes, quum ſenſu careat, proprie injuriam committere dici non poteſt *l. 1. §. 2. ff. Si quadrup. eod. Aut culpa hominis*] quia ſi culpa domini, aut alterius hominis intercedat, veluti, ſi mula propter loci iniquitatem, aut culpam mulionis, aut plus juſto onerata, inſtigatu hominis damnum dederit, aut ſi propter imperitiam hominis aut negligentiam, aut ſi dolore concitatum animal quid fecerit, ceſſat hæc actio, & agitur ex lege Aquilia. *l. 1. §. 4. 5. 6. 7. l. 11. §. 5 ff. Si quadrup. paup. feciſſ. dicat. l. 2. in pr. & §. ſeq. l. 27. §. 5. ff. ad leg. Aquil.* D. IX. II. Cod. III. XXXV. Inſt. IV. III. Ad legem Aquiliam.

Sed & hic defenſio ſui, & quaſi moderamen inculpatæ tutelæ excuſat. Quomodo ſi quadrupes quadrupedem concitaverit, adverſus dominum ejus, quæ concitavit actio datur, ſi provocata perierit aut damnum paſſa eſt. *l. 1. §. 8. ff. Si quadrup. pauper* ſi provocans, aut perierit, aut damnum paſſa erit, nulla adverſus provocatæ quadrupedis dominum actio competit *l. 1. §. 11. ff. ead.*

4 Si vero ſecundum naturam animal nocuerit, veluti, ſi vicini alteriuſvè gramina aut frumenta depaverit, de paſtu ex lege *XII. tabularum*, aut ex lege Aquilia in factum quod dominus animal ſuum non recte cuſtodiverit actio competit *l. 14. §. fin. ff de præſcript. verb. l. fin. Cod ad leg. Aquil.* Quod in agro alieno deprehenſum, ſi dominus ejus ignoretur, ibi includi non poteſt, ſed publicæ cuſtodiæ tradi debet, donec de domino conſtet, ut ibidem tanquam proprium tractetur interim, donec de domino, & impenſis ſatis fiat *l. 39. §. 1 ff. ad leg Aquil. junct. l. 25. ff ad leg. Jul. de Adult.* Quo pertinet quod noſtris & aliorum moribus pecus alienum in agro noſtro de-

pre-

prehenſum, indiſtincte ſive dominus certus ſit, ſive non, publico clauſtro (vulgo **ſchutſtock**) ad
id pleriſque locis conſtituto, per Juſtitiæ miniſtrum includi & mancipari, cuique licet, reman-
ſurum donec de damno & ſumptibus impenſiſque factis ſuerint ſatisfactum. De Hollandiæ mori-
bus teſtatur Grot. *Introd. lib. 3. cap. 38. verſ.* **Daer-en-boven.** Atque ita pleriſque pagorum ſta-
tutis, nominatim cautum, vid. *Rhenolandiæ ſtatut. art.* 138. Agri Vornenſ. *art. 76. & ſeq.* Ke-
nemariæ ſtatut. & conſuetud. *pag. mihi* 204. Zuydt-Holland. Statut. *pag.* 341. & 511. Delff-
Landiæ Conſuetud. *confirmat.* 25. *Novemb.* 1558. 16. *Novemb.* 1581. & 4. *Julii* 1598. *art.* 77. Friſiæ
Statut. *lib. 2. tit. 3. art. 3.* De Brabantiæ moribus teſtatur Zyp. *Notit. jur. Belg. tit. ad leg. Aquil. § pecus.*

Propter damnum, à rebus inanimatis, veluti ab ædibus, aut aliis operibus noſtris, extra cul- 5
pam datum, eadem fere lege tenemur, ut ſi præſens ſit, veluti ſi ædes noſtræ in alienas ædes de-
ciderint, aut rudera tollamus damnumque datum ſarciamus, aut ædibus totis quaſi noxæ deditione
cedamus *l. 7. §. ult. l. 9. ff. de damno infect.* Si futurum ex ædibus aut opere noſtro metuatur
damnum, poteſt vicinus prætorem adire, ut de damno ſuo nomine caveatur per ſtipulationem 6
l. 18. ff. de damno infecto l. 5. §. 4. ff. eod.

D. xxxix. ii. De damno infecto, & de ſuggrundis & protectionibus.

Dixi *extra culpam*] quia ſi culpa noſtra damnum aliquod eveniat, ex lege Aquilia pro damni
reparatione actio competit *l. 29. §. 2. & ſeq. ff. ad leg. Aquil.*

Hinc quæritur quid de incendiis ex vicini ædibus exortis juris ſit, quæ plerumque inhabitan- 7
tium culpa fieri ſolent. *l. 1. §. 3. ff. de offic. præfect. Vigil.* Qua in re quum omnis præſumptio bo-
na ſit, neque ſibi volens obeſſe quis æſtimetur, ut alteri noceat; diſtinguendum quibuſdam vide-
tur, ut non aliter paterfamilias inhabitans teneatur, quam ſi probetur ejus negligentia. *arg. l. 11.
ff. de peric. & commod. rei vend.* vid. Andr. Gail *lib. 2. obſerv. 33. & ibi allegat.* Sed magis eſt,
ut quum præſumptio illa quod regulariter incendium non niſi alicujus, & ut plurimum inhabitato-
ris culpa committatur, non facti ſed juris præſumptio ſit *arg. eod. l. 11. ff. de pericul. & commod.
rei vend.* cujus ea vis eſt ut probationem in præſumptivum rejiciat *l. 9. l. 12. §. 24. & leg. ſeq. ff.
de probat. l. 16. Cod. eod.* inquilini earum ædium unde incendium fuerit exortum de damno vici-
norum ædibus ob id allato ex lege Aquilia teneantur, niſi & innocentiam ſuam probent, puta cir-
cumeundo & inſpiciendo an ignis recte habeatur aut alias in cuſtodiendo igne eam adhibuerit dili-
gentiam, quam debent homines frugi, & diligentes præſtare per eundem text. *l. 11. ff. de peric.
& commod. rei vend.* neque negligentia ejus oſtendatur in recipiendo vel adſciſcendo perdito,
aut diſſoluto *l. 27. §. 9. ff. ad leg. Aquil. ff. locati.* Dummodo clare conſtet de principio ignis unde
originem ſuam habuerit, quum alias incendium externe commiſſum, aut caſu obortum præſumi-
tur per ea quæ tractat Matth. de Afflict. *deciſ. Neapolit.* 75. *num.* 4. & 5. Vid. Arnold. Vinn.
quæſtion. ſelect. lib. 1. cap. 33. Sed quum facilis ſupinæ negligentiæ hac in parte excuſatio ſit, ut
quod quilibet etiam proprium incendii damnum ſatis ſollicite præcavere ſoleat, difficiliorque
exorti incendii circumſtantiarum ſit probatio, vix eſt ut hæc actio inſtitui ſoleat, ſed quodlibet
fere incendium pro caſuario accipi conſuevit.

D. xlvii. ix. De incendio, ruina & naufragio.

Huc pertinet etiam caſus, quo navis negligenter in aliam navem navigando impegerit, cujus na- 8
vis dominus alteri damnum reſarcire tenetur. *arg. l. 29. § 2. ff. ad leg. Aquil.* eoque pertinet Placit.
Philippi *ultim. Octob.* 1563. *art.* **Van Schepen die malkanderen beſchadigen.** *tit. 1. & leg. Na-
val.* Wisbuycenſ. *art.* 48. Quibus porro cavetur, ut ſi id extra alterutrius culpam & caſum, qui præ-
caveri non potuit, contingat, damnum utrimque dimidiatim feratur. *d. placit. leg. Naval. junct.*
Caroli V. *leg. Nautic.* 19. *Julii* 1551. *art.* 46. Ita tamen, ut eo caſu noxæ deditione ejuſque por-
tionis quam quiſque exercitorum in eadem navi habet dedendo liberetur. *arg. l. 7. §. ult. l. 9. ff. de
damno infecto.* Prout à Suprema Hollandiæ Curia judicatum referunt Jacob. Coren *obſ. rer. judic.* 40.
& 41. Neoſtad. *Suprem. Cur. deciſ.* 48. 49. à Brabantiæ Senatu Chriſtin *vol. 1. deciſ. 165. num. 11.
& deciſ.* 108. Quibus adde Andr. Gail. *lib. 2. obſ. 24. num.* 9. Grot. *Introd. lib. 3. cap. 38. circa. fin.*
quæ quum facti ſint per duos vel tres, qui naufragio interfuere & melius veritatem ſcire præſumun-
ter, probari ſolent, veluti ſunt ipſi navium magiſtri, quibus plenior eſt ſcientia, quæ ſi fatali ſorte
defuerint, in alios inquiſitio defertur, *l. 3. C. de naufr.*

C. xi. v. De naufragiis.

Cui adde damnum ex curruum duorum concurſu, aurigarum culpa, aut alias ex equorum ne- 9
glectu illatum. Quod ab aurigis reſarciri debet. *arg. d. l. 29. §. 2. ff. ad leg. Aquil.* quorum præ-
terea currus & equi, ſi laxatis habenis curſum præcipitaverint, ut exinde vectores vulnerati fue-
rint, pro pœna fiſco applicari ſolent, moribus noſtris. *Papegay* pag. 481. Quocirca quum in-
terdum eveniat ut ubi viæ ſunt anguſtiores aurigæ alii ab aliis ob bivias diſtortas non animadver- 10
tentes, tranſitu ita impediantur, ut alter alteri tranſeundo cedere, ſine periculo non poſſit, &
quandoque in viis latioribus, inter aurigas, improbiſſimum hominum genus, uter alteri obviam
venienti cedere debeat, vehementiſſimæ altercationes & jurgia, unde & cædes & vulnera oriun-
tur;

tur: moribus & certa conſuetudine introductum eſt, ut potior ſit ejus conditio, illique de jure
cedatur, qui in anguſtiorem viam prior fuerit ingreſſus, aut in cæteris, qui de loco ad locum
longiorem, mediamque itineris partem ſuperaverit, argumento, quod id, quod publico uſui
deſtinatum, occupanti concedatur: niſi quod bijugum indiſtincte quadrijugo cedat, atque in-
terim diſcretionis ratione, & ſepoſito hoc juris rigore, ei qui majori onere gravatur ſæpius parci
ſoleat, idque frequentiori uſu ſit receptum: ut poſt Dionyſ. Pontan. *ad tit. 13. §. 17. Conſuetud.
Bleſenſ.* notat Nicol. vander Hoogh *Sing. jur. 21.*

Cap. XXXII.

Quibus modis ſolvitur obligatio ex delicto & de pœnis; & de confiſcatione bonorum.

Summaria.

1. *Obligatio ex delicto quibus modis ſolvatur.*
2. *Pœna Civiles quæ & num, 7.*
3. *Pœna criminalis quæ.*
4. *Pœna capitales quæ & quales.*
5. *Confiſcatio bonorum an & quatenus locum habeat Jure Civili, & quid moribus, in Belgio, & Germania.*
6. *Pœna non capitales quæ & quales.*
7. *Mulcta, ſive pœna Civiles.*

1 SOlvitur obligatio ex delicto pœnarum per judicis ſententiam executione, & ſolutione. Pœ- D. xlviii.
na enim eſt noxa vindicta. *l. 131. in pr. ff. de Verb. Signific.* ejuſque executio eſt epilogus, xix. Cod.
atque actus extremus proceſſus criminalis, inquit, Damhouderus, *Prax. rer. Criminal. cap. 154.* ix. xlvii.
in pr. Aliæ civiles ſunt, aliæ criminales, quamvis alias propter eaſdem civiles pœnas, ſi proce- *De pœnis.*
2 dendi modum ſpectes, criminaliter agi non male quis dixerit. Criminales ſunt corporis afflictivæ:
civiles pecuniariæ, aut alterius generis leviores non corporales, veluti, mulctæ, relegationes,
deportationes. Quorum diverſa iterum ſunt genera, & gradus, pro cujuſque fere criminis pro-
priis circumſtantiis.

3 Criminales pœnæ iterum ſunt capitales, aut non capitales. Capitales non ſunt capitis am-
putatio, ut quidam diſtinguunt, ſed omnes illæ quæ vitam hominis adimunt, aliter mortis
ſive ultima ſupplicia. *l. 2. l. 4. l. 6. §. ult. l. 8. §. 1. l. 21. l. 28. l. 29. ff. de pœnis. l. 2. ff. De pu-
blic. jud. §. 2. Inſtit. eod. l. 4. ff. Si quis caution. in judic. ſiſtend. cauſ.* Cujus diverſi ſunt gra-
dus, culleus cui vivus incluſus omnibus elementis privatur. *l. 9. ff. ad leg. Pompej. de parricid. l.
unic. Cod. de his qui parent. aut lib. occid.* Ignis, quo vivi concremantur, furca qua laqueo vitam
finiunt, & gladius quo gladio reſecta cervice coërcentur. *l. 1. in pr. ff. de abig. l. 11. §. ult. l. 28.*
4 *l. 29. l. 31. l. 38. §. actores. ff. de pœn.* Quibus propter gravitatem delicti rotæ ſupplicium, quo
cruci impoſiti per membrorum compulſiones vitam finiunt vivi, mortui rotæ ſpectaculo ex-
ponuntur, diſſectiones in quatuor partes, & jaculorum confoſſiones, ſupplicii genus inter mili-
tes peculiare. Ultra quas lapidationes, præcipitationes, excoriationes, defoſſiones in terram,
ad beſtias damnationes, venenationes antiquitus obſervatæ, nullæ aliæ inter Chriſtianos ſunt
receptæ, de quibus ſingulis quum ſuo quoque loco pro delictorum variis generibus ſupra actum
ſit, docendi cauſa hic monuiſſe ſuffecerit.

Quocirca tamen notandum capitalem pœnam communiter ſequi bonorum confiſcationem. D. xlviii.
tot. tit. ff. & Cod. de bon. damnat. Quæ, ſi nulli deſcendentes, adſcendentes, & ex latere uſque xx. Cod.
ad tertium gradum delinquentibus conſanguinei ſuperſint, ultra dotem & donationem propter ix. xlix.
nuptias ſecundum *Novellam 134. cap. fin.* in tantum juris veteris (ſecundum quod indiſtincte *De bonis damnatorum.*
5 mortis pœnam bonorum confiſcatio tacite ſequebatur, *l. 8. Cod. de pœnis. l. 2. l. 4. l. 10. Cod. eod.*)
correctoriam ipſo jure ad fiſcum devolvuntur: Sed noſtris & Gallorum moribus, damnatorum
bona fiſco non cedunt, niſi & illud in ipſa ſententia ſit expreſſum; quod ſi expreſſum fuerit,
omnia defuncti bona fiſco cedunt indiſtincte, neque quicquam præ dictis perſonis reſervatur,
exceptis iis, quorum bona à confiſcatione indicta certa tantum ſumma redimi, privilegio eſt
conceſſum. Quibus fere gaudent Hollandiæ nobiles, & plerique Hollandiæ Zelandiæque mu-
nicipes, quorum alios præter vitam, non ultra octuaginta, alios ſexaginta, alios quadraginta
florenorum ſummam criminaliter condemnari poſſe ſolo latrocinio, & læſæ majeſtatis crimine
excepto, ſpeciali privilegio indultum eſt. Quæ ordine recenſentur apud Bataviæ Arcadiæ

auctorem *pag. mihi* 292. *& ſeq.* Secundum quæ Harlemenſes, Delfenſes, & Leydenſes ſexaginta florenis omnium bonorum publicationem redimunt. Amſtelodamenſes centum, Goudani ſexaginta, Roterdamenſes & Schiedamenſes octoginta, Brielenſes quinquaginta, &c. Vide porro quæ ad *Rhenolandiæ Conſuetud. art.* 4. notata, *pag.* 118. Idemque pleriſque Gelriæ locis conſuetudinis eſſe, ut ne quis una cum vita etiam bona ſua amittat, teſtatur Lambert. Goris *Adverſ. jur. tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. De Gallia & aliorum moribus vid. Groeneweg. *ad auth. bona damnatorum. Cod. de bonis proſcriptor. ſeu damnator.*

Idemque ſervatur in terris Imperii Germanici per textum expreſſum in Ordinat. Criminali Caroli V. *art.* 218. his verbis: Item, an etlichen orten/ſo ein ubelthater/ auſſerhalp des laſters unſer beleidigten Majeſtet/ ſonſt in andern fallen Leib und Gut nicht verwircket/ vom lebe zu todt geſtraffet werden/ Weib und kindere an bettelſtab/ und das Gut dem Heeren zu genieſſen/ dieſes wollen wir/ das eine jede Obrigkeit abgeſchaffen/ und daran ſeyn ſol/ das hinfure nicht gewet/ gehalten oder gebraucht werden/ als wir denn aus kayſerlicher macht die ſelben hiermit auffheben vernichten/ und abthun/ und hinforter nicht ein gefuret werden ſol/ id eſt, Alicubi (extra læſæ majeſtatis crimen) ob delicta capitali tantum ſupplicio, non etiam bonorum confiſcatione plectenda, bona fiſco applicant, unde uxores & liberi ad ſummam paupertatem rediguntur. Ac propterea præcipimus, ut univerſi Magiſtratus has conſuetudines tollant, & aboleant, quibus illud ex imperii & auctoritatis noſtri Jure mandamus, & ut poſthac in his ſibi ſedulo caveant ac proſpiciant, ne ejuſmodi abuſus in uſum unquam redeant.

Et Jure Saxonico Reo criminis capitalis teſtandi facultas ſive ante ſive poſt condemnationem pro arbitrio ſuo permittitur, niſi & quatenus præter mortis ſupplicium, etiam ad confiſcationem bonorum expreſſe fuerint condemnati. *Conſtit. Elect. part.* 3. *conſtit.* 6. Quod & ad inteſtati ſucceſſionem, ibid. extendi refert Carpzov. *Juriſprud. Forenſ. ad d. Conſtit.* 6. *defin.* 4. Corpora damnatorum ad inſtantiam cognatorum ſepeliri permittuntur, niſi hoc aliter ſententia fuerit expreſſum, per *l.* 1. *ff. de Cadaver. damnator.* Ut in atrocioribus fieri aſſolet, pro quibus aut patibulo affixi, aut rotæ impoſiti ad terrorem aliorum publice exponuntur. Quod omnium gentium moribus atque conſuetudine receptum probat Groeneweg. *de legib. abrogat. ad d. tit. de Cadaverib. damnator.* Quibuſdam Medicis in Anatomiæ exercitium conſecrantur. Quod Academiæ Lugduno-Batavæ Profeſſoribus ut damnatorum cadavera de hieme in artis Anatomicæ exercitium vindicare poſſint Holland. Ordd. *placit.* 18. *Decemb.* 1593. *&* 19 *Decemb.* 1619. conceſſum eſt.

D. XLVIII. XXIV. De cadaverib. damnatorum.

6 Non capitales pœnæ ſunt reliquæ omnes corporis, famæ, aut libertatis afflictivæ (nobis arbitrale correctie) ſuntque corporis coërcitio, quæ fit ictu fuſtium, flagellorum aut vinculorum verberatione. *l.* 7. *l.* 28. *§.* 1. *&* 2. *ff. De pœnis. l.* 6. *ff. De accuſat.* Quibus accedit ſtigmatis inuſtio moribus uſitata, narium, & aurium abſciſſio, manus amputatio, perforatio linguæ, & ſimilis. Hinc relegatio, ſive temporaria, ſive perpetua. *l.* 4. *l.* 14. *in pr. & §.* 2. *ff. De Interdict. & relegat.* infamiæ nota, & dignitatis depoſitio. *l.* 1. *& tot. tit. ff. ex quib. cauſ. infam. irrogatur. & ff. De his qui notantur infamia, junct. l.* 12. *Cod. De dignitatib. l.* 3. *ff. De offic. præſ. præt. l.* 8. *in pr. ff. de pœn.* In opus publicum datio, *d. l.* 28. *§.* 1. *& l.* 8. *§.* 7. *ff. De pœnis.* Cui ſucceſſiſſe videtur in ergaſtula publica, vulgo, Tugt-huys/ & ad triremes damnatio, vulgo op de Galeye/ quibuſdam regionibus uſitata, de quo ſupplicii genere vid. Damhoud. *Prax. criminal. cap.* 155. Deportationis loco ſucceſſiſſe bannum Imperiale vel fuſtigationem cum perpetua relegatione putat Georg. Schultz *ad tit. Inſtit. Quibus modis patr. poteſt. ſolvatur litt. a.* Sed bannitos noſtri temporis non ſolum deportatis, quibus aqua & igni interdicitur recte comparari poſſe puto; ſed etiam eos deteriori loco eſſe, maximamque capitis diminutionem pati. Quum non ſolum civitatem ut deportati, ſed etiam omnia humanitatis jura, officiorumque viciſſitudines & commercia amittant, extra protectionem & clientelam ſint, & pro hoſtibus transfugis, & rebellibus habeantur, quos nemo domo, urbe, hoſpitio, menſave recipere poteſt.

D. XLVIII. XXII. De Interdictis & Relegat.

Pœnæ civiles ſunt mulctæ pecuniariæ fiſco applicandæ propter quas etiam criminaliter agitur, quatenus publica ſit vindicta, reliquæ enim mulctæ partibus privatis applicandæ revera pœnæ non ſunt, ſed ejus quod parti læſæ intereſt juſta adæquatio, propter quas civilis tantum competit actio. Ut ſuo loco, ubi de modo procedendi. Illæ licet pecuniariæ, & propterea civiles nominentur, revera ſunt & manent criminales. *l.* 1. *l.* 17. *ff. De Jure fiſci. l.* 12. *§.* 4 *ff. De accuſat. l.* 131. *§.* 1. *ff. De Verb. Signific. l.* 2. *ff. De public. Judic.* Et quandoque in corporalem mutantur, ſi delinquens ſit pauper, ſecundum regulam, qui non habet in ære luat in pelle. *l.* 1. *§. ult. ff. De pœn. l.* 7. *§.* 3. *ff. De Juriſdict. l. ult. ff. De in jus vocando. l.* 12. *§.* 5. *l. ult. Cod.* 7

De

De privat. delict. l. 9. ff. De Incend. Ruin. & Naufrag. Vide Menoch. *De arbitr. Judic. caſ.* 447.

Hinc dubium videri poſſet, utrum quis ad pœnam, ſive mulctam condemnari poſſet, in alterius, quam fiſci utilitatem applicandam? Quod quamvis & nunc & olim à ſubalternis, ut vocant, judicibus quandoque factitarum ſciam, ut levioris commiſſi reos ad pœnam pecuniariam pauperum collegio, aut in opus civitatis impendendam damnent: id tamen ex juris ignorantia contra, aut præter ipſum jus inductum, aut uſurpatum putem. Ut ſecundum quod, mulctarum compendia, ærario noſtro, (id eſt, totius univerſitatis, communi, & publico, non cujuſque civitatis) protinus eſſe quærenda, neminem ignorare legiſlatores præceperunt *l. 5. Cod. de modo mulctar. quæ à judicibus infliguntur.* In qua lege, quum illud excipiatur, quod ipſe judex vel publicis operibus vel curſui publico, vel aliis neceſſariis cauſis ſpecialiter deputaverit: de juſta ejuſdem legis interpretatione videndum. Cenſet Bart. hic & *ad l. divus 6. ff. de bon. damnatorum, num.* 15. quod mulctæ parvulæ & extraordinariæ à judice in officii ſui utilitatem converti poſſint, nobis koſten ende miſen van Juſticie.

Cod. 1. 11. De modo mulctarum, quæ à judicibus infliguntur.

Cap. XXXIII.

De Remiſſionibus, & Abolitionibus.

Summaria.

1. *Remiſſio aut indulgentia Principis; an & quatenus crimen perimat.*
2. *Princeps, an & quatenus legibus ſolutus.*
3. *Remiſſionis requiſita, &* num. 7.
4. *Abolitio quid.*
5. *Indulgentia quid.*
6. *Remiſſio in ſpecie ſic dicta quid.*
7. *Interpretatio edicti Caroli V. circa homicidiorum gratioſas conceſſiones.*
8. *Remiſſio interpretata quæ ſolennia intercedere debeant.*
9. *Wergeldum Juris Saxonici.*
10. *Aſyla Eccleſiæ aliorumque locorum ſacrorum, an & quale præſtiterint tutum refugium.*
11. *Quid moribus.*
12. *Fure reſte fracta, per laqueum cadente, an reus abſolvendus, aut ſupplicio liberandus.*
13. *Mulierum condemnatum in conjugem petentium deprecatione intercedente, an reus eximi aut liberari poſſit.*

1 Sed & remitti pœnæ & aboleri delictorum crimina à Principe & Superiori poteſtate poſſunt,
cujus indulgentia crimen perimit, pœnæ gratiam ſpeciali reſcripto reo facit, & plena ſecu-
ritate ſupplicem donat. *l. pen. Cod. De calumn. & l. pen. Cod. De precib. Imper. offerend. l. 1. in
fin. ff. De conſtit. pecun.* Quod quamvis ita eum tollere quidam volunt, ut nuda voluntas ejus
pro cauſa ſit, quod ſcilicet facti rationem reddere non teneatur, quum legibus ſit ſolutus. *l. 31. ff.
De legib.* Quibus quum ſecundum juſtam ejus legis interpretationem ita ſolutus non ſit, quin,
licet propter poteſtatis ſuæ plenitudinem abſolutum exerceat imperium, cujus rationem dare
2 nemini ſit conſtrictus, ut cujus voluntas pro lege ſit, eoque ſenſu legibus ſolutus dici poſſit,
nihilominus in ſe, legibus, & ſecundum leges cuncta terminare debet: quamvis enim legibus
ſolutus ſit, attamen legibus vivit, *l. 3. Cod. De teſtam.* neque vere legibus ſolutus eſt, ſed videtur,
ut eſt text. in *l. 23. ff. De legat. 3. & l. 4. Cod. De legib.* Et demus illis Principem legibus civi-
libus aut pœnariis, ut loquuntur, ſolutum eſſe, divinis certe, & naturalibus, quibus tanquam homo
obligatur, gentium item legibus, quibus tanquam pars, & membrum humanæ ſocietatis obnoxius
eſt, eum ſolutum ecquis prædicet? Quare licet hac in parte ſummæ poteſtati multum tribuatur,
abſolute tamen delictorum pœnas remitti poſſe aut debere verum non eſt, quin juſtæ intercedant
3 cauſæ neceſſe ſit. *arg. l. 31. ff. De pœnis.* Ut ſi ejus roboris ſit reus vel artificii, vel talia ejus ſint
merita in rempublicam, & eſſe poſſint, ut cum ſummo detrimento publici ſtatus è vivis tollere-
tur. *d. l. 31. ff. De pœnis.* aut ſi innocentia rei tanta, aut culpa tam exigua concurrat, ut per ſe
commiſſi gratiam mereatur: veluti, in homicidio pro ſui defenſione commiſſo, quæ, quod clam
teſtibus commiſſum fuerit, aut alias dilucide probari non poſſit, aut in homicidio inopinato,
caſuali, nec ex propoſito commiſſo, in quibus gratia Juris rigori præferri ſolet, in iis qui pro
duplici litis eventu in hunc modum ſibi conſulere maluerint.

Et quidem diſtingui ſolet inter abolitionem, indulgentiam, & remiſſionem.

4 Abolitio eſt extinctio criminis errore, caſu, aut ex juſta cauſa commiſſi, quæ eſt indulgentia

per annotationem Principis facta, *l. 5. Cod. ad leg. Corn. De Sicar. l. 9. Cod. ad leg. Corn. De falſis*, oblivionis lege indicens accuſatori perpetuum ſilentium, & ſtatim pleniſſimam impunitatem tribuens.

Indulgentia eſt quælibet criminis remiſſio per gratiam indulta. 5

Remiſſioni in ſpecie ſic dictæ locus eſt, ex cauſa relegationis, aut alterius condemnationis 6
propter abſentiam aut contumaciam rei decretæ, quæ præter gratiam indultam remitti debet.

Caſus quibus gratiæ conceſſioni locus eſt arbitrarii ſunt, & ex arbitrio concedentis dependent: Uti fere ſunt, ſi caſu in commiſſum quis inciderit, *l. 7. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Si defendendi cauſa, ſi ab alio prius provocatus, & invaſus, quod reus integræ & probæ ſit vitæ, occiſus improbæ & notatæ famæ, & ſimiles. De quibus vide Grot. *Introduct. lib 3. cap. 33. verſ.* **ende al iſt ſoo.** Jul. Clar. *§. homicidium. num. 1. cum ſeq.* Boſſ. *Prax. criminal. tit. de Homicid. num. 68. cum. ſeq.* cui tamen gratiæ ſupplementum accedit, quum alias ſi homicidium in juſta ſui defenſione, aut caſu plane fortuito & inevitabili fuerit commiſſum, per ſe nulli pœnæ ſit obnoxium, *l. 3. ff. de Inſtit. & jure junct. l. 7. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* nec ulla pœnæ gratia indigeat. Rurſum in aliis homicidis, ubi nulla facti excuſatio ſubeſt, gratiæ, aut indulgentiæ locus eſſe non poteſt *arg. l. 31. ff. de pœnis.* Quod apud nos ſatis innuit Caroli V. edictum circa homicidiorum gratioſas remiſſiones datum 19. *Maji* 1544. ubi quum motibus noſtris omnia gratiæ & remiſſionum reſcripta contineant clauſulam inquiſitionis & confirmationis Ordinarii Judicis *art. 15.* Officialibus ſuis imponit, ut diligenter in informationes & facti ſpecies inquirant, his verbis: **Dat de Officieren Fiſcalen ſullen gehouden weſen ende naerſtelijcken te deur ſien ende viſiteren de voorſchreve informatien /** *& art. 16.* **Dat den rechter ſal rejecteren de remiſſie/ſoo verre de ſaecke daer toe gediſponeert is/verbiedende allen Regteren te procederen ten interinemente/ſonder eerſt te ſien ende viſiteren de informatien / naer dewelcke de voorſchreve Regteren hen gehouden ſullen weſen te reguleren /** id eſt, ut judex impetratam remiſſionem rejiciat, ſi cauſæ merita id exegerint, inter- 7
„dicimuſque omnibus & ſingulis judicibus, ne ad remiſſionis confirmationem procedant, niſi
„prius probe inſpectis, requiſitiſque facti informationibus. Quod ut ne ad omnes & quaſcunque delictorum indulgentias extendatur, *ſeq. art. 26.* declarat rigorem dicti ſtatuti de illis tantum homicidiis intelligi, propter quæ homicida eſſet mortis reus, minime de homicidiis commiſſis ob corporis defenſionem, aut caſu, vel ſi perſona vulnerati ex ſupervenienti obierit accidenti, his verbis: **Dat deſe Ordonnantie te verſtaen is alleenlijck van den doodt ſlagen om dewelcke den doodt ſlager behoort criminelijck geexecuteert ende ter doodt gebragt te werden/ ende niet ſoo wanneer den doodt-ſlag ſal weſen gecommitteert verwerens lijfs / by ongeval / wanneer den perſoon gequetſt is / maer niet totter doodt/ ende niet te min by ander of accident aflijvigh werde.**

Impetrata remiſſione, ad ulteriorem ejus confirmationem, quæ Provinciali Hollandiæ Cu- 8
riæ committi ſolet, etiam citari debent defuncti heredes, ut aut contradicant ſi velint, aut oblata juſta pacificationis conditione, vulgo **Soeninge** / atque inſuper intereſſe, & damni reparatione, conſentiant, cujus præſtatio confirmationem præcedere debet, *arg. l. 8. Cod. De Injur. & l. 5. ff. ad leg. Aquil.* Quod arbitrarium eſt, inque eo ſi partes fuerint difficiliores, Judex intercedere, eiſque æquas pacificationis, & damni reparatorias conditiones arbitrari ſolet. Cujus praxim & procedendi modum vide *Papegay. pag. mihi* 470. *& ſeqq.* ubi & de abolitionis & indulgentiæ forma & modo.

Quod fere convenit cum Wergeldo Juris Saxonici, qui nempe debetur ex compoſitione & 9
tranſactione de homicidio commiſſo cum agnatis occiſi, necem defuncti vindicantibus. De quo late Carpzov. *Prax. crimin. part. 1. quæſt. 34.*

Cod. 1. 12. De his qui ad Ecclesiam confugiunt. Cod. 1. xxv De his qui ad ſtatuas confugiunt.

Solebant etiam templa, cœmeteria Deo conſecrata aliaque loca ſacra quibuſvis delinquentibus aſylum & tutum refugium præſtare, ut quicunque eo ſe reciperet inde extrahi à nemine fas
eſſet. *tot. tit. Cod. De his qui ad Eccleſ. confug.* Quod deinde ad Imperatorum ſtatuas porre- 10
ctum eſt, *l. unic. Cod. de his qui ad ſtatuas.* Quod quum tantum adverſus inconſultum propinquorum occiſi impetum & privatam vindictam primitus fuerit inſtitutum *Num. cap. 35. Deuter. cap. 19.* Quod ſcilicet reverentia Dei conſpectu illius loci excitata violentiam hominum reprimeret, non video quo colore id adverſus vindictam publicam, & Magiſtratus Juriſdictionem extendi potuerit, quippe quod nullam impunitatem ſceleratis hominibus concedi expreſſe Deus præceperit. *Exod. 21. 14. 1. Reg. 2. 29.* Et ementes & vendentes eccleſiis expulerit: *Math. 21. 12.* ne quæ domus vocatur orationis, fiat ſpelunca latronum, *Jerem. 7. 11.* Quare

ut

1 ut in Italia reſte Joann. de Ferrar. *Prax. Pap. tit. 52. gloſſ. 1. num. 47.* nec in Gallia teſte Autumno & Gothofred. *ad tit. Cod. De his qui ad Eccleſ.* Ita nec in Belgio, præſertim apud Reformatos, quibus nulla ſanctitas ipſis quibuſcunque rebus adſcribi hinc inde cœpit, quicquid ad Patrum noſtrorum memoriam hac in re ſuperſtitioſa tenuerit antiquitas, hi tituli nullius eſſe uſus cœperunt. De Eccleſiarum Aſylis vid. Georg. Tholoſan. *Syntagm. Jur. lib. 33. cap. 21. 22.* Rebuff. *ad conſtit. reg. tom. 2. De immunitat. Eccleſ.* Covarruv. *lib. 2. var. reſolut. cap. 20.* Zepper. *De legib. Moſaic. lib. 2. cap. 7. & lib. 4. cap. 14.* Martyr. loc. commun. *claſſ. 4. cap. 14. num. 33.* Quibus adde Damhoud. *Prax. criminal. cap. 108. circa fin.*

2 In quam rem à *Rudolpho à Diepholt* Epiſcopo Trajectenſi, *ultimo Februarii* 1424. certo diplomate indultum fuit.

Dat of yemand om eenige miſdaden wille die hy miſdaan hadde / inder Kerken of op der Kerck-hove ginge / dien de vryheyt vander Kerke niet en ſoude kunnen beſchutten / volkomelijk na beſchreven regten / dien miſdadige ſal onſe lieven Heere den Hertoge van Borgonjen / Grave van Holland / mogen doen nemen van den Kerck-hoff / ſonder daarom te violeren of interdict te weſen.

Ook mede ſoo en ſal de vryheyt vander Kerke niet te bate komen / die gene die met opgeſetten lage yemand dood ſloeg / dat kennelyk op hem geprouft waar / nog ook yemand die van onſen lieven Heere den Hertog voorſz / off van Geregten inder Landen Heerlykheyt gebannen zijn / om ondadige feyten / alſe miſdaan hebben / jegens den Princen van den Lande / off ſijnen Landen / dat men hiet crimen læſæ Majeſtatis, **off andere diergelyke / etc.**

Id eſt: Si quis forte qui tutum refugium ad aſylum ſibi competere jure probare non poteſt, ad templa ſive cœmeteria confugerit, eum dilecto nobis Burgundiæ Duci, & Hollandiæ Comiti eo avellere integrum erit.

Neque illo refugio gaudebit ille qui dolo & præmeditate aliquem occiderit, idque palam innoteſcat, neque illi qui ab ipſo prædilecto Duce noſtro, aut aliis ejuſdem Judicibus propter aliqua delicta contra Principem aut Rempublicam commiſſa, quæ læſæ Majeſtatis crimina vocantur, aut alia ſimilia fuerint proſcripti, aut relegati.

Poſtea vero per generalem religionis reformationem, ejuſmodi refugia, cum ipſo Eccleſiaſtico foro, & omni judiciario regimine ab Eccleſiaſticis exercendo in totum abolita ſunt, niſi quod magno Reipublicæ malo a quibuſdam Toparchis, in certis municipiis quæ poſſident in Fœderato Belgio, ex quadam juriſdictionis prærogativa, à communi eorum quibus adjacent juriſdictione ſeparata ac diſtincta, jus ſalvi conductus, vulgo, **Vry geley** / ſub certa recognitione impetrari ſolet, quo non tantum obæratos, & qui ſe ſuis creditoribus ſubduxerunt, ſed & quibuſvis homicidis, tutum præſtant refugium, eoſque in patrocinium ſuum recipiendo contra quoſvis perſecutores defendunt. Quod quidem potiſſimum exercetur *Culenburgi*, *Viana*, *Bura*, *Leerdami*, *Iſelſtadii*, itemque in Amelandiæ Inſula: quibus in locis ingens reſidet copia facinoroſorum hominum, præcipue vero obæratorum quos, vulgus *Banqueruptores* appellat. Sed quo jure, quave injuria alnius non inquiro.

32 Huc etiam referri quidam voluerunt caſus illos, quibus aut carnificis gladius in ipſo executionis actu, dum reum ferire parat, diſſiliat, aut ſi fur reſte fracta in terram proſilierit vivus, anne reus, tanquam fato quodam ſingulari, & innocentiæ miraculoſo teſte, judicio abſolutus, ſupplicio liberandus ſit? Quod & ſuperſtitioſa credidit antiquitas. Quo proferre ſolent exemplum quod divi Hieronymi temporibus contigiſſe referunt, quo mulier de adulterio accuſata, quod non commiſerat, ter ita per carnificem & inde admoto jugulo mucrone mori non potuerit, & tamen ut juſtitiæ locus eſſet, ſeptica percuſſa mori viſa fuerit, ſublatumque cadaver revixerit innocentiæ, cumque adhuc requireretur ad ſupplicium, Euagrius Epiſcopus precibus ejuſdem libertatem impetraſſet ab Auxeotio imperatore. Sed poſtquam re penitius inſpecta, in admittendis credendiſque miraculis, & præter naturam contingentibus, difficiliorea eſſe cœperint homines, nulla pœne, nedum talia miracula vere contigiſſe, ſed totum illud quod præter aut contra naturam, divinitus, aut miraculoſe in rebus humanis unquam contigiſſe hic aut illic fuerit diſperſum fictitium, aut plane imaginarium toties, quoties altius inquireretur, fuerit animadverſum, hæc difficultatem nullam habere cœperunt, quin quum per fraudem carnificis, aut debilitate funis & reſtis caſu facile contingere poſſit, ſupplicium uſque ad mortem debeat reiterari in eo, qui antea criminis abunde convictus, & legitime fuerit condemnatus. Præſertim apud nos, quibus fere ad furcam condemnationibus hæc additur clauſula, **met de Koorde geſtraft te werden datter de dood**

 naer

naet hangt. Id eſt, ut laqueo ad mortem plectantur. Prout in Alexandriæ civitate ſuis temporibus contigiſſe refert Hieronymus Cagnolus *ad l. favorabiliores. 125. ff. ad reg. Jur. num.* 10. Gubernatorem ejuſdem tunc civitatis, quem in eo laudat, quum populus clamaſſet liberandum eum qui vivus in terram fracto laqueo cecidiſſet, id ei fuiſſe pollicitum, miraculumque ſe crediturum, ſi iterum ſuſpenſus in terram vivus caderet, juſſitque duplicem laqueum injici & ſuſpendi iterum, quo facto in continenti vitam cum morte commutavit. Quod & Ducat. Pruſſiæ Statut. expreſſe captum *lib. 6. tit. 9. art. 1. §. 1.* ut etiamſi tale quid contingat, reus nihilominus ſupplicio adficiatur. Sed in Angliæ Scotiæque regnis, ubi pro furto etiam exiguo ad furcæ damnationem faciliores eſſe ſolent: ſi latro ſuſpenſus fuerit, & poſtea cadat de furca, quietus evadit ulterius de illo furto. *Reg. Majeſtat. conſtit. lib. 3. cap.* 18.

Similiter nec precibus, aut interceſſione mulierum, condemnatum ad mortem in conjugem petentium reus merito ſupplicio condemnatus eximi, aut liberari poteſt: quod facile ſit, ejuſmodi aliquam mulierem reperiri quæ levitate animi vel pretio & pollicitationibus inducta, eum condemnatum in matrimonium ſibi jungi petat. *arg. l. 27. Cod. ad leg. Jul. De adult. l. 9. §. 3. ff. De minorib. l. 1. §. fin. ff. De quæſtion.* De noſtris & aliorum moribus vid. Chriſtin. *deciſ. Belgic. vol. 2. deciſ.* 48. Nicol. vander Hoogh *Singular. Jur.* 59. Joann. Papon. *lib. 24. tit. 10. art.* 14. Chaſſan. *ad conſuetud. Burgund. rubric. 1. §. 5. gloſ. Si an enim Commez. num.* 96. Jul. Clar. *§. ult. quæſt. 98. num.* 6. Gomez. *reſolut. tom. 3. cap. 14. num.* 37. Ducat. Pruſſ. *Statut. d. lib. 1. tit. 9. art. 1. §.* 2. 13

Ad hoc caput etiam pertinet judicum, in arbitrariis cauſis, & ubi facti circumſtantiæ reum quodammodo ab ordinaria pœna excuſant, delictorum remiſſiones & mitigationes, quibus atrocioris criminis rei ex facti circumſtantiis, quæ pœnam ordinariam mitigare ſolent ad terrorem, & pœnæ metum ultimo ſupplicio quidem damnari ſolent, ſed ad ſupplicii locum perducti, aut in exequendis aliorum criminum pœnis adhibito debito executionis ſigno, ſpectatoribus publice exponuntur, aut ſi capitale crimen ſit, humo ſuppoſiti nudum capiti ſuperductum enſem ferunt, adeoque inter pœnarum genera etiam ipſe pœnæ metus numeratur. facit *l. 1. §. 33. ff. de Senatuſconſulto Syllaniano.* Quomodo Anaxerxes Perſarum Rex (teſte Plutarcho) pro flagellandis corporibus quandoque jubebat veſtimenta flagellari, & allato terrore extremi periculi, non caput, nec aures, ſed hinc pendentia quædam jubebat amputari.

Diximus *ex facti circumſtantiis*] Quum alias ubi certa pœna conſtituta eſt & de facto ſatis conſtat, arbitraria pœna locum non habet, neque judici aliqua delicti pœnarum remiſſio competit, quæ ſoli Principi & ſuperiori poteſtati competit, quam ſi ſibi judices arrogaverint, de falſi & Majeſtatis crimine tenentur. *l. 1. §. 3. ff. ad l. Corn. de falſ. text. eſt in l. 45. §. 1. ff. de re judic.* & ibi DD. Vide Farinac. *Prax. criminal. tom. 1. tit. 1. quæſt. 6. num.* 2. Tiraquell. *de pœn. temper. num. 8. & ſeqq.* Quapropter expreſſa Hollandiæ Ordd. *reſolutione 27. Septemb.* 1668. omnibus ac ſingulis judicibus interdictum eſt, ne in poſterum ſententiarum formulis inſeratur clauſula, à quibuſdam hactenus uſurpata, **præfererende gratie in plaats van rigeur van juſtitie/** Id eſt, juſtitiæ rigori gratiam præferentes.

F I N I S.

INDEX

INDEX

Omnium Titulorum Digeſtorum & Codicis qui hac prima parte continentur.

D E

ABigeis. 544. 548
Acceptilationibus. 456
Acquirenda vel amittenda hereditate. 223
Acquirenda vel amittenda poſſeßione. 107
Acquirendo rerum dominio. 88
Actionibus empti & venditi. 381
Ad exhibendum. 112
Adimendis vel transferend. legat. 219
Ademptione legatorum. 219
Ad legem Aquiliam. 524.551
Ad legem Corneliam de falſis. 493
Ad legem Corneliam de Sicariis. 499
Ad legem Fabiam de plagiariis. 548
Ad legem Falcidiam. 220
Ad legem Juliam de adulteriis & ſtupris. 534
Ad legem Juliam de ambitu. 496
Ad legem Juliam de annona. 497
Ad legem Juliam majeſtatis. 487
Ad legem Juliam peculatus & de ſacrilegiis & de reſiduis. 498
Ad legem Juliam repetundarum. 494
Ad legem Juliam de vi privata. 527
Ad legem Juliam de vi publica. 527
Ad legem Pompejam de parricidiis. 508
Ad legem Rhodiam de jactu. 448
Adminiſtratione & periculo tutorum. 80
Adminiſtratione tutorum vel curatorum, de pecunia pupillari fœneranda vel deponenda. 74
Ad municipalem, & de incolis. 24
Adoptionibus & emancipationibus. 18
Ad SConſultum Macedonianum. 316
Ad SConſultum Trebellianum. 220
Ad SConſultum Vellejanum. 367
Ædilitio edicto & redhibitoria. 383
Æſtimatoria actione. 355
Agnoſcendis & alendis liberis vel parentibus. 33.
Aleatoribus. 359
Alimentis & cibariis legatis. 214
Alimentis pupillis præſtandis. 67
Alluvionibus, & paludibus, & paſcuis ad alium ſtatum tranſlatis. 93
Annuis legatis & menſtruis legatis & fideicomm. 211
de Apeſtatis. 515
Arborum furtim caſarum. 547
Attiliano Tutore, & eo qui ex lege Julia & Titia dabatur. 70
Auro, argente, mundo legato. 214
Auctoritate & conſenſu tutorum vel curatorum. 76

B.

De BOnis damnatorum. 553
Bonis eorum qui ante ſententiam ſibi mortem conſciverunt. 504
Bonorum poſſeßionibus. 106

C.

De CAdaveribus damnatorum. 554
Caducis tollendis. 200
Cenſibus. 136

Ceſſione bonorum. 478
Codicillis. 171
Collatione bonorum. 235
Collegiis & corporibus illis. 188. 498.
Commodati vel contra. 326.
Communi dividundo. 445
de Compenſationibus. 459
Concuſſionibus. 497
Condictione cauſa data cauſa non ſecuta. 356
Condictione indebiti. 357
Condictione ob cauſam datorum. 356
Condictione ob turpem vel injuſtam cauſam. 359
Condictione triticaria. 357
Conditionibus & Demonſtrationibus. 198
Conditionibus inſertis tam in legatis quam in fideicommiſſis, &c. 216
Conditionibus inſtitutionum. 197
Confirmando tutore vel curatore. 69
Conjungendis cum emancipato liberis ejus. 234
Conſenſu & auctoritate tutorum. 76
Conſtitutionibus principum. 6
Contrahenda & committenda ſtipulatione. 363
Contrahenda emptione. 379
Contraria & utili actione tutela. 81. 444
Crimine peculatus. 492
Crimine ſtellionatus. 498
Curatore bonis dando. 115
Curatoribus. 68
Curatoribus furioſo & aliis. 73. 79

D.

De D Amno infecto. 552
Decurionibus & filiis eorum. 25
Depoſiti vel contra. 327
Dignitatibus. 13
Diſcuſſoribus. 377
Diſtractione pignorum & hypothecarum. 340
Diverſis reſcriptis. 6
Dividenda tutela. 81
Diviſione ſtipulationum. 363
Divortiis & repudiis. 62
